Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
C
14
NAPOLI

XXV
C
14

Digitized by Google

Digitized by Google

OBERTI GIPHANII PHILOSOPHI
& ICti clariſſimi

Commentarij

IN DECEM LIBROS ETHICORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM,

POST SAT BENE LONGAM ſuppreſſionem, boni publici gratia, iam primum in lucem editi.

OPVS, *enarrationis ſubtili perſpicuitate, perſpicuaque ſubtilitate, ſtyli eleganti puritate, Hiſtoriarum allegatione, variarum magni momenti quæſtionum παρέργως inſertarum ſolida diſcuſſione quam commendatiſſimum: eoq; omnibus cum Philoſophiæ, tum Iuriſprudentiæ ſtudioſis longe vtiliſſimum.*

CVM INDICE RERVM, VERBORVM ET ſententiarum locupletiſſimo.



Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

FRANCOFVRTI,
Impenſis Lazari Zetzneri Bibliopolæ.

M. DCVIII.

Digitized by Google

ILLVSTRIBVS

AC GENEROSIS DOminis: Dn. GEORGIO-FRIDERICO: Dn. IOANNI-IACOBO: & D. PHILIPPO-LVDOVICO: Dominis in Rappoltſtein, Hohenack & Geroltzeck am Wäſſichin / &c. Fratribus germanis: Dominis ſuis clementibus,

S. P. D.

VT vino vendibili, iuxta Comici illud, ſuſpenſa hædera non eſt opus: Emptorem facile merx proba atq; pretioſa reperit: ita, qui ſumptibus nunc meis in lucem Autor prodit, dignitate, vti ſpero, at-

que præſtantia ſua eouſq; ſeſe commendabit: vt aſcititio verborum colore atque elogio indigere minime videatur.

Placet, ſapientum de ſententia, laboris haud multum operæq; in res obſcuras atq; difficiles, eaſdemq; non neceſſarias collocare: diſcere, cum Seneca authore grauiſſimo vt loquar, non tam ſcholæ, quam vitæ: trãsferre ad vſum Pelei illud, apud Homer. inſtitutum: qui in mandatis Phœnici hoc dederat: vt cura ſtudioque pari, & eloquendi, & agendi viuendiq; præcepta Achilli filio inſtillaret? Non hic, quot ad Iliũ oppugnandum naues Græci adduxerint: Smyrnamne potius an Colophona patriã agnouerit Homerus: ebrietati magis an libidini Anacreon

creon indulſerit: aut ſimile aliquod Tiberij Imper. ænigma: ſed doctrinæ atque literaturæ politioris pars ea traditur: quæ vitæ, non decenter modo, honeſte, laudabiliter: ſed trãquille commodeque tranſigẽdæ modum præſcribit: docet, quæ, ſiue tecũ quid agas, ſiue cum alio contrahas, ſit ineunda ratio: finem ſibi, non vel gloriolam inanem, vel mundi huius opes atq; diuitias: verum ſummum hominis propoſitum bonum habet: quo ignorato, vt præclare quodã in loco Cic. ſcribit, viuẽdi ratio omnis ignoratur: error tantus cõſequitur, vt quem ſeſe in portum homines recipiant, ſcire nequeant: nec vel vitæ viam, vel officiorum conformationem vllam teneant.

Placet, quæ vel ingenio poliendo,

doctorum hominum reddidit induſtria? Sunt foras, & prima quidem vice prodire iuſsi Commẽtarij, quibus his ipſis Ariſtotelis Nicomachicis non tenebras tenebricoſi illius, ſqualidique ſeculi Scotiſta aliquis offudit: ſed lucis, gratiæ, ſplendoris, ornatus, dignitatis plurimum attulit: Vir Nobiliſsimus & Conſultiſsimus Dn. OBERTVS GIPHANIVS *JCtus & Philoſophus celeberrimus, Sac. Cæſ. Maieſt. dum viueret, Conſiliarius: à quo, quicquid vnquam prodijt, perinde vt Phidiæ ſignum, ſimulatque aſpectum, probatum fuit: laudem certe atq; commendationẽ eam promeruit, quam Caſsii Seueri Oratoris ſcriptis tribuit Seneca: nihil in illis otioſum reperiri: nullam partem non ſua ſtare virtu-*

virtute: non eſſe quicquam in quo lector ſine damno ſuo aliud aliquid agere poſsit. Me certe hoc ipſum mouit, vt cũ deſiderio pari, & quos Iuri enucleando impendit, & quos philoſophicis conſecrauit ſtudijs, efflagitari labores animaduerterem: nulli vel ſumptui vel moleſtiæ pepercerim ante, quam Ethica ſimul eius atq; Politica iuris publici facerem: voto certe meo ſatisfacerem: quod in eo potiſsimum verſatur: vt literis deditæ iuuentutis, pro virili parte mea, promouere atq; prouehere commoda poſſem.

Sub veſtro vero, Illuſtres ac Generoſi Domini, Domini clementes: illuſtri inclytoque nomine apparere Ethicæ Philoſophiæ partẽ, quod voluerim: ſunt quæ me cauſæ mouent,

non vel nullæ vel leues atque contemnendæ. Etenim, cõſtituere ob oculos mihi, clementiam animiq́ propenſionem eam ſi voluero, qua me, nihil equidem tale merentem, Dn. Parens veſter: Illuſtris ac Generoſus Dn. D. EBERHARDVS, *Dominus in Rappoltſtein, Hohenack & Geroltzeck* am Wäſſichin/ *ſereniſſimi Archiducis Maximiliani Camerarius, &c. Dominus meus clemens, aliquot iam ab annis eſt proſecutus, & adhuc proſequitur: facere non poſſum, quin & hoc mihi nomine gratuler plurimum: & vero, erga Eundem, grati memorisq; animi mei teſtimonium atq; ſignificationem aliquam extare percupiam. Verum, cum hac quidem vice dono minus inſtructus idoneo*

mihi

mihi viderer, viam ad Vos affe-ctandã eſſe judicaui: fore ſperans, vt quicquid Vobis, filijs Ipſius plane γνησίοις offerretur, id, quaſi in ſemet collatum ſit, clementer Idem benigneque ſit interpretaturus.

Sed & Vos ipſi, ſtudiorum veſtrorũ in curriculo, pede adeo fauſto atque felici progredimini: vt & hic, quem exhibemus, & authores ſimiles legi à Vobis propediem, cognoſcique vtiliter queant: & vero tenella hac in ætate res rationeſq; Veſtras ita inſtituitis: vt boni cordatiq; omnes pleno id ore manuq; commendent: eoque nomine inclytæ familiæ Veſtræ gratulentur: cui ad decus vetus, nouum, in Vobis, ac ſingulare acceſſurum lumen atque ornamentum eſſe animaduertunt. Et

quid

quid ni pietas Vobis curæ: cordi virtutes reliquæ eſſent, homines Illuſtres celſoq; natos loco quæ cõmendant: quod, Auos Proauoſq; veſtros, tam ARTE *quam* MARTE *claros, hoc loco vt prætercam, vel Illuſtrem atq; Generoſum Dn. Parentem Veſtrum cum intuemini: quoque Idem modo viam ſibi, cum ad ſummam prudentiæ atque eruditionis laudem: tum ſingularem Illuſtrißimorum atque Illuſtrium hominum, inprimis vero Sereniſsimorum* AVSTRIÆ *Archiducum clementiam atque beneuolentiam pararit, cogitatis: æque ſane, atque Miltiadis trophæis excitatus Themiſtocles fuit, ad premenda hæcce, quæ cernitis, veſtigia, & egregium aliquid ex vobis ipſis præſtandum, exci-*

excitari Vos atque inflammari neceſſe eſt?

Quod itaq; factum à Vobis hactenus, & magna cum laude factũ, impoſterum quoque facietis: idque certo Vobis pollicebimini, q nulli æque ſui ipſius victoria iucunda ſit futura: cum tamẽ iucundiſsimum ſit ſeipſum vincere: quam Illuſtribus ac Generoſis Dominis Parentibus atq; Propinquis Veſtris ſuaue gratumq; erit: à Vobis, quibus ipſi pollent, virtutibus ſuperari: & hæreditaria iſthæc nominis famæq; ſuæ ornamenta copioſa in Vobis atque concumulata cernere. Equidem, vti hoc voueo, áque Deo Ter Opt. Max. precibus ardentibus precor: ſic & illud, qua par eſt obſeruantia, oro rogoque: vt προσφώνησιν

hanc

hanc meam, eo, quo à me illa inſtituta animo eſt, recipere, idq; viciſſim perſuaſum habere dignemini: omnia Vos mea prompta parataque deprehenſuros, ſi quis, fortè, tenuitatis meæ eſſe vſus aliquando Vobis poterit. Valete quam proſperrime. P. P. Argentinæ IX. Cal. Martij, Anno recuperatæ per Christvm *ſalutis M. DC. VIII.*

Ill. ac Gen. VV. Cl.

Addictiſſimus

LAZARVS ZETZNERVS
Bibliopola Argentoratenſis.

Digitized by Google

IN ARISTOTELIS DE MORIBVS AD NICOMACHVM LIbros decem, ſeu Ethica, Commentarii.

Προλεγόμενα *in Ariſtotelis Ethica ad Nicomachum.*

OMNIBVS fere Ariſtotelis Interpretibus vſitatum eſt, atque adeo omnibus ſcriptoribus, primum diligenter exquirere, qua de re agendum ſit, vt eo veluti ſcopo propoſito, omnes præceptiones inter ſe congruentes ad eum dirigantur. Ariſtotelis igitur in his libris Ethicorum & Politicorum, quorum idem eſt ſcopus, vt infra oſtendetur inſtitutum eſt, & *προαίρεσις* ſumma, Politicam ſiue Humanam Scientiam pertractare. Hoc & ipſe innumerabilibus in locis eorum librorum & doctiſſimus Ariſtotelis Interpres Alexander *in proœmio priorum Analyticorum*, teſtantur. Ratione quoque & argumento huiuſmodi confirmari poteſt: certum eſt eum agere de humana fœlicitate, & rebus iis, quibus eam aſſequamur. Hoc Practicæ Philoſophiæ proprium eſſe, omnes norunt, munus. Iam vero Practicam communi nomine Politicam appellari, tum ex Platone, tum ex Ariſtotele certiſſimum eſt. Platonis loca cum in omnibus fere Dialogis extant, tum in Apologia, Theage, Menone, Phædro, Gorgia, in libris denique de Republica, & de legibus. Ex Ariſtotele, in quo ſunt plurima, vnum tantum afferam, qui omnium ſit inſtar. Nam extremo *libro decimo* ait, ſe de ciuitatibus

acturum, vt Philoſophia, quæ de rebus humanis tractat, perficiatur. Præterea cum omnis doctrina duobus fere capitibus abſoluatur: principiis, & iis poſtea, quæ ex principiis efficiuntur, ipſe quoque Ariſtoteles initio *Magnorum Moralium cap. 1.* Politicæ principia in Ethicis contineri teſtatur. Non recte ergo hanc de rebus humanis doctrinam vulgo Ethicam vocant inuſitato apud veteres vocabulo: non negarim tamen eam partem, qua principia explicari diximus, Ethicam proprio, non vero communi nomine poſſe dici. Naturam autem & definitionem ac partitionem ſeu diuiſionem Politicæ, vt aliarum artium ex eius fine & materia deduximus. Finem Ariſtoteles dicit eſſe beatitudinem, hoc eſt, actionem virtuti congruentem. Materia vero, quin ſit poſita in actionibus humanis, ex animo & voluntate hominis manantibus, dubitare nemo poteſt, qui hos de moribus libros vel ſemel inſpexerit. Toties nanque inculcat Ariſtoteles, hanc doctrinam eſſe περὶ τὰς πράξεις ſeu τὰ πρακτά: vt putidum ſit loca annotare. Idem quoque Plato multis in locis confirmat: Ratione autem, ſi quis neget cogi poteſt iſta.

Notum eſt hic explicari de virtutibus, de rebus iuſtis & iniuſtis, bonis & malis.

Atqui nemo bonus aut malus aut iuſtus denique aut iniuſtus, niſi ex actione dici ſolet (vt Cicero *lib. 1. Officiorum* dicit omnem virtutem in actione conſiſtere)

Eſt igitur Politica ſcientia, quæ facta moreſque hominum ſiue ſingulorum, ſiue ſocietate congregatorum ad bene beateque viuendum moderatur & informat.

Hinc partitio Politicæ iam elicitur: vt altera quidem eius pars ad ſingulos: altera ad ſocietate quadam coniunctos pertineat. Et cum ſocietas in vita humana ſit duplex, altera publica, quam ciuitatem: altera priuata, quam familiam vocamus: non incōmode tria membra collocare poſſumus. Primum quidem in ſingulis, quod *Ethicum* licebit nominare: Proximum in familia, quod *Oeconomicū*: Tertium cōmuni totius ſcientiæ nomine *Politicum*. Hoc eodem adiumento materiæ: quas actiones eſſe diximus, facile & dignitatem artis (quod Ariſtoteles *initio libri 1. de anima* teſtatur) propoſitæ, & reliquarum artium cum ea coniunctionem aut diſſimilitudinem perſpiciemus. *Oratores* olim *Politicos* ſe vocabant, quibus coniungo *Sophiſtas*: ſed hos eo nomine grauiſſime inſectatur Plato, & ipſe Ariſto-

Ariſtoteles extremo *lib.10.* illos iidem illi authores,& elegantiſſime Ariſtoteles *lib. 1. de Arte dicendi*:quod accidiſſe iis, aut potius eos egiſſe Ariſtot. ait, vel ob imperitiam, vel ob faſtum & arrogantiam. Nam ex omnibus actionibus voluntariis: quæ partim ſunt *priuata*,partim *publica*:& rurſus aliæ eorum membrorum ſunt partitiones : Oratores hanc fere particulam , vt materiam ſuæ arti ſubiectam habent,quæ eſt de actionibus & rebus forenſibus, contractuum & teſtamentorum , & id genus aliorum priuatorum negotiorum, vitæ generibus comprehenſis:raro ad Reſpub.&conſilia admittuntur oratores:niſi fortaſſe in Democratiis. Eadem eſt ratio Iuriſprudentiæ: vnde & Cicero multis in locis ius ciuile , priuatum appellat. Iuris enim publici ratio ad Politicum ſpecialem pertinet. Poſtremum erat de dignitate & vſu. Diximus autem ratione materiæ (quam hic quoque ſpectandam eſſe monuimus) primas partes Theologiæ,vt,quæ res diuinas,materiam videlicet ſuam tractet, deferendas eſſe:ſecundas, repugnante licet Ariſtotele (qui Phyſicam præfert,ꝑpterea quod putarit corpora cœleſtia &reliquas res naturales homine eſſe præſtantiores) Politicæ. Nos enim ſcimus & rationib. quoque confirmare poſſumus,hominem, eiuſque animum,cuius actiones , vt materiam habet Politica, reliquis omnibus rebus creatis antecellere. De vtilitate hoc ſatis ſit dicere, eam & ciuitates omnes conſtituiſſe & conſeruare: omnibus denique artibus maxime tamen Theologiæ, Iuris Prudentiæ , & hiſtoriarum cognitioni prodeſſe. Recte igitur Stoici &argute Philoſophiæ trium partium (vt illi quidē diuidebant) Logicam ſepimento,Phyſicam arboribus,fructibus Ethicam ſimilem iudicarunt : comparata horto ſeu agro vniuerſa Philoſophia. Alii eadem ouo comparata teſtæ ſeu putamini Logicam, Ethicam vitello : albumini Phyſicam adæquabant. Et omnium rectiſſime Poſidonius (teſte Sexto Empirico *libro aduerſus ſcientias*) animanti comparauit Philoſophiam : oſſibus quidē &neruis Logicam:Carni & ſanguini Phyſicam: animo denique Ethicam ſiue Politicam.

De interprete:Ex his, qui Ariſtotelem olim ſunt interpretati , alii aliam viam & rationem ſunt ſecuti. Themiſtius verborum tantum filo mutato , quæ Ariſtoteles preſſe & breuiter: ille diffuſius,ſeu vt Græci dicunt, παραφραςικῶς extulit. Alii nudam & meram Ariſtotelis ſententiam iudicarunt , vt Porphyrius edito in Categorias libello. Alexander Maximus,Her-

minius,aliique complures & ſententiam diligenter exquiſiue-runt, & quæſtiones etiam modice attigerunt. Fuerunt etiam, qui grauiſſimas quaſque quæſtiones explicarint, vt Plotinus & Boethus. Denique erant, qui nihil aliud quam quæſtiones tractarent:qualis fuit Apuleius & Nicoſtratus,& alii nonnulli. Ex recentioribus reperias eandem fere differentiam & rationem: verum ante hæc tempora duplex fere in ſcholis vigebat ratio. Quidam enim ſatis habebant ſumma capita, quæ tractarentur, Rerum, enumerare velut:eoſque Summiſtas vocabant. Alii meras quæſtiones agitabant, quos Quæſtionarios vocabant:quæ poſterior ratio etſi perditiſſima:hodie tamen in omnibus fere Academiis Italiæ eſt vſitata. Nos quam omnium optimam iudicamus interpretandi rationem Alexandrinam illam,quæ quidem & in hac Academia vſitata eſt, ſequemur. . Primum igitur Græca Ariſtotelis verba quanta potero puritate & proprietate: deinde quanta fide & quam potero Ariſtotelis rationi accommodatiſſime latine reddam. Vidi verſiones nouem: veterem: Argyropyli: Aretini: cuiuſdam Ficentini:Feliciani:Perionii:Turnebi:Gruchii:Lambini. Sunt & qui aliquot tantum libros verterunt, Muretus,Martyr & Simonius. Italico ſermone vidi duas:alteram Figucii paraphraſticam:alteram Florentini cuiuſdam ad verbum,verum præter Turnebum & Muretum, qui ea ſuperiora ſeruauerit, reperi neminem. Vetus translatio fidelis eſt,& Ariſtoteli accommodata,ſed impropria & Barbara. Perionij, Grucchi & Lambini oratio eſt pura & propria:ſed Perionii neque fidelis,neq; *οἰκεία* accommodata. Gruchii & Lambini fidelis quidem, ſed non accommodata.Hoc autem vt accommodata ſit interpretatio, & quaſi ſerua:cum beatus Auguſtinus *lib.2. de Doctrina Chriſtiana* laudet & requirat in libris ſacris: nos quoque in huiuſmodi grauioribus ſcriptis omnibus optimum exiſtimamus: quod & illi tenuerunt, qui *Pandectas* olim Græce reddiderunt. Turnebus autem & Muretus, vt dixi, hac Religione ſunt vſi: ſed ille ſæpe non ſatis eleganter:hic autem, vtinam totum reddidiſſet.Itaq; nos fruſtra in hac re non laborabimus. Alterum muneris noſtri caput eſt, vt ſententiam diligentiſſime inueſtigemus,hoc autem, quia ſine analyſi & ſumma rerum partitione fieri commode nequit: omnia argumenta accurate venabimur, eaque more Dialectico proponemus, & eadem opera ordinem, methodumque, quæ in hoc opere eſt admirabilis & diui-

& diuina, diligenter indicabimus. Ad eandem rem multum iuuabit, Ariſtotelē inter ſe comparare, hoc eſt, locum cum loco: quæ explicandi ratio mihi videtur commodiſſima. Interpretes quoque omnes recentiores (nam veteres multi extant) ſacros quoque libros & iuris ciuilis, omnia denique adiumenta conquiremus, vt fideliter & dilucide ſententiam eliciamus ac proponamus. Poſtremo cognita iam ſententia, breuiter & modeſte noſtram quoque ſententiam (quod Simplicius & Hammonius interpreti permittunt) adiungemus, & ſi qua erunt controuerſa, vere explicare conabimur.

IN ARISTOTELIS ETHICORVM DE MORIBUS ad Nicomachum librum I.

COMMENTARII.

Ἀριστοτέλης] Putabat Cicero *lib. 5. de Finibus* circa initium (cuius hæc verba ſunt. *Quare teneamus Ariſtotelē & eius filium Nicomachū cuius accurate ſcripti de morib. libri dicūtur illi quidē Ariſt. ſed nō video, cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius, &c.*) & Laertius *quodam in loco*, hoc opus non eſſe Ariſtotelis, ſed Nicomachi eius filii. Ego contra his argumentis ſex. Primum, quia in Politicis, quæ ab omnibus Ariſtoteli tribuuntur horum fit mentio, *lib. 7. cap. 13. & aliis in locis. lib. 2. cap. 2. lib. 1. Metaph. cap. 1.* Deinde quia Ethica & Politica tam ſunt inter ſe connexa (vt in extremis Ethicis apparet, & Politicæ natura poſtulat) vt qui vnius operis ſit autor, ſit & alterius. Præterea, ſtylus ſeu λέξις, quæ hic eadem eſt cum reliquis libris Ariſtotelis. Ætas quoque filii qui adoleſcens mortuus eſt, tam præclarum opus non fert. Præterea quæ de Ideis diſputat *libro 1. cap. 5.* vbi & Platonem amicum ſuum vocat, non conueniunt filio. Poſtremo omnium veterum interpretum, Alexandri in primis antiquiſſimi, & Plutarchi teſtimonium idem euincit: qui vno conſenſu hoc opus Ariſtoteli attribuunt.

Ἠθικῶν] Hunc eſſe verum huius operis indicem, tum ex libris veteribus, tum ex interpretibus, tum ex rebus ipſis, (de moribus enim toto opere agitur) tum denique ex ipſo Ariſt. qui *lib. 7. Politicorum cap 13.* & alibi hunc titulum agnoſcit, cōfirmari poteſt. ἦθος aut eſt naturæ ſeu φύσεως, aut τρόπων ſiue conſuetudinis & vitæ cōmunis qualitas quædam ſeu affectio animi. De poſteriore hic agitur, quæ hominū propria eſt, & vſu acquiritur. vt enim fabricando fabri: ita agendo & vſu Ethici

reddimur, moreſque noſtros informamus. Prior cum beſtiis eſt communis, quæ huc non pertinet. Verbum latinum *mores*, non tam late patet: neque non beſtijs attribuitur, niſi metaphorice & improprie. Prius autem ἦθος natura inſitum, latinis eſt *indoles* vel *ingenium*: Sic enim Cicero *ex Phædro Platonis* locum de Iſocrate *in Tuſculanis* reddidit.

Νικομαχείων] Videtur Ariſtoteles filio Nicomacho hoc opus inſcripſiſſe, vt alterum, Εὐδημείων, Εὐδήμῳ ſodali & amico.

Βιβλία δέκα] Oſtendam aliquando, Deo volente, Politicorum opus non eſſe integrum, ſed μειουρὸν: hoc eſt, in fine mutilum. Nunc de Ethicis, quæ vt videatis eſſe integra: hoc eſt, neque ἀκέφαλα, neque μειουρὰ, neque in medio opere quicquam deſiderari, ex ordine totius operis bipartito dilucide oſtendam. Summa igitur huius operis, quæ in eo tractantur, capita ſunt quatuor, ipſo Ariſtotele teſte in extremo opere: Beatitudo, qui finis eſt operis & ſcientiæ: Virtutes, quarum adiumento finem aſſequimur: Amicitia, aut virtus, aut virtuti coniuncta: & Voluptas, virtutum & fœlicitatis comes. Et hic quidem ordo eſt ἐν τύπῳ, (vt Ariſtoteles loquitur:) rudis: alter erit exquiſitior. Totum igitur opus in tria ſumma capita rurſus partior, Ariſtotelem ſecutus: in Procemium, Rem ſiue tractationem, & Epilogum. Procemio tria agit, vt ipſe quoq; teſtis eſt: quis enim ſit Scopus & ſcientia ſibi propoſita: quæ eius tractandæ ratio ſeu concluſio, & quis deniq; auditor eius ſit idoneus, explicat. Tractationem autem rurſum in duas partes diuido, in Finem, & ea quæ ad finem conſequendum ducunt. Præclare nanq; Ariſtoteles *in Politicis lib. 7. cap. 13.* ab initio duo eſſe ait, in quibus omnium ſcientiarum laus & perfectio conſiſtat: quorum alterum in eo, quod ſibi ptoponere debent: hoc eſt, in fine actionum vel ſcientiarum recte conſtituendo: alterum in eorum, quibus ad finem perueniat conſiſtit. Finem igitur Politicæ, hoc eſt, Beatitudinem explicat toto *libro 1.* & prius tam vulgi, quam Philoſophorum quorundam refutatis opinionibus ipſe eam conſtituit ac definit, eiuſq; naturam omnibus definitionis partibus ſingulatim explicatis, euoluit, interpoſitis quibuſdam quæſtionibus. Hinc ad ea adiumenta, quibus finem aſſequamur, progreditur, ex quibus princeps eſt virtus: cui ſimilis eſt amicitia, & comes, vt dixi, voluptas. Virtutem igitur primo partitus, mox *libro 2.* eius ortum

tum

tum indicat: deinde eam definit magno labore: quam definitionem reliquo *libro 2.* accuratiſſime perſequitur: maxime vero, cur in mediocritate eam poſitam dixerit, cum in genere, tum in ſingulis virtutibus exquirit. *Libro 3.* τὸ ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, & diligentiſſime προαίρεσιν ſeu agendi conſilium, quæ ſunt initia & fontes omnium actionum noſtrarum: & ad virtutis naturam plenius declarandam (quæ definita eſt ἕξις προαιρετικὴ) valde iuuant, explicat. Atq; ita virtutis definitione explicata, ad ſingulas virtutes progreditur. Et quidem omnes virtutes morales à medio *libro 3. cap. 9.* vſq; ad finem *lib. 4.* perſequitur: quarum primam ponit Fortitudinem, extremam Iuſtitiam: de qua latiſſime agit *toto libro 5.* Virtutibus iam accurate & ſingulatim explicatis (de moralibus loquor) poſtea *libro 6.* Virtutes in ratione ſitas, explicat: propterea quod recta ſit ratio, quæ dirigit virtutes morales; eaque de cauſa recta ratio in ipſa virtute definienda adhibita fuit. Quinq; autem genera harum virtutum commemorat, Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam & mentem: & in his prudentiam diligentiſſime explicat, quod ſit velut norma virtutum moralium, atq; ipſa cum moralibus hoc habeat commune, vt in actionibus, quemadmodum illæ, verſetur. Et hæc quidem de virtutibus tam moralibus duodecim, quam de quinq; in ratione poſitis. *Libro 7.* aliud quaſi initium facit Ariſtoteles: quo quidem libro duo pene ſumma capita perſequi videtur: priore effectiones quaſdam à virtutibus non tam genere, quam diuturnitate & diſtantia diſcrepantes: eam quidem vocant ἐγκράτειαν, continentiam, huicque contrariam ἀκράτειαν, incontinentiam, & καρτερίαν, tolerantiam, & ei contrariam μαλακίαν mollitiem; vbi & late de ἀκολασία, intemperantia, vitio ἀκρασία incontinentiæ affine. Altera parte libri de voluptate & dolore diſſerit, nempe IV. extremis capitibus: cur autem de his agat, tres ipſe rationes affert, de quibus ibi latius. Hoc ſatis nunc ſit dixiſſe, tractationem de voluptate valde illuſtrare eam, quæ eſt de beatitudine & virtute. Itaq; aliquot quæſtiones ibi diligenter examinat: An voluptas omnino non ſit bona: An alia ſit bona, alia mala; An etiam ſit ſummum bonum, quod quidam volebant. His expoſitis *lib. 8. de Amicitia*: vel quia virtus quodammodo eſt, aut virtutis adiumentum: vel denique quod abſque ea vitam agere vel felicitatem nemo aſſequi poſſit: diligentiſſime explicat: non octauo tantum libro, ſed etiam nono: Primo qui-

dem, hoc eſt, octauo, Amicitiæ definitionem: eius multiplices diuiſiones, tres potiſſimum: varias, deniq; & difficiles quæſtiones pertractat. Libro proximo nihil aliud agit, quam vt grauiſſimas quæſtiones, ni fallor, vndecim, quarum ſumma capita longum eſſet hic enumerare, explicet. Poſtremo libro tria fere exponuntur, primum de voluptate: deinde de beatitudine: tertio & vltimo Epilogus totius operis. De voluptate quidem nonnulla *lib. 7.* expoſuerat *cap. 12. & ſeqq.* adductus earum affectionum ratione, de quibus eo in libro agitur; quod ex illis quædam voluptatem tanquam materiam ſibi ſubiectam habeant. Itaque quaſi occaſione data, ibi agit de voluptate; hic velut ex profeſſo, & quid ſit, accurate inueſtigat, refutatis primo aliorum opinionibus ſuo more: deinde genera ſpeciesq; eius inueſtigat. Altero capite, vt tota huius operis cōnexio & ordo velut in ſe reuoluatur, à quo cœpit, eo deſinit: & beatitudinis natura breuiter explicata: partes eius, alteram in contemplatione, alteram in actione poſitam, declarat. Tandem Epilogo totius operis, quæ ſit connexio horum librorum cum Politicis, & quam Politicorum tractatio Ethicis neceſſario ſit adiungenda, concludit. De Methodo, qua vſus ſit Ariſtoteles in hoc opere, omnes fere fatentur eſſe *ἀνάλυσιν*: cuius notum eſt hanc eſſe rationem, vt ab effectis progrediatur ad cauſas: à fine ad principia: vt hoc libro à beatitudine ad virtutes, & virtutum adiuncta, voluptatem & amicitiam. Ad leges denique (quæ omnia beatitudinis cauſam efficientem ponimus) progreditur Ariſtoteles. In logicis contraria methodo eſt vſus. Verum de his paulo latius infra *cap. 4.* &c.

CAPVT I.

COMMENTARII.

Πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος.] Methodus hic ab omnibus fere redditur ratio & via tractandi, ſed perperam. Nam ratio tractandi non eſt in rerum numero, ſed accidens potius. Deinde Ariſtotelis ipſius verbis hoc refellitur. Quod enim hic Methodum, mox vocat *ἐπιστήμην*, ibi, *πολλῶν δὲ πράξεων*, &c. Et *infra cap. 3.* quod hic duobus nominibus *τέχνη* & *μέθοδω*: ibi vno, *γνῶσι*: & *cap. 6.* item vno *τέχνη* extulit. Hoc amplius dico, *Methodi* vocabulum centies Ariſtoteli pro *ſcientia* poni. vt *initio lib. 1. de Anima: lib. 1. Analyt. poſter. lib. 1.* *περὶ*

ἀκρο-

ἀκροάσεως, &c. Rariſſime autem pro tractandi ratione, quam pene τρόπον vocat: eo loco *lib. 1. de partibus animalium:* & *lib.* *lib. 1. de anima:* & aperte teſtatus eſt Alexander *lib. 1. Topicorum*, Ariſtotelem hoc verbo ita vſum eſſe. Et hoc ipſo loco paulo inferius idem vocabulum pro ſcientia poſitum eſt, ibi, ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων, ἐφίεται πολιτική τις οὖσα. &c.

Πρᾶξίς τε &c.] Hoc verbum Alexandro teſte *in librum 3. Top.* etſi interdum commune eſt, & omnem actionem ſiue mentis, ſiue naturæ, ſiue voluntatis ſignificat: *propriè tamen*, inquit ille, *de voluntatis actione dicitur*, & ita hoc loco, & in omni ſcientia politica dicitur. Latine *actionis* quoq; vocabulum eſt commune; ſed habemus proprium quoque voluntatis ſeu προαιρέσεως: nempe factum ſeu facta. Eſt & ἐνέργεια græcis actio; ſed hoc nomen græcum plerumque munus & opus, ſeu officium alicuius rei ſignificat: vt oculi, videre, &c.

προαίρεσις. &c.] *Infra lib. 3. cap. 3.* oſtendemus, quam multifariam latine reddi poſſit: nunc ponamus commodiſſime reddi, agendi conſilium.

Ἀρετήν. &c.] Sic habent libri aliquot veteres, & vetus quoque translatio. In alijs tamen eſt δύναμιν, vtrumque idem valet, id eſt, ſcientiam ſeu artem. Vnde & artem ab ἀρετῇ dixerunt latini per contractionem. Hoc ideo indicaui, quia doctiſſimi viri ſæpe vtuntur veteris translationis teſtimonio in explicando & hoc autore noſtro & in alijs quoque grauioribus ſcriptis.

ἐν ἁπάσαις δὲ ταῖς τῶν] Perperam nonnulli contra libros veteres & translationem veterem particulam δὲ ſuſtulerunt, quæ eſt neceſſaria: valetque hoc loco idem, quod latinis interdum inquam, quo vtuntur in ὑπερβάτῳ aliquo longiore, quale & hic καθάπερ.

Ἀρχιτεκτονικῶν. [Hoc verbum mihi videtur Ariſtotelicum, enim vſquā præterea legi in ea ſignificatione, vſus eſt eo ſe Ariſtoteles in Politicis, bis in Ethicis. Quod vt intelligaſciendum eſt, artium hanc eſſe diſſimilitudinem, vt altera uiat alteri interdum: Hic quæ deſeruit, ab Ariſtotele diciὑπηρετοῦσα *lib. 1. Politic.* & ποιουμένη *lib. 2. Phyſic.* cui deſerχιτεκτονικὴ ab eodem dicitur, & κυριωτάτη, hoc, eſt do- Origo vocabuli eſt ab Architectis, quod Architectis deit alii lignarii, ferrarii, cementarii, fabri, teſte ipſo Ariſto- 7. *infra*. Plato iſtas Architectonicas vocat *Epitacticas*,

quaſi imperatrices *in Politico* , verbi gratia *Architectura* eſt Ἀρχιτεκτονική: huic de ſeruiunt fabricæ variæ lignorum, cementorum &c. Ars equeſtris, cui deſeruiunt frenorum, ſellarum & calcarium confectrices. Medicina, cui deſeruiunt Chirurgi, Pharmacopolæ, teſte Ariſtotele *in Politicis*. Textoria, cui deſeruiunt pectinaria, carminatoria, & totum lanificium. Ars militaris, cui deſeruiunt ars equeſtris, iaculandi, muniendi arces, & id genus alia officia. Summa & caput huius diſputationis hæc eſt. In rebus agendis (quæ eſt materia Politicæ) finem aliquem eſſe extremum. Hoc igitur ſummum caput vt confirmet, hac vtitur progreſſione: primum eſſe finem: deinde alium alio meliorem, quia communiorem & latiorem; hinc tandem eſſe quendam vltimum, qui maxime ſit communis, eumque optimum. Et quidem non in rebus gerendis duntaxat, ſed etiam in artib. κρύψει quadam ſeu occulta ratione & via, eadem progreſſione eſt vſus: Artium eſſe finem in artium finibus, vt in artibus ipſis, alium alio eſſe meliorem. Tandem progreditur ad præſtantiſſimam artem eamque dicit eſſe Politicam, atque ita extrema illa duo præſtantiſſimum finem, arti præſtantiſſimæ connectit: & hunc ſibi ſcopum eſſe, ſeu propoſitum totius operis teſtatur. Nunc de prima videamus: nempe eſſe finem: Ariſtoteles vocat πρόθεσιν.

Res omnes bonum appetunt, hoc eſt, ad finem referuntur.
Ergo & artes & actiones.

Minorem omiſi, vt & Ariſtoteles, quæ hæc eſt: ***Artes autem & res agendæ ſunt in rerũ numero***: quia perſpicua eſt. Maiorem poſteriore loco poſuit Ariſtoteles, eamque confirmat ab autoritate communi ibi διὸ καλῶς: complexio ſiue concluſio primo loco, πᾶσα τέχνη &c. ponitur. Alterum membrum, nempe fines alios aliis eſſe meliores inſtituit ibi, διαφορὰ δέ τις φαίνεται τῶν τελῶν &c. vſque ad ea verba, εἰ δή τι τέλος ἐςὶ &c. ſunt prima verba *2. cap.* in vulgatis exemplaribus quod eſt bipartitum: Nam cum finium alii ſint actiones, alii opera: hæc illis ait eſſe meliora: nulla adiecta probatione, iis verbis, τὰ μὲν καί εἰσιν ἐνέργειαι &c. Nos adiiciamus hanc. quia actio tendit ad finem: opus eſt finis, inquit Alexander, *in tertium Topicorum*: ἔργον δὲ τὸ τέλος: finis autem iis quæ ad finem tendunt, ſine controuerſia melior eſt. Verum hæc finium diſſimilitudo de eadem arte eſt intelligenda. verbi gratia: Arcis ædificandæ actio eſt ipſa ædificatio: opus eſt domus: alioqui in diuerſis artibus verum non

ſemper opus eſſe finem meliorem actione: verbi gratia, ıcæ finis præſtantiſſimus eſt beatitudo hoc eſt actio:ſc.a- ı,ꝗ certe antecellit operi ſutoris,calceo, quia ſunt diuerſæ s. Obſeruandum eſt autem, hanc finium differentiam pa- ı facere ad propoſitum: ſed ea quæ ſequitur illa facit ad ı. Neque enim hic agimus de diſtinctione actionis ab ope- ed de mera actione hic & rebus agendis. Cur ergo eam po- t Ariſtoteles? Reſpondeo, vt oſtenderet in Politica non no- e eam differentiam, vt ipſe mox indicat; διαφέρει δὲ οὐδὲν τὰς ργείας &c. Altera differentia finium ibi conſtituitur; πολλῶν πράξεων οὐσῶν &c. hoc modo.

Si multæ ſunt artes, multaque actiones, multi quoque ſunt fines.

Verum primum.

Ergo & ſecundum.

Antecedens certiſſimnm eſt, eſſe multas artes, neque eget probatione. Conſequentiæ ratio & confirmatio pendet ex priore ſyllogiſmo.

Si enim omnes artes finem quaque ſuum habent:

Ergo ſunt multi fines.

Nominatim mox ſubiectis exemplis idem confirmatur, ἰατρικῆς μὲν γὰρ ὑγίεια: ibi .n. eſt confirmatio, & probatio per inductionem. Iam ſequitur tertius ſyllogiſmus, quo inter multos fines differentia in ſingulis oſtenditur, his verbis; ὅσαι δὲ εἰσὶ τῶν τοιούτων &c.

Quorum gratia alia expetuntur, ea his ſunt meliora.

At ob Architectonicarum fines, inferiorum artium fines expetuntur.

Ergo Architectonicarum fines reliquis ſunt meliores.

Maior ab Ariſtotele his ponitur verbis; τούτων γὰρ χάριν κἀκεῖνα &c. ſed occulte: iiſdem autem verbis continetur minor aperte: concluſio his verbis: ὅσαι δὲ εἰσὶ τῶν τοιούτων, & coniunctim hic, ἐν ἁπάσαις δὲ τὰ τῶν &c. Maioris probatio omittitur ab Ariſtotele, deque ea *infra capit. 7.* late agit ur: & certe omnibus notum eſt, id eſſe præſtantins, quod ob aliud non expetitur: vnde & finem dicimus præſtantiſſimum illum, ob quem reliqua expetuntur, ipſe ob nullam rem. Minorem, vt dixi, poſuit Ariſtoteles, ſed non confirmauit: τούτων γὰρ χάριν: neque eget confirmatione: oſtenditur tamen quadam inductione, iis verbis, καθάπερ ὑπὸ τὴν ἱππικήν. Ergo omnium Archite-

ctoni-

ctonicarum fines ſunt præſtantiores reliquis quod ſcilicet fines architectonicarum artium, non tendant ad fines inferiorum artium, id quod certum eſt. Ex hoc ſyllogiſmo corollarium elici poteſt egregium: quo communiores ſint artes, eo eſſe præſtantiores: confirmatione à fine ducta: Nam cuius finis eſt præſtantior, id ipſum eſt præſtantius, inquit Ariſtoteles *lib. 3. Topicorum.* Iam tandem progreditur ad vltimum finem, hoc eſt ſummum bonum: non artium (de quibus ipſe non agit) ſed rerum gerendarum ſeu vitæ communis: πρακτὰ vocat. ita autem concludit.

Si in rebus gerendis eſt finis, quem propter ſe expetimus: cætera propter illum: is certe erit vltimus & ſummum bonum.

Verum primum.

Ergo & ſecundum.

Conſequentia non confirmatur ab Ariſtotele, cur hoc conſequatur, propterea, quod è ſuperioribus aperta ſit & pendeat. nam dictum eſt tertio ſyllogiſmo:

Finem eo eſſe meliorem, quo minus expetitur alterius gratia.

Ergo qui minus expetitur alterius gratia, erit optimus: & vere τέλος.

Nam & Ariſtoteles *lib. 3. Topicor.* & Plato *lib. 6. de Republ. & in Gorgia,* hoc proprium finis & ſummi boni eſſe dicunt (vt & Cic. *lib. de finibus,* infra) vt propter ipſum expetantur omnia: ipſum vero propter ſe ab omnibus. Antecedens confirmat Ariſtoteles ab abſurdo: Si non eſt finis extremus, infinita quis appetat neceſſe eſt. Nam vbi eſt extremitas, ibi eſt finitio.

Si infinita.

Ergo impoſſibilia.

Si impoſſibilia.

Ergo fruſtra.

Si fruſtra.

Ergo Deus aut natura quid fruſtra nobis indidit, nempe appetitum, quod eſt abſurdiſſimum.

Itaque ne fruſtra ſit, finita appetat neceſſe eſt.

Si finita.

Ergo & extremum aliquod erit.

Antecedens autem eo loco; εἰ δή τι τέλος ἐστὶ, &c. Eius confirmatio, πρόεισι γὰρ οὕτω, &c. Conſequens, δῆλον ὡς τοῦτ', &c. Cuius confirmatio eſt ab Ariſtotele omiſſa, vt diximus, quia è ſuperioribus pendet. Quærunt interpretes, cur primo loco

τέχνη,

τέχνη, deinde μέθοδος ponatur: item de reliquis duobus, cur primo loco πρᾶξις, deinde προαίρεσις. Deinde cur hæc quatuor, cur non plura, cur denique nunc ponatur ſcientia, nunc natura? Reſpondeo, eas quæſtiones partim eſſe alienas & ineptas: partim iam diſſolutas: ea namque de cauſa, hæc tantum ponuntur, quia iam diximus, conſilium eſſe Ariſtotelis, inquirere finem actionum, & earum artis, nempe politicæ. Ineptas autem eſſe alteras, nempe de ordine; iam quoq; oſtendimus, cum de methodi vocabulo ageremus. Quod tamen vt melius confirmetur, hæc adiungenda ſunt. Dico igitur, μέθοδον hic poni pro τέχνη, & hæc quinque, τέχνην, μέθοδον, ἐπιστήμην, προαίρεσιν, δύναμιν, hoc loco idem valere omnino, & ad vnum tantum caput pertinere. Etſi a. προαίρεσις non idem valet, quod πρᾶξις: dico tamen ea duo ad vnum caput referenda eſſe: his rationibus, primum, quod Ariſtotelis hic ſit ſcopus, vt iam diximus, ea duo tantum tractare: ſcopum eum eſſe ex conſequentia orationis apertiſſimum eſt. Deinde, interdum Ariſtoteles duo verba quidem ponit, de eadem re, verbi gratia, τέχνην & μέθοδον, τέχνην & ἐπιστήμην: ſæpe tamen alterum omittit: vt *cap. 4.* πᾶσα γνῶσις καὶ προαίρεσις, dicit ſimpliciter, *cap. 6. in fine,* πᾶσαι ἐπιστῆμαι, *cap. 7.* ἐν ἄλλῃ πράξει καὶ τέχνῃ. Poſtremo *initio lib 1. Magnorum Moralium,* de hac eadem re agens: Sic dicit; πάσης ἐπιστήμης καὶ δυνάμεως, quod ibi dicit πᾶσα τέχνη καὶ μέθοδος, hic alijs duob. vocabulis dicit. Si quis quærat, cur tam confuſe hæc nomina vſurpet Ariſtoteles: is meminerit, eum, cum non agit de re aliqua ex profeſſo, ſæpe hoc factitare, de quo mox. Nos potius hæc duo obſeruemus, Ariſtotelem opera grauiora exordiri fere conſueuiſſe à communi quadam ſententia: quemadmodum hoc loco, vt *in Politicis,* ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν, &c. & *in Analyt.* πᾶσα διδασκαλία. Et *in Metaphyſicis,* πάντες τοῦ εἰδέναι, &c. Deinde hoc quoq; obſeruandum eſt, Ariſtotelem ſolitum, cum ex profeſſo rem aliquam non tractat, ſæpe confuſe & negligenter videri, & res ipſas, & verba ponere: tam *in libris Phyſicis,* quam Rhetoricis: & maxime in Ethicis & Politicis. Verbi gratia, hoc loco, primum confundit horum verborum, artis & ſcientiæ vocabula: deinde duos ponit fines, actionem & opus, cum tamen ſit & tertius, contemplatio: rurſus œconomicæ finem dicit eſſe diuitias, id quod eſt falſiſſimum, nempe ex vulgi ſententia: cum tamen particulæ tantum, quæ κτητική, hoc eſt, acquiſitiua dicitur eius artis,

hoc eſt, œconomicæ, finis, ſint diuitiæ, vt eſt init. Politicor.

Διὸ καλῶς ἀπεφήναντο.) Quæritur in hac boni definitione, vtrum ſummum bonum, an commune & ſuum cuiuſque bonum intelligatur? Reſpondeo: Summum non definiri, ſed ſuum cuiuſque, & commune, hac ratione.

Notum eſt in ſyllogiſmi propoſitionibus, terminorum ſemper vnam debere eſſe ſignificationem.

Atqui hic in complexione πᾶσα τέχνη, ***&c. bonum commune eſt accipiendum***, ibi, ἀγαθοῦ τινος.

Ergo & in maiore bonum commune accipiendum erit.

Maiorem poſuimus in his verbis, διὸ καλῶς, &c. Sic enim dicitur.

Omnis res bonum appetit.

Ergo & artes, vt res, bonum appetunt.

Sed negant alij hanc totius loci eſſe ſententiam, & aliter concludunt hoc modo:

Omnes artes & actiones appetunt bonum.

Ergo ſummum bonum eſt, quod ab omnibus appetitur.

Quod nos complexionem, ipſi maiorem: quod nos maiorem, ipſi complexionem faciunt: adducti verbo διὸ, quod eſt συμπερασματικὸν, & complexioni inſeruit: & verbo πάντα: quod non ſingulos: aut hunc & illum, ſed omnes complectitur. Eo denique verbo τἀγαθὸν, quo maxime nitebatur Trapezuntius. nam τἀγαθὸν vere *ſummum bonum* ſignificat, ἀγαθὸν *commune*. Præterea iſtorum opinio confirmari poteſt. Ariſtoteles *lib. 3. Ethic. init. cap. 2.* eandem affert definitionem de ſummo bono: Εὔδοξος, inquit, μὲν οὖν τὴν ἡδονὴν τ᾽ἀγαθὸν ᾤετο εἶναι voluptatem eſſe τἀγαθὸν, propterea quod omnia voluptatem appetant, tam ratione prædita, quam ratione carentia. His omnibus non obſtantibus, etſi valde vrgentibus, priorem ſententiam puto huic loco accommodationem eſſe, propterea quod non eſt propoſitum Ariſtotelis, confirmare definitionem ſummi boni, aut oſtendere quid ſit, ſed potius iſtud, Artes & actiones expetere bonum aliquod. quod vt confirmaret, adiecit eam vulgatam boni definitionem. De verbis illis tribus, διὸ, τ᾽ἀγαθὸν, πάντα, ita reſpondeo. Primum διὸ non ſemper eſſe συμπερασματικὸν, ſed ſæpe αἰτιολογικὸν: alterum τἀγαθὸν, non ſemper ſummum bonum quoque ſignificare, vt infra hac pagina, δῆλον ὡς τοῦτ᾽ ἂν εἴη τἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον. Poſtremo πάντα etiam dupliciter accipi, collectiue commu-

communi comprehenſione, & interdum diſtributiue, vt hoc loco, & *in Politicis lib. 2.* vbi in eo vocabulo lapſum Platonem oſtendit Ariſtoteles. Quæritur poſtremo, cur Ariſtoteles vſus ſit verbo δοκεῖ, hoc eſt, in re certa, verbo dubitandi. Alij alia reſpondent & mire laborant, vt Ariſtotelem excuſent: ego animaduerti, Ariſtotelem his tribus verbis, δοκεῖ, ſeu δόξειεν ἴσως, & φαίνεται etiam in rebus certiſſimis mille locis vti, credo modeſtiæ cauſa, aut etiam elegantiæ.

CAPVT II.

TEXTVS.

Ἆρ᾽ οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον] Itaque & ad vitam notitia eius & ſummi boni habet magnum momentum, & vt ſagittarij ſcopum habentes magis aſſequamur id quod oportet. Quod ſi ita, conandum eſt, vt complectamur illud populari explicatione, quid ſit illud ſummum, & cuius ſcientiæ aut facultatis. Videatur autem ſummæ & maxime Architectonicæ. Atq; Politica eſt eiuſmodi. nam quas ſcientias oporteat eſſe in ciuitatibus, & quales quiſque debeat diſcere, & quouſque, hæc præſcribit. Videmus autem honeſtiſſimas facultates huic parere, verbi gratia, militarem, œconomicam, Rhetoricam. Sequitur concluſio. Hac politica vtente cæteris practicis artibus (in actione poſitis) hæc amplius præſcribente, quid agendum & quid fugiendum ſit, huius finis complecti videatur fines aliarum ſcientiarum. Etſi enim idem eſt ἀγαθὸν bonum ſingulis, vni & ciuitati, maius certe & perfectius vrbis videtur capere, hoc eſt, acquirere & tenere, tueri. Bene quidem ſit, ſatis quidem ſit & vni & ſoli, pulchrius & diuinius genti & vrbibus. Scientia igitur quæ politica eſt, hæc perſequitur, &c.

ἆρ᾽ οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον] Quidam hæc explicant, quaſi cum interrogatione eſſent ſcripta: Nonne? Sed melius eſt ſequi, & veteres libros, & tranſlationem veterem: ἆρ᾽ οὖν: *itaque*: ſine interrogatione.

ῥοπήν. &c.] Multa hic Euſtrathius λεπτολογεῖ de hoc vocabulo, quod eſt omnibus notiſſimum, quo & Ariſtoteles ſæpe vtitur, vt infra *in fine capit. 7. & libr. 7. & libr. vltimo. in princip.*

Γνῶσις.] Non hic ſcientiam aut artem, ſed notitiam aut cognitionem ſignificat. quod quidam exiſtimant.

Τύχῃ]

Τύπῳ] Hoc verbo frequenter vtitur Ariſtoteles, vt & mox *cap.3. & lib.2.cap.7. & lib.3.cap.5. lib 5.in princ. & lib.vlt.cap. vlt. in Politicis lib.8.in fine*: quod à Platone ſumpſit *lib.6. de Repub.* Proprie autem dicitur in ſculpturis teſte Plinio: nempe de primis delineationibus ſeu informationibus, quas etiam pictores τυπογραφὰς vocant, vt eſt apud Platonem *d. lib.6.* nam exquiſitiorem pingendi rationem ἀναγραφὴν vocant. Tranſtulit autem Plato τύπον & Ariſtoteles ὑποτύπωσιν *infra hoc li. ca. 7.* ad artes. Notum eſt, tractandarum artium bipartitam eſſe rationem, exquiſitam & popularem: illam vocant ἀκρίβειαν proprio vocabulo, hanc τύπον, ὑπογραφὴν & ὑποτύπωσιν tranſlatis vocabulis: inde Ariſtoteles fecit duo genera librorum ἀκροαματικῶν & τυποτυπικῶν. Hac typica ratione vſus eſt in toto hoc opere Ethicorum, & Politicorum, de qua re *infra lib.3.* dicemus.

Δυνάμεων] Vetus translatio habet ἀρετῶν, quemadmodum & ſupra ab initio indicauimus quæ idem valent.

Καὶ μέχρι τίνος] Huius particulæ duplex redditur interpretatio, nempe, vt vel μέχρι τίνος accipiendum ſit de tẽpore ſc. χρόνε vel de modo, hoc eſt, ſcilicet τρόπε: ego de modo accipiendum puto. verbi gratia cum quæritur ; An iuuenis debeat diſcere Politica & Ethica & quamdiu, vt quamdiu inhærendũ ſit Dialecticis, aut ad quot vſque annos: neq; enim valde laborat Politicus, qua ætate quis diſcere debeat, aut ad quot vſque annos (hoc potius Magiſtrorum eſt) ſed hoc ſtudet potius Politicus, vt ne artes bonæ deprauẽtur, aut deprauatæ doceantur: verbi gratia, ne Phyſicus in Magum degeneret: Dialecticus in Sophiſtam: Medicus in Pharmacopolam: Iuriſconſultus in rabulam. hoc ſatis ſit de verbis dictum. videamus ſententiam.

Ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον] His verbis oſtenditur, ſimilitudine ducta à ſagittariis, vtile eſſe certum vitæ ſcopum deſtinare, deligere: qua eadem ſimilitudine in eadem re pulcherrime vſus eſt Plato *lib.12. de legibus in fine. & lib.3.4. & 7 de Repub.* qua de re videatur Ariſtoteles *libro 2. & 7. contra Lacedamonios, de Republ.*

Εἰ δ' οὕτω) Sic & *lib.1. Rhetorices & lib 1. Metaphyſ.* oſtendit primum vtilitatem, deinde de ſcientia ipſa agere incipit.

Τί ποτέ ἐστι) Prius tamen agit de ſcientia, quam de definitione.

Δόξειε δ' ἄν.] *Summa ſcientiæ officiũ eſt agere de ſummo bono: Poli-*

Politica eſt ſumma ſcientia.
Ergo Politica eſt agere de ſummo bono.

Maior δοκεῖ. Minor τοιαύτη δή. Concluſio χρωμένης. Maioris confirmatio omittitur, vt certa ex tertio ſupra poſito ſyllogiſmo. Minoris confirmatio ibi τίνας τῶν εἶναι: eam namq; confirmat duobus argumentis, altero ab effectis, altero à minore ſumpto. Prius eſt:

Politica imperat & præſcribit, quæ artes in ciuitatibus ſint diſcendæ aut retinendæ, quæ non: ad quem finem, quibus.
Ergo eſt ſumma.

Hoc argumento vtitur & Plato ſed aliis verbis & copioſius *in Politico*. Alterum. cum domina ſit præſtantiſſimarum trium artium, nempe, militaris, Oeconomicæ, & Rhetoricæ: erit & reliquarum omnium. Confirmationes omnium propoſitionum omittit Ariſtoteles, ſed egregie explicauit Plato *in Politicis, in Euthydemo, in Gorgia.*

Τίνας τῶν εἶναι χρεὼν.] His verbis hoc continetur, quænam artes in ciuitatibus ſint diſcendæ, quæ non, & quæ exercendæ. hoc autem munus eſſe politicæ prouidere: multis modis oſtendi poteſt. Lycurgus, teſte Plutarcho *in eius vita* rationes inutiles & ſuperuacaneas artes è Repub. Spartana eiecit: & ipſam Rhetoricam; vt & Minos è Repub. Cretenſi, teſte Sexto Empirico *in lib. aduerſus ſcientias.* Moyſes antiquiſſimus Politicus è Republica Iudaica omnes Pictores, celatores, ſculptores, ſtatuarios, & id genus eiecit, teſte Philone *in commentario ad X. præcepta Domini*, ad illud præceptum II. *Non facies tibi, &c.* Sic legibus Iuris Romani Chaldæi, quos vulgo vocant aſtrologos, Magi diuini, grauiter prohibentur *in Tit. C. de Math & Malefic. Artem Geometriæ*, inquit quidam Imperator *in l. 2. C. illo Tit. diſcere atque exercere publice intereſt: ars autem Mathematica deteſtabilis interdicta eſt.* Sic Plato è Republic. ſua Poeticam eiecit: Romæ prohibiti fuerunt, Cenſorum edicto, Rhetores aperire ludum.

Καὶ ποίας ἑκάστους.] Hoc eſt, Præſcribit Politica ſuam cuiq; ordini & ſexui artem. Verbi gratia, Lacedæmone, *teſte Plutarcho in Lycurgo*, & Romæ, *teſte Dionyſio lib. 2.* non licebat ciui exercere opificium. Nam nemo ciuis Rom. poterat eſſe ſartor, ſutor, aut aliud aliquod opificium exercere, ſed omnes debebant eſſe vel otioſi vel milites. Sic hodie nobilis non exercet mercaturam, quod & olim non ſatis liberale fuiſſe oſtendit

Plutarchus *in Solone*, & Ariſtoteles *lib. 1. Polit.* Sic Imp. Iuſtinianus prohibet, ne libri Iuris alij doceantur quam ſui: Immo & prouidet de locis ipſis Politica. Verbi gratia, olim non licebat Ius ciuile docere, niſi tribus in locis totius orbis, nempe in Roma Veteri, & Noua ſcilicet Roma; & Conſtantinopoli: & Berythi, & reliquas artes in vtraq; Roma tantum, Atheuis, Alexandriæ, & Tharſi, teſtibus Iuſtiniano Imp. *in præfatione Pandectarum*, & Eunapio *in lib. de Illuſtribus Sophiſtis.*

Καὶ μέχρι τίνος.] Hoc intelligendum dixi de modo, non de tempore. Sic Lycurgus opificia non eiecit: ſed modum illis adhibuit, hoc eſt, vt Fabri, verbi gratia, lignarij, lectulos, ſellas, & id genus alia poſſent conficere: ſed nullis fere ornamentis: idem & in poculis, veſtibus, calceis conſtituit. Sic hodie Græcis non licet veſtibus fila aurea & argentea intexere. Sic Poetas non eiecerunt Athenienſes, ſed libertatem conuiciandi lege lata repreſſerunt. teſte Horatio *in libro de arte Poetica*. Cicerone *in libr. de Republ.*

Στρατηγικὴν.] Certiſſimum eſt hanc eſſe honoratiſſimam artem, cum nulla alia fere de principatu cum Politica certare conſuerit, teſte Cicer. *lib. 1. offic. & in Orat. pro Murana*, & Platone *in Politico*. Verius tamen eſt eam parere Politicæ: Omne enim imperium à Politica accipit: & quicquid ceperit, ſiue pecuniarum, ſiue vrbium, vt venator coquo feras captas, tradit Politico: inquit Plato *in Politico*. qui comparat Venatorem duci exercitus. & Ariſtoteles *lib. 7. cap. 7. Politic.* & finem eius victoriam, certum eſt non eſſe vltimum finem. De Oeconomica & Rhetorica certum eſt eſſe egregias artes: adeo quidem, vt Rhetorica etiam auſa fuerit de principatu contendere, teſte Platone *in Gorgia*, verum ex earum finibus perſpicuum eſt, eas non eſſe ſummas, immo Politicæ ſubiectas.

Χρωμένης δ' ταύτης.] Hæc mihi videtur eſſe concluſio: repetitis tamen breuiter illis duabus confirmationibus: poſteriore prius, ibi, χρωμένης: priore poſterius, ibi, ἔτι δὲ νομοθετούσης. quod autem dicit χρωμένης vno verbo, alluſit ad pulcherrimam Platonis diſputationem, tam in Euthydemo quam in Gorgia: in quibus locis Plato artes omnes ita partitur, vt aliæ ſint, quæ opus faciant, & non vtantur opere facto: aliæ vero, quæ non faciant, ſed imperent & vtantur opere facto: & in his dicit eſſe Politicam: vt quæ vtatur omnium artium operibus & actionibus. Sic coquum ait vti opere venatoris, medicum o-

pere

pere coqui, ſutoris & aliorum artificum, qui corpori humano quiddam parant. De his quoque differentijs vtentium & non vtentium artium Ariſtoteles *infra extremo lib. 6 & in Politicis etiam lib. 1. cap. 5.* vbi quærit, an Oeconômicæ pars ſit illa quæ dicitur χρηματιστική: & Ariſtoteles dicit non eſſe partem, ſed miniſtram: quia rationem bene vtendi diuitijs præſcribit Oeconomica.

Τὸ ταύτης τέλος.] Hic vera eſt concluſio, ſed dicet aliquis, cur hic de fine ſit mentio, cum agitur de ſcientia? Reſpondeo, quod iam ſæpe dictum eſt, inter ſcientiam & finem eſſe proportionem ſummam. adeo vt quæ ſit præſtantiſſima, præſtantiſſimum habeat finem, & contra. Itaque cum dicit præſtantiſſimum Politicæ eſſe finem, tacite etiam Politicen eſſe præſtantiſſimam oſtendit.

Ταὐθρώπινον τἀγαθόν.] Bona aut ſunt diuina, aut humana. Plato *lib. 1. de leg.* & eum ſecutus Cicero *lib. 5. Tuſcul. quæſtion.* diuina vocant virtutes: reliqua, corporis & fortunæ, humana: Ariſtoteles aliter: ea nanque omnia vocat humana. nam humana vocat bona, quæ ab homine comparari poſſunt: diuina, quæ ſoli Deo ſunt propria: vt *in Ethicis Eudemus lib. 1. cap. 6.* Nunc autem agere ſe dicit de bono humano, vt infra ſæpe, quod & Politicum vocat, & πολιτικὸν *in principio Ethicorum magnorum.* Et reprehendit grauiter Platonem, qui in Politicis agit de bono diuino.

Εἰ γὰρ ταὐτόν.] Hic eſt locus difficillimus. Ego cum alijs puto quandam eſſe αὐθυποφορὰν hoc loco, hoc modo accipiendam. Dicis Ariſtoteles te agere de bono humano & de Politica. Atqui bonum humanum vnius eſt hominis, Politica eſt ciuitatis? Reſpondet Ariſtoteles, vnius & ciuitatis bonum eſſe idem, (qua de re agit late *libr. 7. Politic.*) ſed ciuitatis eſſe longe præſtantius, cur ita? quia communius: bona quo ſunt communiora, eo præſtantiora, teſte Ariſtotele *lib. 1. Rhet. & lib. 3. Topic.*

Γάρ.] Hic non valet nam, ſed valet idem, quod ſed, vt ſæpe alias. εἰ γὰρ.] Sed ſi, ſi autem, vt apud Latinos *enim* ſæpe ponitur pro *ſed.* Quæritur iam poſtremo de ſcopo, προαίρεσις, πρόθεσις, h. e. propoſito ſeu inſtituto (barbari *ſubiectum* vocant) totius huius operis, h. e. Ethicorum & Politicor. & rurſus diſtincte, Ethicorum, & ſeparatim Politicorum quodnam ſit? Diſputat hac de re Ariſtoteles *lib. 6. Eth. cap 7. aut 8.* item *in Ethicis*

Eudemiis Lib. 1. & 2. aut 3. capitibus Magnorum Moralium. Antequam quæſtionem propoſitam diſſoluamus, præmuniendum eſt, πραγματείαν ſeu opus hoc, Ethicorum & Politic. vnum eſſe duobus tomis ſeu partibus diſtinctum: quod perſpicuum fit ex *li. 10. Ethic.* extremo. vbi inſtitutum ſuum completum eſſe Ariſtoteles negat, niſi adiungatur tractatio de legibus, & de tota deniq; Republica. Idem confirmari poteſt ex *lib. 5 Ethic. cap. 2.* vbi, cum de Politicis loquitur, ὕστερον διοριστέον, ait poſtea explicandum: & *lib. 2. cap. 2. Polit.* ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον, vt ſupra dictum eſt, inquit, in Ethicis: nunc ad quæſtionem: & primum quidem de toto opere, deinde de partibus. Itaque poſito Politicam eſſe bipartitam, communem & propriam: illam, quæ præcepta Ethica, Politica & œconomica complectatur (quo modo Plato ſæpiſſime eo vocabulo eſt vſus, vt ſupra diximus) hanc quæ de Republica tantum & ciuitate inſtituenda agat: quæritur vtrum totius operis ſcopus ſit communis, an proprius? Communẽ videri his rationibus & argumentis demonſtrari poteſt. Primum, quia Ariſtoteles *lib. 10. cap. vlt. Ethic.* ait, ſe hoc opere totam Philoſophiam humanam explicare velle: atque eam eſſe communem Politicam, vel ex vno loco Platonis *in Apologia* perſpicuum eſt; vbi Socrates humanam Philoſophiam ſe docuiſſe ait, quam vbique Plato vocat Politicam communi nomine.

Præterea *Politicæ propriè ſiue ſpecialiter, vt vulgo loquuntur, finem eſſe εὐνομίαν. hoc eſt, rectam legum & ciuitatis deſcriptionem,* ait Ariſtoteles *libr. 3. capit. 4. Ethic. Et lib. 7. Eudem. capit. 5.*

> *At eius Politicæ quæ hic tractatur, finis eſt alius, beatitudo.*
>
> *Ergo propria non videtur explicari.*

Præterea Ariſtoteles *in Eudemiis lib. 1. cap. vlt.* tribuit tractationem beatitudinis tribus ſcientijs, nempe Oeconomicæ Politicæ & Prudentiæ: quæ hic vni Politicæ tribuitur. Contra vero, propriam videri (ſcopum eſſe Ariſtotelis) his argumentis doceri poteſt. Primo, *initio Ethicorum*, œconomicam diſtinguit à Politica ea, quæ hic explicatur. Deinde *lib. 1. cap. 2* ibi, εἰ γὰρ ταὐτὸν: *& cap. 13.* δοκεῖ δὲ καὶ τὴν ἀλήθειαν, &c. *& lib. 5. cap. 2.* πρότερον τῆς πολιτικῆς: Et *libr. 6. cap. 7. & 8. & vltimo* aperte videtur indicare, ſe agere de propria: & certe de *cap. 2 lib. 1.* nemo mihi videatur cauillari poſſe, quin Ariſtoteles ſub

indi

indicet, ſe de ciuitate explicare velle, vbi dicit εἰ γὰρ ταὐτόν ἐστι: propterea quod hic initio Ethicorum politicæ tribuit, vt ſit Architectonica, id *lib. 6. cap. 8.* expreſſe tribuit Politicæ propriæ, immo propriæ parti νομοθετικῇ. Præterea *initio Politic.* omnino eodem vtitur principio, quo hic. nam vt hic Politicam dicit eſſe κυριωτάτην & principalem ſcientiam: ſic ibi ſocietatem κυριωτάτην dicit eſſe Politicam. Poſtremo Alexander princeps Interpretum Ariſtotelis aperte ait *in Præf. & Prolegomenis in priora Analytica, ſcopum Ariſtoteli & πρόθεσιν ſeu προαίρεσιν eſſe politicam propriam & πολιτείαν*, & addit, *ſimile quiddam egiſſe Ariſtotelem in his libris cum libris Analyticis. nam vt ibi vnum quidem eſt opus, in duas partes, priorum & poſteriorum Analyt. diſtinctum, eiuſque vniuerſi vnum eſſe ſcopum, apodicticam ſcientiam: Sic item in his libris Ethicorum & Politicorum.* Ego re diligenter conſiderata, aſſentior Alexandro: præſertim quod priora de communi argumenta non ita difficulter refelli poſſunt. Quæritur nunc prioris tomi quis ſit ſcopus? Reſpondeo vno verbo, eſſe tractationem principiorum Politicæ, vt ipſe Ariſtoteles *initio Magnorum Moralium* teſtatur. Politicorum autem quis ſit ſcopus, facilis quoque eſt quæſtio: nempe Politica ipſa, ſed ſpecialis, hoc eſt, quæ de legibus & ciuitate agat. De hac diſtinctione Politicæ & eius ab Oeconomica differentia latius agetur *lib. 6.* Sic igitur accipienda ſunt verba, ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται πολιτική τις οὖσα, hoc eſt, *hoc igitur expetit ſcientia, quæ dicitur ſeu eſt Politica.*

Τούτων.] Hic idem valet, quod τούτου, hoc eſt, τἀγαθοῦ: Solet enim Ariſtoteles interdum numero multitudinis vti pro ſingulari, vt *init. poſteriorum Analyt.* ὧν ἔχει τὴν γνῶσιν: ὧν pro οὗ. vt optime Themiſtius. Deinde eſt etiam vſitatum Ariſtoteli genus pro genere vſurpare, quod eſt maxime obſeruandum in Ariſtotele.

Πολιτική τις.] Τὶς hoc loco nihil ſignificat, & eſt παραπληρωματικὸν, hoc eſt, appoſititium, & elegantiæ cauſa adijcitur, vt in prouerbio; δραχμὴν αἰτεῖς, μέγα με αἰτεῖς, οὔτε τι δώσω. Vt autem in eo prouerbio ignoratione illius particulæ lapſus eſt Eraſmus, vt recte indicat Henricus Stephanus, ita in hoc loco omnes Interpretes ſunt hallucinati eiuſdem particulæ ignoratione: qui ob eam particulam hæc verba accipiunt non de Politica. Idem de ea, quæ vulgo dicitur Ethica, & à veteribus ignorata ſcilicet Platone & Ariſtotele. Hæc autem verba

ita accipienda eſſe, vel ex eo ſolo perſpicuum eſt, quod Epilogus, (qui his verbis continetur) toti orationi priori (in qua iam docuimus agi de Politica ea, q̃ in adminiſtratione ciuitatis verſatur) debeat eſſe conſentaneus. Politica igitur ſcopus eſt vniuerſi operis: cuius, vt iam dixi, principia, in Ethicis explicantur: eaq; de cauſa hæc Ethicorum tractatio Politica quoq; dici poteſt, ſed non abſolute, verum cum adiunctione, nempe Politica quædam, Politica de moribus, teſte ipſo Ariſt. *lib. 1. magnorum moralium, cap. vlt.* πολιτικῆς τινός. & *lib. Rhet. 1. c. 10.* Quæritur amplius, cum dictum ſit Politicam eſſe artium ſummam & dominam, an etiam ſapientia ſit ſuperior, & an dominetur etiam ſapientia, de qua infra cum Ariſtotele explicabimus *lib. 6. c. vlt.* Quæritur poſtremo cum dictum ſit Politicæ parere præſtantiſſimas artes, τὴν οἰκονομικὴν, &c. An Politica velut genus eas ſub ſe omnes complectatur, quod quidem viri doctiſſimi exiſtimant: ſed falſo. nam continet Politica Inferiores artes, non vt genus formas, aut totum Partes: ſed vt princeps ſubiectos, ſeu Rex ſubditos.

CAPVT III.

COMMENTARII.

Λέγοιτο δ᾽ ἂν ἱκανῶς.] Hoc loco iam tractat Ariſtoteles de modo, & ratione concluſionis, quam & Doctor, & diſcipulus in Politicis tenere debeant. Concludendi autem ratio cum ſit bipartita, altera neceſſaria popularis altera: hanc in Politicis ſolam vtilem eſſe ait. quod idem ſæpius inculcat, vt *infra cap. 7. & lib. 2. cap. 1.* Propterea quod Platonem hac in re peccaſſe in ſua Politia videret: qui exiſtimabat, ſi in alijs artibus inferioribus exquiſita ratione vtendum ſit, etiam in præſtantiſſima arte Politica exquiſita ratione eſſe vtendum.

Τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια.] His verbis, quaſi prouerbialibus ſolet indicari materia Politicæ, quæ ſita eſt in actionibus honeſtis, iuſtis & bonis: ſic locutus eſt & infra Ariſtot. *lib. 6.* ἡ μὲν φρόνησίς ἐστι ἡ, &c. & *infra cap. 4.* τὸν περὶ καλῶν καὶ, &c. & Plato ſæpiſſime, vt *6. lib. de Repub* ὡς δίκαια μὲν καὶ &c. Et *in Gorgia*, καὶ τὰ δίκαια εἰδέναι, καὶ τὰ καλὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ, &c.

Νόμῳ.] Νόμῳ quid eſſe, & φύσει ſunt contraria, latine ea Cicero dicit inſtituto (interdum etiam lege) & opinione atque natura dicere ſolet: Hac autem phraſi Græca ſæpiſſime vtuntur veteres, vt infra *Lib. 5.* nummus dicitur à νόμῳ non φύσει. Et

lib.

libr 1. Politic. quæritur, an ſeruus νόμῳ, an φύσει ſit introductus. Sic Iſocrates *in Panegyrico*, ciues alios dicit eſſe φύσει, alios νόμῳ, qui ſcilicet non ſunt nati ſed facti ciues vt latini loquuntur.

Ἕτεροι δέ δι' ἀνδρείαν.] Ambigunm eſt hoc vocabulum ἀνδρείας: alij accipiunt pro corporis robore & viribus: alij de virtute & fortitudine: ego de fortitudine accipiendum puto. nam pro robore corporis (quæ ἰσχὺς græce dicitur) non memini me legiſſe. Totus autem hic locus his rationib. continetur, & quanquam in leone quædam ſit fortitudo, vnde quidam corpori fortitudinem tribuunt, ſed eſt tantum vmbratilis fortitudo & ſcintilla fortitudinis animi.

Omnis diſputatio materiæ ſuæ conſentaneas concluſiones habet: (concluſionem intelligo argumentationem) *incertæ & inſtabiles, incertas & populares: certæ & neceſſariæ, certas, ſtabiles, & neceſſitas.*

Atqui Politica materia eſt incerta & minime neceſſaria.

Ergo eius concluſiones non erunt neceſſariæ ſeu Apodictica.

Hic eſt copulatus ſyllogiſmus, quo vtitur hic Ariſtoteles. nam maior ibi, τὸ γὰρ ἀκριβὲς; minor ibi, τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια: concluſio ibi, λέγοντες δὲ ἂν ἱκανῶς Et rurſus ibi, in fine, ἀγαπητὸν ἂν. qui copulatus ſyllogiſmus in duos ita diſſolui poteſt.

Omnis diſputatio pro materia ſubiecta explicari debet.

Ergo & Politica. Rurſus:

Diſputatio, quæ materiam habet incertam, populariter explicari debet.

Politica habet materiam incertam.

Ergo populariter explicari debet.

Maior prioris ſyllogiſmi certa eſt ex Analyticis *lib. 1. prior* & illuſtratur hic exemplo à rebus manufactis, ibi, ὥσπερ οὐδ' ἐν τοῖς. Minor confirmatur ab opinione quorundam ibi, ὥστε δοκεῖ, Archelao Phyſico præceptore Socratis ſc.: qui teſte Laertio iuſta putabat reuera nulla eſſe, ſed tantum opinione, vt & poſtea Epicurus, quem Cicero *libr. 1. de legib.* confutat: & ab effectu minor probatur, ibi, διὰ τὸ πολλοῖς, &c. quaſi dicat bona non videri bona, quæ detrimentum videlicet afferant. Ea autem minor pulcherrimis exemplis comprobari poteſt, de quibus videatur Sextus Empiricus *libr. 3.* ὑποτυπώσεων, & infra Ariſtoteles eandem minorem examinat *libr 5* Plato quoque *in Politico*, materiam Politicæ dicit eſſe inſtabilem & incertam: Verbi gratia: Saltare honeſtum erat in Græcia, apud Roma-

nos vero turpiſſimum, &c. Rurſus quæ in alio loco ſunt iuſtiſſima, in alio iniuſta, & contra: vt vbique fere iniuſtum eſt iurari, Lacedæmone vero non erat iniuſtum.

Ὥσπερ ἐν τοῖς.] Hoc ſimili confirmatur maior totius copulati ſyllogiſmi. nam vt in rebus manufactis pro varietate materiæ, altera ars alteram ſubtilitate ſuperat: (vt ſtatuariam pictura in eodem ligno) ita etiam ſcientiæ altera alteram ſuperabit pro materiæ varietate.

Ἔπεροι δὲ δι' ἀνδρείαν] Hæc, vt dixi, pertinent ad minorem, qua dictum eſt, Politicæ materiam eſſe variam, quæ poſita ſit in rebus honeſtis, iuſtis, bonis. Bonorum nomine non corporis tantum & fortunæ, ſed & animi bona hic contineri puto: qualis eſt ἀνδρεία ſeu fortitudo: cum agatur de moribus. Sequitur tandem complexio, ibi, ἀγαπητὸν, quam bipartitam facit. Ait enim tam Doctorem Politicæ vti debere concluſione probabili, quam auditorem eius: aliam exquiſitiorem non debere poſtulari de Doctore, ibi, λέγοντας παχυλῶς: de auditore, ibi, τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον. Eſt enim, inquit, eruditi auditoris, eatenus ſubtilitatem requirere, quatenus rei natura poſtulat: quæ fuit maior in ſuperiori ſyllogiſmo generali, eam hic iterat in auditore, & confirmat quodam abſurdo omnibus noto, ibi, παραπλήσιον γὰρ. notæ ſunt omnib. ἀποδείξεις Mathematicæ: nota ſunt quoq; omnibus Rhetorum probabilia argumenta: *quam igitur*, inquit, *abſurdum ſit, a Rhetore* ἀποδείξεις *requirere, & contra à Mathematico veriſimilia: ita & abſurdum ſit & indocti auditoris, in reliquis ſcientiis ſine diſcrimine concluſiones exquiſitas poſtulare, demonſtrationes expetere.*

Πεπαιδευμένος γὰρ ἐστι.] Ariſtoteli vſitata eſt vox παιδεία notione non omnibus nota. Vocat.n. ille παιδείαν habitum quendam recte iudicandi de rebus omnibus, quod docet doctrina Analytica: contra ἀπαιδευσία contrarius ab illo habitus dicitur: hoc eſt, ignoratio doctrinæ Analyticæ: hinc πεπαιδευμένος pro eo qui in Analyticis ſit eruditus, & contra, ἀπαίδευτος *libr. 1. Rhetor. cap. 10. libr. 3. Metaphyſ. cap. 3. & 4. & libr. 1. de partibus animalium in princip. & hoc loco*, πεπαιδευμένος. ita accipiendum eſt: eius qui in Analyticis ſit verſatus. Facit autem idem Ariſtoteles παιδείαν duplicem: mox hic καθ' ἕκαστον: & *initio lib. 1. de partibus Animalium.* Alteram enim vocat veram cognitionem Analytices, & omnium

mnium rerum generalem cognitionem : alteram vero παιδείαν dicit eſſe ſpecialem alicuius certæ ſcientiæ & ſpecialis,vt verbi gratia,ſiquis ſciat recte iudicare (ex Analytica doctrina) de Muſicis aut poeticis.

E῎κασος δὲ κρίνει] Proprie iam incipit explicare,quis ſit idoneus auditor ſcientiæ Politicæ, quod eſt tertium totius procemii membrum:eumque eſſe ait idoneum, qui & rerum ſit peritus,& cupiditatibus non diſtrahatur.

Οἱ λόγοι δὲ ἐκ τούτων] Phraſis eſt Ariſtoteli vſitata ἐκ τούτων, καὶ περὶ τούτων.per prius autem argumenta intelligit: per poſterius materiam,de qua agitur:ſic hoc loco Politicæ ἐκ τούτων, hoc eſt argumenta quibus vtimur in Politica pendent ex actionibus: & eiuſdem περὶ τούτων,hoc eſt materia Politicæ ſunt, vt ſæpe dictum eſt,actiones vitæ:eadem Phraſi vſus eſt & paulo ſuperius καὶ περὶ τῶν, *& lib.1.Rhet.*

Νεαρός] Valet hoc loco, non rudis aut nouus,vt vertit Lambinus, ſed potius iuuenilis aut petulans : quod indicant verba ſequentia ἀλλὰ διὰ τὸ.Iam videamus concluſiones.

Quæ quis recte nouit, eorum bonus eſt iudex: in rebus ſingulis is, qui in rebus ſingulis eſt eruditus: generaliter vero qui in omnibus.

Atqui adoleſcens actiones vitæ non nouit, vtpote adoleſcens, nullo dum vitæ vſu præditus.

Ergo adoleſcens recte iudicare de rebus humanis non poteſt: & proinde Politicæ non eſt auditor idoneus.

Maior ibi,ἕκαστος δ'.Minor ibi, ἄπειρος γὰρ.complexio ibi, διὸ τῆς πολιτικῆς Maioris confirmatio pendet ex ſuperioribus.Minor confirmatur ibi,οἱ λόγοι δὲ, & certa eſt alioqui:nam nemo ignorat, quin adoleſcens rerum ſit imperitus. Alterum argumentum, quo docet non eſſe adoleſcentem auditorem aptum,eſt eiuſmodi.

Quicunque ea quæ hic docentur, facere nequit, non eſt aptus auditor:

Adoleſcens id nequit. Ergo &c.

Minor ibi,ἐπειδὴ τὸ τέλος, ibi tamen potius eſt confirmatio maioris.nam huius ſcientiæ finis non in mera cognitione, ſed in actione conſiſtit.Ergo qui agere nequit,non eſt idoneus:minor ibi,ἔτι δὲ τοῖς πάθεσιν, vbi & continetur minoris confirmatio,hoc modo: Qui perturbationibus eſt obnoxius,ille ex virtutibus viuere non poteſt,quod requirit tamen Politica.

Διαφέρει δ' οὐθέν.] His verbis extendit Ariſtoteles illud vocabulum νέος: & ait accipiendum non tantum de Adoleſcente proprie dicto: ſed etiam de eo, qui moribus Adoleſcenti eſt ſimilis, etſi ſenior. hic enim eo poſteriori argumẽto non eſt idoneus, etſi priore ſit.

Τοῖς δὲ κατὰ λόγον.] Pulchra commendatio Politicæ ab vſu: dicitur. n. vtiliſſima eſſe eius cognitio iis, qui rõi cõuenienter vitã inſtituunt: qua de re diximus *in præfatione*, & apparebit in toto opere. Quærunt iã interpretes: ſi neq; adoleſcentibus, neq; adultis male moratis vtilis eſt Politica, quib. tandem ſit vtilis, cum adulti bene morati non habeant opus? Reſpondeo Politicæ tractationem non tantum eſſe de moribus: ſed de Politica, quam diximus eſſe ſcopum huius operis, qua ex re videre licet, Adoleſcentes non eſſe accommodatos auditores, qui Rerumpubl. adminiſtrandarum ſint imperiti. Quod ad mores attinet ſeu Ethica: eorum tractatio vtiliſſima erit adultis etiam bene moratis: propterea quod bene inſtituti, & moribus iam bonis imbuti in tanta rerum humanarum varietate ſcopum certum, quem Politica tradit, & adiumenta ad ſcopum conſequendum, quam fieri poteſt certiſſima ex hac diſciplina habituri ſint. De ciuitate autem adminiſtranda non eſt dubium, quin adulto præcepta Politica de ciuitate adminiſtranda ſint vtiliſſima: vt autem magis confirmetur, quod Ariſtoteles multis in locis dicit, adoleſcentem Politicæ, non eſſe ſuum auditorem: breuiter commemoremus, quis ordo ſit obſeruandus in diſcenda Philoſophia. Ponamus autem cum vulgo tria membra Philoſophiæ, Logica, Phyſica, Ethica. (Diuiſio hæc eſt Stoicorum, & non eſt vera, eamq; conuincit Alexander) hoc poſito quæritur vnde ſit auſpicandum. Chryſippus *lib. 4. de vitiis* dicebat auſpicandum eſſe à Logicis: ſecunda eſſe Ethica: tertia Phyſica: vt eſt apud Plutarchum *de contrarietatibus Stoicorum*. Boethus Philoſophus à Phyſicis incipiendum dicebat: alii etiam ab Ethicis, propterea quod mores primum conformari videantur, ne mens perturbationibus obſcurata, in artib. reliquis nullum progreſſum facere poſſit, quod teſtãtur Hammonius & Simplicius *in Categorias Ariſt.* qui duo interpretes ipſi hanc ſententiã afferunt, vt primum diſcenda ſint quædã præcepta leuia de moribus, qualia continẽtur verbi gratia in carminibus Phocylidis aut Pythagoræ, aut etiam in officiis Ciceronis, aut etiam Catonis. κατήχησιν vocat Simplicius leuẽ eam inſtitutionẽ moralem: inde

inde progrediendũ ad logica: nihil addunt præterea. Nos ita inſtituenda ſtudiorũ rationẽ exiſtimamus, vt moralis q̃dam κατήχησις primum diſcatur: deinde ad logica progrediatur: nã hoc logicorũ velut organo in reliquis diſciplinis vtimur, deinceps ad Phyſica veniendũ eſt: poſtremo ad Ethica. Cur ita? propterea ꝙ Politicæ auditori neceſſaria ſit Phyſicæ cognitio, teſtib. Platone *lib. 2. de ll.* & Ariſt. *lib. 1. Eth. in fi.* vt ibi latius explicabimus.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Λέγωμεν δὲ ἀναλαβόντες.] Cognito, aliquod eſſe ſummum bonum, proximum erat explicare eius naturam, id quod hoc capite inſtituit Ariſtoteles, cuius duo fere ſunt membra: priore de nomine ſummi boni & opinionum varietate, de ſummo bono definiendo: alterum eſt de Methodo, ibi, μὴ λανθανέτω.

Σχεδὸν.] Cur fere? Puto hanc particulam & hoc loco, & aliis ſæpe elegantiæ cauſa adiungi, quales & multæ aliæ ſunt particulæ, ὡς εἰπεῖν, ὡς ἔπος εἰπεῖν &c. ita fere dicimus, omnes fere ita loquuntur.

Οἱ χαρίεντες.] Hos eoſdem vocat σοφὺς, ibi, Οἱ πολλοὶ τοῖς σοφοῖς. Intelliguntur autẽ eo nomine omnes, qui ſupra vulgi captum aliquid ſapiunt, non tantum Philoſophi: Latini expolitos & intelligentes vocant: (*Stulto intelligens quid intereſt*, Terent) etiam doctos:: vt contra τὺς πολλὺς vocãt agreſtes. Eodem verbo vſus eſt Ariſtoteles *infra cap. 5. & cap. 13.* ibi, ἰατρῶν οἱ χαρίεντες: vt *in Metaphyſ. lib. 11. cap. 2* Plato ita ſæpe vtitur. Dicuntur & κομψοὶ tam à Platone, quam Ariſtotele (κομψότεροι, nos dicimus eleganter docti.)

Τί ἐστιν ἀμφισβητῦσιν.] Vetus translatio & Euſtrathius, eumque ſecutus Argyropylus, legunt τίς ἐστιν: Euſtrathius certe magnam differentiam facit inter τίς ἐστι & τί ἐστι. ego ſiue τίς ἐστι, ſiue τί ἐστι legatur (etſi prius vt antiquius probo) nihil diſcrepare puto in ſententia. Agitur enim de definitione: quæritur: quid ſit, vel quæ ſit beatitudo.

Ὀνόματι μὲν ὖν] Ait Ariſt. nomẽ ſummi boni vnũ idéq; fere eſſe & ab omnib. εὐδαιμονίαν dici tã doctis q̃ indoctis: addit quoq; vulgo dici & idẽ putari, εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν. vt hæc melius intelligantur, ſciendũ eſt, græcis quinq; eſſe vocabula, quib. hoc ſummũ bonũ explicare cõſueuerũt, εὐδαιμονίαν, εὐπραξίαν, εὐζωίαν εὐ-

εὐτυχίαν, & μακαριότητα. Primum & poſterius ſunt præclariora & honeſtiora, & rem magis explicantia, reliqua non item, quæ fortunæ videantur ſummum bonum adſcribere. Videantur hæc loca *libro 1. Rhet. libro 1 Eudem. capit. 1. & infra cap. 8.* ibi, σχεδὸν γὰρ &c. Latini beatitudinem ſeu beatitatem, fælicitatem, & interdum proſperitatem, ſæpiſſime autem beatam vitam vocant. Nam beatitudinis vocabulum Cicero dicit eſſe aſperius.

περὶ δὲ τῆς εὐδαιμονίας] Hic explicare incipit, quid ſit, & enumerat primum varias opiniones: confuſe hoc capite, diſtinctius proximo, in quibus refellendis opinionibus conſumit tria proxima capita.

Οἱ μὲν γὰρ τῶν ἐναργῶν] Id eſt vulgus beatitudinem collocat in rebus ſenſui ſubiectis, in diuitiis puta, voluptate, honoribus: fœmina in pulchritudine: quæ vocat ἐναργῆ: quæ cum ſint varia, oportet etiam varias eſſe opiniones: adeo quidē vt ſæpe nonnulli a ſeipſis diſſentiant: vnus enim idemq; ſi æger eſt, ſanitatem: ſi pauper, diuitias: ſi inglorius, honorem, ſummum bonum putat.

συνειδότες] Hoc eſt vulgus cum quempiam de re magna diſſerentem audit, eum, vt Deum admirans, beatum putat; & in ſcientia ea beatitudinem poſitam putat.

ἔνιοι δὲ ᾤοντο.] Attingit Platonem, qui ſummum bonum exiſtimabat illud eſſe. quod per ſe appeteretur, & cauſa eſſet reliquis omnibus bonis vt ſint bona: quod bonum ideam vocabat: ſic hunc locum interpretatur ipſe Ariſtoteles *cap. 1. magnorum moralium* (Dominus Martyr intellexit Deum, ſed perperam.

Ἁπάσας μὲν οὖν] Præclarum hoc loco datur præceptum Methodicum ſeu Analyticum: nempe cum in diſputatione aliqua multiplices ſunt opiniones, non omnes eſſe exquirendas, ſed eas duntaxat, quæ vel inſigniores authores habeant, vel maiore nitantur ratione: quod præceptum iterat Ariſtoteles *li. 1. cap. 8. Top. & libro 1. Eudem. cap. 3.* ſic & Cicero *in libro de finibus bonorum*, opiniones de ſummo bono certas exquirit, nonnullas, vt Ariſtonis, Herylli, vt ineptas & diſputatione indignas reiicit. ſi quis tamen omnes opiniones veterum de ſummo bono videre cupiat: videat Clementem Alexandrinum *lib. 2.* στρωματέων, & Auguſtinum *lib. 19. de ciuitate Dei. cap. 1. & 2.*

Μὴ λανθανέτω δὲ ἡμᾶς] Locus difficillimus videtur mihi, vel Apol-

Apolinis vel Sibyllæ oraculo dictus. Iã initio huius capitis diximus, agi hoc loco de Methodo Politicæ. Ait autem primo Ariſtoteles omnium tractationem ſeu methodum eſſe bipartitam: alteram quæ à principiis ad effecta proficiſcatur: alteram quæ ab effectis ad principia contendat: quod vt intelligatur, ſciendum eſt, duo eſſe genera principiorũ, vel quæ rem conſtituant, vel quæ eam explicent: illa ſunt cauſæ quatuor, materia forma, efficiens, & finis &c. hæc ſunt, quæ in Analyticis dicuntur τὸ ὅτι & διότι. Hoc igitur poſito vt certo ex Analyticis, videamus de vtro principiorum genere hic locus ſit accipiendus: & certo de poſteriori videtur accipi debere, tũ ex iis quæ mox dicemus, tum etiam ex verbis Ariſt., ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι &c. methodus ergo ἀπὸ τῶν ἀρχῶν conueniet concluſioni, quæ *in Analyt.* dicitur τὸ διότι hoc eſt, quæ ex principiis elicit & declarat effecta: illa autem: methodus, quæ eſt ἐπὶ τὰς ἀρχὰς conueniet concluſioni τοῦ ὅτι, hoc eſt queper effecta principia ſua explicat. Proclus *in lib. 3. Euclidis*, & Galenus *li. 9. de decretis Hippocratis*, ac Plato. mentionem faciunt de his duabus methodis & priorem à principiis σύνθεσιν appellant: alterã ad principia ἀνάλυσιν ſeu διαίρεσιν, à Platone dici affirmant. Certe de vtraque methodo diligenter agit Plato *in Politicis: Sophiſta, Philebo, Phædro, & libr. de Rep.* Iam ergo conſtat eſſe bipartitam methodum tractandarum ſcientiarum: quod Ariſtoteles eleganti ſimilitudine illuſtrat à Diaulo, in quo ſtadii genere bipartitus erat curſus. prior à carceribus ad calcem, alter à calce reflexus ad carceres. Videamus igitur nunc, vtro genere methodi in Politica vtendum ſit: & hoc eſt, quod ait ἀρκτέον μὲν. Et quidẽ Ariſtoteles non aperit ſtatim nominatim, vtro genere ſit vſus, ſed præcepto quodam generali ita declarat, ἀρκτέον inquit, *ſeu ordiendum eſt, à rebus, quæ nobis ſunt notæ in omnibus ſcientiis: Ergo & in Politic.* Solã propoſitionẽ maiorẽ cõmemorat, eamq; abſq; cõfirmatione propria: quod naturalis ratio omnibus hoc dictat, obſcuriora per notiora eſſe explicanda: & etiam quod de ea maiore in aliis libris diligenter pertractauit. Verum cũ ex rebus notioribus aliæ nobis ſint notiores & ſenſui noſtro: aliæ vero abſolute, & naturæ, quærit amplius ibi, ταῦτα δὲ διττῶς, & ait ab iis ordiendum, quæ magis ſunt notæ nobis. ἴσως οὖν. Rationem non adiicit. ego hãc eſſe puto, quod ea ſint omnium notiſſima quæ ſenſui noſtro ſunt expoſita. Præterea in Politicis non admodum laboramus cognoſcere ea, quæ naturæ ſint nota, hoc eſt

vniuerſa: propterea ꝙ Politica in actionib. ſingularib. verſetur, in quib. τὸ ὅτι cognoſcere ſatis eſt, vt infra Ariſt. admonet, ἀρχὴ δὲ τὸ ὅτι. ab effectis igitur nõ à cauſis ordiendũ eſſe docet. Itaq; in hoc toto opere omnia fere Ariſt. argumẽta ab effectis ſunt repetita, raro ad cauſas ſuperiores aſcẽdit, hoc eſt, nõ τὸ διότι, ſed τὸ ὅτι fere perſequitur. Effecta aũt in Politica q̃ ſint, & q̃ cauſæ; diligenter conſiderandũ eſt. Effecta aũt eſſe puto, actiones honeſtas tã priuatas quã publicas. v. g. tẽperanter, iuſte, fortiter eſſe agendũ, obeundum hoc vel illud munus Magiſtratus. cauſas vero exiſtimo eſſe cõmunes eas ſententias: neminẽ eſſe lædendum: ſuũ cuiq; tribuendum: ꝙ tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & alia generis eiuſdem: omnia inquit illa, q̃ iuri naturæ tribuũt Philoſ. Nã ꝙ quidã per cauſas & principia ſummã beatitudinẽ & ſummum bonũ & virtutẽ intelligũt, falluntur. neq; enim hic de principiis Phyſicis Politicæ, eamq; conſtituentibus, ſed de ſyllogiſticis (vt τὸ διότι) agitur, vt initio diximus.

Διὸ δεῖ τοῖς.] Sententia huius loci hæc eſſe videtur. Dictũ eſt τὸ ὅτι in Politicis cognoſcendũ eſſe, & ab actionib. ſingularibus, principiisq; ſenſui & in vita quotidiana occurrentib. ordiendũ: nunc de auditore, de quo iam ſuperiore dictũ eſt eum debere fidem iis habere, q̃ in Politica tractabuntur. Itaq; vt Politicæ auditor perſuaſum ſibi habeat hanc vel illam actionẽ honeſtam ſeu iuſtam (ꝙ non ſtatim ſenſu cognoſcere poteſt: nam ſi ſenſu poſſet, vt fit in mathematicis, non opus eſſet illi quod iam dicam) vt igitur τὸ ὅτι non repudiet, ſed aliquatenus cognitũ amplectatur, quia ſenſu, vt dixi, nõ poteſt, ſaltẽ educatione & conſuetudine eſt informãdus: vt inſtar agri, inquit Ariſt. *li. 10. c. vlt. infra* cultura quaſi ſubacti, & ad ſemina recipienda accõmodati, poſt ad Politicã accedens, eius præcepta admittat & ſequatur.

Ἀρχὴ γὰρ.] Locus eſt perobſcurus. Dionyſius Lambinus ex veteribus, vt ait libris quibuſdam, ita eum immutat: ἀρχαὶ γὰρ, quaſi dicat, Ariſt. ſatis eſſe in Politica cognoſcere τὸ ὅτι, vt iam ſæpe dixi: verum cũ & vetus translatio, & multi veteres libri, & Euſtrathius, & locus *infra cap. 7. in fine*, iiſdem fere verbis repetitus, & ipſa deniq; ſententia atq; connexio veterẽ ſcripturam tueantur, nihil mutandum puto. Sententia autem videtur eſſe iſta. Dictum eſt, eum qui cum fructu Politicã auditurus ſit, bonis morib. prius eſſe imbuendum: rationem attulimus hanc, vt præceptis fidem habeat, adiuncta ſimilitudine ab agro ex ipſo Ariſt. *lib. 10. cap. vlt.* verum Ariſtoteles aliam hic ipſe rationem

adiicit

adiicit. Politicæ inquit principium eſt τὸ ὅτι, Ergo ne τὸ ὅτι repudiet, aut principia non intelligat, aut prorſus etiam reiiciat, inſtituendus erit primum & educandus. Quod autem Ariſtoteles addit, εἰ τοῦτο φαίνοιτο, hoc eſt, τὸ ὅτι non eſſe neceſſariũ τὸ διότι; verum id quidem eſt, vt & *infra c.7.* nominatim ait, & ſupradictum eſt, tamen id cum moderatione eſt accipiendum. nam & interdum Ariſtoteles ipſum διότι inueſtigat in his libris, ad bene quidem viuendum nõ eſt neceſſarium τὸ διότι, ſed ad philoſophandum eſt vtiliſſimum: quare & Cic. *in offi. lib. 3 in principio, & lib. de finibus, & in lib. de legib* interdum cauſas illas ſuperiores exquirit. Plato hoc fecit paulo immoderatius, vt qui contrariam Ariſtoteli ſententiam tenuerit *lib. 6. de Repub. in fine &* Ariſtoteles *lib. 1. cap 1. magnorum moralium*: Sic & Thomas *in ſumma Theologica* ſæpiſſime hallucinatus eſt, dum in principia illa ſumma nimis inquirit τὸ διότι.

Ο᾽ δὲ τοιοῦτος.] Hæc eſt concluſio de auditore, nam illa ἀρχὴ γὰρ parentheſi videntur eſſe includenda. Recte igitur, inquit Ariſtoteles, educatus, & virtutibus ab ineunte ætate informatus, ille aut ἔχει, hoc eſt, tenet nouitq; per ſe iam principia, hoc eſt, τὸ ὅτι, & interdũ huius ope τὸ διότι: aut λάβοι, hoc eſt, ab aliis aſſequatur puta doctorib. aut parẽtib. ille aũt qui nec per ſe principia cernere, atq; ita fidẽ habere præcepti nõ pŏt, neq; doctori ea proferenti acquieſcit, ille inquit, à Politica eſt alienus. *Optimus igitur Politicæ auditor hic eſt, qui ab ineunte ætate bonis morib. informatus principia ſuo marte cernere poteſt, uſq; vt veris aſſentiri: proximus qui & ipſe ſit bene educatus, ſed ea non ſit acie mentis, vt principia per ſe videre poſſit: qui tamen fidem docentib. ea, licet fortaſſe non vſq; quaq; ſibi probentur, habeat: deploratus autem, minimeq; aptus erit ille, qui cum nulla educatione fuerit imbutus, ſed malis moribus mentem ſuam obſcurarit. nulla poſtea præcepta audire velit, aut principia cernere poſſit, quẽ vt beluam, non iam diſputationib. reprimendum ſed vinculis legum conſtringendum* inquit Ariſtoteles infra, & Cicero *libro 3 offic.* quam triplicem auditorum differentiam eleganter illuſtrat verſibus Heſiodi ex *lib. 1. ἔργων καὶ ἡμερῶν*. De his auditorum conditionibus videantur, Plato *in Epiſtola ad propinquos Dionis* (quæ eſt aurea epiſtola, ex qua multa Cic. vertit.) Ariſtoteles *lib. 7.* ibi, διὰ γὰρ τὸ ἔχειν, *& lib. 8.* ἀρχὴ γὰρ φυσική, *& lib. 10. cap. vlt.* (qui eſt locus optimus Ethicorum) & Cicero *libr. 1. offic. in princip. Fortis vero &c.*

CA-

CAPVT V.

COMMENTARII.

Ἡμεῖς δὲ λέγωμεν ὅθεν.] Confecta digreſſiuncula de Methodo, redit ad inſtitutum de opinionibus, quas hic diſtinctius pro vitæ generibus commemorat & explicat.

Τὸ γὰρ ἀγαθὸν] Hoc eſt: non abſque ratione ex vitæ inſtitutis & generibus alia atque alia ſumma bona inueſtigantur. Ratio, quæ ab Ariſtotele omittitur, hæc eſſe videtur: quod vita & eius finis hoc eſt ſummum bonum ſunt in Categoria ſeu gnere collationum: atqui notum eſt, eſſe debere ſimilitudinem ſeu *ἀναλογίαν* in comparatis: in iis, quæ ſunt ad aliquid, hoc eſt, vt vulgo dicimus, debet eſſe proportio ad terminum fundamenti, & contra. Eſt igitur hic inſignis locus: ratione vitæ ſeu vitæ genere, deprehendi vitam beatam: qua norma vſus eſt & Plato *in Philebo*, addita pulcherrima ſimilitudine. *vt enim*, inquit, *qui in magna vrbe aliquem quærit ſi domum iam nouerit. facile eum reperire poterit*: item in diſputatione de vita beata, quæ facile inueſtigari poſſit, cognitis vitæ generibus. Eadem formula Varro eſt vſus de ſummo bono *in libro de Philoſophia*, teſte Auguſtino *lib. 19. de ciuitate Dei cap. 2.*

Ἐκ τῶν βίων.] Vetus interpres & Thomas videntur legiſſe *ἐκ τοῦ βίου*: ex his, quæ huius vitæ ſunt, inquit translatio vetus, ſed perperam: ipſos *βίους* commemorat Ariſtoteles.

Οἱ μὲν πολλοὶ.] Primum genus vitæ inquit, eſt vulgi, cui propoſita eſt voluptas, hos *φορτικωτάτους* appellat, quod nulla prope ratione niti videãtur, id. n. *φορτικὸν* ſæpe valet. Ergo *φορτικοὺς* reddam latine ſtultos, ſtolidos, (vt & alibi nominatim facit Gellius,) inſulſos, inſolentes, ineptos, perperam ergo Euſtrathius pro graui & moleſto accipit.

Διὸ καὶ τὸν βίον.] Diximus modo ex vitæ generibus inueſtigari beatitudinem: hic Ariſtoteles eam formulam quaſi inuertit, & ratione finis deprehendit vitam. *Si*, inquit, *voluptatem ſibi propoſuit. Ergo vitam ſequitur voluptariam.*

Τρεῖς γάρ εἰσι μάλιστα.] Hæc verba vſque ad ea, *οἱ μὲν οὖν*, parentheſi ſunt includenda (Martyr plane contra ſentit) vt indicat particula *μὲν οὖν*, qua vtimur poſt parentheſes, vt latine, inquam: obſeruandum eſt autem, quod ait, tria eſſe vitæ genera *οἱ μάλιστα προέχοντες*, hoc eſt, inſigniora. nam & alia commemorari poſſunt, Sacerdotum, mercatorum, agricolarum, opificum

cum,&c. ſed hæc ſunt inſigniora & communiora. Tria autem commemorat hæc; ἀπολαυστικὸν, hoc eſt, vitam voluptuariam: πολιτικὸν,hoc eſt,politicam, ciuilem, & planius in rebus agendis ſeu Repub. occupatam: & θεωρητικὸν, hoc eſt, contemplatricem, ſeu in contemplatione & cognitione poſitam. Sic enim optime eam latine reddi poſſe exiſtimo. Plato quoq; tria genera vitæ commemorat *in Philebo*, ἀπολαυστικὸν, θεωρητικὸν, & μικτὸν, quæ ille præfert omnibus: & Varro,ocioſum, negotioſum, & mixtum. Ariſtoteles *in lib. 1. Eudem. cap. 4. & 5.* hæc quoq; tria genera commemorat: ſed quod hic θεωρητικὸν, ibi vocat φιλοσοφικὸν, hoc eſt, philoſophicam vitam.

Οἱ μὲν οὖν πολλοί.] Nihil hic aliud agit Ariſtoteles, quam vt grauiter reprehendat primum vitæ genus, idq; dupliciter: Ait enim eſſe & ſeruile & beluinum. Beluinum quidem, quia ſenſum tantum attingit, quo & beluæ ſunt præditæ: dolor enim & voluptas ſunt ſenſus obiecta. Seruile autem, eo quod ſerui veteribus vix ratione præditi cenſerentur, eaq; ratione ex vita beata excludebant eos (Ariſtotel. *in Politicis.* quemadmodum hodie Turcæ excludunt fœminas à beata vita & regno cœlorum) Has reprehenſiones duas ſæpe iterat Cic. *in libr. de fin.* & Plato *in Philebo*. Non igitur recte Schegkium ſummum Philoſophum reprehendit Simonius, qui his verbis exiſtimarit (vt & reliqui Interpretes) contineri refutationem voluptatis, hoc modo:

Voluptas eſt ſeruilis, vel beluina.
Ergo non eſt beatitudo.

Imo vt dixi, nulla eſt refutatio, ſed tantum reprehenſio, quod expreſſe apparet ex *lib. 1. cap. 5. Eudem.* vbi nominatim Ariſtoteles ait, de voluptate poſterius ſe dicturum, hoc eſt, in hoc opere *lib. 10.*

Τυγχάνουσι δὲ λόγου.] Quaſi dicat: etſi diximus φορτικωτάτους ſeu abſurdiſſimos nullaq; prope ratione nixos: tamen τυγχάνουσι λόγου, hoc eſt, non omnino ratione deſtituuntur: eo quod in ſummis Magiſtratibus & imperijs conſtituti, eam fere vitam ſequantur, vt Sardanapalus, Smyndarides, & viuente Ariſtotele Alcibiades.

Οἱ δὲ χαρίεντες καὶ.] Hic de altero vitæ genere, nempe Politico: cui propoſitum dicit eſſe honorem. qui hoc genus vitæ ſequitur, à græcis & latinis Politici dici ſolent, eos hoc loco Ariſtoteles & πρακτικοὺς, & χαρίεντας vocat. De practicis res nota

eſt. χαρίεντες autem, quia Vrbani, elegantes, ciuiles, humani: hoc enim χαρίεις interdum ſonat.

Τιμὴν.] Τιμὴ hoc loco non gloriam ſeu δόξαν: neq; τιμὰς, hoc eſt, Magiſtratus, ſed honorem, hoc eſt, cultũ & obſeruantiam, quæ tribui ſolet magiſtratibus, aut claris & gloria florentibus viris, ſignificat.

Τοῦ γὰρ πολιτικοῦ βίου.] Ait h. loco Politicæ finem eſſe honorem: quod & in Eudemijs confirmat, etſi tandem concludat, Politicæ finem potius eſſe virtutem & actiones præclaras, hoc eſt, virtuti conſentaneas.

Δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι.] Hic iam incipit refellere opinionẽ de honore: quã duab. rationibus refutat. Prior ita concludi poteſt.

Summũ bonum proprium eſt quiddã, quodq; vix eripi poſſit.
Honos autem non eſt proprius honorati, ſed honorantis.
Ergo honos non eſt ſummum bonum.

Maior propoſitio ibi, τἀγαθὸν δὲ, hoc eſt, ſummum bonum: quam hoc loco nõ confirmat, niſi tacite in verbo μαντευόμεθα, quaſi diceret, vnanimi conſenſu, & q. diuinitus inſtincti aſſerimus, hoc eſſe verum. μαντεύεσθαι nanq; h. loco non valet augurari, ariolari, vaticinari, vt vertũt Interpp. ſed aſſerere, affirmare, & cõmuni quodã conſenſu & iudicio: ſic eo verbo vſus eſt & infra *li. 6. c. vlt.* & ſæpe Plato *in Lyſide, in Charmide, & alibi.* Maior & eius confirmatio habetur *infra cap. 11. & 12.* Aſſumptio ibi, δοκεῖ γὰρ, quorum verbor. hæc eſt ſententia. Videtur, inquit, honos nõ eſſe proprius eius cuius defertur, ſed in eorum potius poteſtate, manu & arbitrio, qui deferunt, nã ea verba ἐν τοῖς τιμῶσι poſita ſunt, pro ἐπὶ τῶν τιμώντων, hoc eſt, pro poteſtate, & nõ pro poſſeſſione, vt ſæpe alias ea particula ἐν vſurpatur, vt recte admonuit Viues *lib. 6. de cauſis corruptarum diſciplinarum.*

Ἔτι δὲ ἐοίκασι.] Alterum argumentũ ab adiunctis, cuius hæc ſit integra cõcluſio. nam Ariſtoteles ſolã aſſumptionem ponit.

Summum bonum ob aliud non expetitur. Honos expetitur ob aliud, nempe ob virtutem. Ergo honos non eſt ſummum bonum.

Aſſumptio ibi, ἵνα πιστεύωσιν, h. e. perſequuntur honorem, inquit, non propter ſplendorem ipſius honoris, ſed vt honore velut ſigno & teſtimonio virtutis ſuæ, quod ab alijs ſibi datur, vtãtur: vt inquam ipſi credant, ſibique perſuadeant, ſe eſſe vitos bonos: habita illis fide, qui tribuit honorem. Sic .n. hæc verba ἵνα πιστεύωσιν recte explicant, Thomas, Argyropylus, & alij, & ipſe Ariſt. *infra lib. 8. cap. 8. in princ. & lib. 1. Rhet. cap. 37.* de propo-

propoſitione dictum eſt ſupra *cap.1.* & infra dicetur *c.7.* hoc eſt, quod ſummum per ſe expetatur bonum. Minori repugnare videtur, quod infra *cap.6 & 7.* dicitur, honorem expeti propter ſe, ſed hoc ibi explicabimus.

Ζητοῦσι γοῦν ὑπὸ.] Quod dictum eſt in minore, honorem expeti ab vnoquoq; ad perſuaſionẽ de ſuis virtutibus confirmandam: id h. loco declarat Ariſt. & verum eſſe oſtẽdit, ex eo quod honore affici ſtudemus, non à quolibet, ſed à prudentioribus, vt qui melius de virtute alterius iudicare poſſint, non etiã ab externis & ignotis, ſed à familiaribus aut notis, qui & ipſi cum alium norint, melius de virtute eius exiſtimare poſſunt: hæc eadẽ iterantur, *infra lib.8. cap.8.* & copioſius dicto *cap. lib.1. Rhet 37.*

Δῆλον οὖν ὅτι.] Si honos eſt virtutis ergo. Ergo virt⁹ eſt melior.

Τάχα δὲ καὶ μᾶλλον.] Hic iam Politicæ vitæ finem ponit virtutem, vt & in Eudemijs.

Φαίνεται δὲ ἀτελεστέρα.] Refellit hic & virtutem duabus rationibus: prioris hæc eſt forma: *Summum bonum non eſt ocioſum. Virtus poteſt eſſe otioſa. Ergo virtus non eſt ſummum bonum.*

Sola aſſumptio expreſſa eſt ab Ariſt. ibi, δοκεῖ γὰρ ἐν. poteſt, inquit, vel dormire, vel nihil agere, qui virtute eſt præditus. Maior propoſitio infra confirmatur *c.8.* eleganti adhibita ſimilitudine de luctantib⁹ & ſpectantib. Altera ratio ita concludenda eſt. *Qui malis & calamitatibus opprimitur, non eſt beatus. Atqui virtute præditus malis affici poteſt. Ergo non eſt beatus.*

Aſſumptio vt certiſſima ponitur tantum ibi, καὶ περὶ τούτους. Maior ab abſurdo confirmatur, ibi, τὸν δ' οὕτω ζῶντα, quaſi dicat, abſurdum ſit, beatum aliquem dici, & rurſus eundem ſummis miſerijs eſſe oppreſſum. Propoſitio, hoc eſt, nemo miſer eſt beatus, vt certiſſima ponitur ab Ariſtotele, de qua infra copioſius agitur *cap. 8. & 9.* Aſſumptio omnibus eſt nota, de qua videatur Cicer. *lib. 3. de Natura Deorum.*

Θέσιν διαφυλάττων.] Eſt elegans Ariſtot. Phraſis, θέσιν διαφυλάττειν ſeu φυλάττειν, qua vtitur *lib.1. de cœlo, & lib.8. Topic. cap.3.* Valet .a. tueri abſurdam, & à communi ſenſu abhorrentẽ ſententiam, id .n. θέσις interdum valet, teſte Ariſt. *lib.1. Topicor.*

Ἐγκυκλίοις.] Scripſit Ariſt libros Encycliorum duos, teſte Laert. quorum meminit Ariſt. *lib.1. de cœlo, & hoc loco.* cur dicerentur Encyclia, & quid in ijs cõtineretur, incertum eſt. Multi multa diuinant; fortaſſe dicta ſunt, quia in ijs continerentur diſputationes quotidianæ: verbi gratia, de prouidẽtia diuina, de

virtutibus, honoribus, & ſimilia. Encyclium apud veteres ſignificat vſitarum, quotidianum, frequens.

Ὁ δὲ χρηματιστής.] Quartum genus vitæ velut corollarij loco adijcit Ariſtoteles prioribus, quæſtuoſum, cui diuitiæ ſint propoſitæ: quam vitam dicit eſſe βίαιον: quod verbum valde eſt ambiguum: vulgo namque eam vitam βίαιον dici exiſtimanr, quod diuiriæ vi plærunque comparentur: at ſæpius fraudibus, interdum etiam iniuſtis rationibus acquiruntur: itaque rectius ita dictam hanc vitam puto, propterea quod naturæ ſit contraria. Notum eſt autem βίαια dici, quæ naturæ ſint contraria. Vitam autem quæſtuoſam noſtræ eſſe contrariam: eam inquam, quæ χρηματιστὴς proprie dicitur, & in pecunia coaceruanda occuparur, egregie oſtendit Ariſtoteles *lib. 7. Polit. cap. 6*. Refellit autem hanc vitam, ſeu eius finem duabus rationibus hoc modo:

Summum bonum naturæ eſt conſentaneum.
Vita quæſtuoſa non eſt naturæ conſentanea:
Ergo in hac vita non eſt ſummum bonum.

Altera concluſio ibi, χρήσιμον γὰρ, hoc modo.

Summum bonum propter ſe expetitur.
Diuitiæ non propter ſe.
Ergo diuitiæ non ſunt ſummum bonum.

Προσάντους.] Proprie arduum, præceps, ſed hoc loco moleſtum & graue. Diſputat enim hoc loco contra Platonem præceptorem ſuum, quod ſibi moleſtum eſſe dicit, & graue, tædioſum.

CAPVT VI.

TEXTVS.

Τὸ δὲ καθόλου, βέλτιον.] Alij aliter, ego in has duas partes hoc caput ſeco, quarum priore ſir ἔνστασις, poſteriore ἀντιπαρέκτασις. Priore igitur parte oſtendit Ideam non eſſe ſummum bonum: partim quia non ſit bonum, idq́; tribus rationibus: partim quia ne ſit quidem in rerum natura, aut certe ſit ſuperuacanea, idq́; vno argumento: poſteriore vt ſit Idea, deinde vt Idea ſit bonum: poſtremo vt ſir ſummum: tamen quia non ſit humanum (de quo his libris agitur) non eſſe ſummum bonum humanum, hoc eſt, Ideam totam eſſe alienam à propoſito.

Τὸ δὲ καθόλου.] Priuſquam refellit, vtitur præmunitione, ſeu excuſatione honeſtiſſima.

Τὸ

Τὸ καθόλου.] Sic vocat ideam ſeu bonum ideæ. nam Ideæ erant vniuerſalia quædam, & ſub ſe res ſingulas continebant multas: verbi gratia, Idea hominis, omnes homines; arboris, omnes arbores,&c. comparari poteſt Idea Platonica ſpeciei Dialecticæ, niſi quod hæc ſit cognitione tantum & intellectu; illa a. re ipſa & ſubſtantialis ſecundum Platonis figmentum.

Φίλους ἄνδρας.] Intelligit ipſum Socratem & Platonem, vt ipſe *in Metaphyſ.* teſtatur.

Δόξειε δὲ ἂν ἴσως.] Eadem præmunitione vtitur Plato *lib. 10. de legibus*, init. aduerſus Homerum diſputaturus: quam hoc loco Ariſtoteles iiſdem fere verbis eſt imitatus. Et proinde non tam rectę Cic. *lib. 1. Tuſcul. quæſtion* de Platone. *Etſi*, inquit, *nullas rationes adferret* (vide quantum homini tribuam) *ipſe autoritate me frangeret*.

Οἱ δὲ κομίσαντες.] Hic tandem incipit auertere ideas, & primo quidem argumento Platonem velut ſuo gladio iugulat, cuius argumenti hæc ſit concluſio.

> *Eorum in quibus eſt prius & poſterius, nulla eſt communis idea.*
>
> *Atqui in bono prius eſt & poſterius.*
>
> *Ergo boni nulla eſt communis idea. hoc eſt*, idea non eſt bonum.

Propoſitionem expoſuit ibi, *οἱ δὲ κομίσαντες*, ipſius Platonis verbis & teſtimonio confirmatam. Itaq; longiore confirmatione non eget, eam duntaxat illuſtrat exemplo à numeris, quod etiam facit *lib. 13. Metaphyſ. cap. 2. in fin & ſeqq & lib 1. Eudem. cap. vlt.* vbi & rationem affert, propterea quod alioqui accideret, vt nihil eſſet primum, ſed primo ſemper aliquid eſſet prius. Verbi gratia, Ignis & aqua calefacta conueniunt in eo, quod vtrumque habet calorem, ſed ignis eſſe dicitur prior aqua ſcilicet ratione caloris: quia ignis natura ſemper calorem habet, aqua non item. Ergo iam dicebat Plato, horum duorum, ignis & aquæ, ratione calorem nullam eſſe communem Ideam, quia calor non poſſit tribui aquæ vtrique. Ita idea eſt in multis rebus aliquid commune, quod omnibus ex æquo ineſt, ſiue attribuitur, non alteri magis, alteri minus, alteri prius, alteri poſterius. Confirmari poteſt & alia ratione: nam cum Idea per ſe ſimplex & vniuſmodi ſit, & eam participent res creatæ, & ad eius exemplar effectæ, quæcunque ſub eadem Idea continentur, neceſſe eſt, vt etiam ratione ideæ ſint ſim-

plices, & vniuſmodi, & omnino inter ſe ſimiles, adeo vt altera non prior ſit altera aut poſterior. Aſſumptio facilis eſt, & ponitur ac exprimitur ibi, τὸ δ' ἀγαθὸν. Confirmatur autem inductione, cuius hæc eſt ſumma.

Bonum eſt in ſubſtantia & in accidente.

Ergo bonum aliquid eſt prius & poſterius.

Nam ſubſtantia prior eſt accidente φύσει natura: ſublata enim ſubſtantia, tolluntur accidentia: adhibita eleganri ſimilitudine ab arbore, quæ prior eſt ſuis pullis, ſtolonibus ſeu agnatis: ita enim latine dicuntur ramuli ad arborem ſuppullulantes, qui græce παραφυάδες, παραβλασταὶ, ſeu παραβλαστήματα & παραφυῆ (quo verbo vtitur Ariſtoteles in hac eadem ſimilitudine *lib. 1. Rhet.*) dicuntur: pullis comparat accidens, arbori ſubſtantiam: complexio ibi, ὥστε οὐκ ἂν εἴη.

Ἐπὶ τἀγαθὸν.] Secundum argumentum.

Eorum eſt communis idea, quæ in eadem ſunt categoria.

At enim bonum non eſt in eadem categoria.

Ergo boni non eſt communis idea.

Propoſitio omittiur, vt è ſuperioribus certa: diximus enim vniuſmodi eſſe debere, & ſimilia inter ſe, quorum vna ſit ponēda idea. Aſſumptio ibi, ἔτι ἐπεὶ τἀγαθὸν, quam confirmat inductione ibi, καὶ γὰρ ἐν: hoc modo (nempe bonum eſſe in omni categoria) Bonum totidem dicitur modis, quot id quod eſt, hoc eſt τὸ ὄν, reperitur enim ἐν τῷ τί. Enumerat ſex categorias hoc loco, ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, collationem, quando, & vbi: tandem adijcit, καὶ ἑτέρα τοιαῦτα: quibus reliquas categorias ſignificat. Nos ordine omnes enumerabimus, adiuti fragmento quodam commentariorum, ni fallor, Alexandri, quod reperi apud Suidam in vocabulo ἀγαθόν. Bonum igitur in *ſubſtantia* ſunt Deus, mens, quo nomine comprehenduntur mentes cœleſtes, ſtellæ. In *qualitate*, artes, ſcientiæ, virtutes. In *quantitate* mediocritas. notum eſt enim vitioſa eſſe nimium & parum. In *collatione*, honor, magiſtratus, diuitiæ; & omnia bona, quæ vtilia dicuntur, concordia. In *actione* omnia ea bona continētur, quæ græce dicuntur ποιητικά. Verbi gratia, ambulare, quod ad ſanitatem pertinet; aut ſi quæ alia, quæ voluptatem & valetudinem efficiunt, vt in cibo: In *perpeſſione*, vt curari, doceri. In *vbi*, vt eſſe in locis ſalubribus, in locis pacatis: in qua via. In *quando*, vt occaſio. In *ſitu*, vt ſedere, aut iacere, prout vel ægrotanti, aut aliter affecto

con-

conuenientius eſt & ſalubrius. In *habitu*, vt bene eſſe amictum & ſplendide.

Καὶ ἐν τόπῳ.] Sic eſt legendum, ἐν τῷ ποῦ; ita enim Ariſtoteles hanc categorian vocare ſolet. Et ita veteres habent libri nonnulli, teſte Victorio, & ita legit Euſtrathius, etſi vetus translatio habet τόπῳ in loco. Complexio ibi, δῆλον ὡς οὐκ, &c. οὐ γὰρ ἂν, &c. his quaſi continetur maior.

Ἔτι δ᾽ ἐπεὶ, ἐπεὶ τῶν.] Tertiæ rationis quæ his verbis continetur, hæc ſit formula:

Quorum eadem eſt idea: eadem quoq; eſt ſcientia & vna.
At boni non eſt eadem & vna ſcientia.
Ergo boni non eſt vna idea communis.

Propoſitio ibi, ἐπεὶ τῶν κατὰ, &c. omittitur confirmatio, quæ tamen eſt facilis. nam vnius generis, inquit Ariſtoteles *in Metaph. & Analyt.* vna eſt ſcientia. Dictum eſt autem ſupra, ea quæ ſub vna ſunt idea, vnius generis & ſimilia eſſe debere inter ſe: & notum eſt, debere inter relata eſſe proportionem, hoc eſt, ſcientiam ſe attemperare rei, quæ ſubeſt ſcientiæ. Præterea Plato omnium Idearum vnam tantum ponebat ſcientiam, quam ille vocat Dialecticam, hoc eſt, Metaphyſicam, & ipſas Ideas ob ſcientiam magna ex parte introduxit, (introduxit enim ad res creandas & ad ſcientias.) Aſſumptio ibi, νῦν δ᾽ εἰσὶ πολλαὶ, &c. vbi Ariſtoteles non ſatis habet oſtendere bonorum diuerſarum categoriarum diuerſas eſſe ſcientias: ſed in vna eademque categoria vnius eiuſdemque boni diuerſas affert ſcientias duobus appoſitis exemplis. Occaſionis enim quod bonum eſt in *quando*, ſcientiam in bello eſſe artem militarem: In morbo Medicinam: in mari artem gubernandi: in Republ. Politicam. Rurſus mediocritatis (quod bonum in *quantitate* eſt) ſcientiam in cibo eſſe medicinā: in exercitijs eſſe gymnaſticam.

Ἐν πόνοις δ᾽, γυμναστική.] Perperam hoc loco vertunt in laboribus: cum ſit reddendum in exercitationib. ꝙ indicat vocabulum γυμναστική, ꝙ eſt ars exercendorum corporum. Πόνος. a. pro exercitatione etſi veterib. eſt vſitatiſſimum: vulgo tamē eſt ignotum, eaq; re factum eſt vt omnibus in locis male ſit redditum: vt *lib. 2. Metaph. cap. 3.* οἷον τὸ πονεῖν αἴτιον τῆς εὐεξίας. Et *lib. 2. Eudem. cap. 1. in fin.* Et apud Platonem ſæpiſſime, vt *lib. de legibus.* ἐπὶ τὰ γυμνάσια καὶ πόνους ἰόντας. Hippocrates Interprete ipſo Galeno ſæpiſſime ita eſt vſus.

Αποξήσαιε δ' ἄν τις.] Hic quarta continetur ratio, qua iam non eſſe bonum: ſed ne eſſe quidem, aut certe ſupereſſe, aut ſuperuacaneam eſſe Ideam, oſtendit. Sciendum eſt autem, Platonem, cum alijs nominibus, tum nouo & à ſe confiƈto vocabulo vocaſſe Ideas αὐτο-ἕκαστα [Plato cum conſtitueret duo genera, caducas & æternas, quas Ideas vocabat, & illas eſſe in caducis, & conſtitui participatione ſingularum rerum: quas vocamus ἕκαστα: Ergo, inquit, ſupremum illud, quo ſingulæ res illæ ſunt factæ, vocemus αὐτο-ἕκαστον, vt ideam ἵππυ, αὐτο-ἵππον, ideam boni, αὐτο-ἀγαθὸν] Refellit autem hoc nouum vocabulum, & ipſam proinde Ideam hoc modo:

Quarum eadem eſt definitio, illa quoq; ſunt eadem.

At αὐτο-ἑκάστου *&* ἑκάστου *vna eſt & eadem definitio.*

Ergo αὐτο-ἕκαστον *&* ἕκαστον *ſunt eadem, hoc eſt, idea & res ex idea effecta, ſunt idem. Et proinde Idearum introductio eſt ſuperuacanea, cum à rebus ſingulis nihil differat.*

Maior eſt omiſſa, vt notiſſima ex Dialecticis. In minore ſitum eſt omne momentum. Eam igitur expreſſit ibi, εἴπερ ἐν τε αὐτο-ἀνθρώπῳ καὶ ἀνθρώπῳ. Confirmatio ibi, ᾗ γὰρ ἄνθρωπος, hoc eſt, qua ſeu quatenus αὐτο-ἄνθρωπος, & ἄνθρωπος, ea inquam duo ſunt homo, nihil differunt. nam animal & homo, cui ineſt animal, quatenus vtrumque eſt animal, non differunt. Dicebat autem Plato Ideas rebus ſingulis ita communicari, vt non tantum nomine, ſed & ſubſtantia communicarentur.

Αλλὰ μὴν οὐδέ.] Nam vt Ariſtoteles *in Eudemiis lib.* I. *cap. vlt*, τὸ αὐτὸ, quod eſt idearum ſignum nihil aliud ſignificabat, quam perpetuitatem & ſeparationem. Perpetuitas non mutat rei naturam, vt accidens: Separatio non eſt propria Politicæ ſed Metaphyſicæ, qua de re mox latius.

Ἐν τῇ συστοιχίᾳ] Συστοιχία ſeu mutua inter ſe reſpondens ſeries, à Pythagoricis inducta fuit bipartita: cuius in altero latere dena ponerent bonorum rationem habentia, in altero totidem malorum. Ariſtot. *in Metaphyſ. lib.* I. *cap.* 5, ita commemorat. πέρας finitum, & ἄπειρον infinitum: ἄρτιον par, περιττὸν impar: ἓν vnum, πλῆθος multitudo: δεξιὸν dextrum, ἀριστερὸν ſiniſtrum: ἄρρεν maſculum, & θῆλυ fœminam: ἠρεμοῦν quieſcens, & κινούμενον mobile: εὐθὺ rectum, καμπύλον obliquum: φῶς lumen, σκότος tenebræ: ἀγαθὸν bonum, κακὸν malum: τετράγωνον quadratum, ἑτερομηκὲς altera parte longius. Plutarchus *in lib. de*

Iſyde

Iſyde & Oſyri, pro bono & malo ponit ἴσον καὶ ἄνισον, hoc eſt, æquale & inæquale. Huius συστοιχίας meminit Ariſtoteles & *lib.14.cap.vlt.Metaphyſ.& infra lib. 2.capit. 6. & lib.9. cap. 9.* Tria autem hoc loco quæri poſſunt. Primum quænam Pythagoræ fuerit ſententia, qua dixit, vnum eſſe bonum? alterum, cur ea fuerit probabilior, quam Platonica? Tertium ad quam ſcientiam eius tractatio proprie pertineat? cum dicat Ariſtoteles, ἀλλὰ περὶ μὲν &c.

Τοὺς λόγους εἰρῆσθαι.] Sic habent veteres codices plerique, teſte Victorio, etſi in quibuſdam ad oram [marginem] aſcriptum eſſet, legi poſſe ποιεῖσθαι pro εἰρῆσθαι. Vetus translatio vtrumq; reddidit, *dici* vel *fieri*. vtro autem modo legatur, ad ſententiam non refert, malim tamen εἰρῆσθαι. verum ſententia huius loci valde eſt obſcura: vulgo ita accipiunt, quaſi hæc ſit; quæ hactenus dicta ſunt, non videntur infirmare ideam boni, propterea quod (quæ hactenus dicta) nulla diſtinctione bonorum adhibita, omnis ſuperior fuerit diſputatio. Itaque etſi fortaſſe ſuperiorum bonorum nulla eſt idea: non efficitur propterea, vt nulla vllius boni ſit idea: nam quæ hactenus ſunt allata, fortaſſe de certo bonorum genere ſunt accipienda, non de omni bono Verum hæc explicatio, vereor, vt ſit bona. nam etſi bona non diſtinxit Ariſtoteles: non ſequitur propterea eum non egiſſe de omni bono. non enim valet conſequentia; non diſtinxit bona, Ergo non egit de omni bono. Egiſſe autem eum de omni bono, ex hoc apparet, quod bonum per omnes categorias deduxerit, feceritq; mentionem tam bonorum propter ſe, quam quæ propter aliud. Quapropter hæc de Platone puto accipienda hoc modo. Occurritur enim Ariſtoteli à Platonicis, Diſputationem ſeu λόγους Platonis non ita infinite accipiendam eſſe de omni bono: ſed de certo duntaxat bonorum genere. Plato enim ideã non ponebat in bonis, quæ propter aliud: ſed in iis tantum quæ propter ſe. Itaque quæ hactenus diſputauit Ariſtoteles aduerſus boni ideam (quibus non eſſe boni communem ideam, ea de cauſa potiſſimum oſtendit, quod bonorum tanta ſit diſſimilitudo) non euertunt omni modo Platonis ſententiam, qui & ipſe hoc fateretur, diuerſorum bonorum, nempe tam propter ſe, quam propter aliud, non eſſe communem ideam, ſed eorum tantum quæ propter ſe. Hanc igitur controuerſiam ſeu quæſtionẽ vt diſſoluat Ariſt. *Age*, inquit, *videamus: an igitur cõmunis ſit idea bonorũ propter ſe.* De hac diuiſione dicimus *c. ſeq.*

Τὰ δὲ ποιητικά.] Vt modo deſcripſit bona propter ſe, quæ per ſe expetuntur & amantur: ita & hoc loco bona propter aliud, ſeu propter illa per ſe, ita deſcribit: vt ſint bona, q̃ bonorum propter ſe ſint efficientia aut cõſeruantia: & eorundem contrariorum prohibentia: Efficientia, vt bonæ actiones virtutem: pharmaca ſanitatem: conſeruantia vero, vt diligentia & prudentia rebus ſuis conſeruandis: exercitatio ſanitatis: Prohibentia denique contrariorũ ſunt verbi gratia, in medicina, q̃ dicuntur προφυλακτικά (præſeruãtia) prudentia aduerſus tempeſtatem.

Καὶ τρόπον ἄλλον.] Id eſt, Hæc bona nõ propter ſe dicuntur alio modo, hoc eſt, reſpectu priorum: nam illa dicuntur propter ſe: hæc alio modo, hoc eſt, non propter ſe ſed propter illa, aut propter aliud.

Ὠφελίμων.] Sic vocat Ariſtoteles ea bona, quæ propter aliud expetuntur.

Χωρίσαντες οὖν.] Confecta partitione nõ ſtatim diſſoluit quæſtionem hanc, an communis ſit idea bonorum propter ſe, ſed prius quæſtiunculam alteram diſſoluit, hãc: an bona propter ſe ſint multa, an vero vnicum duntaxat, nempe idea: quam poſteriorẽ quæſtiunculã ita diſoluit. Si vna idea eſſet bonũ propter ſe & nulla præterea, ſequitur, vt idea ſit fruſtra & inutilis, ibi, ἢ οὐδ' ἄλλο. Rationem quam non adiicit Ariſt. hanc eſſe puto eius conſequentiæ, propterea quod idea exemplum ſeu archetypon à Platone eſſe dicitur. Notum eſt autem exempla ſeu archetypa ſeu ſigilla inutilia eſſe, quibus nullæ exprimantur ſeu reddantur imagines. Poſito ergo hoc plura eſſe bona propter ſe, ea inquã omnia, quæ μονούμενα διώκεται, hoc eſt, nullis comitata bonis expetuntur: quæſtionem principem ita diſſoluit.

Si bonorum omnium propter ſe, vna & communis eſt idea: vna quoque erit definitio.

Conſequens falſum. Ergo & Antecedens.

Conſequentia ſeu ratio connexi eleganti exemplo declaratur ab Ariſtotele, καθάπερ οὖν: omnium enim rerum candidarum hoc eſt, vt puta, niuis, ceruſſæ, cretæ, &c. qua ſunt illæ candidæ, h.e. ratione candoris, eandẽ habent definitionẽ candoris. eadẽ quoq; conſequentia ſupra confirmata eſt in tertio ſyllogiſmo: conſequens ibi, τιμῆς δὲ. In huius falſitate oſtendenda poſitum eſt huius cõ cluſionis momentũ (& totius q̃ſtionis) oſtendendũ inquam, bonorum propter ſe non eſſe vnã definitionem: quod Ariſtoteles tribus exemplis declarat. Honos enim qua bonum: hoc

hoc eſt, quatenus eſt bonũ, aliam habet definitionem, quã ſcientia aut voluptas. nam honos bonũ dicitur, quia virtutis præmium & teſtimoniũ, & quodammodo diuinitatis ſignificatio: ſcientia aũt bonũ eſt, quia animæ eſt perfectio. Voluptas quoq; bonum eſt, quia lætum ſit teſtimonium, nos bonum aliq̃ inſigne eſſe conſecutos (voluptas eſt comes boni antecedentis, eſt ſublatio quædam animi boni conſecuti. Cic. *lib. 2. de fin.* Antecedens ergo falſum eſt, οὐκ ἔστιν ἄρα. &c.

Ἡδοναί τινες.] Voluptates animi ſc. An autẽ illud τινες etiam repetẽdum ſit, ibi, τιμαὶ, dubitari poteſt: putant vulgo, eo quod honores non omnes puta leuiores, aut ab obſcuris hominibus delati propter ſe expetantur. Ego tamen non puto repetendum: quia verum nõ eſt, etiã leuiores honores propter ſe nõ expeti.

Ἀλλὰ πῶς δὴ λέγεται.] Sententia totius loci hæc eſt. Dictum eſt modo bonorum propter ſe nullam communem eſſe ideam: quia tamen in bono omnia illa concurrunt: & proinde communitatem aliquã inter ſe habent: quæritur quæ hæc ſit communitas: omnis enim communitas vel rei ſit, neceſſe eſt vel nominis, nulla eſt rei, quia diſpares eorum ſunt definitiones, vt dictum eſt. Ergo ſunt ὁμώνυμα. notum eſt autẽ homonymorum duo eſſe genera: partim ἀπὸ τύχης, hoc eſt, fortuita: partim διανοίας, hoc eſt, conſilii: & hæc poſterior rurſus eſt quadripartita, ὁμοιότητος ſeu aſſimilationis: ἀφ' ἑνὸς ab vno, πρὸς ἓν, ad vnum: κατ' ἀναλογίαν, proportione, de quibus Hammonius & Simplic. in Categorias Ariſt. tagunt latius. Quæritur igitur, cum bona propter ſe iã cõſtet eſſe ὁμώνυμα, ex quo homonymorum genere ſint? & primum negat Ariſtot. eſſe fortuita, propterea, quod bona propter ſe non ſine ratione bona dicuntur, neq; facile mutari poſſunt. In fortuitis nulla eſt ratio, & facile commutari poſſunt. Relinquitur ergo vt ſint ὁμώνυμα conſilij. quæ quia quatuor ſunt generum, tandem vltimi generis ea eſſe ait Ariſtoteles; hoc eſt, bonorum omnium propter ſe communitas eſt, quædam proportione. communicant, inquam, boni nomen proportione quadam, vt in corpore eſt ὄψις ſeu oculi, (ita vertit Cicero *in Timæo*) mens in animo καὶ ἄλλο δὴ ἐν ἄλλῳ, hoc eſt, in naui gubernator, in ciuitate Magiſtratus. pertinent enim hæc ad eandem comparationem.

ὑπὲρ αὐτῶν ἄλλης.] De iis, hoc eſt, bonis per ſe, an ijs ſit communis idea quædam.

'Ομοίως δὲ καὶ περὶ] Hoc loco alteram totius capitis partem collocauimus: qua docet κατ' ἀντιπαράστασιν ſeu obliqua ratione, Ideam non eſſe bonum illud ſummum, de quo quæritur, qua ntumuis demus Platoni eſſe bonum.

'Εἰ γὰρ ἐστιν ἕν τι.] Obſcurum eſt an hæc verba ἕν τι τὸ κοινῇ aliud ſignificent, aliud vero iſta, εἰ χωριστόν τι: prioribus enim verbis bonum commune intelligit: poſteriora accipienda ſunt de idea ἢ χωριστόν τι: quá ratio redderetur, cur tractatio tam de bono communi, quam de ſecreto Politicæ non ſit propria, hæc: quia neutrum ab homine comparari aut exerceri poſſit. dubito tamen, anne ea omnia, nempe τὰ κοινῇ, de vno bono ſecreto ſint accipienda. nam bonum commune, quod rebus ſingularibus ineſt, videtur quoque eſſe κτητὸν & πρακτόν: deinde paulo poſt, ibi, γνωρίζειν αὐτὸ &c. verbum αὐτὸ (quod ſine dubio hic de ſecreto bono ſolo intelligendum eſt) quia relatiuum eſt: indicat ſuperiora quoque de vno ea intelligenda eſſe: atque ita ea verba, ἢ χωριστόν, erunt ἐξηγητικά, hoc eſt, interpretantia priorum hoc modo: Si eſt vnum bonum commune, id eſt ſeparatum per ſe. {Eſt hic locus valde obſcurus: notanda eſt hoc loco diuiſio apud Ariſtotelem multoties repetita, bonorum præſertim *libro 1. Magnorum moralium.* Bona aut ſunt diuina, aut humana. De diuinis hic non agitur: ſunt enim diuina Ariſtoteli bona quæ ab homine comparari non poſſunt, quæ non ſunt κτητὰ aut πρακτὰ, veluti immortalitas, idea. Humana bona ſunt duplicia, vel ſunt vniuerſalia vel ſingularia. vniuerſalia ſunt, quæ nomen tantum communicant rebus ſingularibus, & hoc modo hæc vniuerſalia ſiue communia differunt ab illo communi ſecreto, hoc eſt, ab idea.]

εἰ γὰρ ἐστιν ἕν τι.] Duo hoc loco intricate dicit Ariſtoteles: alterum, ideæ tractationem alienam eſſe à Politica, alterum, non eſſe id bonum quod quæritur, ideam. De priore ita concludi poteſt.

Quæ ſcientiarum ſunt propria, ea in ſua quaque ſcientia ſunt tractanda.

Idea Politicæ non eſt propria.

Ergo in Politica non eſt tractanda.

Maior certiſſima eſt ex Analyt. Aſſumptio probatur hoc modo.

In Politica tractantur ea, quæ ab homine parari poſſunt.

Idea non poteſt, quia bonum eſt ſecretum & cæleſte.

Ergo

Ergo tractari non debet.

Poſterius, nempe ideam non eſſe ſummum bonum, de quo hoc loco quæritur, ita concludi poteſt.

Summum bonum Politica eſt κτητὸν καὶ πρακτόν,
Idea non eſt κτητὸν καὶ πρακτόν,
Ergo non eſt ſummum bonum Politica.

Τάχα δ' ἄν τῳ.] Hic altera continetur ratio ἀντιπαραστατική. Prioribus tamen verbis Platonis obiectio continetur iſta ex *lib.6. de Repub.* hoc modo: *vt fatear*, inquit Plato, *non eſſe bonum humanum ſeu* πρακτὸν *ipſam ideam: erit tamen vtilis propterea, quod vt exemplum propoſitum, ſiquis eam contempletur, eius cognitione ſeu contemplatione facilius bona* πρακτὰ *ſeu humana cognoſcet, & cognita aſſequitur?* Reſpondet Ariſtoteles (vt & in libris Eudemiis) honeſta quidem eſt oratio & probabilis, ſed non vera. Falſitatem autem oſtendit duobus argumentis ab artium reliquarum ingenio ſumptis: quorum prius ita concludi poteſt.

Artes omnes, quod ſibi vtile eſt & opportunum, exquirunt.
Ideam non exquirunt.
Ergo non eſt vtilis.

Maiori ibi, πᾶσαι γὰρ ἀγαθοῦ τινος &c. minor, παραλείπουσι τὴν γνῶσιν. Eſt autem certa maior. nam cum omnia bonum appetant, effici tur, vt & artes eadē ſint appetitione. vnde & recte Ariſtoteles *lib.7. Polit. in fin. omnis*, inquit, *ars & inſtitutio, quod natura deeſt, ſupplere ſtudet.* & præclare in συμποσίῳ Plato amorēdicit eſſe πενίας & πόρου, copiæ & inopiæ filiū: quaſi omnia ex πενίᾳ oriantur ad conquirendam copiā & τὸ ἐνδεὲς repellendum: quam maiorem confirmat item Ariſtoteles, ibi, καὶ τοῦ βοήθημα, ab opificum iudicio: vbi & minoris confirmatio ab abſurdo continetur, quaſi probabile & conſentaneum non ſit, ſi in idea magnum ſit adiumentum, vt ab omnibus prætermittatur. Altera concluſio eſt iſta.

Omnes artes in rebus ſingulis verſantur.
Idea non eſt res ſingula, ſed τὸ καθόλου.
Ergo non eſt vtilis artibus.

Maior ibi, φαίνεται μὲν γὰρ: quam Ariſtoteles confirmat exemplo medici & ducis: Minor omittitur vt ex initio capitis certa, τὸ δὲ καθόλου. Momentum certe omne poſitum eſt in propoſitione; quæ quidem ita eſt accipienda, vt intelligatur de vſu & exercitatione. nam artes omnes & ſcientiæ, cum ad vſum

ad-

adhibentur, res ſingulas conſiderent neceſſe eſt: quia vſus in rebus ſingulis conſiſtit. At ſi præcepta artium non vſu conſiderentur: falſiſſima erit propoſitio. Omnium.n. artium præcepta & Theoremata ſunt communia & ſpectant τὸ καθόλου, & ſic intelligendus eſt Ariſtoteles *lib. 1. Rhet. initio, & infra li. 10. cap. vlt. & lib. 13. cap. vlti. Metaphyſ. & paſſim in Analyt. poſterioribus*, nam ſingularia, ſeu res ſingulæ, quia ſunt infinitæ, præceptis contineri non poſſunt. vide Ciceronem *in Oratore ad Brutum*. Atq; ergo in ſummo oratore fingendo, &c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Πάλιν δὲ ἐπανέλθωμεν.] Tria potiſſimum membra huius cap. conſtituamus: quorum in primo repetito initio oſtendit rerum humanarum bonum quoddam eſſe, idq; optimum, perfectiſſimum & rebus omnib. inſtructiſſimum. Altero definitionem ſummi boni explicat, ibi, ἀλλ᾽ ἴσως. poſtremo quædã rurſus methodica inculcat, ibi, περιγεγράφθω μὲν οὖν.

Τί οὖν ἑκάστης τἀγαθόν.] Hic bonum breuiter deſcribit, & eodem modo mox finem. Videtur autẽ hoc loco bonum tribuere artib. finẽ actionib. neq; tamen eſt diſtinctio, quod ad hanc rẽ attinet, & quidẽ hæc diſtinctio, quod omnis finis eſt bonum, ſed nõ cõtra.

Ἐπεὶ δὲ πλείω.] Hic incipit oſtendere Ariſtoteles, ſummum bonum eſſe optimum his tribus rationibus: quia propter ſe expetatur: quia ſit perfectum: quia rebus omnibus inſtructum. Quæ res vt intelligatur, interponit partitionem bonorum, hanc, quod alia bona ſint, quæ ſua vi & propter ſe ſolum expetantur: alia quæ expetantur nuquã propter ſe ſed ſemper propter alia: alia denique quæ partim propter ſe, partim propter alia expetantur, qua partitione vſus eſt & Plato *libr. 2. de Repub. in princ.* & Cic. *lib. 2. de inuent. ſeu veteris Rhetoricæ extremo*; Eadem partitione primus, ni fallor, vſus eſt Archytas, vt eſt apud Stobæum λόγῳ CIII. Eſt & alia partitio bonorum, verbis alia, re eadem: eaque magis Ariſtotelica: quod bonorum alia ſint τέλη propter ſe: alia non τέλη. Eorum quæ τέλη, alia ſunt τέλεια, alia ἀτελῆ, vt *hoc loco & lib. 1. Magnorum Mor. cap. 3.* Iam quæritur, quodnam ex iis generibus tribus ſit præſtantiſſimum. Plato *lib. 2. de Rep.* initio principatum tribuit ijs quæ propter ſe & propter aliud: Archytas & Ariſtoteles ijs, quæ pro-

pter

pter ſe tantum: quorum hæc videtur eſſe ratio, quod cum illa, quæ propter aliud tantum expetuntur, lõgiſſime abſunt à ſummo: ita è contrario quæ longiſſime abſunt ab iſto infimo, nec quicquam cum eo commune habent: qualia ſunt, quæ propter ſe tantum: certe ſumma & præſtantiſſima eſſe videntur, quæ ſemper propter ſe expetuntur.

Ἐπεὶ δὲ πλείω.] Modo diximus tres proprietates ſummi boni primo huius cap. membro explicari: quas à Platone ſumpſit *in Philebo*. Plutarchus quoq; *in libro de communibus* notionibus plures proprietates commemorat: ait enim bonum eſſe εὐκλέον, optabile: χαρτὸν, τερπνὸν, hoc eſt, quod lætitia afficit: εὐτυχὲς: ἀξίαν ἔχον μεγίστην, hoc eſt, ſumme æſtimabile. τέλειον: αὐταρκὲς: ἀπροσδεὲς, nullo egens. Ex tribus noſtris primum hac ratione confirmatur.

Quæ propter aliud expetuntur, non ſunt perfecta.

Beatitudo eſt perfecta.

Ergo beatitudo propter aliud non expetitur.

Maior ibi τοιοῦτον δὲ ἡ. Minor, τὸ δὲ ἄριστον τέλειον. Maioris confirmatio ex partitione bonorum nota eſt. Minor, hoc eſt, quod bonum ſit perfectum, ponitur, vt vulgi opinioni cõſentaneum & infra mox confirmabitur.

Τελειότερον δὲ.] Hic docet ſummum bonum eſſe perfectiſſimum hoc modo.

Quod propter ſe ſolum, nunquam propter aliud expetitur, perfectiſſimum eſt.

Beatitudo propter ſe ſolum expetitur.

Ergo eſt perfectiſſima.

Maior, ibi, τελειότερον, Minor ibi, τοιοῦτον δὴ, quam confirmat, ταύτην γὰρ, &c.

Τιμὴν δὲ, καὶ ἡδονὴν.] Supra *ca.6.* dictum quoq; eſt, honorem, virtutes voluptates quaſdã & ſenſus propter ſe & alios expeti: honorem quidẽ propter aliud, nẽpe propter virtutẽ. vt ſupra *c.5.* dictum eſt: propter ſe, quia bonũ quoddã eſt diuinum, inq̃t Cic. *ad* Atti. Virtutes propter aliud: q̃a beatitudinis ſunt effectrices: propter ſe, quia hominẽ perficiunt. Sic voluptates propter aliud nẽpe propter beatitudinẽ, inquit Ariſt. (etſi Plato voluptatẽ tantum propter ſe expeti dicit *li.2. de Rep.* propter ſe: quia iucunditas q̃dã eſt, & naturæ q̃dã expletio. Sẽſus quoq; propter ſe, ẽt ſi nihil agẽdum ſit inq̃t Ariſt. *initio li.1. Meta.* q̃a animal perficiunt: propter aliud, ob innumerabiles commoditates & emolumenta.

Φαίνε-

Φαίνεται δὲ καὶ ἐκ.] Docet bonum, quod quæritur eſſe optimum, quia αὔταρκες, hoc modo.

Quicquid eſt perfectum, eſt αὔταρκες.
Bonum eſt perfectum.
Ergo, &c.

Maior ibi, τὸ γὰρ τέλειον. Minor ex ſuperioribus pendet. Ex altera ratione, hoc modo.

Quod nulla re eget, eſt αὔταρκες.
Bonum nulla re eget.
Ergo &c.

Maior ibi, τὸ δὲ αὔταρκες τίθεμεν. Minor ibi, τοιοῦτον δὲ, hoc eſt, nulla re egentem dicimus beatitudinem.

Τὸ δὲ αὔταρκες.] Bifariam deſcribit τὸ αὔταρκες hic, & mox τὸ δὲ αὔταρκες τίθεμεν: ſed poſterior deſcriptio eſt accuratior: priore tantũ hoc agitur, vt, αὐταρκείας vſus quam longe pateat, oſtendatur. Et ait Ariſtoteles αὔταρκες tam debere eſſe copioſum, vt non ſibi ſoli, ſed parentibus, liberis, amicis, aliiſque nonnullis, ciuibus puta, ſit ſatis: aut certe ad eos iuuandos proſit, cur ita? propterea quod ſit homo πολιτικόν τι, hoc eſt, non ſibi ſoli, ſed & parentibus, patriæ, & amicis natus: ſeu natura congregabilis. Quam ſententiam olim vſurpauit Plato *Epiſtola* 9. Demoſthenes περὶ στεφάνου, & *Cic.* multis in locis expreſſit. ad quam hoc loco alluſiſſe videtur Ariſtoteles: verum quia ea res videatur eſſe infinitior, ſummum autem bonum ſit finitum quia perfectum: infinita enim ſunt imperfecta: eo quod ſuper aliquid iis addi vel adimi poſſit: ea re modum quendam huic αὐταρκείᾳ, adhibendum cenſet. qui modus quis ſit, hoc loco non explicat: ſed εἰσαῦθις, hoc eſt, poſterius infra nempe *lib.* 11. *cap.* 8. *& lib.* 4. *Polit. cap.* 11. vt ego quidem exiſtimo: nam iis in locis bonorum fortunæ mediocritatem quandam, non excellentiam viro bono neceſſariam vtilemque eſſe oſtendit.

Ἐνδεῆ.] Legendum vt in melioribus libris ἐνδεᾶ, nam ἐνδεὴς in accuſandi caſu habet præter rationem quidem ἐνδεᾶ, non ἐνδεῆ, deinde legendum τοιοῦτον, non τοιοῦτο. ſic enim habent veteres libri, & vetus tranſlatio.

Ἔτι δὲ πάντων.] Implicata connexione, cum Ariſtoteles docuiſſet, ſummum bonum eſſe αὐταρκὴς: oſtendit etiam eſſe bonum μὴ συναριθμούμενον: quæ occultatio ſeu occulta connexio hunc locum reddit difficillimum. Plerique Interpretes, in quibus eſt Euſtrathius, hunc locum ita accipiunt: quaſi diceret

Ariſto-

Ariſtoteles, beatitudinem ſuis omnibus partibus auctam, etſi nihil extrinſecus ei præterea adiiciatur, eſſe ſumme expetendam. verbi gratia, vt quis non omnes ſummos honores, nec clariſſimas victorias obtinuerit: & alioqui res alias abunde habeat, propterea non eſſe non beatum: & vt ea bona beatitudini deſint: eam tamen propterea non eſſe non ſumme expetendam. Etſi autem à recepta interpretatione non temere eſt diſcedendum: quia tamen ea Ariſtoteli directo repugnat: videamus, an meliorem afferre poſſimus. Conſtat beatitudinem eſſe ſumme expetendam. Ergo fieri non poteſt, vt magis: ſummo enim nihil eſt maius. At illi contra. Quod ſumme eſt expetendum, aiunt fieri poſſe vt magis expetatur. Error natus eſt verbo non intellecto συναριθμουμένης: in quo ſine dubio omnis vis eſt poſita. Dicuntur igitur Ariſtoteli bona quædam eſſe συναριθμούμενα, quæ aliis addita, eorum quibus adiiciũtur numerum & cumulum augent, eaque excreſcere faciunt: vt prudentiæ addita nobilitas reddit prudentiæ bonum cumulatius. Cõtrariorum cõtraria eſt definitio, hoc eſt, μὴ συναριθμούμενα ſunt ea, quæ aliis adiecta, ea non augent. verbi gratia, doctrinæ addita perceptio, non auget doctrinæ bonum, quia doctrina in ſe continet perceptionem: afficere beneficio ciuitatem & propinquos non magis eſt bonum, quam afficere ciuitatem duntaxat, quia ciuitate continentur propinqui. Sic bona valetudo curatione adiuncta, non fit maius. Et ſic Ariſtoteles hoc verbo vſus eſt, *hoc loco, & libro 1 Rhet. capit. 37. & libro 1. magnorum moral. cap. 2.* Idem valet συνκρίνεσθαι, quo verbo vſi ſunt interpretes hic Euſtrathius, & *in libro 3. Top.* Alexander. Explicata iam verbi ratione, ſciendum præterea eſt plura bona paucioribus eſſe anteponenda (Ariſtoteles *libro 3. Top.*) niſi ſint ex eo genere, q̃ diximus eſſe μὴ συναριθμούμενα. nam in his ea regula locum non habet, vt recte eo loco Alexander, verbi gratia, bona valetudo & curatio, & ſi plura ſunt bona, tamen non ſunt magis expetenda, quam vna bona valetudo. Sic beatitudo & virtutes plura ſunt bona, non tantum optabiliora, quam ſola beatitudo, propterea quod eas beatitudo omnes in ſe complectitur. Nunc quæritur, ex quo genere ſit beatitudo, & ait Ariſtoteles eſſe ex iis quæ diximus, μὴ συναριθμούμενα, hac vſus concluſione à repugnantibus.

Si beatitudo eſt συναριθμουμένη, Ergo cum altero vel mi-

nimo bono coniuncta, erit magis expetenda; hoc eſt, non erit ſumme expetenda per ſe.

Falſum eſt ſecundum.

Ergo & primum.

Connexum ibi, συναριθμουμένη δὲ. Ratio connexi ibi, ὑπεροχὴ γὰρ, hoc eſt; bonum appoſitum in iis, quæ diximus συναριθμούμενα, efficit vt illud cui apponitur ſit præſtantius & maius, & proinde magis expetendum, ἀγαθῶν δὲ τὸ &c. Conſequentis falſitas perſpicua eſt ex prioribus. Ergo hæc eſt Ariſtotelis ſententia; ſummum bonum eſſe ſumme expetendum, neq; poſſe creſcere aut augeri: qua in re differt à reliquis omnibus. Hæc explicatio quod ſit veriſſima, perſpicuum eſt ex *li. 1. mag. moral. ca 2.* & ex Alexandro *ad li. 3. Top.* vbi diſerte ſcribit, ſe in ſuis commentariis ad Ethica (vtinam extarent) hunc locum ita explicaſſe. Quæ Stoicorum fuerit ſententia de hac re, nempe an bonum ſummum poſſit creſcere, videatur Cic. *libro 3. de fin. & 4.*

Τέλειον.] Quæro, quid differant τέλειον & αὔταρκες hoc loco: alias enim τέλειον ipſo teſte Ariſtotele *libro 1. magnorum moral. cap 2.* idem valet, quod αὔταρκες? Reſpondeo τέλειον dici ſummum bonum, quatenus ſuis omnibus partibus & numeris eſt abſolutum: τέλειον inquam ratione ſui dicitur ſummum bonum: αὔταρκες vero ratione eius, qui habet ſummum bonum, quod illum ſcilicet copia bonorum neceſſaria locupletat.

Ἀλλ' ἴσως τὴν μέν.] Hic alterum initio huius cap. membrum poſuimus, quo breuiter & accurate beatitudinis vim & naturã definitione complectitur. Ait autem definitionem reperiri poſſe & confici; inuento hominis opere & munere: qua de re mox plura.

Καὶ ὅλως ὧν ἐστιν.] Idem valent hæc duo ἔργον & πρᾶξις: nam & mox vnum tantum iteratur, ἐν τῷ ἔργῳ, Sic & infra idem valent ἐνέργειαν καὶ πράξεις μετὰ λόγου, & infra *cap. 8* πράξεις καὶ τὰς ἐνεργείας. Itaque πρᾶξις, ἐνέργεια & ἔργον hic idem valent, quod latine officium, actio, munus; & opus: poſterioribus; operatio. Non recte igitur hæc verba reddidit quidam (Lambinus) in iis qui opus aliquod efficiunt, & actionem aliquam obeunt: quaſi ἔργον hic valeat opus aliquod manu factum, vt alias ſæpe, teſte Ariſtotele *libro 2. Eudem. cap. 1.*

Τάχα δὴ γένοιτο.] Inſignis hic eſt locus, quo continetur modus

dus & ratio inueniendi naturam beatitudinis, hoc eſt, finem hominis, atque adeó omnium rerum fines: quod totum ſumpſit Ariſtoteles, meo iudicio, ex Platone *libro 1. de Repub.* extremo: qua de re agit etiam Alexander Aphrodiſienſis *lib. 4. quæſtionum cap. 15*. Modus autem ab Ariſtotele hic poſitus dicitur in opere & munere eius; cuius finis quæritur: vt hoc loco hominis: quod Ariſtoteles hac inductione oſtendit.

Si in Tibicine & Statuario & omni opifice, omnibus denique quorum eſt munus & opus, finis poſitus eſt in opere & munere, vt eſt. Ergo & hominis finis in eius opere poſitus erit, ſi modo aliquod eſt eius opus. Verum primum. Ergo & ſecundum.

Cæterum quia hæc propoſitio ſeu antecedes maximum affert momentum ad finē, & beatitudinem hominis reperiēdam: nos eā paulo latius explicemus. Sit igitur hæc propoſitio Quorumcunq; eſt opus aliquod & munus, iis in opere ipſo finis eſt collocatus & ſumma perfectio, confirmauit eam vt dixi Ariſt. exemplo artium. verùm ſunt & aliæ rationes, vna popularis, altera philoſophica. nam res omnes factæ & conditæ videri poſſunt ad nihil aliud, quam ad munus ſuū & rationē exercendam. Altera ratio eſt hæc, quod vt rerum omnium prima perfectio eſt forma: ita ſecunda (vltima) perfectio eſt actio ſeu opus & munus: v. g. hominis prima perfectio eſt anima, vtputa eius forma: vltima perfectio eſt vita, vtputa: animæ actio & officium.

Πότερον οὖν τέκτονος. Hic iam incipit explicare, an ſit aliqua hominis actio, & oſtendit eſſe duab. rationibus, quarum prior à minore hæc eſt.

Si fabri lignarii & ſutoris viliū opificū ſua ſūt opera & munera. Ergo multo magis homini ſuum erit opus & munus.

Altera ratio à partibus ſumpta, ita concludi poteſt.

Si oculi, manus pedis, omnium denique hominis partium ſua ſunt opera & munera.

Ergo & hominis totius ſuum erit opus aliquod.

Antecedens ibi, ἢ καθάπερ. Secundum ibi, οὕτω καὶ ἀνθρώπου. Ratio connexi totius hæc eſſe videtur, quod integri, totius & partium eadem ſit actio: totius quidem vniuerſa: partium ſingularis & propria: verbi gratia hominis totius actio eſt vita, cuius partes tributæ ſunt in ſingula hominis membra, vita ſentiens in ſenſus: intelligens in mentem.

Τί οὖν δὴ τοῦτ'.] Explicato, an hominis ſit aliquod munus & opus, eoque iam conſtituto, quærit ſecundo, quodnam illud

ſit. Inueſtigat autem illud ex hominis forma ſeu anima, vbi obſeruandum eſt commune præceptum. Rerum Opera & Munera Iuſtiora (principaliora) ex ipſarum Formis inueſtiganda eſſe: nam inter formas rerum & actiones tanta eſt affinitas, vt ſæpe alterum pro altero ponatur. Verum, vt Phyſici dicunt, formæ in rebus naturalibus ſunt actiones primæ, ex quibus poſtea ſecundæ naſcuntur, de quibus hic agimus. Hac igitur norma vſus Ariſtoteles (quod videlicet in omnibus rebus munus earum ex forma ineſt) in hominis beatitudine inueſtiganda eius formam primum ponit animam: deinde animæ actionem, vitam: hæc inquam ponit ex Phyſicis, vt certa, non confirmat. Hæc autem vita, quia multiplex eſt, altrix, ſentiens, & rationis particeps, quærit Ariſtoteles propius, an vniuerſa vita hominis propria ſit actio, an vero pars tantum aliqua: & partem eſſe oſtendit hoc modo, eamque rationis participem. Altrix communis eſt rebus omnibus animatis, & quæritur actio hominis propria, certe ea hominis propria eſſe non poteſt: idem eſt iudicium de ſentiente, quia beluis eſt communis. Ergo ſi nec altrix vita, nec ſentiens, propria eſt hominis actio, certe erit ea, quæ rationis eſt particeps.

Πρακτική τις τοῦ.] Vocat hoc loco eam vitam, quæ rationis eſt particeps, practicam ſeu actuoſam; quod obſeruatione dignum eſt, videtur enim communius hoc loco accipi quam plerumque ſolet. Nam anima ratione prædita bipartita eſſe ſolet, practica & theorica: hoc autem loco tota rationis particeps anima, practica videtur dicta, quod indicat verbum τοῦ λόγον ἔχοντος: hoc enim omni animæ ratione præditæ congruit, non ei tantum, quæ in rebus agendis verſatur practicæ, ſed etiam theoricæ.

Τούτου δὲ τὸ μὲν.] Quia conſtat beatitudinem iam conſiſtere in ea animæ parte, quæ rationis eſt particeps: Ariſtoteles omiſſis aliis animæ partibus in hac potiſſimum elaborat, eiuſque duas ſtatim affert partitiones, quarum prior hæc eſt: τούτου δὲ τὸ μὲν, hoc eſt, eius pars vel rationi paret, vel ipſam in ſe rationem continet. Altera διττῶς δὲ καὶ ταύτης: hoc eſt, vel eſt poteſtate, vel vſu (Barbare, potentia vel actu) De priore agit & *in Politicis libro 7. capit. 14.* & infra copioſiſſime *hoc libro capit. vltim.* propterea quod ad naturam beatitudinis & virtutum diſcrimina reperienda ſit vtiliſſima, hoc

qui-

quidem loco ad beatitudinis naturam, ibi ad virtutum, nam in vtraque particula poſita eſt beatitudo, hoc eſt, tam in ea parte, quæ per ſe ſapit & intelligit, (*Philoſophica*) in qua mens, ſapientia, ſcientia, & id genus alia: quam in altera, (*Politica*) in qua motus animi, appetitus καὶ πάθη, quæ priori velut præceptori aut patri paret, verum de hac partitione infra latius. Poſterior partitio non animæ tantum, ſed omnium rerum eſt communis, maxime naturalium: vulgatum eſt enim res eſſe vel actu, vel potentia, vt dicimus. Vſus autem huius partitionis eſt, vt videamus, vtra in parte conſiſtat beatitudo, an in facultate, an vero in vſu: & ait vltro: τὴν κατ' ἐνέργειαν, hoc eſt, in vſu conſiſtere. Cur ita? κυριώτερον γὰρ αὕτη: hoc eſt, eo quod vſus ſeu actio poteſtate ſit perfectior & magis propria: beatitudo autem quia eſt perfectiſſima, eſt in rebus etiam perfectioribus ponenda, qualis etiã vſus eſt, non poteſtas. Quæro, cum agatur de hominis beatitudine: homo autem non tantum ex anima ſed etiam ex corpore conſtet: cur tantum animæ actionis meminerit Ariſtoteles, non vero actionum corporis? Reſpondeo ex eodem principio, quod modo attuli, quia perfectiſſima quædam res eſt beatitudo, eam propterea in hominis parte perfectiori eſſe collocandam, quæ eſt anima non corpus: etſi corporis & fortunæ bona quoque ſunt neceſſaria, ex Ariſtotelis ſententia, quod mox explicabitur in differentia, tum cum actioni huic animæ attribuit virtutem.

Εἰ δ' ἔστιν ἔργον.] Genere beatitudinis, quod eſt animi cum ratione actio, inuento: hic iam differentias inueſtigat; quarũ prior hæc eſt ex virtute perfecta. Eam Ariſtoteles ex diuiſione ſcrutatur, hoc modo: actiones animi, vt & omnium rerum actiones, vel ſunt perfectæ vel non. Imperfectæ animi actiones ſunt, verbi gratia, impetu aliquo vel caſu, aut non ſponte aliquid agere, vel fortiter, aut liberaliter, aut iuſte, vt Achilles fortis fuit ſed impetu tantum naturali. Agunt etiam nonnulli vtilitatis tantum ſuæ cauſa: agunt & pueri & ſerui, ſed imperfecte, inquit Ariſtoteles *libro 1. Polit. ca. vltim.* agunt & vitioſe: contra ſunt alii, qui recte agunt; ſunt & qui perfecte. Cum itaque tam multiplex ſit animi actio, quærendum fuit, quo in genere ſit beatitudo: qua in ſpecie. Et ait Ariſtoteles, eſſe in actione bona & perfecta. Argumentatur autem hoc modo.

Omnis actio aut fit vtcunq; ſeu quomodolibet, aut fit bene.

Animi actio ſeu beatitudo eſt actio, Ergo fit aut vtcũq; aut bene.

Bene autem fieri, hoc eſt, bonam eſſe: hoc eſt, ex virtute fieri, hoc modo concludit.

Omnis bona actio ex virtute fit: ſeu quicquid bene fit, virtute perficitur.

Beatitudo eſt bona animi actio.

Ergo beatitudo ex virtute bene fit; ſeu beatitudinis actio virtute perficitur.

Huius poſterioris concluſionis maior, ibi, ἕκαστον δὲ, ἂν κατὰ τὴν. quam Ariſ. exemplo à citharœdo declarauit, vno duntaxat, quod ſit certiſſima, de qua tamẽ latius infra *li. 2. c. 6* Minor è ſuperiorib. eſt certa: vbi dictum eſt. beatitudinẽ eſſe τὸ ἄριστον. Hæc autẽ eſt huius loci mire longiori Hyperbato obſcuri ſententia.

Τὸ δὲ αὐτὸ φαμὲν.] Hic indicatur ea animi actionum partitio, quam modo attulimus, quod alia ſit proba, & perfecta: alia non item.

Τῷ γένει.] Actio, inquit Ariſtoteles, quælibet, ſeu huius & illius, & actio probi ſeu proba, genere conueniunt, vtraq; enim eſt actio quædam, ſed qualitate tamen diſcrepant.

σπουδαίου.] σπουδαῖον genere dicitur, quicquid excellit, & in ſuo genere perfectum eſt ſiue in corpore ſiue in animo, vnde & virum bonum: hoc eſt, virtute præditum, quia in ſuo genere perfectus eſt, hoc eſt, in animo, σπουδαῖον vocant.

Προστιθεμένης.] In omnibus inquit, reperitur hæc differentia quod alia actio ſit ſimpliciter huius vel illius, alia σπουδαία, hoc eſt, boni. Reperitur autem hoc modo, ſi generali nomini addas virtutis nomen. nam σπουδαῖον nihil aliud eſt, quam quod ex virtute, ſeu conſentaneum virtuti, vt Muſicus eſt generis nomen, adijce nomen virtutis, efficietur Muſicus σπουδαῖος, bonus.

Κιθαριστοῦ μὲν γὰρ.] Ratio continetur eius, quod dictum eſt, citharœdum σπουδαῖον fieri ex virtute, ſeu dici ratione virtutis hoc modo.

Qui bene agit, ex virtute agit. σπουδαῖος *bene agit.*

Ergo σπουδαῖος *eſt ex virtute.*

Εἰ δὲ οὕτως.] Hic iam accedit ad minorem prioris ſyllogiſmi, quo dictum eſt, actiones aut fieri quomodolibet, aut perfecte.

Καὶ πράξεις.] Numerus multitudinis pro ſingulari videtur poſitus, de quo ſupra *cap. 1. diximus.*

Εἰ δὲ πλείους αἱ.] Hic locus eſt valde obſcurus, quem vulgo

ita

ita accipiunt, quaſi dicat: cum iam conſtet, beatitudinem eſſe animi actionem ex virtute, dubitari poterat, quia multæ ſunt virtutes, quænam ſit ea virtus, & ait Ariſtot. (inquiunt illi) virtutem hanc intelligendam prudentiam, cum Ariſtoteles dicat intelligendam virtutem optimam & perfectiſſimam. Prudentiā autem conſtet virtutibus veluti principem & ducem dominari, eaſq; dirigere. Alii per multas virtutes intelligūt omnes omnium actionum virtutes tā animi, quam corporis: ex quib. omnib. ad beatitudinis definitionem eligendæ ſunt animi virtutes, quæ ſint præſtātiores. Neutra explanatio mihi ſatis probatur. & vt de poſteriore prius, cum verba illa priora, *ἐνέργεια κὰἀρετὴν* perſpicue de anima ſint accipiēda: certe & proxima, vt q̃ de eadē re agant, hoc eſt, de animi opere & munere accipienda videantur. Sic .n. & ſ̃ *initio ca.* *εἰ δὲ πλείω, ταῦτα:* & poſtea *εἰ δὲ πλείω, τὸ*. Ad priorem ſententiam prius q̃ reſpondeamus, quæri poteſt, an hac definitione contineatur non tm̄ practica beatitudo, de qua in his libris agitur; ſed etiā theorica. nam bipartitam eſſe beatitudinem infra *libro 10.* oſtendetur & videtur practica duntaxat contineri: eoq; Ariſt. conſilium ſit explicare, vt iā ſæpe ipſe iterauit, *πρακτὸν ἀγαθὸν*: q̃ eſt beatitudo practica: h.e. beatitudo illa, q̃ in actione omnium hominum cernitur, q̃ in tota vita humana cernitur. Verius tn̄ eſt, cōmunem eſſe hāc definitionē & quoq; Theoreticā continere: propterea q; ōes eius partes, theoricæ etiā congruant, vt ipſe Ariſt. infra *lib. 10. ca. 7.* perſpicue teſtatur initio. quin etiā ex eo loco argumentari quis poſſet ſolam theoricā contineri: propterea q; cum beatitudo ſit actio ex virtute perfecta, perfectiſſima autem ſit virtus ea, quæ eſt Theoretica, nempe mens, videatur particula q̃dam definitionis, puta, ex virtute perfecta, theoricæ magis eſſe accommodata. Verum quia Ariſt. conſilium eſt, bonum practicum explicare, cōmunē quidē dicimus eſſe definitionem, ſed hic de practica tm̄ accipiemus: & proinde virtus quoque practica intelligenda eſt. Cum igitur videamus, ex virtutibus practicis q̄nā ſit intelligenda, vulgo, vt diximus, prudentiā intelligunt: nā tametſi proprie Theoretica ſit virtus, quia tamen eius theoria ad res gerendas ſeu τὰ πρακτὰ pertinet, larga ſignificatione practica quoque dici poteſt: quæ virtus, quia reliquis practicis, quaſi Dux & princeps dominatur, vt diximus, videtur omnium eſſe perfectiſſima & proinde hoc loco intelligenda: vt certe hæc explanatio valde iuuare videatur eo loco, quem modo adduximus

ex 7 capitis libri 10. initio. puto tamen hanc ſententiam Ariſtotelis hoc loco eſſe: cum virtutes animi ſint plures, nempe iuſtitia, liberalitas &c. perfectam virtutem eam eſſe intelligendam, quæ omnes illas ſingulares virtutes complexu ſuo in ſe continet, hoc eſt, non hanc vel illam virtutem eſſe differentiam beatitudinis, ſed virtutem in genere. Eam enim eſſe perfectam: ſingulas virtutes eſſe imperfectas: quam explanationem noſtram adiuuant multa loca Ariſtotelis, quibus ille, de hoc loco agens, hoc eſt, de hac differentia, ſemper nominat perfectam virtutem: vt *infra ca. 9. in fine* καὶ ἀρετῆς τελείας. ex *ca. 10. in fine* εὐδαίμονα *& cap 13. in princ.* ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετὴν: *& in magn. moral. libro 1. capit. 4. & in Polit. cap. 13 libro 7.* φαμὲν δὲ. præterea *capit. 9. in fine*, ibi, δεῖ γὰρ ὥσπερ: ſatis aperte explicat hunc locum, nam ait vt diximus, agens de virtute perfecta: at nuſquã hoc dixit, præterquam hoc loco, præterea *libro 2. Eudem cap. 1.* apertiſſime virtutis nomine ὅλην, hoc eſt, vniuerſam eſſe intelligendam dicit: non vero μόρια ſeu partes: quia ſint imperfectæ. Ex quibus locis perſpicuum eſſe puto, virtutem hoc loco vniuerſam, vt quæ ſit perfecta, intelligendam eſſe. Trifariam nanque perfecta virtus dici ſolet, teſte Aſpaſio *in libro 5 Ethic. capit. 1.* Nam fortitudo, quæ recta ratione duce, labores & pericula ſuſtinet, perfecta olim dici ſolet, comparatione eius fortitudinis, quæ impetu quodam, non ratione qualis erat in Achille, eadem aduerſa propulſat: vnde & fortitudo vocari ſolet communi nomine virtus. Deinde omnium virtutum ἄθροισμα ſeu collectio, hoc eſt, virtus ὅλη & vniuerſa dicitur perfecta, & quidẽ vere, inquit Aſpaſius. Poſtremo iuſtitia quoque dicitur perfecta ab Ariſtotele eo loco *cap. 1. lib. 5.* non quidem ex parte iuſtitia, quæ eadem eſt cum virtute. Denique explanationem illam aperte confirmat & Plato *lib. 1. de Repub. extremo* (ex quo loco hæc omnia ſumpta ſupra diximus) vbi hanc differentiam non in prudentia, ſed in iuſtitia, puta vniuerſa, cerni & poſitam eſſe ait.

Ἔτι δὲ ἐν βίῳ.] Hæc eſt altera differentia, qua requiritur temporis longinquitas ad beatitudinem complendam. Mirandulanus *lib. 40 Euerſ.* vt ſupra de virtute, ita & hoc loco de tempore mire, ſed fruſtra & perperam laborat. nam Ariſtotelis hanc eſſe ſententiam hoc loco: Beatitudinem non in puero, neque etiam in viro ſtatim, cui ſcilicet omnia bona iam adſint, perfectam cenſeri, ſed requiri præterea aliquod temporis interuallum

uallum, quo illa rerum omnium in aliquo cumulatio & perfe-ctio velut ſtabile quiddam teneatur: multis ex locis confirmari poteſt, vt hoc loco, οὐδὲ μία ἡμέρα, οὐδ᾽ ὀλίγος χρόνος,& *infra cap.9. & 10. & lib.10. cap.7.* ἡ τελεία. & *magn. moral. libr.1. cap.4.* ἐπεὶ οὖν ἡ εὐδαιμονία. Et *in Eudem. lib 2 cap.1.* ἐπεὶ δέ. Ex quibus omnibus locis præter ea, cur longum tempus ad beatitudinem conplendam ſit neceſſarium: hæc quoque ratio inſignis elicitur, quod beatitudini attribuenda ſint perfectiſſima. Tempora autem longiora breuioribus eſſe perfectiora, vel ex eo ſolo patet, quod longinquitas æternitatē, quæ,vt diuinitati conueniens perfectiſſima habetur, proxime imitari videatur: quantum autem tempus requiratur, & an vita perfecta ſeu tempus perfectum etiam ante mortem iudicetur, *infra cap.10.* oſtendetur.

Περιγεγράφθω μ̄.] Hæc tertia eſt huius capitis pars, qua methodica quædam ſeu analytica præcepta cōtineri diximus, eo conſilio ab Ariſtotele hic repetita, vt definitionem & ſummi boni explicationem,ſi quis minus perfectam & explicatam accuſare velit, tueatur: tacite quoque reprehendat Platonem, alioſq; omnes, qui ſecus de ſummo bono diſputarunt.

Δεῖ γὰρ ἴσως ὑποτυπῶ.] Hæc prima eſt ratio ſeu præceptum analyticum, quo ſuam definitionem ſtabilit: omnib. enim in artibus primæ explicationes breuiores, poſteriores magis exquiſitæ & abſolutæ eſſe ſolent, primum inquam forma quædam rei, de qua agitur, oculis breuiter eſt ſubijcienda: deinde res latius explicanda. Huiuſmodi breuem & primam deſcriptionem Ariſtoteles hoc loco περιγραφὴν & ὑποτύπωσιν vocat: *Lib* autem *2.cap.1. de Anima* vocat etiam τύπον.vulgo ὑπογραφὴ dici ſolet: quo etiam vocabulo vſus eſt Plato *lib. 6. de Rep.* hac ipſa de re agens. Apud Ciceronem *in Topicis* perperam vulgo ſcribitur παραγραφὴ, cum legendum ſit περιγραφή. Deſcriptionem Cicero latine vocat, alibi formam & informationem. Vocabula græca omnia à pictorum primis delineationibus ſunt ſumpta. Exquiſitior autem & vberior explicatio ἀναγραφὴ hoc loco dicitur, quæ in definitionibus ὁρισμὸς dici ſolet.

Καὶ ὁ χρόνος τῶν τοιούτων.] Confirmat, quod attulit præceptum reliquarum artium exemplo, quæ pedetentim & paulatim ac tempore præcedente perficiuntur, qua de re pulcherrimus eſt locus apud Ariſtotelem *lib. 2. cap. vlt.* Sophiſticorum

 argu-

argumentorum, vbi Ariſtoteles oſtendit, artem dicendi & artem Dialecticam paulatim quoque eſſe perfectas: imo petit Ariſtoteles, vt cum ipſe primus ſit autor Dialecticæ, etſi omnia præcepta non exquiſite tradiderit, vt ſibi ignoſcatur: prima enim quæque perfecta eſſe non poſſe. Sic & Cicer. *in Oratore* de pictura, de arte ſculpendi idem explicat; *nihil eſt enim*, inquit, *ſimul & inuentum & perfectum*. Et pulcherrime Lucretius *lib. 5. extremo:*

Sic vnum quicquid paulatim protulit ætas
In medium, ratioq́; in luminis eruit oras.
Nam aliud ex alio clareſcere corde videbant
Artibus, ad ſummum donec venere cacumen.

Itaque tractationem Politicam Ariſtoteles vult non ſtatim perfici & perpoliri, ſed paulatim more reliquarum artium. Quare ſi definitio fortaſſe perfecta ſatis non videbitur, excuſationem tamen ſe mereri.

Μεμνῆσθαι δὲ καὶ τῶν.] Alterum eſt præceptum analyticum de ſubtilitate, quæ non vbiq; eſt eadem, ſed partim ratione materiæ: partim ratione ipſarum artium, nunc maior eſt, nunc minor. De materia dictum eſt ſupra *cap. 3.* De artibus ſeu ſcientijs hoc loco monet Ariſtoteles, videndum eſſe, quam ſubtilitatem ars quæque requirat: Fit enim interdum, vt in eadem materia duæ artes verſentur: quarum altera multo ſit altera ſubtilior & exquiſitior, neque debeat alterius ſubtilitas in alteram deportari. Verbi gratia, Faber lignarius & Geometra angulum conſiderat vterque, ſed faber, vt eo dirigat opus, hoc eſt, conſiderat angulum in ipſa materia: Geometra abſtractum à materia, & quid ſit angulus, quæ ſit eius definitio & natura, inueſtigat. Sic Phyſicus, Medicus, Politicus in homine omnes verſantur, ſed ratione diſpari: Phyſicus explicat, quid ſit homo: Medicus, quis ſit ſanus homo: Politicus, quis beatus ſit homo.

Ὅπως μὴ τὰ πάρεργα.] Eleganti prouerbio confirmat Ariſtoteles, id quod dixerat de artium diſſimili ſubtilitate. quo prouerbio vſus eſt & Galenus *lib. 9. de Hippocratis & Platonis decretis*: & attigit Ariſtoteles *lib. 2. Polit. cap. 12.* Sumptum videtur ex poeta Agathone, cuius verſus apud Athenæum.

Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς, ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Politica igitur ſcientia, tum quod in materia inſtabili, nempe in

pe in actionibus humanis quotidie variantibus, verſetur: tum quod ea ſcientia non tam ad acute diſputandum, quam ad recte viuendum ſit comparata: non debet, neque etiam poteſt minuta illa ſubtilitate explicari. Quare & Plato grauiter errat, qui *lib. 6. de Republic* (nam contra illum locum ſatis aperte hoc loco Ariſtoteles diſputat) ſummam ſubtilitatem in hac quoque ſcientia requirit, & omnia ad viuum reſecanda exiſtimat. Peccat etiam in eo, quod politicis diſputationibus adiunxerit tractationem de Deo & de Ideis, quæ non ſunt οἰκεῖα, neque accommodata: hic enim humana explicantur, non diuina. Ariſtoteles autem ſingula eatenus perſequitur, quatenus huic arti vitæ ſint neceſſaria. Sic diſputationes de Anima *infra cap. vlt.* de origine amoris, *infra lib. 8. cap. 1.* Phyſicas, tantum attingit, non pertractat: vt & ſupra Metaphyſicas de Ideis & numeris Pythagoricis. Huius quoque præcepti memor ſæpe rationem reddit, cur hoc vel illud explicet in his libris: vt de voluntate & conſilio *infra lib. 3. initio*: & de voluptate *infra lib 7. cap. 11, & lib. 10. cap. 11.* de Amicitia quoque *infra lib. 8* Sic & *lib. 10.* non pertractat diſputationem de beatitudine theorica, vtpote à Politicis, quæ ſunt practica, alienam. Sic & *lib. 1. magnorum moralium cap. vlt.* diligenter ſe excuſat, cur in Ethicis tractet de ſcientia, ſapientia, arte & mente: quorum tractatio ad Analytica & Metaphyſica propius videatur pertinere. Itaque hoc teneatur, ſi qua incident huiuſmodi, quæ aliena videantur, ea attingenda eſſe non pertractanda, pro rei propoſitæ vtilitate, ne πάρεργα ipſis ἔργοις fiant maiora. Recte igitur & Galenus *in lib. de naturalibus facultatibus*, monet, de animæ natura diſputationem neque Medico neq; Politico eſſe vtilem, eaq; re omittendam: etſi alioqui tractatio animæ alia in re & Medico & Politico eſt vtilis.

Οὐκ ἀπαιτητέον.] Tertia eſt deſcriptionis excuſatio. Eſt enim præceptum analyticum: non in omnibus diſputationibus cauſas, ſeu τὸ διότι eſſe exquirendas: ſed ſatis eſſe, ſi τὸ ὅτι explicetur: Verbi gratia, in artium principijs cauſæ non requiruntur, principia inquam per cauſas non explicantur, ſed ſenſu partim, vel inductione, vel conſuetudine, καὶ ἄλλαι ἄλλως, h. eſt, alia principia alijs modis, puta, experientia & vſu, communi hominum ſenſu & iudicio, mente deniq; ex Platonis ſententia, cui menti natura ſunt inſiti virtutum igniculi & ſemina, vt Cic. loquitur. Quæ igitur in principijs eſt ratio, eadem h. loco quoq; obſer-

Digitized by Google

obſeruanda fuit, vbi de beatitudine agitur: nam beatitudo quoq; ipſa principium eſt vitæ & ſcientiæ Politicæ: & definitio ſuperior reijcienda non erit, ſi fortaſſe cauſas in ſe non contineat: quin etiam eadem ratio in omnibus his diſputationibus ſeruanda erit: vt ne requiratur nimis enucleata cauſarum tractatio, contentiq; eſſe debemus, ſi populariter explicentur.

Τὸ δ᾽ ὅτι πρῶτον.] In veteri translatione non eſt ὅτι: & ni fallor rectius. nam & Euſtrathius hoc modo explicat: *In principijs*, inquit, *non exquiruntur cauſa*: *quia principia ſunt prima*: τὸ δ᾽ πρῶτον, τὸ δ᾽, hoc eſt, beatitudo autem eſt πρῶτον καὶ ἀρχή, principium, vt dixi, Politicæ: his enim verbis continetur ſyllogiſmi aſſumptio: cuius hæc ſit formula.

In principijs non exquiruntur cauſa.
Beatitudo autem eſt principium.
Beatitudinis igitur cauſa non ſunt exquirenda.

Quæ ſententia huius loci & explanatio cum veriſſima videatur, puto ſcripturam veteris translationis eſſe veriorem. Videatur tamen, quæ dicta ſunt ſupra *cap. 4.*

Μετιέναι δ᾽ πειρατέον.] Egregium & hic continetur Analyticum præceptum, de principijs, ea nimirum quoad fieri poſſit, eorumque natura patiatur, accuratiſſime explicanda eſſe. Sic enim hæc verba exiſtimo accipienda: quibus velut ἐπανόρθωσις ſeu correctio eorum, quæ de principijs dicta ſuut, contineatur, aut certe explanatio. quod enim hactenus dictum ſit de principijs, cauſas illorum non eſſe enucleate proponendas, non ita accipiendũ videtur, quaſi negligenter in illorum explicatione ſit verſandum, quin potius quam diligentiſſime ſunt pertractanda: ita tamen, quoad natura eorum patitur, politica non tam exquiſite, quam Mathematica. Cur autem principiorum tractatio tam accurata eſſe, eaque rectiſſime conſtitui debeant, rationem adijcit Ariſtoteles hanc, quod toti reliquæ diſputationi maximum momentum afferant, id quod prouerbio quoque declarat: *nam principium*, inquit, *dimidium eſt totius*: atq; adeo (vt h. loco Platonem imitatus Ariſtoteles ait) πλεῖον, h. e. plus quam dimidium: atq; certe non in vitæ tantum actionibus, ſed in omnibus diſputationibus plurimum intereſt, quæ & qualia principia conſtituantur, q̃ niſi ſint vera & bona, innumerabilia abſurda cõſequantur, neceſſe eſt: quo nomine grauiſſime Ariſtot. *li. 1. Metaphyſicor.* Pythagoreos reprehendit: & Cicero multis in locis Epicureos: & ipſum quoque Plato-

Platonem de Ideis Ariſtoteles. nam, vt eleganter Ariſtoteles *lib. 2. de cœlo*; paruus initio error, progreſſu fit μυριοπλάσιος. Quare & Plato *in Cratyl. & lib. 2. de Repub.* grauiter & ſapienter monet, omnes in hoc elaborare debere, vt principia tanquam fundamenta prudenter ſtatuantur: eoque ipſe vſus argumento, & hoc quidem prouerbio ipſo *lib. 7. de legibus*, iubet Politicum maximam diligentiam adhibere in pueris recte inſtituendis, vtpote totius Reip. ſeminarijs: & Ariſtoteles quoq; *in Politicis lib. 5. cap. 4.* hoc argumento ſeditionum in Rebuspub. etiam parua initia diligenter eſſe cauenda monet. Hoc igitur præceptum ſecutus Ariſtoteles, etſi beatitudinis definitionem, omnemque Politicam diſputationem non tam enucleatam eſſe oportere, ſupra diſputauit: tamen quia Beatitudo totius Politicæ eſt principium, deinceps ſatis accurate de ea explicabit.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Σκεπτέον δὴ περὶ αὐτῆς.] Dixerat modo, principia diligenter eſſe explicanda: Itaq; & de beatitudine diligentiſſime eſſe explicandum, vtpote huius ſcientiæ principio. hoc igitur capite totam beatitudinis definitionem artificioſa ἀναλύσει retexere incipit: q̃ quidem ἀναγραφὴ analytica proprie extendi poteſt vſq; ad hoc caput 13. largius tamen toto opere Ethicorum & Politicorum nihil aliud agitur, quam vt omnes huius definitionis partes accurate & ſingulatim retexantur. Et primum quidem hoc capite oſtenditur recte beatitudinem dictam eſſe actionem animi ex virtute. Tres autem huius capitis partes poni poſſunt, in quarum prima contineatur via & ratio explicandi de principijs & beatitudine: Secundo loco ibi, νενεμημένων &c. affert quædam ab omnibus conceſſa, quibus beatitudinem confirmet eſſe actionem animi. Poſtremo ex veterum quoque opinionibus docet, recte beatitudini à ſe attributum illud, ex Virtute.

Περὶ αὐτῆς] Id eſt, ἀρχῆς, vt & modo δι' αὐτῆς. perperam igitur Interpretes reddunt de beatitudine, cum ſit reddendum de principio, ſub quo comprehenditur quidem beatitudo.

Σκεπτέον δὴ.] Hæc prima eſt pars capitis, qua contineri diximus methodicum præceptum, meo quidem iudicio non beati-

beatitudini tantum: ſed omnibus etiam principijs, atq; adeo omnibus controuerſijs & diſputationibus accommodatum: quo & vſus eſt Ariſtoteles *lib. 2. de cœlo initio.* Præceptum autem eſt iſtud. Res ſeu controuerſias non argumentis tantum, ſed & teſtimonijs, auctoritatibus, communi hominum conſenſu: omnibus denique de re propoſita, quæ ferantur, eſſe ſtabiliendas: maxime Politicas, in quibus nihil temere innouandum eſt, & communis hominum conſenſus, & veterum autoritas, vita deniq; communis maximam vim habent, qua de re *infra lib. 10. cap 1. & 9.* Horat. Cum ventum ad vſum eſt, mores & vita repugnat.

Οὐ μόνον ἐκ τοῦ συμπεράσ. &c.] Hæc duo, ἐκ τοῦ συμπεράσματος, & ἐξ ὧν ὁ λόγος. alias quidem diſcrepant. nam συμπέρασμα rationis eſt complexio: ἐξ ὧν λόγος ſeu ἐξ οὗ ὁ λόγος (vtrunque enim Ariſtoteli eſt vſitatum) argumenta aut ſumptiones valet: ſed hoc loco eodem referuntur: ſententia eſt: non tantum argumentis agendum, ἀλλὰ καὶ, ſed etiam.

Τὰ ὑπάρχοντα.] Id eſt, ea, quæ vere inſunt alicui, & vere attribuuntur. Eſt autem hæc pulcherrima ſententia, qua prioris præcepti methodici ratio continetur. nam quæ communi conſenſu ab omnibus probantur, non temere quis falſa exiſtimare debet: quibus ſi & noſtra diſputatio conſentiat: magnum profecto argumentum erit, eam eſſe veram. Vera enim veris conſentiunt: falſis diſcrepant. τῷ μὲν γὰρ, hoc eſt, quæ vere ſunt attributa, vt diximus, conſentiunt vero, ſeu ei quod vere fuerat propoſitum: Verbi gratia, quæ vere de beatitudine dicuntur τὰ ὑπάρχοντα, ea definitioni quoq; Ariſtotelicæ, ſi vera eſt, conuenient: ſi falſa, non conuenient. nam τῷ ψεύδει.

Νενεμημένων δή.] Hæc altera capitis pars, qua oſtendit ſe conuenienter veterum Philoſophor. ſententijs conſentientib' beatitudinem dixiſſe actionem animi: & primum quidem affert bonorum partitionem academicam, in animi, corporis, & fortunæ. de qua Plato *in Euthydemo; in Philebo. 5. & 9. de legibus.* Cicer. *1. Academ. & 5. Tuſcul.* Sumit autem animi bona eſſe maxima omnium cōſenſu veterum Philoſophorum: ex hoc ita oſtendit recte ſe beatitudinem in animo collocaſſe: recte inquam animi actiones in ſummis bonis poſuiſſe. Sic enim argumentatur.

Bona animi ſunt maxima & veriſſima bona omnium cōſenſu.
Atqui actiones animi pertinent ad animum, & ſunt in bonis animi.

Ergo

Ergo actiones animi ſunt inter bona maxima: & proinde actiones animi recte beatitudini, vtpote maximo bono in definitione fuerunt accommodatæ.

Maior ibi, τὰ περὶ ψυχήν. Minor ibi, ἐπεὶ δὲ πράξεις. Vtraque perſpicua eſt, & vera & conceſſa. Complexio ibi, ὥστε καλῶς ἄν. quaſi dicat: recte igitur beatitudini attribuimus actionem.

Ορθῶς δὲ καὶ ὅτι.] Hic docet, cur beatitudinem vocauerit actionem, ex communi quoque conſenſu: locus eſt obſcurus, quem tamen duobus ſyllogiſmis plane illuſtrari poſſe confido. Summa hæc eſt: recte, & veterum opinioni conuenienter ſe vocaſſe actionem τέλος: dixit enim actionem eſſe beatitudinem, ſeu actionem attribuit beatitudini, quæ eſt τέλος: cur recte? nam hinc ſequitur actionem eſſe in bonis animi. Iam è prioribus notum eſt, quod eſt in bonis animi, hoc eſſe bonum præſtantiſſimum, & proinde beatitudini conuenientiſſimum. Concludi hæc poſſunt his formulis.

Omne τέλος eſt è maximis bonis, ſeu bonis animi.
Actiones autem quædam ſunt τέλος.
Ergo ſunt in bonis animi.

Maior omiſſa eſt vt certa, & ſupra *initio cap. 7.* explicata, & ab omnibus conceſſa. Minor ibi, ὀρθῶς δὲ καὶ ὅτι, & hoc omnes fatentur, actiones quaſdam eſſe τέλος, puta honeſtas: non vero omnes, puta vitioſas, quare ait τινές. Complexio ibi, οὕτω γὰρ τῶν. Ex hac complexione, & primo ſyllogiſmo, alter hic ita contexi debet, perſpicuitatis gratia, omiſſus tamen ab Ariſtotele, vtpote ex prioribus pendens.

Bona animi ſunt bona veriſſima.
Actiones quædam ſunt bona animi, vt modo eſt oſtenſum.
Ergo actiones quædam animi ſunt bona veriſſima: & proinde beatitudini recte attributa.

Συνᾴδει δὲ τῷ λόγῳ.] Alterum conſenſionis argumentum, quo oſtendit, ſe recte beatitudinem dixiſſe πρᾶξιν. Omnes enim, inquit, vno ore beatum dicunt bene agere & bene viuere, idemque eſſe εὐζωΐαν & εὐπραξίαν, quod εὐδαιμονίαν: tribuunt, inquam, omnes beatitudini πρᾶξιν. Ergo & nos recte tribuimus. Eodem argumento Etymologico ſeu λεκτικῷ vſus eſt & ſupra *cap. 4.* & Plato *libr. 7. de Republic. extremo, in Gorgia & Protagorr.*

Φαίνεται δὲ καὶ τά.] Hæc eſt tertia huius capitis pars, qua Ariſt. veterum diſſentientes opiniones & diſputationes oſtendit, quã

prope

prope aut longe abſint à ſua opinione: aitque eas magna quidem ex parte cum ſua conuenire: ex qua veritatem ſuæ quoq; opinionis elicit. nam veriſimile non videri eos omnes viros celeberrimos prorſus erraſſe.

Τοῖς μὲν γὰρ ἀρετή.] Hic iam opiniones commemorat, & primum quidem commemorat, poſtea perpendit. Affert autem quinque. nam fuiſſe, qui beatitudinem dicerent virtutem: qui prudentiam: qui ſcientiam aliquam: qui virtutem cum voluptate coniunctam, qui denique virtutem cum bonis externis coniunctam. Primæ opinionis omnes fere fuerunt, vt Politici omnes, de quibus ſupra *cap. 4.* & Socrates ac Plato *lib. 11. de legibus, & in Gorgia,* & poſt Ariſtotelem Stoici, de quibus Cicer. *lib. 3. de Finibus.* Secundæ idem Socrates apud Platonem *in Phædone.* Tertiæ Thales & Anaxagoras Philoſophi, qui in contemplatione rerum cœleſtium & naturalium ſummum bonum ponebant, teſte Ariſtotele *lib. 1. Eudem. cap. 5.* Quartæ Plato ipſe *in Philebo,* & poſt Ariſtotelem Philoſophus Caliphio, teſte Cicerone *in Finibus,* & Clemente *libr. 2. Stromatum.* Poſtremæ Ariſtotelis diſcipulus Xenocrates eodem teſte Clemente. Prætermiſit hoc loco eorum opinionem, qui in ſola voluptate ſummum bonum ponerent, vt Ariſtippus, & Eudoxus. nam eam ſupra dixit eſſe beluinam, *cap. 5.* & quia longioribus diſtinctionibus ea res eget, reiecit *in librum 10.* Ex his quinque opinionibus tandem tres inſigniores facit, eaſque infra perpendit: nempe de virtute: de virtute cum voluptate: de virtute cum bonis externis: ſcientiam omiſit, propterea quod his libris agatur non de beatitudine theoretica (de qua tamen *infra libr. 10.* ſatis accurate diſputat) ſed de practica.

Τοῖς μὲν οὖν λέγουσιν.] Hic iam primum oſtendit definitionem ſuam cum prima opinione partim conuenire: partim non conuenire. Dicebant illi, in virtute poſitam Beatitudinem: Ariſtoteles quoque in virtutis vſu & actione: concurrunt ergo in virtute: diſſentiunt tamen: nam illos in virtutis habitu & poſſeſſione ſola: (quod aperte de Speuſippo & Xenocrate teſtatur Clemens; quos hoc loco perſtringere videtur Ariſtoteles) ponere beatitudinem: ſe autem in virtutis vſu & actione: & ſuam ſententiam illa eſſe meliorem, oſtendit eleganti ſimilitudine à ludis Olympicis: *Vt,* inquit, *Corona donantur certantes, non ex ijs qui ad ludũ veniunt pulcherrimi & robuſtiſſimi & ad certandum apti, non tamen certantes: ſic in vita agentes recte vitæ*

beati-

beatitudinem ſeu coronam aſſequentur. Fieri autem poſſe, vt qui habitum virtutis habeat, non agat, & proinde habitus ſolus actione ſit peior. Oſtendit quoque ex dormientibus, aut fortaſſe ægrotantibus, aut alio aliquo modo quieſcentibus. Hoc autem argumento à ludis Olympicis vtitur & *lib. 2. Eudem. Vincentes*, inquit, *corona donantur, non qui poſſint vincere, & tamen non vincunt*

ἔστι δὲ καὶ ὁ βίος.] Hic ſecundam opinionem perpendit de voluptate virtuti coniuncta, quam item, partim cum ſua opinione conſentire, partim diſcrepare, oſtendit: ponunt illi beatitudinem in virtute cum voluptate, & faciunt quaſi duo capita, virtutem & voluptatem. Ariſtoteles voluptatem quidem ſuæ beatitudini attribuit, ſed non quaſi caput ſeparatum, ſed ait, Voluptatem beatitudini natura inſitam eſſe, quod *infra lib. 7. & 10. cap. 5.* copioſius exponit.

τὸ μὲν γὰρ ἥδεσθαι.] Id eſt, affici voluptate, ſeu voluptatis affectio iucunda eſt in iis, quæ ſunt animæ: quam clauſulā non eadem de cauſa interpoſuit hoc loco Ariſtoteles, vt putant Interpretes, quaſi ea confirmaret propoſitum: ſed ea potius de cauſa, vt commonefaceret lectorem, diſputationem de voluptate non eſſe alienam à beatitudine, vt quæ & ipſa ſit animæ.

ἑκάστῳ δ' ἐστίν.] Hic demum eſt confirmatio propoſiti, quod eſt, actiones honeſtas ſui natura eſſe iucundas, confirmat id hoc modo, quia ſui natura expetantur ab eo, qui eas facit. Rationis concluſio hæc eſt:

Cuiuſcunque quis eſt cupidiſſimus, id illi eſt iucundum.
Vir bonus bonarum actionum eſt cupidiſſimus:
Ergo viro bono honeſtæ actiones ſunt iucundæ.

Ariſtoteles ita concludit:

φιλοτοιούτῳ *iucundum eſt id, cuius gratia dicitur* φιλοτοιοῦτος.
Atqui φιλάρετος *eſt* φιλοτοιοῦτος.
Ergo φιλαρέτῳ *iucundum eſt id, cuius gratia ſeu cauſa dicitur* φιλάρετος.

Dicitur autem φιλάρετος propter virtutis actiones. Maior ibi, ἑκάστῳ δ' ἐστίν, quam declarat inductione οἷον ἵππος. Minor, τοὺς αὐτοὺς δὲ τρόπον. complexio autem, ἔστι δὲ καὶ ὁ βίος.

φιλοτοιοῦτος.] Elegans eſt vocabulum, quo communi nomine à Græcis dicitur cuiuſcunque rei valde cupidus: vt: φιλήδονος, voluptatis: φιλόμυθος, fabularum; φιλότιμος, hono-

ris : φιλομαθὴς, ſcientiæ: φιλόκαλος, honeſti: φιλάρετος, virtutis cupidus & ſtudioſus: quæ ſunt ſingularia vocabula. De communi & *infr. lib. 3. cap. 10. & lib. 4. cap. 4.*

τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς.] Hic reſpondet tacitæ obiectioni: occurri namque poterat, voluptates non omnes videri iucundas: ſed interdum vnam, eandemque voluptatem expeti, & repudiari ab vno eodemque. Verbi gratia; ſomni, ſpectaculorum, vini cupidus interdum ea expetit, interdum non: & proinde non videtur, quæ ab aliquo expetuntur eſſe ſui natura iucunda: quod tamen de honeſta actione erat concluſum. Reſpondet Ariſtoteles, adhibita diſtinctione, id quidem locum habere in vulgaribus voluptatibus, & maxime corporis, eaſque natura non eſſe iucundas, & nunc expeti, nunc reiici. Sed in virtutum actionibus voluptatem eſſe conſtantem & perpetuam, & natura ſui iucundam: qua de re & *infra* copioſius *lib. 7. cap. 13.*

οὐδὲν δὴ προσδεῖται.] Hic iam Platonem reprehendit, quem diximus, voluptatem beatitudinis dixiſſe quaſi partem aliquam, & caput, ſeu acceſſionem, & additamentum, quod hoc loco περίαπτον dicitur, cum tamen Ariſtoteles iam oſtenderit, voluptatem in beatitudine inſitam eſſe: neque quicquam eſſe per ſe, vt putabat Plato.

πρὸς τοῖς εἰρημένοις.] Altera eſt ratio, qua oſtendit, actiones virtutis ſua natura eſſe iucundas: *Nam*, inquit, *vir bonus, qui bonis actionibus non delectatur, neque voluptatem ex illis capit, perfecte bonus non eſt.* qua de re latius & *infra lib. 2. cap. 3. toto.*

εἴπερ καλῶς κρίνει.] Confirmat id, quod dixerat, facta virtutis eſſe iucundiſſima, optima & pulcherrima, ab auctoritate & iudicio viri boni: nam, inquit, viri boni de factis & actionibus virtutis ita iudicant, vt nos iam diximus, eas eſſe iucundiſſimas & optimas. Ergo ita ſe res habet. Cur ita? An viri boni auctoritas & iudicium hac in re ſatis valet? Maxime. Nam vt *infra libro tertio, capite quinto, & libro nono, capite quarto*, præclare Ariſtoteles ſcribit, cum quæritur, an quid ſit iucundum, & quæ ſit vera voluptas: conſulendus eſt vir bonus, velut norma, & regula, & menſura: vtpote qui nunquam variet, ſed conſtanter, quod veriſſimum eſt, ſequatur: vitioſi autem nunc hoc, nunc illud ſine ratione perſequantur, vt & hic paulo ante dictum eſt.

καλλι-

...] Eſt hic tantum comparatio, non reprehenſio, vt am Interpretes putant.

...] Hic tertiam opinionem perpendit de bo- xternis: quæ quidem ad beatam vitam neceſſaria eſſe vult :oteles, ita tamen, vt non tam cauſam per ſe faciant (quod ıonnulli exiſtimabant, quos grauiter reprehendit *in Poli- um libro ſeptimo, capite decimotertio*) quam vt beatitudi- quodammodo adiuuent veluti organa, eaque de cauſa bona ſolet vocitare organica, ... ſeu adiuuantia, & ..., quaſi præparantia, *in Politicis, & infra capite* ...ertum eſt tamen, Ariſtotelem & Peripateticos omnes, & ımis Theophraſtum (quem grauiſſime reprehendit hoc ıine Cicero *lib. 5 de Finibus, & lib 5. Tuſculanar.*) multum ıonis tribuiſſe, adeo vt ſine iis beatitudinem non conſiſte- ..ſſe dicerent. Quod *hoc loco & infra capite octauo, libro de-* .., popularibus quibuſdam rationibus oſtendit Ariſtoteles. nini Baſilium Magnum, cum ſuperiorem beatitudinis ıitionem Ariſtotelicam valde laudaſſet, hanc tamen eius ıonis externis & corporis particulam grauiter reprehen-

...

...] Cur ..., aut quo pertinet hæc particu- Euſtathius ita explicat. Etſi dictum eſt, beatitudinem eſſe ..., ſeu perfectum quiddam: tamen eget bonis externis, ıſſis ita rectius connectatur: modo dictum eſt de volupta- ..., hoc eſt, etſi dictum eſt, beatitudinem egere voluptate, velut additamento: tamen eget bonis rnus.

...] Vtrinque eſt verbum ... g, quod confirmat explanationem noſtram: nam & Euſta- na longe petita eſt. Dictum eſt, inquit ille, beatitudinem ..., verum id quidem, ſed nimis longum: ex hac quoq; anatione elegans differentia inter voluptatem & bona ex- a elicitur, hęc eſſe beatitudinis ..., & externa addita- ıta, illa non item, vt dictum eſt.

...] Puto illum locum intelligi, qui *ſupra eſt* ...

...] Ab impoſſibili: *... eſt res præclare ge- ſine* [bonis externis] *diuitiis. Ergo bona externa ſunt ſſaria.*

...: Duobus argumentis adhuc oſtendit, bona ex-

terna eſſe neceſſaria pro differentia ipſorum bonorum: quæ vel impediunt bonas actiones, vel ipſam beati ſpeciem inquinant.

μακάριον.] Hoc loco tertium adiicit, à vulgi dicto. Vulgus enim pro eodem habent *εὐδαιμονίαν* & *εὐτυχίαν*, quod & *infra* iterat *libro ſeptimo, capite decimotertio, & in Rhetoricis libro 1.* His tamen verbis continetur & præmunitio ſeu præparatio ad caput proximum.

ἔνιοι δὲ, τὴν.] Hæc particula videtur hoc loco eſſe aliena: neq; enim hic de virtute, ſed de bonis externis agitur; ideoque ſpuria mihi videtur & inducenda.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ὅθεν καὶ ἀπορεῖται, πότερον.] Hæc ita prioribus cohærent: quia ad beatitudinem neceſſaria bona fortunæ eſſe diximus: atque adeo ipſam beatitudinem à multis *εὐτυχίαν* ſeu fortunæ proſperitatem vocari: hinc exiſtit quæſtio; an fortuna beatitudinis ſit cauſa efficiens. Verum Ariſtoteles communius hanc quæſtionem pertractat, & in genere quærit, quænam ſit beatitudinis cauſa; quæ ſane quæſtio eſt grauiſſima: de qua Plato *in Menone, Protagora,* diligentiſſime diſputat.

πότερόν ἐστι μαθητόν.] Tres potiſſimum cauſas proponit, de quibus quæri ſoleat, an beatitudinis ſint effectrices: nempe *μάθησιν*, diſciplinam: *ἐθιστὸν* ſeu *ἔθος*: *ἄσκησιν*, exercitationem: *ἐπιμέλειαν*, ſtudium & induſtriam: *ἀρετήν*. Hæc prima eſt cauſa & vna tam multis nominibus hic ab Ariſtotele expreſſa; & à Platone *in Protagora*, vbi tamen & aliud nomen *διδαχή*, doctrina, commemoratur. Hæc autem omnia vocabula ad vnum caput & cauſam pertinere, cum totus iſte locus indicat: tum Platonis ille *in Protagora* perſpicue oſtendit. Non nego, quin ea vocabula alias inter ſe diſcrepent; ſed hoc loco dico, Ariſtotelem iis vnum caput, vnamque cauſam eſſe complexum: nempe an beatitudinis cauſa aſſequendæ in ipſo homine eiuſque poteſtate ſit poſita, an, inquam, ſuo ſtudio, exercitatione, humana denique opera quacunque eam aſſequi poſſit. Altera cauſa ponitur ipſe DEVS. Tertia fortuna.

ἢ κατά τινα θείαν μοῖραν.] Hæc eſt elegans phraſis, qua vſus eſt

.to hac ipſa in re *libro* 1. *de legibus, in Theag. in Protagora*:
oteles *infra libro* 10. vſitatius dixit, διά θείας αἰτίας, per
ım cauſam. Cicero *libro de Vniuerſitate* ex Platone ex-
:, diuino munere: deorum beneficio. Iuriſconſulti vo-
im maiorem.

ἐστὶν καὶ.] Primum agit de cauſa diuina, ſed leuiter & in-
propterea quod Politica ſcientia ſit humana, eique re-
ıuinarum tractatio non ſit admiſcenda, vt *ſupra* dictum
ntentia autem huius loci &argumentatio à minore ſum-
ec eſt: Si vllum eſt deorum opus hominibus datum, cer-
eatitudo vt præſtantiſſimum quiddam, ad deos auctores
nda videbitur.

ινεται δὲ κἂν.] Hic iam incipit explicare, vtrum beatitu-
cauſa ſit virtus, & diſciplina, an vero fortuna: & oſten-
ortunam non eſſe, ſed virtutem, aliquot argumentis.
ıtia autem huius loci hæc eſt, vt fateamur, beatitu-
ı à Diis non proficiſci, ſed à virtute & exercitatio-
hilominus erit res quædam diuina. Cur ita? Propter-
uod virtutis præmium ſit & finis beatitudo. : At vir-
ıerces omnium conſenſu res eſt præſtantiſſima & diui-
a.

δ' αὐτὴ καὶ πολύκοινον.] Id eſt, ſi virtus ſtatuatur cauſa feli-
, efficietur, vt felicitas quiddam fiat, quod latiſſime pa-
& proinde res ſit præſtantiſſima, vt *ſupra capite primo* di-
: [*Bona quo ſunt communiora, eo ſunt præſtantiora*:] Cur
ατὸν γὰρ ὑπάρξει, hoc eſt, quia beatitudo cum ex virtu-
leat, & virtus ſtudio acquiratur, & acquiri poſſit ab o-
ıs, qui non vitioſi ſint natura: ſequitur, beatitudinem
ınibus acquiri poſſe: atque ita late patere: ab iis, in-
, acquiretur, qui ſunt bona indole præditi: & hoc eſt,
ıit, τοῖς μὴ πεπηρωμένοις, hoc eſt, non mutilatis, (hoc e-
roprie ſonat, ſed hoc loco tranſlate valet, imperfecta
ılata quaſi indole, ingenio, & natura vitioſa præditis:)
t igitur Ariſtoteles, vt qui beatitudinem & virtutem aſ-
ur, etiam naturæ aptitudinem: Sunt enim nonnulli tam
ſa natura nati, vt prorſus ſint deplorati, & ad omnes
actiones inepti. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles *infra libro*
, *capite nono, & libro ſeptimo Politicorum capite decimo*
tria potiſſimum ad beatitudinem & virtutem requirit:
ım, φύσιν: εὐφυΐαν, bonam indolem: quam mirifice

quoque Plato laudat *libro tertio de Republica*, & recte Cicero *libro quinto Tuſculanarum*, tardis mentibus virtus haud facile committitur: Deinde ἔθος ſeu exercitationem & vſum: Poſtremo μάθησιν, ſcientiam: quæ tria hoc loco acute etiam indicantur ab Ariſtotele, & pulcherrime eadem requiruntur ab Iſocrate *in Oratione contra Sophiſtas*. Ex his tandem concluſio naſcitur, qua oſtendatur, beatitudinis cauſam eſſe virtutem. Sumatur primum beatitudinem eſſe quiddam præſtantiſſimum & optimum. Deinde iam dictum quoque eſt, præmium virtutis eſſe præſtantiſſimum, & virtute effici, vt optimum ſit, & latiſſime pateat, quod virtute acquiritur. Ergo virtus beatitudini eſt accommodatiſſima, & proinde eius cauſa videri poſſit.

εἰ δ᾽ ἐστὶν οὕτω.] Hoc loco oſtendit argumento à cauſarum natura, & cum effectis ſuis comparatione, ſumpto, beatitudinem fortunæ non eſſe attribuendam, hoc modo:

Res pulcherrima & præſtantiſſima optimis cauſis, non vero vilioribus aſcribendæ ſunt.

Atqui beatitudo eſt res præſtantiſſima: fortuna autem cauſa eſt leuiſſima.

Ergo beatitudo fortunæ non eſt attribuenda, ſed optimæ potius cauſæ, nempe rationi rectæ, quæ, vt *infra lib. 6.* dicetur, omnes actiones & virtutes noſtras dirigit & moderatur.

Propoſitio ibi, εἴπερ τὰ κατὰ φύσιν, &c. quam confirmat Ariſtoteles exemplo naturæ, artis, aliarumque cauſarum. Minor ibi, τὸ δὲ μέγιστον. Hac argumentatione vſus eſt & Ariſtoteles *lib. 1. Metaph cap. 3.* & Cic. *de Natur. Deor.*

συμφανὲς δ᾽ ἐστὶ,] Rurſus hoc loco oſtendit, beatitudinem eſſe ex virtute, argumento ſumpto ex definitione, hoc modo:

Beatitudo eſt actio ex virtute, vt habet definitio.

Ergo non ex fortuna.

ποιά τις.] Aut ſupereſt illud κατ᾽ ἀρετὴν, aut illud ποιά τις eſt ἐπεξηγητικὸν eius κατ᾽ ἀρετήν. Idem enim vtrumque valet: nam ποιά τις eſt hoc loco virtute affecta, prædita.

τῶν δὲ λοιπῶν.] Hæc clauſula, ſi liceret dicere, vt minime neceſſaria & aliena circumſcribi poteſt: accommodari tamen prioribus ita fortaſſe commodiſſime poterit: etſi dictum eſt beatitudinem ex virtute pendere, hoc tamen non ita eſt accipiendum: quaſi non & alia quoque neceſſaria ſint bona corporis

& fortunæ, inter quæ hoc intereſſe hoc loco indicat Ari-
[es]:quod corporis bona etiam inſint beatitudini,& cohæ-
ſtrictius,arctius:fortunæ autem magis ſint externa &ad-
[nexa],non conſtituentia.

ὁμολογούμενα δέ.] Euſtathius & Thomas hic aliud diſpu-
[tatio]nis initium faciunt, quaſi dicat Ariſtoteles, ταῦτα, hoc
[est], quæ hactenus tribus his capitibus de definitione ſunt
, conſentanea eſſe principio huius operis. Verior tamen
[huius] loci hæc eſſe videtur ſententia. Ταῦτα, hoc eſt, hæc, quæ
[mi]nus attulimus, beatitudinis cauſam eſſe virtutem, ea re-
[sp]ent & conſentiunt iis, quæ *ſupra initio* dicta ſunt, mox
[ad]dit, quemadmodum conſentiant ibi, τὸ γὰρ τῆς πολιτ-.
Dictum eſt *ſupra*, Politicæ finem eſſe optimum, hoc eſt,
[beati]tudinem. Quid tum dicet aliquis? Atqui Politicæ offi-
& munus eſſe, vt ciues bonos reddat, & virtute prædi-
[c]ertum eſt, quod & *infra libro decimo, capite ſeptimo*, te-
[tur], & *libro ſeptimo Eudem. capite decimoquarto*, & Plato
[mul]tis locis, præſertim *in Gorgia*, & Cicero *in Epiſtolis ad*
[Atti]cum. Ergo cum Politicæ propoſita ſit beatitudo, & ea-
ſtudeat virtuti, ſatis aperte indicat, ſe beatitudinem aſſe-
[p]er virtutem, id quod volumus. Hic ergo quartum eſt
[argu]mentum, quo oſtendit Ariſtoteles, virtutem eſſe cauſam
[effici]entem beatitudinis.

[εὐλόγως] γὰρ ὥσπερ εἴπομεν.] Ratio continetur his verbis, cur pue-
[ri no]n ſunt beati: eaque eſt bipartita, cum, quia agere neque-
hoc eſt, virtutem aſſequi non poſſint perfecte: tum, quia
pueri, hoc eſt, ætate imperfecta: atqui & perfecta vir-
& perfecta vita beatitudini ſunt neceſſaria, vt in definitio-
[ne es]t dictum.

πολλαὶ γὰρ μεταβολαί.] Hic iam explicare incipit particulam
[defi]nitionis illam, ἐν βίῳ τελείῳ, ſumpta occaſione de pue-
[ri]tate imperfecta. Videtur autem particula γὰρ hoc loco
[valere] δὲ, vt ſit initium diſputationis alterius, nempe de
[cala]mitatibus & caſibus aduerſis, quam vim habeant ad bea-
[titu]dinem impediendam vel tollendam: hoc enim agitur
[his] bus proximis capitibus, & ait quidem hoc loco, eum
[mi]m, qui beatus fuerit, deſinere eſſe beatum, ſi ante
[mor]tem & moriens grauibus & aduerſis malis oppreſſus
[fuer]it.

ἐν τοῖς ἡρωικοῖς.] Heroica interdum de tempore: interdum de

rebus & actionibus eius temporis dicuntur: hoc loco de actionibus: nam de tempore diceretur ἐπὶ τῶν.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Πότερον οὖν οὐδ' ἄλλον.] Quia dictum erat, eum, qui moriens in calamitatibus maximis fuerit, non poſſe dici beatum: quærit amplius Ariſtoteles, an ergo nullus, dum viuat, beatus eſſe poſſit: omni enim homini, dum viuat, eiuſmodi calamitates interuenire poſſunt. Et Ariſtoteles quidem oſtendit hoc capite, poſſe nihilominus beatum dici in vita, ſeu viuentem aliquem, reprehenſa Solonis ſententia & confutata. Priuſquam tamen diſſoluat eam quæſtionem, alteram quoque quæſtionem affert: an propinquorum calamitates noſtram beatitudinem impediant, aut omnino an ad nos pertineant: quam tamen quæſtionem ſecundam poſterius diſſoluit *cap. 11.* Ad has autem quæſtiones explicandas præclare Ariſtoteles eam definitionis particulam ἐν βίῳ τελείῳ vna explicat. Deinde oſtendit, quam vim habeant res aduerſæ: oſtendit denique, an beatitudo ſit bonum ſtabile, an fluxum. Hæc ſumma eſt *capitis 10 & 11.*

πότερον οὖν,] De hac quæſtione multa extant veterum teſtimonia in vtramque partem: plæraque pro Solone, vt Sophoclis *in τραχινίαις*: Euripidis *in Andromacha*: Ouidii *tertio Metamorphoſ.* Plinii *libro ſeptimo, capite quadrageſimo*: Plato quoque *in Epinomide* exiſtimat in hac vita neminem præter ſapientem eſſe beatum; poſt mortem autem alios quoque, qui vixerant, & ſapientes maxime. Cum Ariſtotele faciunt Stoici *libro 3. de Finibus Ciceron. in fine.* Et Cicero ipſe *de Finibus, lib. 2.* ſic ait, neque in alia parte, niſi in felicitate perfecta. De Solonis ſententia Herodotus *libro 1.* & Plutarchus *in vita Solonis.*

εἰ δὲ δή.] Exquirit primum dicti Solonis verum ſenſum: aut enim voluit Solon, mortuum demum eſſe beatum: aut mortuum dici demum beatum non eſſe. Et quidem prior ſenſus non videtur verus; nam abſurdum eſt, mortuum eſſe beatum. Concludit ita:

Beatitudo eſt actio.
Mortui nulla eſt actio
Ergo mortui nulla eſt beatitudo.

Poſterior

teriorigitur verus erit ſenſus: & huius habet rationem, Solon attulit, quia iam ſit extra omnes fortunæ caſus, alis omnibus liber, quod controuerſum eſſe oſtendit, dammodo falſum, ibi, δοκεῖ δέ. Hoc modo.

Si viuenti, licet non ſentienti, mala tamen & bona quoque accidere poſſunt.

Ergo & mortuo.

recedens oſtendit ibi, εἶναι ἐπὶ. Nam accidere poteſt, abſens ipſe ſupplicio vel ignominia afficiatur, vel eius aut propinqui, aut contra honoribus & commodis. Verum hæc refutatio rationis non omnino certa eſt, (conſum eſt enim, an liberorum ſeu propinquorum res ſe: aut aduerſæ nos attingant) Ariſtoteles hoc argumento em amplius non vrget: ſed *infra c. 11.* id latius explicabit.

λόγον.] Recte Lambinus, hoc eſt, cum mors vitæ rerit beatitudine.

τοῖς ἀποστήμασι.] ἀπόστημα plærumq; loci interuallum um ſignificat. Sed hic de tempore nonnulli accipiunt: , fieri poſſe longo temporis interuallo, vt liberi à paus ſuis & maioribus degenerent: vt auus fortaſſe fuerit nus, nepos nequam. Ego cum Euſtrathio ἀπόστημα idem ἀπόστασιν, hoc eſt, degenerationem ſeu defectionem à um moribus, valere, exiſtimo: vt Ariſtoteles *libro 1.* oſtendit, ſæpe accidere, vt liberi à parentum moribus deit, vbi Themiſtoclis, Cimonis, & Periclis liberos comrat. Sententia huius loci hæc eſt, liberos à parentibus us diſſentire, vel propter naturæ degenerationem, vel propter varias fortunæ viciſſitudines.

ἢ πλέον.] Solonem refellit ab abſurdo. Abſurdum uere aliquid alicui, non quo nunc id habeat, ſed quia it: & tamen cum vere id haberet, non id illi tribuere, de eo prædicare. Solon autem tribuit beatitudinem ei, n non habet, aut ſaltem de eo prædicat, nempe de moropterea ſcil. quia olim eam habuerit: & tamẽ tum, cum t, eamq; haberet, negat illi eam eſſe tribuendam, aut certi dicendum eſſe beatum. Ergo Solonis ſententia eſt ab-

Aſſumtio eſt ab Ariſtotele expreſſa. Propoſitio eſt ex ticis certiſſima. Nam notum eſt, omnem propoſitioe re præterita, vt ea ſit vera, neceſſe eſſe, vt aliquando de ſenti, propoſitio vera quoq; efferri potuerit: vt ſi verum

 eſt,

eſt, Socratem fuiſſe Philoſophum, & hoc iam licet dicere. Ergo aliquando quoque licuit dicere, Socratem eſſe Philoſophum.

διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι.] His verbis continetur Solonis ratio, nempe quia vita varijs caſibus eſt obnoxia & varia, beatitudo autem ſtabilis. Sic enim argumentabatur Solon.

Beatitudo eſt ſtabile quiddam.

Qui viuit, ſeu, vita non eſt ſtabilis, vtpote fortunæ varietatibus obnoxia.

Ergo eius qui viuit, ſeu vita non eſt beatitudo.

Maior ibi, διὰ τὸ μόνιμόν τι. Minor ibi, τὰς δὲ τύχας [τύχη in ſingulari fortunam ſignificat: in plurali caſus ſeu euentus fortunæ] vtraq; eſt certa, maxime tamen propoſitio, quam ipſe quoq; Ariſtoteles fatetur. Nam aſſumptionem, nempe vitam prorſus eſſe inſtabilem, ſimpliciter non admittit Ariſtoteles: & in ea conſiſtit Elenchus; & propterea Ariſtoteles mox eam adhibita diſtinctione falſam eſſe docebit.

δῆλον γὰρ ὡς.] Nondum refellit aſſumptionem, ſed confirmat quodammodo Solonis ſententiam ſub conditione, hoc modo:

Verum quidem erit, vitam fore inſtabilem, hominemq; varium fore & mutabilem, ſi in quæſtione de beatitudine fortunæ euentus ſequamur.

Sed hoc falſum eſſe mox oſtendam.

Falſum ergo erit & prius, viuentes tam eſſe varios & inſtabiles.

χαμαιλέοντά τινα.] Sic & ipſum Ariſtotelem in quæſtione de mundi æternitate, varium vocat Philoponus *lib. s. Phyſ.*

ἢ τὸ μὲν ταῖς τύχαις.] Hic iam proprie aſſumptionem illam refellit; negat enim fortunæ caſuum in beatitudine rationem eſſe habendam: ſed potius actionum ex virtute, quod duabus rationibus confirmat: prior hæc eſt, quia beatitudinis cauſa princeps actiones virtutis: fortunam vero tantum cauſam eſſe aduentitiam & organicam, ſeu adiuuantem, *ſupra* eſt demonſtratum *cap. proxim.* quod tamen & hoc loco confirmat, ibi, οὐ γὰρ ἐν ταύταις hoc modo:

Beatus dicitur vir bonus:

Ex fortuna nemo dicitur bonus aut malus, ſed ex virtute.

Ergo beatus non ex fortuna, ſed ex virtutis actionibus dicitur.

Alte-

rum argumentum ibi, μαρτυρεῖ δὲ τῷ λόγῳ: eſt iſtud:
uirtus eſt res ſtabilis. fortuna inſtabilis:
o beatitudini, quæ & ipſa eſt ſtabilis, vt ſupra ipſe Solon faſſus eſt (hoc enim vult his verbis, τὸ νυῦ διὰ παντὸς) quod modo quæſitum fuit, hoc eſt, magis conueniet virtus quàm fortuna.
m effecta cauſis ſuis reſpondere ſolent & debent, adeo vt
a onantur è ſtabilibus: atq; ita beatitudo ſtabilis, ex ſta-
tute potius, quam ex inſtabili fortuna.
: ἐδὲν γὰρ ὕπας.] Antecedens prioris huius argumenti,
e virtutis actiones eſſe ſtabiles, hoc loco oſtendit Ariſto-
ſle veriſſimum: & artium comparatione magis illuſtrat,
μονιμώτεραι γὰρ. Artes ſunt habitus, & inde fixæ & firmæ:
s tamen actiones illis ſunt conſtantiores: & cur ita?
equentior eſt vſus virtutum, quam artium: ſeu pluribus
s virtutis actionibus vtimur, quam artibus; quam ratio-
ndicat Ariſtoteles ibi, διὰ τὸ μάλιστα, &c. Virtutis enim
es exercentur aſſidue in cibo, in potu, in ingreſſu, in ſo-
ſo, in omnibus denique vitæ muneribus & officijs, at-
ſeo in ipſis artibus, cum iis iuſte, & vt decet, vtimur. Ar-
tutem vſus ſæpe intermittitur: ſutor non ſemper confi-
ceos: neq; aſtrologus aſtra contemplatur aſſidue, & huc
poteſt elegans Ciceronis locus *lib. 3. de Finib.* Quod ſi
bus concedamus, virtutis tamen non ſit eadem ratio:
erea quod hæc plurimæ commentationis & exercitatio-
ligeat: quod idem in artibus non fit: & quod virtus ſta-
em, firmitatem, conſtantiam totius vitæ complecta-
c eadem hæc in artibus eſſe videamus.
ἀρχὴ δὴ τὸ.] Hæc totius huius diſputationis eſt conclu-
tque inquit τὸ ζητέμενον, hoc eſt, an beatitudo etiam
tibuenda ſit, eam iam ineſſe viuenti conſtat.
καλ᾽ ἐργῶν.] Facta honeſta & bonos mores.
τὰς τύχας.] Hic artificioſa connexione Ariſtoteles in-
xquirere diligentius de fortunæ varijs ſucceſſibus & ca-
quemadmodum eos ferre debeat vir bonus & beatus:
quam vim & momentum habeant in rebus humanis,
xime in beatitudine vel ornanda, vel frangenda, vel labe-
da: hoc eſt, quod ſit eorum momentum in vtramque
n ratione beatitudinis.
τετράγωνος.] Eſt hæc clauſula verſiculi Poetæ Simoni-
dis,

dis, quam Plato quoque *in Protagora* hac ipſa de re agens, & multis poſt ſeculis alter Sopater *in Epiſtolis* (vt eſt apud Stobæum λόγῳ 44.) laudant. Nam tametſi contra Solonem, vt iam dictum eſt, Fortunæ non tantum in quæſtione beatitudinis rationem haberi, vt in vita nemo beatus dici debeat; tamen cum varij ſint fortunæ caſus & ſucceſſus, & magna eius in vita ſint momenta, recte fecit Ariſtoteles, quod accuratius de fortunæ caſibus explicarit. Summa autem totius huius explicationis, verbis interdum repetitis, paulo obſcurioris, alioqui non difficilis hæc eſt. Fortunæ euenta eſſe vel proſpera, vel aduerſa: rurſus eadem vtriuſque generis vel eſſe magna, vel parua. Parua in neutram partem vim & momentum habere. Magna ſi proſpera, ornare beatum, atque adeo beatiorem quodammodo reddere: propterea quod eorum vſus ſit pulcher & honeſtus in vita communi: ſi aduerſa, iam quia actiones beatitudinis impediunt, vt & omnis dolor, de quo *infra lib. 7. cap. 13.* actio autem perfecta eſt beatitudo: perfecta autem nulla eſt, quæ impediatur, vt eo capite oſtenditur: itaque ſi aduerſa, quia vt dixi, his impeditur beatitudinis actio, fit vt hic beatus grauiter periclitetur, ne deſinat eſſe beatus. Quid ergo? certe, quia iam ſæpe dictum eſt, beatitudinis cauſam principem eſſe virtutis actiones: fortunam eſſe aduentitiam cauſam: deinde quia in rebus aduerſis virtus & fortitudo maxime elucet, certe inquam, ſi caſus eos aduerſos, etſi maiores, moderate & leuiter perfert, &, vt virum bonum decet: non deſinet eſſe beatus, aut potius non fiet miſer, propterea quod ferendo fortiter mala, ipſam quoque virtutem exerceat, & virtutis actiones edat, ex quibus potiſſimum beatitudo conſiſtit: ſi modo aduerſa ferat, non quaſi non ſentiens ea & animi quodam ſtupore, ſeu potius animi quadam magnitudine ſeu robore, μὴ δι' ἀναλγησίαν, &c. quod ſi non ferat, animiq; mollitie ſuccumbat, vt exul Cicero: iam quia excidit actionibus virtutis, fit miſer: plane, ſi grauiſſimis & inuſitatis malis ita opprimatur, vt beatitudinis actiones exercere nequeat: qualis fuit Priamus, Niobe, Crœſus: tum certe beatus eſſe deſinet: ex quibus tantum malis, ſi ſe rurſus emerſerit, temporeque interpoſito, non breui tamen, ſed iuſto & longo, ea quæ ad beatitudinem complendam pertinent, recuperarit: iam rurſus fiet beatus. Hæc mihi videtur ſententia huius loci ab his verbis, πολλῶν δὲ γινομένων, vſque ad illa, τί οὖν κωλύει λέγειν.

Alij

a explicant, vt exiſtiment nunquam quem fieri poſſe ım, ſi fuerit aliquando beatus, etſi Priamicis caſibus op- n. Atque ita diſtinguunt; ob leues caſus beatum ne- ſinere eſſe beatum, neque fieri miſerum: ob graues & grauiſſimos, deſinere quidem poſſe eſſe beatum: ſed ta- on fieri miſerum, ſed medium quendam inter beatum rum: propterea quod videatur retinere ſemper poſſe s actiones. Mihi videtur grauiſſimis oppreſſum malis, on poſſe retinere, & proinde deſinere eſſe beatum & fie rum. Ex his iam perſpicuum eſt, quemadmodum ſe debeat vir bonus, in moderate ferendis rebus ſecundis erſis: præterea quæ ſint fortunæ momenta, quæ vis in ıdine vel ornanda vel eneruanda, aut etiam tollenda. mo beatitudinem eſſe rem firmam, ſtabilem, & diffici- ıutabilem, eamq; neq; facile amitti, neq; etiam facile & empore acquiri.

τί κωλύει λέγειν.] Vulgo omnes Ariſtotelem ita hoc cipiunt: quaſi velit, hunc demum eſſe & dici beatum, æ beatæ, & feliciter actæ mortem congruenter obierit: am beatam vſque ad mortem perduxerit. Contra ego elem dicere exiſtimo: beatum perfecte dicendum at- e illum, qui ex virtute perfecta diu vixerit: etſi ad mor- m vitam non perduxit. Quæritur enim his verbis, an ıtione beatitudinis *ſupra* allata, aliquid ſit addendum, huiuſmodi additamentum: quique ita ſit victurus, & n congruenter obiturus. Sic enim intelligendum eſt προσθετέον, hoc eſt, adijciendum: nempe beatitudi- nitioni, & ait hoc additamentum non eſſe neceſſum. explanationem huius loci ſatis confirmat illa phraſis ωλύει, quaſi dicat nihil, nihil inquam, prohibet, quo definitionem illam ſuperiorem ſecuti, beatum dicamus qui ex virtute diu vixerit: deinde confirmat & illud, τ, ἢ προσθετέον, diſputans à contrario Ariſtoteles, an um &c. Ita enim quærit, nihil tamen reſpondet, ſed rioribus illis verbis iam ſatis erat perſpicuum. Præter- ı illa ἐπειδὴ τὸ μέλλον, apertius adhuc confirmant. His tio continetur, cur illud additamentum non ſit neceſ- ım, inquit, quod futurum eſt, nobis eſt incertũ & igno- proinde infinitum, atque ita imperfectum. Beatitudo ſt finita & perfecta. Argumentationis erit formula:

Qua

Quæ ſunt infinita & incerta, non conueniunt beatitudini.
Futura autem ſunt incerta & infinita.
Ergo non conueniunt beatitudini.

Præterea ſuam ipſe definitionem imperfectam fateretur, & quam *ſupra* confutauit Solonis ſententiam hic comprobaret: atq; ita ſibi turpiter repugnaret. Poſtrema confirmatur loco *Eudem. lib.2. cap.1.* καὶ τὸ μηδεμίαν.

μακαρίους δ' ἀνθρώπους.] Libri manuſcripti & vetus tranſlatio habent δὲ ὡς ἀνθρώπους: quæ ſcriptura elegantior videtur, ſententia tamen eſt eadem, quæ mihi hæc videtur eſſe: dicendos quidem eſſe beatos, quibus adſint ea, quæ nos in definitione requiſiuimus: ſed tamen vt homines, hoc eſt, beatitudine humana præditos, non vero diuina, quæ longe eſt excellentior. Nam de humana in his libris agitur, &c.

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Τὰς δὲ τῶν ἀπογόνων.] Explicata iam principe quæſtione, redit ad alteram, cuius *ſupra* quoque meminit initio capitis, huc reiectam, an poſterorum & amicorum res aduerſæ aut ſecundæ ad mortuum permanent, eumque attingant: & aſſentitur quidem Ariſtoteles permanare, ſed valde breuiter, & puſilla vi, vt beatitudinem mortuo neque afferre, neque adimere poſſint.

τὸ μὲν μηδοποσῶ.] Cur res illæ ad mortuum demanent, duplex hic redditur ratio; cum, quia alioqui hoc eſſet ἄφιλον, h.e. qui negaret permanare, videretur nullam ſuorum curam amplius habere: & propinquorum omnem abieciſſe memoriam: tum, quia hæc erat omnium fere hominum ſententia, ſentire mortuos ea, quæ apud ſuperos gererentur, etſi de hoc dubitat ipſe Socrates *in Epithaphio apud Platonem in fine*. Periculoſum eſt autem repugnare communi opinioni, quod periculum niſi metuiſſet Ariſtoteles, non tam hæſitanter hic locutus eſſet, meo quidem iudicio, ſed aperte protuliſſet, mortuum non ſentire, non eſſe, nihil ad illum pertinere: quod *infra lib.3. cap.6. & 9.* apertius confirmat.

πολλῶν δ'.] Methodum prius affert, qua pertractare de hac quæſtione velit: & ita breuiter & ſummatim ſe de hac re acturum: non omnia ad viuum reſecare velle, propter eorum infinitam

n varietatem. Varij namque ſunt caſus, exigui, magni, ni, & varij propinquitatum quoq; ſunt gradus. Eſt enim ſunt filij, fratres, ſorores.

ὅλως δὲ λεχθὲν.] Conſtituto iam, propinquorum euen- ios permanare, proximum erat videre, quatenus perue- Quod vt expliect, vtitur diſtinctione, qua & priore ca- t vſus, euentorum, quorum alia ſunt grauia, alia leuia. m eſt autem, leuia nullam vim habere, grauia habere; t *ſupra* in viuorum caſibus hæc diſtinctio adhibita fuit: hoc loco in quæſtione de mortuis adhibenda erit. Con- tur, ſi quæ ad mortuum perueniant, ea debere eſſe gra- emplo viuorum. Et hæc prima eſt differentia & diſtin- equitur altera caſuum diſtinctio.

φέρει δὲ τι.] Prior diſtinctio communis fuit tam viuis, mortuis, & proprie caſuum fuit diſtinctio: hæc ipſorum s accidant caſus, proprie eſt diſtinctio. Nam, inquit, ac- vel viuis, vel mortuis: veriſimile eſt autem, mortuos affici, quam viuos, qui vel ipſi ſubeunt calamitates, vel it: nam quæ coram cernimus vel ſentimus, grauiora r accidunt, magisq; commouent, quam quæ longo in- to interuallo percipimus: quod etſi eſt perſpicuum, cō- tamen exemplis à rebus tragicis. Nam in Tragœdijs, ous plærunque caſus grauiſſimi, vt cædes, exitia tractan- agis commouent ſpectatores, ſi in ſcena ipſa adhibean- erantur caſus illi, quam ſi, vt antea facti tantum nar- vnde Horatius *in arte Poetica*:

Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos immiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis commiſſa fidelibus.

ὑπάρχειν.] Hæc duo verba προϋπάρχειν & πράττεσθαι bus & Lambinus vertunt, prius ab hiſtrionibus agi ſeu i: alterum geri & perpetrari: ſed Argyropylus & nos is πράττεσθαι pro in ſcena exhiberi & geri: & προϋπάρ- od iam ante actum fuerit, narrari ſeu referri, vt loquitur ius.

πλῶς.] Id eſt, quod vel ſua vi, aut omnino ſit leue, aut ſorum mortuorum ratione. Dictum eſt enim modo, nagna & grauia mala per ſe haberi leuia ratione eo- uibus accidant: vt præſentibus & viuis grauiora, quam s & abſentibus.

Εἰ δὲ μή.] Ita quidem habent plærique libri, ſed vetus translatio legiſſe videtur, εἰ δὲ, μὴ τοσοῦτον. Deinde alij aliter hoc accipiunt Puto nihil mutandum, & ita explicandum: ſi quid ad eos perueniat, id valde erit minutum. Quod ſi non, hoc eſt, ſi quis hoc negat, quod dixi, nempe minutum aliquid peruenire, ſed maius potius permanare exiſtimet: profecto hoc tamen concedat neceſſe eſt, quantumcunque id tandem fuerit, non tantum fore, vt beatitudinem vel afferat, vel auferat, &c.

CAPVT XII.

COMMENTARII.

Διωρισμένων δὲ τούτων.] Explicata iam definitione & natura beatitudinis, priuſquã alio progrediatur, quæſtionem interponit, quæ potius de dignitate beatitudinis agit: & tamen proprietatem aliquam beatitudinis etiam continet. Quæſtio autem eſt hæc, an beatitudo ſit ex genere bonorũ laudabilium, an vero honoratorum ſeu honore dignorum. Quæ vt intelligatur, ſciendum eſt, fuiſſe quandam partitionem bonorum, qua bona dicantur partim δυνάμεις, hoc eſt, facultates; partim ἐπαινετὰ, ſeu laudabilia; partim τίμια, ſeu honore & cultu digna. Δυνάμεις vt bona corporis & fortunæ, ita dicta, quia & bene & male ijs vti liceat. Hoc enim proprie δυνάμις dicitur, teſte Alexandro *lib. 1. Top.* Laudabilia vt virtutes & facta honeſta. Τίμια, quæ ſunt ſumma, vt Deus, mens; antiquitas, beatitudo, principia, rerum fundamenta & origines. Hæc ex Ariſtotele *lib. 1. magn. moral. cap. 2. & Cic. lib. 4. de Finib.* Videatur & Ariſtoteles *lib. 1. Rhet. cap. 36.* & Alexander *lib. 4. quæſtionum cap. 27. & in librum 4. Topicor.*

Δῆλον δὲ ὅτι.] Eſt quaſi occupatio. Occurri namque poterat Ariſtoteli, quæſtionem eius non eſſe integram, ſed ita quæri debuiſſe, an ſit ex genere δυνάμεων, an laudabilium, an honoratorum. Cuius partitionis tripartitæ non immemor, Ariſtoteles ſtatim occupans rationem quaſi reddit, cur tertij generis nõ meminerit, eo quod perſpicuum ſit, beatitudinem eo genere non contineri, & ſtultum quodammodo dubitare, an beatitudo in infimo illo genere ſit collocanda.

Φαίνεται δὴ πᾶς.] Tribus rationibus oſtendit, beatitudinem eſſe ex genere non laudabilium, ſed rerum dignarum honore,

nore, & cultu. Prima autē ratio hic affertur à definitione laudabilis aut certe proprietate. Dicit enim laudabile quod ſit, ea de cauſa eſſe laudabile, quia qualitate aliqua ſit præditum, & alio nempe ad bonum aliquod præſtantius referatur, vt virtutes laudamus ob præclaras earum actiones, quibus beatitudinem aſſequamur. Primam hanc rationem compoſito ſyllogiſmo confirmat Ariſtoteles. Proſyllogiſmus hic eſt:

Quicquid eſt laudabile, ea re laudatur, quia ad aliud refertur.

Res autem optimæ ad aliud non referuntur.

Ergo res optimæ non ſunt in genere laudabilium.

Propoſitio ibi, φαίνεται δὴ πᾶν, quæ confirmatur partim virtutibus, ibi, τὸ γὰρ, tam animi, quam corporis; partim etiam à Deorum laudibus, ibi, δῆλον δέ. Nam virtutes laudabiles ſunt διὰ τὰ ἔργα, hoc eſt, alio referuntur. Dij autem, quia alio non referuntur, ſed in ſe ſunt perfecti, non laudantur. Abſurdum enim eſſet, Deum laudare, quemadmodum homines ſolemus, puta, quia temperanter, aut iuſte, aut fortiter, quid egerit. Hoc enim, inquit Ariſtoteles *infra lib.* 10. eſt φορτικὸν, hoc eſt, ineptum, & hoc loco γελοῖον ridiculum: & ſic puto accipienda hæc verba perobſcura; γελοῖοι γὰρ φαίνονται. Sunt enim qui τὸ γελοῖοι referant ad θεοὺς, quaſi dicat Ariſtoteles, Dij fierent ridiculi: ſi ad nos referrentur, hoc eſt, quaſi noſtra de cauſa, & ad noſtrum honorem & vtilitatem agerent: cum nos omnia noſtra potius ad illos referre debeamus. Sed melius τὸ γελοῖοι ad ἐπαίνους referri videtur: vt hæc ſit ſententia. Deos non ... laudibus, quia ridiculi eſſent comparati ad noſtrum morem, hoc eſt, ſi laudentur Dij, vt homines ſolent, puta quia caſte aut iuſte egerunt. Minor omiſſa eſt, quæ certiſſima eſt ex ... *cap.* 7. Complexio ibi, δῆλον ὅτι. Hinc iam efficitur ſyllogiſmus quæſtioni accommodatus ac princeps:

Nulla res præſtantior eſt è numero laudabilium.

Beatitudo eſt è rebus præſtantioribus.

Ergo beatitudo non eſt è numero laudabilium.

Si non è laudabilium.

Ergo ex meliorum, & præſtantiorum, h.e. honoratorum.

... ἐστὶ φαίνεται.] Alterum eſt argumentum à communi loquendi ſumtum: quia nemo laudet res optimas, ſed ...as & felices dicere ſoleat. Concludi hac formula argumentum poteſt.

F .Quod

Quod vulgo non laudatur, ſed beatum dicitur, id non eſt è genere laudabilium, ſed præſtantiorum nempe honoratorum.

Beatitudo, vt & Dij vulgo non laudantur, ſed beati dicuntur.

Ergo beatitudo non eſt laudabilis, ſed cultu digna.

Propoſitio hic eſt omiſſa; certa tamen. Nam vſus communis eſt quaſi lex naturæ inquit Cicero. Aſſumtio exemplis illuſtratur, ibi, τοὺς γὰρ θεούς. Confirmat propoſitionē Eudoxi quoq; autoritate. Vt hæc diſtinctio vocabulorū laudis & μακαρισμοῦ melius intelligatur, ſciendum eſt, 4. eſſe Græcis vocabula, quæ idem pene valeant; ſubtiliter tamen à Philoſophis ſunt diſtincta: nempe ἔπαινον laudem: ἐγκώμιον encomium ſeu laudationem: μακαρισμὸν, hoc eſt, rationem, qua quis beatus dicitur: idem & εὐδαιμονισμὸν, quod idem eſt cum priore in hac noſtra diſputatione. Nam alias hoc ſæpius hominibus: illud dijs attribui ſolet. Vt indicat Ariſtoteles *li. 1 magn. moral. c. 3.* & *ſupra cap.* 10. *in fine*. ὡς μακαρίους. ἔπαινος autem proprie eſt hominum virtute præditorum, aut ex virtute agentium: & ipſarum quoq; virtutum διὰ τὰ ἔργα, hoc eſt, propter honeſta facta ἐγκώμιον eſt ipſorum ἔργων teſte Ariſtotele *lib. 1. Rhetor.* & Aphthonio *in progymnaſmatis*. Duo priora ἔπαινος & ἐγκώμιον, conueniunt rebus laudabilibus, duo poſteriora rebus honore & cultu dignis, vt hoc loco teſtatur Ariſtoteles, ὁ μὲν γὰρ ἔπαινος. Verbi gratia, ſi vellem laudare Ciceronem, eſſet ἐπαινέσαι, ſi laudare vellem conſulatum à Cicerone bene geſtum, eſſet ἐγκωμιάζειν.

τοῖς περὶ τὰ ἐγκώμια.] Id eſt, ad Rhetores pertinet diligentior explicatio differentiæ inter laudem & encomium.

ἔοικε δὲ οὕτως ἔχειν.] Tertium eſt argumentum, cuius hæc ſit formula.

Principium & cauſa bonorum, numeratur in bonis honore & cultu dignis.

Beatitudo autem eſt principium politicæ & omnium actionum vitæ bonarum.

Ergo beatitudo eſt ex bonis honore & cultu dignis, eſt τίμιον.

Maior ibi, τὸ εἶναι ἀρχὴν, quam vt certam ſe ſumere & ponere ait, & commemorat Alexander *in 3. Topic.* principia eſſe τίμια. Nam vt vetuſtiora & fontes, vnde reliqua omnia manant, omni honore digniſſima videntur.

πάντες

πάντες πάντα πράττομεν.] Elegans eſt loquendi formula, vt & πᾶσαι πάσαις: cum verbum iſtud πάντες iteratur: qua phraſi exprimitur vniuerſa complexio alicuius rei, qua vtitur Ariſtoteles ſæpe, vt *infra lib.3 cap.1.* τούτων γὰρ χάριν, πάντα πάντες, & *lib 1. Rhet. & hic lib. 2. cap. 8. initio, &c.*

CAPVT XIII.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία.] Tria fere hoc cap. explicantur. Primum .n. Ariſtoteles methodi obſeruantiſſimus & optimus magiſter: de virtutibus acturus, rationem ordinis reddit; cur de ijs nunc agat, profeſſus initio, ſe ſummum hominis bonum & beatitudinem ſeu finem Politicæ explicaturum: quæ non eſt virtus ſed beatitudo. Oſtenditur igitur primo virtutis explicationem ad politicam etiam pertinere: qua occaſione arrepta, ad eam etiam animæ aliquam cognitionem ait pertinere: his propoſitis deinde ad rem accedit, nempe ad virtutum explicationem: verum quia virtutes in animo conſiſtunt, & pro animi partibus diſtingui ſolent, quædam quoque hoc loco de animi partibus interponit: quibus breuiter expoſitis, extremo capitis tandem diuiſionem virtutis affert, partibus animi conſentaneam. Primum autem duas affert rationes, cur de virtutibus agere inſtituat. Prior eſt ibi, ἐπεὶ δ' ἐστὶν, hæc, quia virtutum explicatio iuuat explicationem beatitudinis: & cur ita? propterea quod in definitione beatitudinis hæc particula continetur, EX VIRTVTE PERFECTA: altera ratio ibi, δοκεῖ, ab exemplo. Politici omnes maxime de virtute laborāt. Ergo & nos Politicam explicantes in eadem maxime laborare debemus. Antecedens confirmatur ibi, βούλεται γὰρ, & ibi, παράδειγμα δὲ τούτων, hoc modo: Elaborant, inquam, Politici in virtute: nam id maxime ſtudent, vt ciues reddant viros bonos, hoc eſt, virtute præditos, & legibus obedientes: quod ipſum confirmat exemplo aliquot Politicorum, ſeu legum ſcriptorum. Idem antecedens *ſupra* quoq; *ca.9.* & pulcherrime *li.3. Polit. c.6.* quod tamen antecedens hoc loco Ariſtoteles recte reſtringit ibi, ὁ κατ' ἀλήθειαν, hoc eſt, vere Politicus, & ibi *in Politicis*, idem ait eodem modo; ciuitatem quæ vere ſit ciuitas: μὴ λόγου χάριν, hoc eſt, non nomine tenus. Nam Ariſtotelis ætate plæriq; Politici, vt vitioſi & imprudentes non erant vere Politici, neq; magnam virtutis curam gerebant.

πεπονῆσθ.] Id eſt, elaborare, hoc eſt, magnam curam & ſtudium ponere. Præteritum pro præſenti, vt & præcedenti cap. in fine, ibi, *πεπονημένοις* pro *πονεμένοις*.

καὶ εἴ τινες ἕτεροι.] Nominat tantum duos Politicos Cretenſem & Laconicum, vtpote ea tempeſtate, ætate illa celeberrimos, ipſo teſtante *in Polit. lib. 2.* ſed eo tempore fuerunt & alij: Charondas apud Siculos, & Italos, hoc eſt, in magna Græcia: & Solon apud Athenienſes, & Moyſes apud Hebræos.

περὶ ἀρετῆς δέ.] Poſtquam conſtat iam agendum eſſe de virtute: & virtutis nomen ſit multiplex. Eſt enim vel diuina vel humana: eſt vel corporis vel animæ, hoc quoque primum diſtinguit, aitque ſe de humana, non de diuina diſputaturum. Cur ita? nam & beatitudinem humanam exquirimus, vt ſæpe dictum eſt. Deinde ſe acturum de virtutibus animi, non corporis, propterea quod *ſupra* quoque dictum eſt: beatitudinem eſſe animi actionem: ad quam beatitudinem virtutis quoque explicationem pertinere modo dictum eſt. Sic mihi videtur locus accipiendus eſſe. Virtus igitur humana dicitur, partim vt diſtinguatur à diuina, partim vt diſtinguatur à virtutibus, quæ beluis ſunt cum hominibus communes, quales ſunt corporis.

εἰ δὲ ταῦθ' οὕτως.] Quia modo dixit: beatitudinem eſſe actionem animi, & acturum de virtutibus animi: hinc ſententiam hanc elicit Ariſtoteles: Politicum debere habere notitiam aliquam animi: quod confirmat duabus rationibus. Prior eſt, vt iam dixi, agitur in Politica de virtutibus animi, vel beatitudine, quæ eſt animi actio. Altera ratio ibi, *ὥσπερ καὶ τὸν ὀφθαλμοὺς*, ab exemplo medici ſumta. Sic enim à minore argumentatur:

Si medicus curator corporis, in eo cognoſcẽdo ſtudiũ ponit.
Ergo & Politicus curator animi in eo cognoſcendo elaborare debet.

Antecedens eſt certiſſimum: notum eſt enim quantopere laborent medici in anatomicis; Animi autem curatorem ſeu Medicum eſſe Politicum, præclare oſtendit Plato *in Politico.* Ergo ſi in corpore re longe inferiori, quam eſt animus, tanta cura eſt ponenda, certe in animo multo maior erit ponenda. Ergo agendum eſt Politico de animo, & cognoſcendus animus. Sententia propoſita confirmatur elegantiſſimo loco Platonis *li. 1. de ll. extremo*, perperam reddito à Ficino.

θεωρητέον δὴ καὶ.] Hic oſtendit quamnam animi notitiam habe-

Digitized by Google

habere debeat Politicus: nempe mediocrem, & quatenus cõducat vitæ & moribus noſtris. Quod idem de medico ſuo monet Galenus *in lib. de facultatibus naturalibus*: vbi medico dicit eſſe neceſſariam animæ cognitionem, non exquiſitam tamen: ſed qualis pertinet ad morborum fontes inueniendos. Nam ſubtilior de anima vel eius natura diſputatio ad Phyſicum pertinet.

καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς] Notum eſt ex *Gellij lib.* 20 *cap.* 4. Plutarcho *in Alexandro*: Clemente *lib.* 6. στρωμάτων, & Cicerone *lib.* 2. *de Fin.* Ariſtotelis opera fuiſſe bipartita: quorum altera dicta fuerunt ἀκροαματικά, altera ἐξωτερικά. In illis continebatur diſputatio exquiſitior: in his popularior, hoc eſt, in illis exquiſitiſſime & ſubtiliſſime omnia diſputabantur: in his facilior erat tractatio, vt fit in Dialogis. Et illi Exoterici omnes interciderunt. Sunt, qui negant hanc Ariſtotelis diuiſionem eſſe veram: ſed refelluntur aperte Ariſtotelis teſtimonio *lib.* 1. *Eudem. cap.* 8.

οἷον τὸ μὲ ἄλογον.] Quoniam Ariſtoteles eadem interdum hic iterat ſæpius: nos ſummam totius diſputationis faciemus. Sumitur autem primum ex libris Exotericis, animæ duas eſſe partes, rationis participem vnam, alteram expertem. De hac prius agit Ariſtoteles: de priore poſterius hoc cap. ibi, εἰ δὲ χρὴ ἐκ τούτου. Vtramq; partem rurſus bipartito ſecat: ita vt vtraq; ſit vel rationis particeps, vel expers, hoc modo. Rationis expers partim eſt poſita in ſtirpibus, & omnibus animantibus, quæ omnino ratione vacant, & dicitur τὸ φυτικὸν, ſeu altrix latine: partim in homine tantum, & dicitur ὀρεκτικὸν & ἐπιθυμητικὸν, in qua perturbationes, vulgo affectus. Sic & rationis particeps pars, vel vere eſt particeps rationis: eaq; proprie dicitur τὸ λογιστικὸν, in qua eſt ratio & mens: aut non vere, ſed potius rationis eſt expers, quæ & ipſa dicitur τὸ ὀρεκτικόν. Ex his partitionibus perſpicuum eſt, tres veras eſſe animi partes, τὸ φυτικὸν, altricem, omnibus animantibus communem; alteram τὸ ὀρεκτικὸν appetitionum: Tertiam τὸ λογιστικὸν rationis, vtramq; hominis propriam. His partibus ita diſtinctis iam videamus, quæ ſit earum vis. quæ & cur ſint hominis propriæ, quæ non, hoc eſt, quæ ſint vtiles ad Politicam ſcientiam, quæ inutiles & alienæ. Hic enim eſt ſcopus & vſus diſputationis de Anima hoc loco, vt *ſupra* dictum eſt. Primum igitur de altrice agens, ibi, τοῦ ἀλόγου δὲ, &c. oſtendit eam non eſſe hominis

propriam, & proinde alienam ab hac ſcientia, & prorſus inutilem, idq́; duabus rationibus: quarum prior hæc eſt, quia ſit communis cum ſtirpibus & beluis, alijs animantibus, ibi, τὴν τοιαύτην γὰρ. Cuius rationis hæc ſit concluſio.

Quæ cui ſunt cum alijs communia, non ſunt eius propria.
Altrix pars animi eſt homini cum alijs communis.
Ergo non eſt eius propria.

Propoſitio eſt certiſſima. Aſſumptionem confirmat ibi, τὴν τοιαύτην, &c. *Nam*, inquit, *attribuimus eam omnib. rebus, quæ aluntur & quæ viuunt.*

τὴν αὐτὴν δὲ ταύτην.] Id eſt, altricem tribuimus etiam perfectis, & eadem eſt, quæ imperfectis ſeu fœtibus tribuitur. Videbatur quidem eſſe diuerſa. Nam τῆς φυτικῆς duæ ſunt partes, altrix & augens: quæ duæ ſunt quidem in teneris, & imperfectis: at non in perfectis. Nam quæ ſunt perfecta etſi aluntur, augeri tamen & creſcere aliquando deſinunt. Itaq; non videntur eandem prorſus habere animam, quam imperfecta: tamen melius eſt dicere, eſſe eandem: εὐλογώτερον γὰρ: complexio ſyllogiſmi ibi, ταύτης μὲν οὖν. Altera ratio ibi, δοκεῖ γὰρ, eſt hæc; quia

Quæ propria eſt hominis pars, ea in ſomnis quieſcit & conſopita iacet.
Atqui altrix anima pars tum vel maxime viget:

Cuius rationis hæc ſit forma:

Quæ hominis eſt propria vis & pars animæ, in ſomnis quieſcit.
Altrix animæ pars in ſomnis nō q̃eſcit, ſed maxime viget.
Ergo altrix non eſt pars propria hominis.

Propoſitio ibi, ὁ δ᾽ ἀγαθὸς, &c. ſeu declaratio potius & explicatio propoſitionis: quaſi dicat, hinc apparet, partem hominis propriam in ſomnis quieſcere; quia tum non liceat internoſcere virum bonum ab improbo, ꝙ non ex ocio aut quiete, ſed ex actionibus demum virtuti conſentaneis cernitur: quod ipſum cōfirmat prouerbio, ibi, ὅθεν φασιν: quo vulgo dici ſolet: *Dimidiato vitæ tempore fortunatos à miſeris nihil differre*: quando & Plinius de vitæ breuitate locutus eſt *lib.* 7. *c.* 50. Deinde eandem maiorem propoſitionem confirmat ibi, ἀργία γὰρ ἐστιν, à ſomni vi & natura. Somnus enim conſopit animæ vires: eius inquam animæ ex qua vir bonus aut improbus dicitur. Aſſumptio ibi, δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς, quæ à medicis confirmatur. Nam in ſomnis calore intus collecto facilior fit concoctio:

ctio: ex bona autem concoctione magis ali & augeri omnia membra & corpora certum eſt. Ergo vt alienam à propoſito altricem animæ partem reijciendam ſeu omittendam tandem concludit, ibi, ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων, ἅλις.

πλὴν ἠρέμα κτλ.] Eſt correctio quædam propoſitionis, qua dictũ eſt, in ſomno nihil agere eam animæ partem, qua boni aut mali dicimur. Nam, inquit, fortaſſe aliquid agit, nempe, quia in ſomnis viris bonis viſa ſeu φαντάσματα, ſeu viſiones, ſpecies Phantaſiæ (idem hæc valent) obijciuntur & occurrunt meliora & honeſtiora: viris improbis nequiora & turpiora, quod & verum eſt, & pulcherrime oſtendit Plato *lib. 4. de Republ.* qui locus Ciceroni ita placuit: vt eum ad verbum verteret *libr. 1. de diuinatione*: & Plutarch. *in libr.* πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ. Reiecta igitur altrice, ad alteram ſeu τὸ ὀρεκτικὸν accedit, quæ quidem eſt iræ, metus, & omnium denique motuum turbulentorum animi & perturbationum noſtrarum ſedes. Hæc eſt ea pars animi, in qua explicanda & regenda maxime laborat politicus, eaq; de cauſa potiſſimum cognoſcenda. Ariſtoteles ibi, ἔοικε δὴ καὶ ἄλλη, &c. eam explicare incipit & primum quidem oſtendit, an ſit præter illam altricem alia quoque animæ pars rationis expers: & oſtendit eſſe, ſumpto argumento à continenti & incontinenti, ibi, τοῦ γὰρ ἐγκρατοῦς, &c. Videre enim licet continentem & incontinentẽ mirifice diſtrahi, & magnam in vtroq; eſſe pugnam, quam declarat exemplo aut ſimili, à partibus corporis diuulſis & luxatis, ibi, ἀτέχνως γάρ. Quod ſi eſt pugna, ſunt & aduerſarij: ex aduerſarijs notum eſt eſſe vnũ, qui ſit & dicatur ratio. Nam in continente & incontinente, ratio luctari ſolet, propterea quod ea ad res optimas adhortetur. Alter igitur aduerſarius, rationi contrarius, rationis expers vt ſit neceſſe eſt. Etſi .a. non videtur hæc rationi repugnans particula, quẽadmodũ in corpore luxato, eneruato, partes luxatas cernere licet inter ſe repugnantes, propterea tamen negandum non eſt, eam homini ineſſe, ibi, ἀλλ' ἐν τοῖς σώμασι μὲν ὁρῶμεν, &c.

λόγου δὲ καὶ τοῦτο.] Hic eandẽ particulam oſtẽdit ratione quoq; præditam eſſe, hac ratione, quia pareat rationi, ibi, πειθαρχεῖ γοῦν, &c. vbi exemplum continentis, prudentis, & fortis viri affert, in quibus illa particula cum ratione confligens & concurrens cedit & obtemperat rationi, minus quidem in continente, quam in prudente & forti, propterea quod continentia ſit virtus imperfecta; atque ita in continente τὸ ὀρεκτικὸν cum

ratione non plane conſentit, in reliquis [virtutibus perfectis] omnia plane conſentiunt. Eſt & altera ratio, qua oſtendit illam particulam, nempe τὸ ὀρεκτικὸν, eſſe rationis participem, nempe ibi, ὅτι δὲ πείθεται, quia ſcilicet audit illa particula obiurgationes, reprehenſiones & id genus alia monita. Sic autem concludi poteſt.

Quæ pars rationi paret, rationis quoq; eſt particeps.
Hac autem animæ particula τὸ ὀρεκτικὸν rationi paret.
Ergo rationis quoq; eſt particeps.

Propoſitio confirmatur à ſimilibus ibi, οὕτω δὴ καὶ τ. Nam qui parentibus & amicis dicto eſt audiens ſeu paret, dicitur habere rationem eorum. Nam eius rationem habemus, cui dicto ſumus obedientes, & quem curamus, & ſequimur volentem aut monentem. Aliud eſt in Mathematicis: vt cùm dicimus, habere rationem rerum Mathematicarum: non dicimus de illo, qui obedit rationibus Mathematicis, vt filius patri, ſed qui nouit rationem reddere, cur iſta propoſitio ita ſit vera aut falſa. De hac autem huius particulæ pugna & conflictu cum ratione, & eius obedientia erga rationem, agitur *infra libr. 7. cap.* 6. & pulcherrime apud Ciceronem *libro 2. Tuſcul. fere in fine, pag. editionis huius vrbis Argentinenſis 185. facie b,* & apud Platonem *lib. 4 de Repub.* vbi ſimilitudo quædam de quodam Leontio adducitur, vt hic ab Ariſtotele de membris luxatis ſeu diſtortis.

εἰ δὲ χρὴ καὶ τοῦτο.] Explicatis duabus animi partibus τοῦ φυτικοῦ, καὶ τοῦ ὀρεκτικοῦ, tandem ad λογιστικὸν venit: quod *ſupra* diximus eſſe bipartitum: & confirmatur ex his, quæ modo dicta ſunt. Nam vna eſt eius pars omnib. nota, quæ vere in ſe rationem habet, quæque vere dicitur τὸ λογιστικόν. Altera eſt ſeu dicitur quidem etiam rationis particeps, non tam quia vere in ſe rationem habeat, quam quia rationi pareat, de qua modo eſt explicatum, nempe τὸ ὀρεκτικόν.

διορίζεται δὲ ϗ.] Hæc eſt totius capitis pars tertia, vbi pro ratione partium animi nempe τοῦ λογιστικοῦ ϗ ὀρεκτικοῦ duarum, duo quoque genera virtutum ſtatuuntur. Alterum, quod eſt τοῦ λογιστικοῦ, ſeu mentis & rationis, quæ virtutes Græce διανοητικαὶ, latine mentis dicuntur, de quibus agitur *in toto lib. 6.* Alterum genus in ea parte, quæ τὸ ὀρεκτικὸν, quæ virtutes Græce

Græce ἠθικαί, Latine morum ſeu morales dicuntur: de quibus agitur toto fere opere.

λέγονται γὰρ αὐτῶν.] Ab etymologia oſtendit, cur virtutes morales ita dicantur.

ἐπαινοῦμεν δὲ] Rationem affert, cur virtutes mentis, virtutes ſint, hoc modo:

Omnes habitus laudabiles ſunt virtutes.
Habitus mentis ſunt laudabiles.
Ergo habitus mentis ſunt virtutes.

Maior ibi, *τῶν ἕξεων*, de quo & *ſupra* dictum eſt *cap.* **12**. Minor eſt certa: nam ſcientiam & prudentiam nemo negarit eſſe habitus laudabiles, &c.

FINIS LIBRI I.

LIBER II.

ARGVMENTVM.

VT libro priore hoc egit Ariſtoteles, vt beatitudinis definitionem reperiret: ita in hoc libro ſtudet virtutis definitionem inueſtigare: qua in re totus fere hic liber conſumitur: & magna quoque pars libri proximi, & quædam etiam libri 6. Quam ad definitionem virtutis, quia vtiliſsimum eſt cauſas eius cognoſcere, de his primum: oſtendit igitur primo, virtutis cauſam non eſſe naturam, ſed morem & vſum: parari, inquam, eam agendo & factis. De his igitur factis accurate diſputat, qualia eſſe debeant, nempe moderata, quod nempe eatenus, quatenus voluptas iis conſequatur, vbi de materia quoque virtutum diligentiſsime diſſerit. Explicato iam ortu ſeu cauſa virtutis (docuit enim eam ex factis exiſtere, conſeruari, interire, ipſam deniq; virtutem iam conſtitutam eadem facta munere ſuo obeundo perſequi) propius ad virtutis definitionem accedit: & primum quidem genus eius habitum eſſe oſtendit: deinde mediocritatem eſſe differentiam: de qua accuratiſsime agit, non in vniuerſo tantum genere, ſed in ſingulis virtutibus, propterea quod in ea differentia vis omnis & momentum ad virtutes acquirendas ſit poſitum. Quæ differentia ſeu mediocritas, quia duobus extremis ſit interiecta, hoc quoque exquirit, quam cum extremo vtroque coniunctionem habeat, æqualemne, an cum altero maiorem, cum altero minorem. Tandem eiuſdem differentiæ, vt in qua poſita ſit virtus, & quæ ſit inuentu difficilima, modum & rationem adiicit, velut ἐπίμετρον ſeu corollarium.

CAPVT

CAPVT I.

COMMENTARII.

DOCET hoc capite Ariſtoteles, virtutem rationis doctrina comparari, & hac omiſſa diſputatione, ſeu reiecta in *libr.* 6. moralem vſu & factis non natura comparari oſtendit, quinque rationibus. Ad hunc librum explicandum vtemur his adiumentis; primum explanatoribus & interpretibus: deinde ipſo Ariſt. maxime *in lib.* 1. *Magnor. Mor. cap.* 5. *cum* 4. *ſeqq.* Platone cum *alijs in locis*, tum *in Menone, & in libello, An virtus doctrina comparari poſſit.* Plutarcho *in libello de Morali virtute, & in libello, an virtus doctrina paretur.* Stobæo λόγῳ α. & λόγῳ *de aſſiduitate*. Cic. *lib. Offic.* 3. & 4. *Tuſc.* 4 & 5. *Finium.*

διανοητικῆς.] Hæc virtus in ea animi parte poſita, quæ vere rationis eſt compos, Græcis dicitur διανοητικὴ, & interdum λογικὴ, *infr. cap.* 7. *extremo.* Latine alii virtutem cogitationis & rationis; alii mentis vocant: rectius Cicero, virtutem in ratione poſitam, ſeu virtutem rationis vocat *lib.* 1. *Academ. quæſt.* vbi huius partitionis meminit.

ἡ μὲν διανοητικὴ.] Ait rationis virtutem ex doctrina ortum habere & incrementum, quod eſt notiſſimum Artes enim diſcendo comparantur τὸ πλεῖστον, hoc eſt, plurimum, ſeu magna ex parte: nam & alia accedant adiumenta neceſſe eſt, nempe ingenii bonitas & vſus. Recte igitur Galenus doctrinas duobus cruribus inſiſtere ait, διδασκαλίᾳ, hoc eſt, præceptione & experientia.

διόπερ ἐμπειρίας.] Quia, inquit, ex doctrina ſeu præceptionibus virtus rationis paritur: ea re opus quoq; habet experientia & tempore. Cur ita? Propterea quod omnes præceptiones ex ſenſu & experientia primum ſunt natæ: deinde, quia experientiā præceptiones plurimum illuſtrantur & confirmantur in rebus ſingularibus, quæ experientia cum ſit multiplex, & longo demum tempore, ſeu longis obſeruationibus artem conſtituere poſſit: ea de cauſa ait, virtutem rationis egere tempore.

ἡ δ' ἠθικὴ.] Quia Ariſt. eſt conſilium explicare virtutes morales (vnde & index eſt ἠθικῶν) de harum cauſis maxime diſputat. Plato virtutes morales neque doctrina, neque natura ingenerari oſtendit *in Menone*, ſed diuinitus dari. Ariſtoteles, omiſſa diuinitatis cauſa, vt aliena à ciuili Philoſophia: hoc tantum exquirit, anne doctrina, vſu aut natura parentur? Et ſumma quidem Ariſt. ſententiæ hæc eſt, naturam & doctri-

nam

nam aliquid afferre: ſed plurimum morem ſeu vſum & facta. Vult enim natura nos aptos eſſe ad percipiēdas virtutes: quam naturæ aptitudinem *infra lib. 6. cap. vlt.* virtutem naturalem vocat: de qua & *lib. 7. Polit. & infra lib. 10 cap. 8. aut 9.* Doctrinam hoc ait efficere, vt facta noſtra dirigat, & quæ recta, quæ praua ſint, oſtendat: excitet denique ad bene viuendum. Quæ adiumenta cum ſint exigua, in tertio veram potiſſimum cauſam conſiſtere oſtenditur, nempe in cōſuetudine ſeu vſu. Stoici, qui Platonis & Ariſtotelis bipartita animi & virtutis diuiſione reprobata (teſtibus Cicer. *lib. 1. Academ.* & Plutarcho *in lib de virtute morali*, vbi eos grauiter refellit) virtutes omnes in parte animi ratione prædita ponebant, omneſque ſcientias eſſe dicebant, teſte etiam Laertio *in Zenone*, vnde & Cicero *libro 3. Offic.* (vbi Stoicos imitatur) *Temperantia eſt ſcientia*, inquit, quemadmodum & Socrates. Acquiri vero ſeu comparari virtutes exiſtimabant hoc modo, partim natura, partim doctrina & vſu: nam innata nobis eſſe virtutum ſemina ſeu igniculos & ſcintillulas, vt Cicero vocat, quas plærumq; communes notiones ſeu notitias, & Græce κοινὰς ἐννοίας vocant: de quibus extat integer Plutarchi libellus *aduerſus Stoicos.* Hæc ſemina virtutum Cicero quoque lumina naturæ *Tuſculan. 3.* vocat. Ea poſtea ſi recta doctrina & bonis moribus excolantur & perficiantur, virtutes exiſtere: contra, ſi malis moribus & deprauatis opinionibus reſtinguantur, vitia. Hæc ſæpe commemorat, & probat Cicero *lib. 2. & 5. de Finib 3. Tuſcul. 1. Offi. 1. de leg.* quæ Stoicorum ſententia omnib. quidem vulgo nunc eſt in ore (& probat eam Philippus *in libro de anima.*) ſed repugnat Ariſtoteli: qui animo noſtro neque artium, neq; virtutum ſemina ineſſe vlla exiſtimat, ſed animum ceræ aut chartæ puræ comparat *in libello de Anima*, vt in quo nihil ſit inſcriptum, præter τὸ πεφυκὸς, hoc eſt, procliuitatem aliquam & facultatem.

ἡ δ᾽ ἠθικὴ ἐξ.] Primum argumentum eſt ab etymologia: Ethica, inquit, virtus ab ἔθος, id eſt, *more*, nomen habet; ergo more comparatur. Antecedens confirmatur quoque à Platone *lib. 7. de Rep.* κυριώτατον γὰρ, & eleganter à Plutarcho *in eo libello*, quem ſupra citauimus: ἦθος, inquit, eſt ποιότης, ſeu qualitas, ex ἔθος comparata: quod genus argumentandi eſt valde infirmum.

οὐδὲν γὰρ τῶν φύσ.] Alterum argumentum à repugnantibus: cuius hæc ſit concluſio:

Quæ natura conſtant, aliter aſſueſieri nequeunt.
Virtus aliter aſſueſieri poteſt.
Ergo virtus natura non conſtat.

Propoſitio ibi, οὐδὲν γὰρ τῶν, quam declarat exemplis à lapide & igne ſumptis. Aſſumptio omittitur, quæ tamen certa eſt: nam videmus ſæpenumero, ex malis fieri viros bonos: exemplum ſit in Polemone Philoſopho: contra, ex bonis fieri improbos: nam, vt vulgo dicitur, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Et hac de re eſt apud Platonem *in Protagora*: quod videlicet virtus malis moribus & doctrinis ac diſciplinis tolli & adimi poteſt, natura non item.

ἔτι ὅσα μὲν φύσ.] Tertii argumenti hæc ſit concluſio:

Quæ natura nobis inſeruntur ſeu adſunt, in iis antecedit facultas actiones.
Contra fit in virtutibus.
Ergo virtutes non aſſunt nobis natura.

Propoſitio ibi, ἔτι ὅσα, quam confirmat exemplo ſenſuum: cōfirmare licet ex aliis rebus natura inſitis, vt animo ſeu mente, cuius munus eſt cogitare. Quod quidem ex ſæpe cogitando animus non accepit, ſed cum animus adeſt, poſtea cogitat. Ita in equo celeritas ineſt natura, quam certe ex ſæpe currendo non eſt aſſecutus. Aſſumptio ibi, τὰς δ' ἀρετὰς, quam confirmat exemplo artium, ibi, ὡς καὶ ἐπὶ. Artes enim ex ſæpe agendo ſeu diſcendo comparantur: hinc vulgo, fabricando fabri, & apud Græcos eſt prouerbium: ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν πορίζεται, hoc eſt, ex dicendo naſcitur dicendi facultas, de quo apud Eraſmum. Ariſtoteles hic comparat artibus virtutes, quia vtræque exercitatione comparantur. An virtutes innaſcantur, de hoc dubitari poteſt, quod Ariſt. negat [νομοθέται, legum ſcriptores de bonis, legumlatores de malis: ἐθίζοντες, hoc eſt, moribus & conſuetudine: βούλημα, ſtudium. qui ciuium mores non recte informant.]

μαρτυρεῖ δὲ καὶ.] Quarti, ab auctoritate, argumenti, hæc eſt concluſio:

Legum ſcriptores moribus inſtillari virtutes exiſtimant.
Ergo virtus non eſt natura, ſed more.

Antecedens confirmat exemplo omnium legiſlatorum, nempe bonorum: qui hoc agunt, vt bonis moribus ſuos ciues infor-

iuforment,& bonos reddant. Quare & Plato *libr. 7. de Republ.* & Cicero *libro primo de legibus*, duo potiſſimum munera legiſlatoris ſeu legum ſcriptoris eſſe ait; alterum in legibus ferendis, alterum in ferendis moribus; quorum maiorem eſſe vim ad virtutes, quam legum, præclare diſputat Iſocr. *in Areopag.*

ἐ διαφέρει τούτῳ.] Eodem argumento in eadem re vſus eſt & Plato *in Protagora*, ſed longe lateque explicaro.

ἔτι ἐκ τῶν αὐτῶν.] Quiuti argumenti hæc ſit formula:

Quod ex eadem cauſa oritur & interit, non eſt natura.

Atqui virtutes ex iiſdem factis oriuntur & intereunt (ſeu non oriunrur.)

Ergo virtutes non ſunt natura.

Propoſitio omiſſa eſt ab Ariſt. quæ tamē ex Phyſicis eſt certiſſima *ex l. 2. c. 3.* cuius hęc eſt ratio, quia natura eundem ſemper in agendo tenorē & vim ſeruat: homo puta, non procreabit beſtiam, i. quod rationis eſt particeps, non edet contrariū: qua de re Lucret. *l. 7.* Aſſumptio continetur omnib. his verbis, quā declarat ſimilitudine artiū. Notum eſt.n. ex ædificando vel bonum fabrum vel malum exiſtere, nempe prout bene vel male ædificet: idem eſt in reliquis artibus: nam ſi natura quis exiſteret artifex, non opus eſſet doctore: naſcerentur omnes ſine diſcrimine actionis ſeu exercitationis boni vel mali opifices. Eſt autem aſſumptio certa ex vſu communi: videmus enim quotidie, alios bonos exiſtere, alios malos, ratione bonæ vel malæ vitæ & conſuetudinis. Quod autem dicitur, virtutes ex iiſdem factis oriri & interire, ita eſt accipiendum, nempe de factis in genere, ex quibus in genere oritur habitus: qui poſtea diſtinguitur in virtutes & vitia, ratione bonorum factorum aut improborum.

φθείρεται.] Id eſt, inquit Aſpaſius, οὐ γίνεται, οὐδὲ συνίσταται, id eſt, non efficitur, non naſcitur, id eſt, ex iiſdem factis oritur virtus, & non oritur, ſed vitium potius. Poteſt tamen hoc verbum communius accipi, vt intelligatur hoc modo: ex iiſdem factis oritur virtus, & orta iam perimitur, & non orta impeditur, & oritur vitium.

ἑνὶ δὴ λόγῳ.] Phraſis eſt elegans veteribus vſitata, id eſt, ſummatim: qua vſus eſt Plato ſæpe, vt *in Gorgia, lib. 4. 5. 9. de Republ.* Cicero dicit, vno verbo, vt *2. de Finibus: iam ſi modeſtia, ſi pudicitia, ſi vno verbo temperantia.* & *1. Academ. quaſt.* vno nomine dixit: *Errorem autem, & temeritatem, & ignorantiam*

&

& opinionem, & ſuſpicionem, & vno nomine, quæ eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis.

διὸ δεῖ ποιάς.] Eſt præmunitio ad diſputationem ſequentem, qua diligenter de factorum differentia agit. Si factorum, inquit, ea eſt vis, vt pro eorum diſſimilitudine vel virtutes vel vitia naſcantur, certe elaborandum eſt etiam à teneris, vt ea facta ſint honeſta, ſint, inquit, cuiuſdammodi, hoc eſt, bona & honeſta.

ποιάς τούτων.] Maſculinum pro fœminino ζώντων, vt & *ſup. li. 1. cap. 1* dictum eſt, ζώντων, nempe ἐνεργειῶν.

μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν.] Id eſt, vt Cicero loquitur; *in eo ſunt omnia.*

CAPVT II.

COMMENTARII.

ἐπεὶ οὖν παροῦσα.] Tria fere hoc capite continentur; primo cur de factis & actionibus diligenter ſit agendum: deinde quomodo: poſtremo qualia ad virtutes conſtituendas facta ſint neceſſaria.

ἐπεὶ οὖν παροῦσα.] Duas affert rationes, cur de factis diligenter ſit diſputandum: prior hæc eſt, quia ciuilis doctrinæ finis non eſt cognitio, ſeu contemplatio, ſed actio. Eo enim eius omnia pertinent præcepta, vt viri & ciues boni beatique reddantur, qua de re *ſupra* quoque dictum eſt *libro 1. capite 3.* Altera ratio ibi, αὗται γὰρ, &c. hæc eſt, quia pro factorum varietate ſeu diſſimilitudine habitus quoque ſunt diſſimiles: ſi bona ſint facta, boni erunt habitus, id eſt, virtutes: ſi praua, vitioſi quoque habitus, id eſt, vitia: nam vt recte ait, affectionum dominæ ſunt actiones & principes cauſæ, quod & *ſupra* dixit *libro 1. capite 10. & infra libro 4. capite 2.* ibi, ἡ ἕξις ταῖς ἐνεργείαις. ὅροι, id eſt, virtutes non eſſe natura, etiam Plato aliis duabus rationibus probat; vna *in Menone,* altera *in Protagora.* Prior hæc eſt *in Menone:*

> *Omnia quæ natura adſunt, ea ſtatim internoſci poſſunt, vt canes, inquit, quos putamus fore fortes, ignauos, & celeres ſtatim dignoſcunt venatores ab ignauis. Sic etiam dicit, artis equorum periti, equos generoſos ſtatim ab ignauis & pigris dignoſcunt.*

Hinc ſequitur:

> *Quæ natura ſunt, dignoſci poſſe inter ſe, quæ bona, quæ mala ſint futura.*

Minor

Minor eſt:

Atqui homo nõ ſtatim dinoſci poteſt, an ſit probus aut improbus futurus: nulla enim eſt ars, qua id cognoſci poſſit: ſicut de equis ars equeſtris, & canibus ars venatoria.

Ergo natura non ſunt virtutes atque vitia.

Hoc argumento etiam alio in loco vſus eſt Plato. Alterum argumentum in Protagora hac forma concludi poteſt:

Ea quæ natura aſſunt, neque reprehenſionem neq; pœnam merentur.

Atqui ob improba facta quis afficitur ſupplicio, & coercetur reprehenſione.

Ergo improbitas & vitia, quæ opponuntur virtutibus, non ſunt natura.

τὸ μὲν οὖν δ' ὕστερον.] Hæc clauſula videtur alieno loco poſita, aut certe melius *infra* ibi, πρότερον οὖν τοῦτο θεωρητέον collocanda: explicari tamen ita poterit: poſtquam iam dictum eſt de factis diligenter eſſe agendum: reliquum eſt, vt explicationem aggrediamur: & primum quidem hoc, vt κοινὸν, ſeu commune factis nempe omnibus virtuti conſentaneis ponatur vt certum, ea, inquam, facta omnia rationi rectæ conſentanea eſſe debere. Poterat adiicere rationem Ariſtoteles, vt *in Eudem. lib. 2. cap. 5.* hanc, quia cum virtus ſit optimum quiddam: optima autem omnia non ratione praua, ſed recta perficiantur: virtus quoque ſeu virtutis facta eadem ratione recta perfici debent: nam, vt Plato pulchre *in Menone*: omnia noſtra ſtudia, voluntates, & conſilia prælucente ratione, vitæ beatæ efficienda ſunt vtilia: ſi ſecus, contra. Verum Ariſtoteles totum id reiecit *in librum 6. extremum.* & hoc eſt, quod dicit ὕστερον.

ἐκεῖνο δὲ προδιωμολογήσθω.] Altera capitis particula de modo explicandi facta & virtutes: quem dicit non exquiſitum & enucleatum, ſed popularem eſſe debere: quod & *ſupr. lib. 1. c. 3.* copioſe explicauit: argumentatur autem hoc modo:

Ratio omnis & oratio congruens eſſe debet materiæ eius ſcientiæ, quæ eſt explicanda.

Si materia eſt conſtans, firma & perpetua, vt eſt in Mathematicis & Metaphyſicis, & etiam in Phyſicis, explicatio quoque & oratio erit exquiſita.

Sin materia erit inconſtans, incerta, & inſtabilis, & caduca, vt ſunt facta & actiones humanæ, quæ eſt materia

teria Iuriſprudentiæ & Politicæ : vt & ſunt res ſalubres : quæ eſt materia medicinæ: tum oratio quoque & explicatio incerta & non exquiſita ſit, neceſſe eſt.

τοιούτου δ' ὄντος.] Eſt argumentatio eiuſmodi à minore ad maius: *Si explicatio de genere vniuerſo eſt inſtabilis & minimè exquiſita: multo maior varietas erit in rebus ſingulis, & incertitudo* : imo, inquit, rerum ſingularum ea eſt varietas, vt arte & præceptis contineri nō poſſint. Et cur ita? δεῖ δ' αὐτοὺς ἀεὶ : nam; inquit, in rebus ſingulis varia rerum attributa ſemper ſunt ſpectanda, vt quæ varient pro ratione temporum, locorum, perſonarum, ætatum, dignitatum, voluntatis. [Verbi gratia : Furtum ex legibus ciuilibus olim non puniebatur morte: hodie vero vbique terrarum morte punitur: hinc oritur de varietate legum inter ſcriptores controuerſia.]

ϗ τὰ συμφέροντα.] Sic hoc loco vocat Ariſtoteles ea, de quibus agitur in Politica, ſumpta ſpecie pro genere: nam alioqui bona, de quibus tractat Politica, ſeu expetenda & αἱρετὰ ſunt tripartita, nempe honeſta, vtilia, iucunda.

πρῶτον οὖν τοῦτο.] Tertium eſt huius capitis membrum, quod diximus agi de factorum ſeu vitæ actionum qualitate, ex quibus virtus exiſtat. Plæriq; ſummā huius loci ſententiā hanc eſſe exiſtimant, virtutes medio ſeu mediocritate parari & conſeruari. Nos ita exiſtimamus : Virtutes extremis interire, medio parari & conſeruari, ſeu, vt Ariſtoteles ipſe ait : ea, de quibus agitur in Politica, omnia denique συμφέροντα [interire] extremis perire, medio exiſtere : virtutem autem ex iiſdem factis exiſtere & perire. Concluſionem autem totius loci hanc illi ponunt:

Quicquid extremis interit, medio ſeruatur.
Virtus extremis interit.
Ergo medio ſeruatur.

Propoſitio ibi, πρῶτον οὖν τοῦτο, id eſt, quam declarari aiunt exemplis, à viribus & valetudine ſumptis: ibi, ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἰσχύος. Aſſumptio ibi, οὕτως οὖν καὶ ἐπὶ, &c. quam declarat hoc loco Ariſtoteles exemplis temperantiæ & fortitudinis, ibi, ὅ τε γὰρ πάντα. Verum mihi hæc potius huius loci concluſio eſſe videtur: vitæ noſtræ vtilia, & ea, de quibus Politica agit, pereunt nimio, & eo, quod parum, ſeruantur medio. Ergo & virtus peribit nimio, eoq; quod parū, & ſeruabitur medio, id eſt, ex iiſdem factis oritur & interit, diſſimiliter acceptis, id eſt, ex mediocri-

bus oritur, ex immoderatis in vtranque partem, interit. Hanc eſſe huius loci ſententiam indicat Ariſtoteles *infr. c.3. extremo*: quo loco breuem epilogum capitis tertii & huius loci affert. Ait autem, ſe hactenus explicaſſe hæc, virtutes eſſe in voluptatibus & moleſtiis occupatas (quod explicauit *capite tertio*,) deinde virtutes, ex quibus factis aut rebus exiſtant, ex iiſdem quoque augeri, conſeruari, & interire: quod explicat hoc loco. Confirmatur quoque hæc explicatio hoc ipſo capite, ibi, ἀλλὰ ὐ μόνον αἱ γενέσεις, &c. quibus verbis commemorat, quid modo explicant, nempe γενέσεις, id eſt, ortum, incrementum, & interitum virtutum ex iiſdem factis naſci. Planius hanc ipſam rem tractat Ariſtoteles *in Eudem. libro 2. capite 1.* vbi ita argumentatur:

> *Omnis affectio ſeu διάθεσις, eo quod nimium, & eo quod parum interit, medio exiſtit & ſeruatur.*
> *Virtus eſt affectio & quidem optima.*
> *Ergo, &c.*

Antecedens igitur argumentationis hoc loco ibi, πρῶτον ὖν τοῦτο, &c. quod declarat exemplo virium & valetudinis: vires enim exercitationibus oriuntur & conſeruantur, immoderatis pereunt, vt recte ipſe Ariſtoteles teſtatur *lib.8. Politic.* (vbi grauiſſime reprehendit Lacedæmonios, qui tot haberent exercitationes, vt fierent quodammodo beluæ.) Item valetudo cibo & potu oritur, conſeruatur & interit: qua de re Galenus *in lib. de ſanitate tuenda*. Conſequens ibi, οὕτως οὖν καὶ ἐπὶ, &c. quod exemplis duarum virtutum oſtendit Ariſtoteles. Sumpſit autem Ariſtoteles Antecedens ex Platone *in Eraſtis, pag. 236.* [editione Baſilienſi] quo vſus Plato, oſtendere ibi nititur, neque nimium, neque parum eſſe ſciendum, ſed moderatam rerum ſcientiam eſſe laudabilem.

ὅτι τὰ τοιαῦτα.] Hoc nomine plærique accipiunt πράξεις ſeu facta: ſed videtur accipiendum paulo communius, vt intelligantur ea, de quibus modo dixit Ariſt. quæ ſunt inſtabilia, nempe omnia vitæ degendæ neceſſaria & vtilia, qualia ſunt etiam τὰ ὑγιεινά, hoc eſt, ad valetudinem ſeu ſanitatem pertinentia, nempe exercitationes, cibi, potiones, calor, diuitiæ.

ἀλλὰ ὐ μόνον.] Hoc amplius oſtendit Ariſt. virtutes non tantum ex iiſdem rebus oriri, conſeruari & interire, ſed etiam iam natas virtutes in iiſdem rebus ſuo munere fungi: quod eodem modo oſtendit, quo prius, nempe ea de quibus his in libris agitur:

tur: omnia deniq; vitæ neceſſaria & vtilia ex iiſdem rebus oriuntur & intereunt,& orta in iiſdem verſantur,ea deniq; optimè adminiſtrant: Verbi gratia: robuſtus quis fit ex moderatis exercitationibus,id eſt,non paucis, ſed multis: item ex ſumptione multi cibi, idē quoq; multas exercitationes obire, & multū cibum ſumere poterit,iam factus. Ergo & virtus eodem modo: nam, verbi gratia, fortis redditur ex conſuetudine ferendi res graues: idem quoque fortis iam factus,res eaſdem graues facilime feret.

ὑπομένειν πόνους.] Etſi verbum ὑπομένειν videtur ſignificare,hoc verbo πόνους intelligi labores: puto tamen exercitationes hoc loco intelligendas,propterea quod Plato,ex quo hic locus eſt ſumtus, eodem verbo vtens, ſine dubio exercitationes intellexit. Coniungit enim γυμνάσια καὶ πόνους, de quo verbo *ſupra* diximus *libro* 1. *&c.*

CAPVT III.

COMMENTARII.

σημεῖον δὲ δεῖ ποιεῖσθαι.] Duo fere hoc capite continentur: alterum,vt ita dicam,principale, alterum acceſſorium: illud breuiter, hoc copioſiſſime explicatur.

Principale eſt, quia de factis hic agitur, quod facta ſint ad virtutes conſtituendas neceſſaria. Verum aliter hæc effert Ariſtoteles: in eam tamen ſententiam & hoc modo: qua nota vtendum ſit ad diſcernendos habitus vitioſos à bonis,& ait, voluptatis modeſtiæque nota eſſe vtendum.

Acceſſorium eſt iſtud; virtutes verſari in voluptatibus & moleſtiis.

Quod ad prius attinet,cum quæri poſſet, quot facta ad virtutes ſint neceſſaria: notam vtiliſſimam attulit Ariſt. & terminum. Nam alioqui facta ſunt infinita, neq; vnquam conſtaret de virtute acquiſita. Ait igitur, tum cenſeri virtutem acquiſitam, neque plura facta ad virtutem conſtituendam eſſe neceſſaria, cum eo quis peruenit bene agendo, vt iam poſt hæc ex factis ipſe ſuis voluptatem capiat: Verbi gratia: Vir fortis, ſi ex perferendis rebus grauibus gaudeat, aut certe non doleat: ille vere fortis dicendus erit. Eadem eſt ratio in cæteris. Plutarchus *in libello*, πῶς ἄν τις αἴσθοιτο, id eſt, *de notis, quarum admonitu quis cognoſcat ſe progredi in virtute*: affert multa indicia & notas, ex quibus coniecturam quis

capiat, ſe in virtute progreſſus facere, quæ diſputatio huic noſtræ eſt vicina: diſcrepat tamen: nam ibi de virtute nondum acquiſita, hic de acquiſita, nota traditur: affert tamen Plutarchus vnam notam, præterea virtutis acquiſitæ, ſi nempe inſomnia ſint honeſta & moderata, non flagitioſa.

ἢ μὴ λυπούμενός γε.] Eſt correctio: nam in forti non eſt neceſſe, vt gaudeat in rebus grauibus perferendis, ſaltem in nonnullis, in quibus ſatis eſt, ſi non doleat, exempli gratia, in vulneribus, qua de re *infra lib. 3.*

περὶ ἡδονὰς γὰρ.] Ratio eſt notæ: quaſi diceret, ea de cauſa cognoſcimus habitus voluptate & dolore, propterea quod in his maxime habitus virtutum & vitiorum verſentur: quæ ratio continet alteram partem huius capitis, eaque confirmatur ſeptem rationibus, vt mox dicetur. Obſeruanda autem hic eſt differentia inſignis inter Philoſophicas diſputationes & Magiſtratuum iuſſa: nam magiſtratus non requirit, vt quis gaudeat aut doleat hoc aut illo facto: ſed ſatis illi factum eſt, ſi quid recte fiat: de facto laborat magiſtratus, de facientis animo non item: dico ratione voluptatis aut doloris, vt eleganter Ariſtoteles admonet *lib. 7. Eudem.* & Cic. *lib. 3, Offic.*

ἡ ἠθικὴ ἀρετή.] Recte & diſtincte additum eſt, *ἠθικὴ*, vt & infra *lib. 10 initio.* & mox hoc capite, ibi, *ὑπόκειται ἄρα ἡ ἀρετὴ εἶναι ἡ τοιαύτη*, id eſt, *ἠθική*: nam *διανοητικὴ* non verſatur in voluptatibus & doloribus: ratio differentiæ hæc eſt, quia voluptas & dolor ſunt perturbationum genera: perturbationes autem in ea ſunt parte animi, quæ ratione vacat, in qua parte eſt virtus *ἠθικὴ*, in ratione autem eſt *διανοητικὴ*: quæ ratio vacat omni perturbatione.

διὰ μὲν γὰρ τὴν ἡδονήν.]. Prima ratio hæc eſt, quia ad voluptates percipiendas flagitioſa & turpia agimus, ad dolores & moleſtias fugiendas, à rebus honeſtis & præclaris abſtinemus: notum eſt enim, quanta ſæpe excitent mala voluptates cibi, potionis, Veneris, & ludorum intemperantium: ſæpe quoq; patriæ, parentum, amicorum & innocentium defenſio omittitur, quia moleſtiæ & dolores eſſent ſubeundi. Argumentatur igitur hoc modo:

Vitia oriuntur ex voluptatibus & moleſtiis.
Ergo & virtutes in iiſdem rebus verſantur: nempe moderandis & dirigendis.

διὸ δεῖ ἦχθαί πως.] Confirmat rationem ſuam autoritate Platonis:

nis: Ratio erat, magnum eſſe momentum poſitum ad recte agendum, aut peccandum in voluptate aut dolore: qua ratione adductus quoque Plato cenſuit pueros ſtatim docendos eſſe, quibus rebus gaudere, quibus contra dolere debeant: & hoc in puerorum inſtitutione prima diligentiſſime obſeruandum eſſe: qua de re agit grauiſſime Plato *libro 2. de legibus*, *& 4. de Republ.*

ἔτι δ᾽ αἱ ἀρεταί εἰσι.] Altera ratio eſt hæc, quia virtus eſt in actionibus & perturbationibus. Notum eſt autem, omnem perturbationem & actionem comitari has duas perturbationes, voluptatem & dolorem. Argumentatur hoc modo:

Si virtus eſt in perturbationibus & actionibus.
Ergo eſt in voluptate & dolore.
Verum primum, de quo mox.
Ergo & ſecundum.

Connexi ratio eſt ibi, παντὶ δὲ πάθει, id eſt, quia omnes perturbationes & actiones conſequitur voluptas & dolor. Actionibus quidem ſeu factis comes eſt voluptas & dolor: voluptas quidem recte factis: dolor perperam & praue factis, qua de re *infra* latius *lib. 7.* Perturbationibus autem quoque comes eſt voluptas & dolor: propterea quod perturbationes ſunt ἐν τῷ ὀρεκτικῷ, id eſt, in appetitu: appetitur autem bonum aut malum: nunc ſi quis aſſequatur quod appetit, conſequitur voluptas, contra dolor. Verbi gratia: Vindictæ cupidus iratus, ſi inimicum vlciſcitur, gaudet, ſi non, dolet.

Antecedens, nempe virtutem conſiſtere in perturbationibus & actionibus, id eſt, virtutum materiam eſſe facta & perturbationes: non hoc tantum loco, ſed & *infr lib 7. & lib. 10. in princip.* iteratur, eſt certiſſimum: partim enim virtutes conſiſtunt in moderatione actionum: partim in moderatione perturbationum: vt iuſtitia in actionum moderatione, nempe contractuum: in perturbationum, nempe voluptatis & doloris temperantia: iræ fortitudo.

μηνύουσι δὲ καὶ.] Tertia eſt ratio iſta: quia caſtigationes & animaduerſiones per iſta fiant. Notum eſt enim, pœnis, quæ coniunctum fere habent dolorem, & ſuppliciis deterreri & auocari homines à vitiis, & ad virtutes reuocari. Qua de re videatur Plato *in Gorgia*, *& libro ſecundo de legibus.* (oſtendit ibi vſum & finem pœnarum in Republica.) Concludi poteſt hoc modo:

Omnis caſtigatio & animaduerſio coniunctum habet dolorem.

Virtus autem & vitium in caſtigationibus, velut in medicina quadam verſantur: (dictum eſt enim, pœnis homines à vitiis auocari & reuocari ad virtutes.)

Ergo virtus & vitium in dolore quoq; verſabuntur.

ἰατρεῖαι γάρ τινες.] Hæc eſt cõfirmatio ſeu declaratio aſſumtionis, qua diximus, virtutes in caſtigationibus ſeu pœnis verſari. Hoc enim intelligendum eſt, reddi homines meliores caſtigationib. & pœnis. Iam ſi doloribus, qui ſuppliciis ſunt coniuncti, redditur quis melior, & in iis quodammodo verſatur virtus. Ergo in eius contrario, voluptate quoq; verſabitur: nam & eo, quod quis à voluptate aliqua abſtinere debeat, puniri quis poteſt. Ergo hoc διὰ τούτων proprie quidem intelligendum eſt λυπῶν, ſed tamen etiam alterum ἡδονῶν contineri poteſt, quatenus quis punitur eo modo, vt iam dixi.

αἱ δ' ἰατρεῖαι.] Sic argumentatur:

Omnis curatio fit per contraria.

Caſtigatio & animaduerſio eſt curatio quædam.

Ergo fit per contraria, hoc eſt, vt qui voluptate peccauit, dolore puniatur, aut ad virtutem reuocetur.

ἔτι, ὡς καὶ πρότερον.] Quarta ratio, quia virtus per hæc (voluptatem & moleſtiam) melior & deterior fiat; Concluſio ſit eiuſmodi:

Omnis habitus animi, quibus rebus redditur deterior, aut melior, in iis verſatur.

Virtus autem voluptate & dolore fit deterior & melior.

Ergo in his verſatur.

Propoſitio ibi, πᾶσα ψυχῆς, de qua *ſupra cap. 2. huius libri.* Aſſumptio ibi, δι' ἡδονὰς δὲ, quam explicat diſtincte Ariſtoteles ibi, ἢ ἃς μὴ δεῖ, hoc modo: Virtus, inquam, aut viri boni redduntur meliores ſeu ditiores voluptate & dolore, nempe, ſi ea perſequantur aut vitent aliter, quam recta ratio poſtulet, nempe, ſi non ſuo tempore, ſi quæ non oportet, ſi quo loco non oportet, ſi quibus, ſi quo modo non oportet, vt turpe eſt ludere in templo, turpe eſt Philoſopho ducere choreas: turpe eſt ſeni ludos pueriles exercere: denique cibis lege vetitis veſci. Hæc ita diſtincte, ne quis putet, voluptate omnimodò corrumpi virtutes, vt quidam exiſtimarunt, qui cum viderent homines voluptate reddi deteriores, atque ita eas perturbationes

tiones virtutibus eſſe contrarias: exiſtimarunt, virtutes nihil eſſe aliud, quam perturbationum vacuitates & indolentias, & virum bonum vacare debere omni perturbatione. Sic enim ait; *διὸ καὶ ὁρίζονται.* Verum non recte, quia non diſtincte. Quos autem hoc loco intelligat Ariſtoteles huius indolentiæ auctores, nondum reperi. Qui Stoicos ibi intelligunt, errant. Nam Ariſtotele longe poſteriores fuerunt. Eſt autem magna hæc diſputatio, an vir bonus vacuus ab omni perturbatione eſſe debeat. Improbat Plato *multis in locis*, & Ariſtoteles *hoc loco*, & Plutarchus *in libello de morali virtute*, ibi diligentiſſime Stoicos refellit. Improbant & recentiores Theologi: Philippus *in libello de Epitome Morali fere in principio*, & Martyr *hoc loco*: contra probant & refellunt Ariſtotelem diligentiſſime Cicero *libro tertio & quarto Tuſculanarum*, & veteres Theologi, Nazianzenus, Baſilius, Auguſtinus, & alii.

τριῶν γὰρ ὄντων.] Quinta ratio: Quia voluptas eſt omnium rerum expetendarum maxime expetenda; & contra dolor. Concluſio ſit iſta:

> *In rebus expetendis & fugiendis verſatur virtus.*
> *Voluptas autem & dolor ſunt res maxime expetendæ & fugiendæ.*
> *Ergo in voluptate & dolore verſatur virtus.*

Propoſitio ibi, *περὶ πάντα μὲν ζῶντα*: nam hoc potiſſimum eſt viri boni officium, vt recte ſe gerat in rebus expetendis & rebus fugiendis: in quibus omnibus peccat vir improbus, dum magis expetat turpia, quam honeſta, lucrum turpe præferat honeſto. Aſſumptio ibi, *μάλιστα δὲ περὶ τὴν ἡδονήν*: quam confirmat hoc modo: quia omnibus animantibus eſt communis, & etiam in rebus illis honeſtis & vtilibus inhæret, atque adeo nobis à puero inſeritur, & vna educatur. Ex quibus apparet, voluptatem in rebus humanis vbique fere adeſſe. Ergo in voluptate moderanda maxime verſatur virtus.

διὸ καὶ χαλεπόν.] Hæc ſumpſit ex Plat. *lib. 4. de Rep.* non quidem ſententiã, ſed verba hæc translata à fullonibus [*ἐπικεχρωσμένον*, tinctum ſc. leuiter, *ἐγκεχρωσμένον*, firmiter affixum alicui, & penitus imbutum.]

κανονίζομεν δὲ &c.] Sexta ratio: quia voluptas & dolor ad facta & actiones vitæ noſtræ moderandas & dirigendas plurimum valent, quod probat ibi, *οὐ γὰρ μικρόν*, & latius id confirmat Plato *lib. 2. de legib. & lib. 4. de Republ.*

οἱ μὲν μᾶλλον.] Id eſt, alii plus tribuunt voluptati, alii minu
alii magis reſiſtunt, alii minus.

ἔτι δὲ χαλεπώτερον.] Septima eſt ratio iſta; quia voluptas e
quiddam difficilimum. Concluſio ſit iſta:

In iis, quæ ſunt difficilima, verſatur virtus.
Voluptas eſt quiddam difficilimum.
Ergo in voluptate verſatur virtus.

Propoſitio eſt perſpicua περὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον, quam decl
rat exemplo artium: nam & artes & virtutes maximè elucen
in rebus difficilimis. Aſſumptio ibi, ἔτι δὲ χαλεπώτερον: quam i
luſtrat diſſimilitudine quadam dicti Heracliti. Heracliti ho
eſt dictum inſigne & peruulgatum: χαλεπὸν θυμῷ μάχεσθαι, ψ
χῆς γὰρ ὠνεῖται), id eſt, *ira, ſeu animo obſiſtere & moderari diffici
mum eſt*: nam vita fere conſtat ſeu comparatur, hoc eſt, irat
vel morte ſuam vindictæ libidinem explere cupit. Hoc Her
cliti dictum commemorat Ariſtoteles *lib. 5. Polit. cap. 10.* & Plu
tarchus *in Coriolano*, vbi diſputat de acerrima eius viri ir
nunc ait hic Ariſtotel. Difficilius eſſe obſiſtere voluptati, quan
iræ. Ergo eſt difficilimum: nam iræ obſiſtere difficile eſſe dice
bat Heraclitus. Idem Heracliti dictum commemoratur &
Plutarcho *in Erotico*, & à Democrito ad id alluditur apu
Stobæum λόγῳ *de ira*. Perperam igitur Interpretes hunc lo
cum ita vertunt, quaſi Heracliti dictum [Interpretes putan
Heraclitum dixiſſe, difficilius eſt repugnare voluptati, qua
iræ, ſed non eſt ita, eſt falſum] hoc fuerit vniuerſum. Difficiliu
eſt voluntati obſiſtere, quam animo. Cur autem ſit difficiliu
ratio bipartita reddi poteſt: cum quia voluptas nobiſcum co
leſcit à pueris, & in naturam quodammodo vertitur, ira no
item, quæ eſt repentina, facileque accedit, & rurſus depellitu
[*Quæ ſunt nobis natura inſita, difficilius auelluntur. Voluptas e
talis. Ergo.*] tum quia ira rationi magis eſt ſimilis, quam v
luptas, quæ tota eſt in ſenſu, eaque re magis beluina: a
que ita ira rationi magis, quam voluptas obtemperat, & ab
regitur.

ἐν τῇ ἀρετῇ.] Vetus translatio, & Thomas, & emendatior
libri omnes habent ἐν τῇ ἀρετῇ καὶ τῇ πολιτικῇ, rectius, quam
lii, in quibus, καὶ τῇ ἠθικῇ, καὶ τῇ πολιτικῇ: nam initio huius op
ris iam diximus, hanc ſcientiam nunquam à Platone aut A
ſtotele dici Ethicam ſeu ἠθικήν. Sententia eſt autem: Om
ſtudium & opus virtutis & ſcientię politicæ poſitum eſſe in v

lupta

luptatibus ac doloribus moderandis. Fere auſim dicere, hæc verba omnia, ϗ τῇ ἀρετῇ ϗ τῇ πολιτικῇ eſſe interiecta ob verbum πᾶσα: præſertim cum non ſint neceſſaria, & non tam Politica, quam tractatio de moribus, id eſt, virtus in voluptatibus & moleſtijs temperandis conſiſtat.

ὅτι μὲν οὖν ἐστιν.] Concluſio eorum, de quibus in his tribus capitibus eſt diſputatum.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις.] Quia *ſupra cap. 1.* dictum eſt, ex factis exiſtere virtutes: hoc eſt, iuſte agendo tandem quem fieri iuſtum: id quia in controuerſiam vocari poterat, Ariſtoteles hoc loco planius explicat: & ipſam quoque controuerſiam propoſitam diſſoluit. Occurri enim poterat hoc modo, falſum illud eſſe, propterea quod in artibus, quibus valde ſimiles ſunt virtutes, idem non eueniat. Sic igitur argumentatur accurrens:

> *Qui quid arti conſentaneum agit: propterea ex eo artis erit peritus.*
>
> *Ergo qui quid ex virtute agit, ſeu virtuti conſentaneum facit: is iam non tam fieri ex ijs factus, quam eſſe vir bonus dicetur: & vt ille artem tam habere, ſic hic virtutem dicendus erit.*

Antecedens confirmat Ariſtoteles à Grammatica & Muſica. Conſequentiæ rationem iam diximus, quia magna ſit inter artes & virtutes (quæ vtræq; non natura ſed faciendo comparantur, vt *ſupra cap. 1.* dictum eſt) affinitas & ſimilitudo. Ariſtoteles tamen & Antecedens refellit, & conſequentiam, atque ita oſtendit, veriſſimum eſſe, quod *ſupra cap. 1.* dixit, iuſte & temperanter agendo iuſtum & temperantem quem fieri, non iam eſſe.

οὐδὲ ἐπὶ τῶν τεχνῶν.] Hic refellit antecedens, negatque verum eſſe; omnes qui quid arti conſentaneum agant, artis iam eſſe peritos, oſtendit hoc modo: Sæpe enim arti quid conſentaneum fieri poteſt, vel caſu (vt in equo Nealcæ, & cane Protogenis, de quibus Plinius *lib. 35. cap. 10.* & Plutarchus *in libello de Fortuna extremo*) vel alterius opere & adminiculo, non proprio marte ſeu arte. Hoc autem proprie ex arte factum

ctum ab aliquo dicitur, ſiue, tum proprie artis peritus quis dicetur, cum & arti conſentaneum quid fecerit, & ex propria arte ſeu habitu, non caſu aut alterius adminiculo.

ἔτι οὐδὲ ὅμοιον.] Hic refellit conſequentiam, quam diximus eſſe affinitatem inter artes & virtutes: & hanc quoq; affinitatẽ hoc loco negat Ariſtoteles. Sunt quidem in eo ſimiles, quod vtraq; non natura, ſed vſu & faciendo comparantur, vt *ſupra cap.1.* dictum eſt: multis tamen in rebus ſunt diſſimiles, vt h. loco oſtendit Ariſtot. Diſſimilitudo eſt hæc, q; in artium operib. ipſis laus & præſtantia, quæ ab arte petitur, ſit poſita, neq; ſpectetur, qui ea fecit, an ſit vir bonus, an improbus Verbi gratia, tabula picta ſatis ſit, ſi eleganter & ſcienter ſit depicta, non exquiritur pictor, an fuerit probus an improbus: Quo pertinet diſputatio Quintiliani, an Rhetor ſeu orator debeat quoq; eſſe vir bonus: ſcilicet in artibus ſeu artium operis & artificibus ſcientia quæritur, non mores. Alia eſt ratio in virtutibus. Nam in his & ipſa virtutum facta ſpectantur & autores. Facta quidem, an ſint virtuti conſentanea: in autore autem tria requiruntur, vt ſcienter, vt iudicio, vt conſtanter agat. Vt ſcienter agat, non caſu, neq; ignorantia: etſi ſcientia parum quoq; hic prodeſt, cum virtutes non tam cognitionis quam actionis cauſa requirantur. Reliqua duo ſunt maxime neceſſaria. Primum vt iudicio & voluntate quis agat. Nam vt *infra lib.3. cap.2.* dicetur, προαίρεσις ſeu iudicium, conſilium & voluntas, veriſſima eſt morum nota, & vt ibi dicetur, ſæpe quæ ſui natura ſunt mala aut turpia, aut contra honeſta, ratione huius iudicij aliter atq; aliter ſe habent. Deinde, vt conſtãter quis agat βεβαίως καὶ ἀμεταχινήτως. Nam hoc maxime virtutis eſt ꝓprium, vt perſeueret in recte factis: & cum ijs etiam, inquit Plato, ad inferos proficiſcatur (vnde & Stoici virtutem vitæ conſtantiam appellare ſolent) & quam maxime vitæ vſus in omnes partes confirmetur, inquit Cicero. Cur autem in artibus vna ſcientia, in virtutibus tria, ſcientia, iudicium & conſtantia requirantur, aut ſaltem duo poſteriora, hæc reddi poteſt ratio: propterea quod artes in ea parte animi, quæ rationis eſt particeps verſentur, cuius propria eſt ſcientia, & iam diximus, cur in artibus iudicium non requiratur; (non ſpectamus, an ſit vir probus an improbus) virtus autem quia eſt in ea parte animi, quæ ratione vacat, nempe ἐν τῷ ὀρεκτικῷ (in qua ſunt appetitus & motus turbulenti) προαίρεσιν requirit, vtpote quæ & ipſa ſit ὄρεξις

& dux

& dux actionum, quæ ἐκ τοῦ ὀρεκτικοῦ omnes naſcuntur. Conſtantia autẽ cur virtuti ſit maxime neceſſaria, iam dictum eſt, præſertim cum ſit habitus multo ipſis artibus firmior & ſtabilior, vt *ſupra lib. 1.* dictum eſt.

τὸ μὲν εἰδέναι.] Hoc eſt, ſcire quid ſit iuſtum, quid iniuſtum, & in ſumma quid probum, quid improbum, non reddit quem virum bonum. Nam & vſus accedat, neceſſe eſt, & προαιρέσεως. Vnde & recte Medea apud Euripidẽ: μανθάνω μὲν τὰ κακὰ, &c.

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

[Ouidius expreſſit ad verbum ſententiam Euripidis] quod ſi accedant vſus & voluntas: iam non erit inutilis ſcientia: diriget enim voluntatem quaſi dux & moderatrix. Hæc autem ſcientia non eſt accipienda de recta ratione, de qua *lib. 6.* quæ eſt valde neceſſaria ad omnes virtutes, & à Platone & Ariſtotele oculus virtutum dicitur: ſed hæc ſcientia eſt nuda tantum cognitio eius, quod ſit bonum aut malum.

ἅπαξ ἢ ἐκ τοῦ πολλάκις.] Videtur legendum ἅπαξ, id eſt, ὁρίζεται: neq; .n. puto Ariſtotelem velle προαίρεσιν & conſtantiam nobis obuenire ex ſæpe agendo: hoc .n. falſum eſt. Nam προαίρεσις potius eſt ὄρεξις, vt *infra lib. 3.* dicetur, atq; ita natura potius inſita. Rectius autem hæc verba virtutibus conueniunt, & toti huic diſputationi, qua dicitur, ex factis virtuti conſentaneis exiſtere virtutes.

τὰ μὲν οὖν πράγματα.] Hæc eſt concluſio diſputationis ſeu controuerſiæ: qua concluſione iam breuiter explanat, quemadmodum accipiendum ſit quod *ſupra 1. ca.* dictum fuit, ex factis virtuti conſentaneis exiſtere virtutes. Nam primum facta eius eſſe generis debere ait, cuiuſmodi edantur aut fiant à virtute præditis, id eſt, non debere eſſe temeraria facta aut inconſtantia & mobilia; debere, inquam, prædita eſſe tribus illis qualitatibus, de quibus modo dictum eſt. Virtute autem præditos non ſtatim eſſe, qui ea ipſa facta edant, ſed ita edant, vt virtute præditi ſolent: hoc eſt, tribus illis qualitatibus præditi.

πως.] Id eſt, certo quodam modo, hoc eſt, non ignoranter, non inconſtanter, quodam conſilio & voluntate.

ἀλλ' οἱ πολλοὶ ταῦτα.] Grauis eſt reprehenſio eorum, qui virtutes ſcientia ſola, non vero factis comparari exiſtimant, quique nõ vita, neq; re & facto, ſed verbis tantum philoſophẽt. De quibus eſt pulcherrimus locus *li. 2 Tuſc.* & ap. Lactantium

Corne-

Cornelij nepotis *in Epiſt. ad Ciceronem.* Etiam apud Platonem *in λόγῳ contra Sophiſtas* multa ſunt hac de re.

CAPVT V.

COMMENTARII.

Μετὰ δὲ ταῦτα τί ἐστιν.] Explicata cauſa efficiente & materia virtutum: accedit ad definitionem. Cur autem primo loco de definitione non egerit (quod in omni oratione requiri videbatur) ratio hæc reddi poteſt, quod in omni diſputatione primum quæratur, an ſit; deinde, quid ſit, ad quæſtionem autem, an ſit, optime referri puto diſputationem de cauſa efficiente ſeu origine. Diſputatio autem de materia, nempe virtutes eſſe poſitus in voluptate & moleſtia, interiecta fuit, &, vt diximus, acceſſoria. Primum igitur genus inueſtigat, quod neq; perturbationem, neq; facultatem, ſed habitum eſſe oſtendit, quæ ſumma eſt huius capitis.

ἐπεὶ οὖν τὰ ἐν ψυχῇ.] Diuiſione exquirit virtutis genus, vt *infra lib.3. cap.2.* agendi conſilium ſeu προαίρεσιν eodem modo inueſtigat, quibus in rebus verſetur. Summa autem diſputationis in hanc formulam redigi poteſt.

Si virtus eſt in animo: aut eſt perturbatio: aut facultas: aut habitus.
Sed virtus neq; eſt perturbatio, nec poteſtas:
Ergo virtus eſt habitus.

Antecedens, hoc eſt, virtutem eſſe in animo, ponit Ariſtoteles, vt certum ex prioribus, vbi dictum eſt, agi de beatitudine animi, & proinde de virtutibus quoq; animi. Conſequens, nempe virtutem debere eſſe ex tribus vnum, ponit quidem Ariſtoteles, ſed non confirmat, quod tamen confirmatione in primis eget: nam non hæc duntaxat in animo videtur eſſe, ſed multa alia, vt rerum omnium primæ noticiæ ſeu impreſſiones, deinde ſcientiæ & artes. Verum facile reſponderi poteſt. Nam hoc primum ponendum eſt, hic agi de virtute morum, non rationis. Itaq; ſecernenda ſunt illa, quæ ad rationem pertinent, etſi in animo poſita, qualia ſunt ea, quæ modo diximus. Quod ad virtutes morum attinet, hæc tria, vt virtutum principia in animo conſiſtere, doceri poteſt ex Categoria qualitatis. Notum eſt quatuor eſſe ſpecies qualitatis, habitum, poteſtatē, perturbationem ſeu πάθος, & formam: Forma,

Forma, quia ad corpora pertinet, non habet hic locum, vbi de Anima agitur: reliquæ ſunt tres partes, nempe habitus, facultas & πάθος: quæ omnes ad virtutes ſunt neceſſariæ. Nam cum virtus ſit in ea parte animi, quæ ratione vacat, nempe ἐν τῷ ὀρεκτικῷ: primum exiſtit appetitus ex re aliqua obiecta: appetitum conſequitur motus ſeu πάθος. Ad rem appetitam iam conſequendam neceſſaria eſt δύναμις, quæ τὸ πάθος ad effectum, id eſt, ad rem conſequendam perducit: hinc tandem ex frequentia & vſu aſſiduo exiſtit habitus ſeu virtus, ſeu vitium. Ergo quod ad diſputationem de virtute morali, quam conſtat eſſe in animo, & quam conſtat eſſe qualitatem, recte dixit Ariſtoteles, tria duntaxat eſſe in animo. Aſſumptum, id eſt, virtutem neq; eſſe perturbationem, neq; facultatem, prius quatuor, poſterius tribus oſtendit argumentis.

λέγω δὲ πάθη μ.] Quæ Græcis dicuntur πάθη ſeu παθήματα, Ciceroni *in officijs, in Finib. in Tuſcul. quæſtionibus* nominatim græcum vocabulum reddenti, dicuntur perturbationes: poſterioribus ſcilicet Quintiliano, Senecæ, Gellio *libr. 1. cap. vlt.* affectus ſeu affectiones. Nos Ciceronem imitari maluimus, propterea quod affectio aliud apud Ciceronem valeat, idem quod græcis διάθεσις ſeu interdum ἕξις. Eſt autem hic perturbationis definitio per partitionem. Eſt & altera hæc: Perturbatio eſt id, cui comitatur voluptas & moleſtia: quæ definitio iteratur ab Ariſtotele *init. lib. 2. Rhet.* quo libro accuratiſſime de perturbationibus agitur: Sed multo accuratius à Cicerone *lib. 3. & 4. Tuſcul. quæſt.* qui fere ſemper ex Stoicis definit perturbationem eſſe motum animi rectæ rationi aduerſarium.

ὅλως οἷς ἕπεται.] Scholiaſtes græcus ita definit: Eſt animi, in quo ſunt appetitus, motus excitatus ab exiſtimatione, ſeu phantaſia boni & mali.

δυνάμεις δὲ.] Sunt, qui exiſtiment δυνάμεις ſeu poteſtates hoc loco eſſe, quæ in Categoria qualitatis dicuntur παθητικαὶ ποιότητες, ſeu patibiles qualitates, vt poteſtates à perturbationibus ſola temporis diuturnitate diuidantur: illæ ſint diuturniores, hæ breuiores, vt apud græcos μῆνις eſt longiſſima ira: ὀργὴ minus longa, θυμὸς breuiſſima ira, ex quibus θυμὸς ſit perturbatio, reliquæ fortaſſe poteſtates. Sic εὔνοια ſeu beneuolentia, quæ breuior eſt, ſit πάθος· φιλία ſeu amicitia, quæ eſt longior, ſit poteſtas. Verum non recte illi exiſtimant: neque

enim

enim hæ δυνάμεις ad tertiam qualitatis ſpeciem, ſed ad ſecundam pertinent. Quod perſpicue apparet ex his verbis Ariſtotelis *infra* hoc cap. ὅτι γὰρ ἀγαθοὶ λεγόμεθα τῷ δύνασθαι πάσχειν ἁπλῶς, &c vbi ita argumentatur. Ex eo, quod quis poteſt præclare agere, neq; tamen agit, ex mera, inquam, poteſtate, nemo dicitur vir bonus: quæ certe poteſtas ad ſecundam qualitatis ſpeciem pertinet. Agitur autem ibi de his iiſdem poteſtatib⁹, vt ibi planius mox. Plutarchus quoq; *in libello de virtute morali* aperte eam ſententiam refellit, ſeu potius explicat has poteſtates, vt nos explicandas arbitramur: & Græcus Scholiaſtes, Argyropylus, & alij Interpretes accipiunt. In hanc namq; ſententiam fere ait Plutarchus: Tria ſunt in animo, poteſtas, principium, & materia perturbationum, vt iracundia, confidentia, impudentia: deinde perturbatio, quæ poteſtatis iam eſt modus quidam, & quaſi progreſſio ſeu actio, vt ira, &c. tertium eſt habitus, qui perturbationis eſt quædam confirmatio, ſeu confirmata affectio, ſi bona, virtus, ſi mala, vitium. [Multa extant verba perturbationum, vbi pauciſſima poteſtatum, vt amor eſt πάθος, ſed eius δύναμιν, quo efferre verbo poſſis, non habes. Et retinendum ſæpe ipſum amorem.]

πάθη μὲν οὖν.] Quatuor argumentis docet, virtutes aut vitia non eſſe perturbationes. Primum eſt, quia ex perturbationibus ſeu ratione perturbationum boni aut mali non dicimur. Formula ſit iſta:

Ex perturbationibus nemo dicitur bonus aut malus.
Ex virtutibus autem & vitiis dicimur boni aut mali.
Ergo virtutes aut vitia non ſunt perturbationes.

Propoſitio eſt vera. Nam eo quod quis iraſcatur aut miſereatur, nulla adhibita diſtinctione, non dicitur bonus aut malus, ſed ſi hoc aut illo modo iraſcitur, nempe moderate, & vt virum fortem decet: & tum non erit amplius perturbatio, ſed virtus. Altera ratio ibi, ἔτι κατὰ μὲν τὰ πάθη. Etiam à virtutis proprietate ſumpta, quia ex perturbationibus nemo laudatur aut vituperatur. Forma:

Ex perturbationibus nemo laudatur aut vituperatur.
Atqui ex virtutib. & vitiis laudamur & vituperamur.
Ergo virtutes & vitia non ſunt perturbationes.

Propoſitio prima fronte videatur falſa. Nam miſericordia & amicitia, quæ ſunt perturbationes, laudabilia videntur, & ob eas laude quis dignus exiſtimari poteſt, vt & vituperatione dignus

dignus videatur quis ob alias perturbationes, odium, inuidentiam. Itaq; ob hanc difficultatem Ariſtoteles tacite occurrit, ibi, ὁ ἁπλῶς ὀργιζόμενος, ἀλλὰ ὁ πῶς. Quaſi dicat, ſi perturbationem in genere accipias, nulla adhibita diſtinctione, (vt & modo diximus, vbi tamen non erat difficultas) tum certe ob perturbationem nemo laudabitur aut vituperabitur: videmus enim laudari quem aut vituperari, quia vel nimium vel parum perturbationibus afficiatur, vel medio & laudabili modo. Sunt tamen quædam perturbationes, quæ ſimpliciter ſunt vituperandæ, & ob quas vituperari quis poteſt ſine diſtinctione, vt inuidia, de quibus *infra capite proximo in fine*. Tertia ratio ibi, ἔτι ὀργιζόμεθα, quia in perturbationibus nullum eſt conſilium, vtpote quæ temeritate & feruore, ſeu æſtu quodã animi concitentur. In virtutibus autem maxime elucet conſilium ſeu iudicium, vt *infra* dicetur *lib. 3. cap. 7.* Quarta ratio, ibi, πρὸς δὲ τούτοις: Quia ex perturbationibus moueri dicimur: ex virtutibus non item, ſed affici potius. Nam iam *ſupra* dictum eſt, perturbationes eſſe animi motus turbulentos: dictum quoq; eſt *ſupra* virtutes eſſe potius animi quaſdam tranquillitates; *ſupra cap. 3.* διὸ καὶ ὁρίζονται. Quod autem virtutibus afficiamur, notum eſt ex Categoria qualitatis, & ex communi ſermone. Et hoc ſignificat verbum διακεῖσθαι, quo ſolet vti Ariſtoteles de qualitatibus ſeu affectionibus, qua quis afficitur, & cuiuſdammodi, ποιός τις redditur, vt & verbo διατίθεσθαι.

διὰ ταῦτα δὲ.] Tribus rationibus oſtendit, virtutes non eſſe facultates, duas quidem cum priore diſputatione de perturbationibus communes, tertiam præcipuam & propriam eſſe declarabimus.

οὔτε γὰρ ἀγαθοί.] Prima ratio, quia ex poteſtatibus nemo dicitur vir bonus aut malus, id eſt,

Ex eo quod quis poteſt bene aut male facere, nemo dicitur bonus aut malus, ſed ex eo quod faciat.

Atqui ex virtute boni, ex vitio mali dicimur.

Ergo virtus non eſt poteſtas, ſed facultas.

τῷ δύνασθαι πράττειν.] Sic habent aliquot libri: ſed plures πάσχειν, atq; ita habet vetus translatio, & Græcus Scholiaſtes, & libri manuſcripti. Verum vtrumq; ſpurium mihi videtur, & inducendũ, vt h. modo legat hic locus; τῷ δύνασθαι ἁπλῶς, i. e. ex eo ꝙ qs ſimpliciter bene aut male agere poſſit, nõ dicitur bon⁹

aut

aut malus. Nam in eo eſt vis argumenti, id eſt, ἐν τῷ δυνάμει, id eſt, non poteſtate, neq; opus eſt adiectione τοῦ πάσχειν aut τοῦ πράττειν, aut cuiuſcunq; rei.

... ὅτε ἐπαινούμεθα.] Altera ratio, quia ex eo, quod bene facere aut male poſſumus, non laudamur aut vituperamur: imo vix ex eo quod volumus, neque tamen facimus, laudamur aut vituperamur, vt pulcherrime Cato apud Gellium *pro Rhodiis*.

καὶ ἔτι δυνατοὶ μέν.] Tertia ratio propria, quia

Poteſtas eſt natura.

Virtus non eſt natura, vt ſupra cap. 1. dictum.

Ergo poteſtas virtuti non congruit.

Poteſtatem eſſe natura *ſupra* dictum eſt *cap 1.* vbi diximus, virtutes quidem non eſſe natura: ſed tamen nos ita à natura factos eſſe oportere, vt ad virtutes ſimus apti. Præterea omnis δύναμις ſeu poteſtas qualitatis eſt natura ſeu φυσική, quod perſpicuum eſt ex Categoria qualitatis.

λείπεται ἕξεις αὐτὰς εἶναι.] Philoſophi quidem plærique in ea fuerunt opinione, vt virtutes habitus eſſe dicerent (& Plato *in Menone* de virtutis genere mire laborat) tamen res in dubium reuocari poteſt, ppterea quod vix vllum reperias mortalium, qui huiuſmodi habitum ſibi comparet, vt conſtanter, recte & ex virtute agat. *Septies in die*, inquiunt ſacri libri, *peccat iuſtus*. Quare Philoſophus Hierax *in libro de Iuſtitia*, apud Stobæum λόγῳ *de Iuſtitia*, idem in controuerſiam reuocat: an Iuſtitia ſit habitus, an vero ſit actio, an denique ſit effectum ſeu factum, quod nos dicimus virtuti conſentaneum. Hac etiam de re videatur Philippus *in Dialectica ſub Categoria Qualitatis, &c.*

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ μὴ μόνον οὕτως εἰπεῖν.] Repetito virtutis genere & explicato, exquirit differentiam, eamque eſſe ait mediocritatem, hoc eſt, virtutem eſſe habitum in mediocritate poſitum.

ῥητέον οὖν ὅτι πᾶσα.] Præmittit definitionem virtutis ὀνοματώδη ſiue verbi aut notionis ad reperiendam definitionis οὐσιώδους & rei differentiam. Definitio nominis hæc eſt, virtutem eſſe id, quo quis quam optime habeat, & munere ſuo fungatur.

gatur, vel munus ſuum exequatur. Sic hoc loco definit Ariſtoteles. Idem *lib. 7. Phyſ.* & Metopus Pythagoreus apud Stobæum λόγῳ *1.* Alexander *in 3 Top.* & Cic. *li. 1. de legib.* Virtutem nihil eſſe aliud ſcribunt, quam cuiuſq; rei vim & poteſtatem, ſeu affectionem perfectiſſimam & optimam, verbi gratia, Equi perfectiſſima eſt affectio velocitas. Ergo velocitas eſt equi virtus. Sic & oculorum acies acerrima, eſt oculorum virtus, vt ait Plato *li. 1. de Republ. extremo.* In hac igitur notione, virtus dicitur equi; arboris apud Cic. 1. *de legib.* narrationis 2. *de oratore*: ordinis, Horatius *de arte Poetica.* Sic & ἀρετὴ dicitur τῆς λέξεως ſeu dictionis & Phraſέως, Ariſtoteles 3. *Rhet.* ἀποδείξεως ἀρετὴ, 1. *Analyticorum*: μεγέθους 1. *Rhet.* σώματος *ibid.* κτήματος ſeu poſſeſſionis & ἔργου *infra lib. 4.* φιλίας *infra libr. 10.* & Plato *in Gorgia* ψυχῆς ſeu animi dicit ἀρετὴν, & *lib. 1. de Repub.* τῶν ὤτων aurium, & τῶν ὀφθαλμῶν, vt & hoc loco. Hæc vna eſt virtutis notio, tam apud Græcos quam apud Latinos, de qua hic agitur. Eſt & altera, qua virtus proprie dicitur Fortitudo, teſte Cic. *lib. 2. Tuſcul.* qui & ipſum virtutis nomen, propterea à viro deductum ſcribit, teſte quoque Plutarcho *initio vitæ Coriolani*; vbi ſcribit, Fortitudinem apud Romanos tanto fuiſſe in pretio, vt commune alioqui virtuti nomen de ſola fortitudine diceretur. ἀρετὴ apud Græcos plærumque eſt commune vocabulum: interdum tamen ad fortitudinem aſtringitur, vnde & ab ἄρης, id eſt, Mars deductum quidam exiſtimant. Et Plato *in Cratylo* ἀρετὴν quaſi ἀειρρέτην ab ἀεὶ, id eſt, ſemper, & ῥεῖν fluere, quaſi à ſemper ruendo; quod proprium eſt fortitudinis, deducit. etſi ἀρετὴ ibidem etiam deduci poſſit quaſi αἱρετὴ, id eſt, maxime optabilis affectio, quod & Philo *in libro, quis ſit hæres rerum diuinarum*, commemorat. Qui tamen affert & hanc Etymologiam quaſi ἀρετὴ dicta ſit παρὰ τὸ αἴρεσθαι, id eſt, tolli, quia virtus mentem ad ſumma quæque tollat, vt contra κακία, i.e. quaſi κάτω, i.e. deorſum ἰὼν, i.e. male iens, i.e. hominē ad inferiora demittat. Nam Plato *in Cratylo* κακίαν dictam ait quaſi κακῶς ἰὼν, i. e male iens. Latine autem κακία dicitur vitium, & vitioſitas, teſte Cic. 3. *de Finib. & 4. Tuſcul.* non vero malitia, quod eſt nomen ſpeciei, non commune. Malitia enim eſt ſpecies iniuſtitiæ, ſeu etiam eius vitij, quod prudentiæ eſt oppoſitum. Tertia quoque vocabuli virtutis notio eſt hæc, vt non tam pro habitu ſeu affectione iſta, quam pro factis ex habitu manantibus ponatur, & ita plæ-

rumque in numero multitudinis virtutes dicuntur ea, quæ græce κατορθώματα, id eſt, præclara facinora & recta facta, vt apud Ciceronem *de Senectute*, & Neſtorem facit Homerus ſæpe de ſua virtute prædicantem. Ex his perſpicuum eſt, primam notionem huc facere, qua diximus virtutem eſſe perfectiſſimam cuiuſque rei affectionem & naturam: quæ & Ciceroni laus dici ſolet: *initio de oratore perfecto, 3. de Fin & alibi*, vt, inquit, ſi Cothurni laus illa eſſet, apte ad pedem conuenire. Itaque cum hoc loco de virtutibus agatur hominis: certe virtus quoque humana eiuſmodi erit affectio, quæ hominem perfectiſſimum reddat: Sed hoc amplius hoc loco Ariſtoteles, virtutem non tantum rei cuiuſque ſummam perfectionem eſſe ait; ſed etiam, quæ opus cuiuſque rei expoliat & perfectiſſimum reddat. Sic & virtus hominis eius quidem ſumma erit perfectio, & opus ac munus hominis prætcrea reddet perfectiſſimum. Ex his iam cernere licet aliquam virtutis deſcriptionem, nempe virtutem eſſe optimum & perfectiſſimum quiddam.

ἀφ' ἧς ἀγαθός.] Opus hominis & munus (quia de virtutibus agitur, quæ in moderandis & dirigendis actionibus & perturbationibus ſunt poſitæ) eſt eius partis animæ, in qua ſunt perturbationes, ſiue, ipſarum potius perturbationum & actionum vitæ moderatio.

ὑπερβολῆς & ἐλλείψεως.] Duo hæc vocabula græca, ὑπερβολή, quæ & ὑπεροχή dicitur, & ἔλλειψις, quemadmodum latine reddantur, valde laborant viri eruditi. Cicero *libro primo officiorum. in Orat. perfecto, & nona Philipp.* ὑπερβολὴν vocat nimium, ἔλλειψιν, parum. Idem Cicero *in Protagora* (vertit enim Cicero Dialogum Platonis Protagoram) prius magnitudinem, alterum longitudinem reddit, quod valde miratur vir doctiſſimus Petrus Victorius *lib. 19. variarum lectionũ.* Verum eodem modo locutus eſt Hieronymus *ad Pammacriũ de erroribus Origenis*, vbi nominatim magnitudinem odij contrariam ponit ὑπερβολῇ amoris. Vitruuius *lib. 1. cap. 14.* alterum exuperationem, alterum defectionem vocat. Vulgo exceſſum & defectum dicunt. Nos Ciceronem ſequemur. Μεσότης à Cicerone ijs in locis fere redditur mediocritas, quod tamen potius eſt τὸ μέτριον. Quare & Cic. *in Timæo* eandem vocem reddit latine medium, & medietatem, ſed valde diffidenter, vtpote nouo vocabulo.

ἐν πω-

ἐν παντὶ δὴ συνεχεῖ.] Argumentatur Ariſtoteles h. modo:

In omni re, quæ diuiſionis eſt particeps, tria reperiuntur, maius, minus, & æquale.

Ergo in rebus, in quibus virtus verſatur, eadem reperientur, propterea quod ſint diuiduæ.

Propoſitio nota eſt ex Dialecticis. Aſſumptio, nempe res, in quibus virtus verſetur eſſe diuiduas, quas conſtat eſſe perturbationes & actiones: in controuerſiam reuocari poteſt, propterea quod res iſtæ ſint in Categoria Qualitatis: Diuiſio autem omnis pertineat ad Categoriam Quantitatis. Verum ex Ariſtotele ipſo *lib. 2. Eudem cap 3.* hæc res ita dijudicari poteſt. Conſtat ex Phyſicis motum fieri in tempore. Ex Dialecticis tempus eſſe in Categoria Quantitatis. Ergo in quibus eſt motus, in his quoq; tempus eſſe, & propterea eadem eſſe diuidua, vtpote in quantitate. Iam perturbationes eſſe motus animi, *ſupra* dictum eſt. Actiones autem eſſe motus omnibus perſpicuum eſt.

καὶ ταῦτα, ἢ κατ' αὐτό.] Conſtat iam in rebus, in quibus virtus verſatur, reperiri maius, minus, & æquale: pergit nunc Ariſtoteles, & æquale partitur, quod ait eſſe bipartitum, vel ratione noſtri, vel per ſe & ratione rei. Hoc eius eſſe naturæ, vt omnibus vnum idemque ſit, & eſſe proportionem Arithmeticam (vel conſentaneum proportioni Arithmeticæ) illud ratione perſonarum eſſe diſpar, & eſſe conſentaneum proportioni Geometricæ. Idem autem æquale vocat medium, vtpote inter duo extrema interiectum. Tandem hoc adijcit Ariſtoteles, qui huius diſputationis eſt ſcopus, omnes recto iudicio præditos, medium illud Geometricæ proportioni conſentaneum ſectari et expetere. [In hoc capite fere totus Ethices cardo verſatur, ideo nos ſingula perpendemus diligentius.]

συνεχεῖ & διαιρετῷ.] Duobus his verbis vnam eandemq; rem contineri, ſunt qui exiſtiment, nempe agi de quantitatis ſpecie, quæ dicitur continuata, propterea quod ea maxime dicatur eſſe particeps diuiſionis, & hoc velle verbum διαιρετῷ. Puto tamen vtramq; quantitatis ſpeciem contineri, verbo quidem συνεχεῖ continuatam, & διαιρετῷ diſiunctam, quæ alioqui ſolet dici διωρισμένη. Nam in vtraque locum habet, quod hic dicitur. De magnitudine quidem ſeu continuata diſſentiunt omnes: De numero, ſeu diſiuncta quantitate exempla *infra* poſita confirmant de proportione

 Arith-

Arithmetica & Geometrica. Atq; ita quoq; hunc locum explicat Scholiaſtes Græcus.

τὸ δ᾽ ἴσον μέσον τι.] Callide Ariſtoteles, cum ei eſſet conſilium docere, virtutem in mediocritate eſſe poſitam: ſtatim omiſſa æqualitatis mentione, tranſit ad medietatem: neq; id abſq; ratione. Nam æqualitas, inquit, medietas quædam eſt inter nimium, & id quod parum. Non omnis quidem medietas eſt inter nimium, & id quod parum: vt centrum in circulo: ſed ea, de qua hoc loco agendum eſt, hoc eſt, quam diximus eſſe æqualitatem, ea vere eſt inter plus & minus, ſeu nimium & parum, vt eſt omnis æqualitas. Quo pertinet, quod ait Plato *in Parmenide*. Medium, id eſt, quod vtrimque æqualiter abeſt ab extremis, id eſt, eo quod nimium, & eo quod parum.

λέγω δ᾽ ἐξ ἡμῶν.] Hæc prima eſt medietatis partitio, diligentiſſima obſeruatione digna: propterea quod in ea vis omnis & natura virtutis ſit poſita: quarum altera ab Ariſtotele dicitur ratione rei: altera ratione noſtri: poſſet & dici prior abſoluta, altera cum rebus coniuncta. Plutarchus *in libro de virtute morali* affert nõnulla, q̃ huc quoq; faciunt: ***Res***, inquit, ***omnes, aut ſunt*** ὅπως, ***aut*** πῶς: ὅπως ***vt cœlum, terra, aſtra, homo, &c. & cætera res naturales.*** πῶς, ***i. e. ea quæ ad actiones humanas pertinent, vt ſunt res expetendæ & fugiendæ, turpes & honeſtæ. In illis verſatur ſcientia: In his virtus & prudentia; propterea quod illæ eodem ſe ſemper modo habeant: hæ pro temporum & aliorum diſſimilitudine attributorum varient.*** Atque ita illis accommodari poteſt medietas illa abſoluta & ſimplex: his ea, quæ dicitur ratione noſtri, ſeu cum rebus coniuncta.

ἀλείπτης.] Ita vocant Græci palæſtræ præfectum ſeu magiſtrum. Cicero ***libr. 1. Epiſt. Epiſtola penult. ad Lentulum*** Græco nomine, quia nullum eſt latinum, vſus eſt. Valet ad verbũ *vnctor*: quod quidem verbum latinum apud Martialem ***lib. 7. & in Iure ſub tit. de Ædil. Edicto*** reperitur, ſed non pro palæſtræ magiſtro: verum pro ſeruo, quo ſolent vti domini in ſe vngendo in balneis, non vero in palæſtris.

ἐξ μνᾶς.] Olim erat moris Romæ, vt in Græcia ſeruos vinctos, & de quibus hic agitur Athletas, id eſt, certis ciborum libris alere. Qua de re Athenæus *libro decimo*, Gellius ***libro vigeſimo, capite primo***, qualem victus rationem Ariſtoteles

les *libro* 8. *Politicor.* vocat *ἀναγκαιοφαγίαν*, quaſi neceſſariam commeſtionem.

μίλωνι.] Hic Athleta vna vice bouem integrum comedit, & plærumq; hæc vitæ eius erat ratio, vt carnis libras viginti, panis totidem ederet, & tricongium biberet vna cœna, teſte Plutarcho *lib.* 10.

εἰ δὴ πᾶσα ἐπιστήμη.] Hic iam incipit Ariſtoteles afferre argumenta, quibus virtutem docet eſſe medietatem. Primum eſt à minore, cuius hæc ſit formula:

Si artes omnes ad opus aliquod perficiendum, medium petunt.
Ergo & virtus medium petet, & quidem multo magis.
Verum primum.
Ergo &, &c.

Antecedens ibi, *πᾶσα ἐπιστήμη*, quod iam confirmauit exemplo artis palæſtricæ. Confirmat & hoc loco, ibi, *ὅθεν εἰώθασιν*, prouerbio quodam ſeu dicto cõmuni, quo dicitur, ea demũ perfecta & proba eſſe opera, quib. nihil addi aut adimi poſſit: quemadmodum Phauorinus Philoſophus apud Gellium *libro ſecundo, capite quinto.* de oratore Lyſia & Platone dicebat, huic ſi quid adimas, tantundem de elegantia, illi tantundem de ſententia detrahas Sic calceamenta ea cenſentur optima, quæ ad pedem ſint accommodatiſſima neque laxiora, neque arctiora: idem eſt in veſtibus: idem in picturis & ſtatuis, quas reprehendi ſolitas videmus, ſi quid abeſt ad membrorum elegantem moderationem perficiendam, & ſi quid redundet, longiorem fortaſſe naſum, & ſuperuacanea quædam contineant. Hic enim locus de artibus iſtis intelligendus eſt. Nam *ἐπιστήμη* ſæpe pro arte opificum ponitur, teſte Platone *lib. 7. de Republ.* atque ita hoc loco verbum iſtud accipiendum eſt. Nam ſcientiarum, quæ proprie dicuntur, alia eſt ratio, vt mox dicetur. Sed exiſtit quæſtio, falſum videri antecedens, neque artes tam perſequi medium, quam ſummum, & abſolutam perfectionem. Nam in hoc laborant opifices, vt opera faciant quam elegantiſſima. Reſpondetur. Artes & ſummum & medium perſequi, diſſimili ratione, ſummum qualitatis, id eſt, bonitatis & elegantiæ: medium quantitatis, id eſt, inter ſuperuacanea & elliptica. Qua de re eſt elegantiſſimus locus apud Ciceronem *initio libr. 3. de oratore*, vbi affert exempla ab arte fingendi, pingendi, poetica & ora-

toria. Dictum hoc vulgare, quo antecedens confirmat Ariſtoteles, Eraſmus retulit inter prouerbia, qui & affert verſiculum Horatij de Lucilio, cuius verſus Horatius reprehenderet, vt non vſq; quaq; elegantes & rotundos:

Cum flueret luculentus erat, quod demere poſſet.

ἡ δ' ἀρετή.] Hic incipit oſtendere rationem conſecutionis. Sæpe iam Ariſtoteles comparauit virtutes cum artibus, vt *ſupra libr. 1 cap 10. & cap. 7. & 4.* Similes in hac re oſtendit eſſe artes & virtutes, quia vtræque non natura, ſed vſu parantur: diſſimiles quia artibus virtutes ſint firmiores & diuturniores, quod explicauimus *cap. 10. libr. 1.* Deinde quia ad artes vna duntaxat cognitio ſeu notitia ſit neceſſaria. Ad virtutes præter notitiam requiratur agendi conſilium ſeu animus virtute præditus & conſtantia, vt *ſupra* dictum eſt *capite 4.* Nunc hoc loco virtutum ab artibus diſſimilitudinem & ſimilitudinem quandam coniunctim affert: qua in re conſtat ratio totius argumentationis huius. Antecedens erat: artes exquiſitiſſimas ſectari medium, eoque eſſe exquiſitiores & perfectiores, quo medium magis aſſequantur. Iam virtutes eſſe exquiſitiſſimas & artibus longe perfectiores, aſſumit Ariſtoteles ibi, ἡ δ' ἀρετή. Quod oſtendemus hoc modo: Certum eſt naturam eſſe vniuſmodi, hoc eſt, ad vnum idemque ſemper contendere, & vno eodemque fere modo, in munere ſuo fungendo, vt homo hoc agit, vt perfectiſſime ſui ſimilem procreet, idque eodem modo & via. Nux arbor hoc agit, vt quam optimas & plurimas afferat nuces, eodem Solis ardore & pluuijs adiuta. Ea eſt in reliquis naturalibus operibus. Conſtat autem naturæ opera eſſe exquiſitiſſima & perfectiſſima. Cur ita? quia vni rei ſemper ſit intenta, neque varijs attributis diſtrahatur. Naturæ ſimillima eſt virtus, vtpote quæ vſu & longa conſuetudine (quæ velut altera eſt natura) comparetur. Quare & huius opera naturæ operibus erunt quam ſimillima, hoc eſt, perfectiſſima. Quo facit, quod *ſupra* dictum eſt, virtutem eſſe cuiuſque rei perfectiſſimam affectionem & ad ſummam perductam naturam. Præterea hoc quoque cum natura ſimile habet virtus: vt vni eidemque rei ſtudeat, nempe perturbationum & actionum mediocritati. Ratio autem, cur natura & virtus vni eidemque rei ſint intentæ, hæc eſt, quod extra rationem ſint poſitæ (agimus enim de virtu-

Digitized by Google

irtutibus moralibus, non rationis.) Ratio eſt, quæ ſummam varietatem in rebus adducit. Quæ quia in artibus dominatur, fit, vt tanta ſit in ijs varietas, inconſtantia, & vt ta dicam, imperfectio. Natura nunquam peccat, niſi ob mpedimentum externum. Vir bonus ex Philoſophorum ententia ſemper quoque bene agit. At opifex ſæpiſſime peccat in operibus. Et videre licet in ſingulis artibus incredibiem opificum varietatem, vt *ſupra* ex Cicerone *libro tertio, le Oratore*, adduximus. Itaque hæc verba, ἀκριβεστέρα καὶ ἀμείνων, quæ alij aliter vertunt, alij aliter explicant, & quaſi duo ijs contineri exiſtimant, nos ad vnam eandemque rem pertinere arbitramur, quaſi dicat Ariſtoteles, virtutes artibus ſubtilitate ſeu expolitione & perfectione antecellere.

vit. artib. antecelle

λέγω δὲ τὴν ἠθικήν.] Nominatim expreſſit Ariſtoteles ianc diſputationem intelligendam de virtute morali, non le Theorica: quibus verbis indicat, Theoreticam non poſitam eſſe in medio, neque eſſe mediocritatem, ſed potius ἀκρότητα ſeu excellentiam. Quod teſtatur quoque Plutarchus *in libro de virtute morali*, & hoc loco Græcus Schoiaſtes recte quoque hæc verba ita explicat. Ratio autem, cur Theoreticæ in mediocritate non verſentur, eſt iſta, propterea quod res, in quibus Theoreticæ verſantur, nullam mediocritatem admittant: & quo quis accuratius & diligenius in ijs elaboret, eo præſtantior fit, verbi gratia in Matheſi cernere licet nullum eſſe finem aut modum ſubtilitatis: Eadem eſt ratio in Phyſicis & Metaphyſicis, atque adeo n ipſis Grammaticis. Alia eſt ratio in moralibus virtutibus, quarum res ſubiectæ ea ſunt natura, vt nimium, id quod parum, & medium admittant. Quod nos *ſupra* explicauimus. Ariſtoteles autem hoc loco inductione oſtendit, maxime in perturbationibus. In actionibus (quæ eſt altera materiæ virtutum pars) facile quoq; oſtendi poteſt: atque adeo *ſupra* id eſt oſtenſum *cap. 2.* Hoc ſolum nunc quæritur, quæ ſit ratio, cur virtus moralis poſita ſit in medio rationi noſtri? eam aliqua ex parte iam reddidit Ariſtoteles, quo loco docuit, artes in eius generis medio verſari ſeu id expetere, quibus artibus conſtat perſimiles eſſe virtutes. Verum paulo atius & planius hoc explicandum videtur. In artibus eſt id

Theorica ī posita ī medio

certiſſimum, vt ſi ponatur calceamentum duorum digitorum, & alterum decem digitorum, illud breuius, hoc eſſe longius; non ſtatim ſequetur, ſi medium ratione rei ſpectes, tertium aliquod ſex digitorũ (quod eſſet medium ratione rei, vt liquet ex Arithmetica proportione) eſſe pedi accommodatum. Spectandi igitur ſunt ſingulorum pedes, & non tam res, quam nos ipſi ſpectari debemus, [non tam rei quam noſtri habenda eſt ratio] ſic in virtutibus non eadem liberalitas poſtulatur à tenui & copioſo: non eadem prudentia in opifice & Senatore, aut ICto: non eadem in milite & Imperatore: non eadem temperantia in mare, quæ in fœmina, vt vult Cicer. apud Gellium *lib. 10. cap.* 23. quo pertinet pulcherrimus locus Plutarchi *in Phocione*, vbi dicit: Alcibiadis & Epaminondæ non eandem eſſe fortitudinem, ſed diſſimilem: iuſtitiam quoq; diſſimilem Numæ & Ageſilai: diſſimilem quoq; prudentiam Themiſtoclis & Ariſtidæ. Diſſimilis quoq; fuit fortitudo Fabij cunctatoris & Marij. Cur ita? propterea quod temporum & ipſarum perſonarum ratione, alterius fortitudo, vt Alcibiadis, audaciæ eſſet affinior, Epaminondæ exquiſita & perfecta erat fortitudo: ſic prudentia Themiſtoclis, verſutiæ & calliditati erat vicinior, vt teſtatur Cicero *libr. 3. offic.* Sic Numæ iuſtitia fuit religioſior, & pietati propior, Ageſilai publicæ vtilitatis ſtudioſior. Sic Marij fortitudo propior fuit audaciæ & furori, quia res erat cum Cimbris furioſis hominibus. Fabij vero timiditati propior, vtpote cui res erat cum prudentiſſimo & callidiſſimo Hannibale.

καὶ ὅλως ἡσθῆναι.] Quia infinitum erat omnia perturbationum genera enumerare, tandem adijcit duo illa ſumma capita, ſeu notas, quibus omnes perturbationes dignoſcuntur, nempe voluptatem & dolorem.

τὸ δὲ ὅτε δεῖ.] Phraſis eſt Ariſtotelica, qua rerum ſeu actionum vitæ humanæ & perturbationum varietatem notare ſolet. Qua & *ſupra* vſus, & *infra* aliquoties vtetur.

μέσον δὲ καὶ ἄριστον.] Puto his verbis contineri alterum argumentũ, quo doceatur, virtutem eſſe in mediocritate. Plæriq; explanatores quidem (Thomas, Argyropylus, Martyr, Græca ſcholia lacera ſunt) hanc totam diſputationem Ariſtotelis de mediocritate duob. duntaxat argumentis cõcludunt, altero ab ar-

b artibus ducto, quod iam eſt explicatum, altero ab auctoritate Pythagoræ, quod mox explicabitur, ibi, ἔτι τὸ μὲν ἁμαρτάνειν. Et certe pro his facit orationis connexio & forma: nam ſemel duntaxat vtitur particula ἔτι, eo quo iam dixi loco: quæ particula Ariſtoteli & aliis omnibus ſcriptoribus, vt Latinis præterea, ſolet eſſe argumentorum nota & index. Quid ergo? Fateor quidem ratione orationis, expreſſa duntaxat licet videre duo argumenta; propterea tamen negari non debet, quædam alia ſubindicari, & interiici potuiſſe, quod, cum aliis in locis conſueuit Ariſtoteles, tum hoc in loco eum feciſſe oſtendam. Itaque in his verbis argumentum latere exiſtimo huiuſmodi, quia ſcilicet perturbationum & actionum mediocritas ſit bona, nimium & parum ſint mala, concludi poteſt hoc modo:

Quæcunque ſunt bona, virtuti conueniunt, mala vitio.
At mediocritas perturbationum & actionum (in quibus verſatur virtus & vitium) eſt bona, nimium & parum, mala.
Ergo mediocritas conuenit virtuti, hoc eſt, in medio conſiſtit virtus.

Aſſumptio expreſſa eſt ab Ariſtotele in his omnibus verbis, ἐν δὲ τούτοις ἐστὶν ὑπερβολή, & maxime ibi μέσον δὲ τὸ ἄριστον, &c. exprimit eam Ariſtoteles, vt certam & vulgo notam. Vulgo namque dicimus, nimium aut parum iraſci, eſſe malum, moderate bonum. Eadem eſt ratio in cæteris perturbationibus. Propoſitio ibi, ὅπερ ἐστὶ τῆς ἀρετῆς. Eius confirmatio certa eſt ex principio huius capitis, vbi dictum fuit, virtutem eſſe optimam & perfectiſſimam cuiuſq; rei affectionem. Hoc argumentum attigit & Ariſtoteles *lib. 1. Magnor. Moral. cap. 23.* & concluſit, paulo tamen aliter hoc modo:

Omnia optima ſunt in medio.
Virtus eſt optima.
Ergo eſt in medio.

ἐν οἷς ἡ μὲν ὑπερβολή.] Hic puto latere tertium argumentum iſtud: quia medio recte agitur, & medium laudi datur, nimio, eoque quod parum, id eſt, extremis peccatur, eaq; vitio dantur ſeu vituperantur. Formula ſit iſta:

Recte facta omnia & laudabilia virtuti conueniunt.
Medio autem recte agitur, & idem laudi datur: contra in extremis.

Ergo medium conuenit virtuti.

Propoſitio ibi, ζῶντα δ' ἄμφω τῆς ἀρετῆς (hoc eſt, ea quæ ſunt recte facta, quæ laudabilia, ea ambo conueniunt virtuti) quæ eſt bipartita. Prior eius pars; recte facta virtuti conuenire, quod docuimus initio huius capitis, vbi virtutis hanc eſſe proprietatem & vim, ſeu notionem oſtendimus, vt opera ſeu res in ſuo quoque genere, quam optimas & perfectiſſimas reddat. Idem eſt dictum *ſupra libro primo, capite 7.* Eodem pertinent Stoica illa, κατορθώματα, quæ perſequitur Cicero 3. *lib. Offic.* Altera propoſitionis pars, virtutem eſſe laudabilem, ſeu laude digna virtuti conuenire, explicatum eſt *ſupra libro 1. capite 12. & capite decimotertio extremo.* Aſſumptio ibi, ἐν οἷς μὲν ἡ ὑπερβολή, quæ & ipſa eſt duarum partium, prior, medio recte agi: quod & ipſum iam confirmatum eſt in prima concluſione *ſupra*, vbi diximus, artes optime ſua opera perficere: medium conſectando, quo pertinet prouerbium: *Qui nimium properat, tardius abſoluit*; de quo apud Eraſmum. Altera pars, medium eſſe laudabile, confirmatur prouerbio; *Ne quid nimis*, de quo Eraſmus. Et hinc eſt, quod apud omnes Scriptores, maxime Poetas ſummæ reperiantur laudationes mediocritatis. Et apud Horat. *lib. 1, Carm* apud Sophoclem *in Oedipo*, eaque re tam laudabile habetur dictum illud; σπεῦδε βραδέως: de quo & ipſe Eraſmus; *Feſtina lente.* Ergo mediocritas eſt laudabilis.

ἔτι τὸ μὲν ἁμαρτάνειν.] Quartum eſt argumentum, quod vt intelligatur, ea quę *ſup. l. 1. c. 6.* ſunt explicata de συστοιχίᾳ Pythagorica, in memoriam reuocāda ſunt: vbi dictum eſt, in decemplici bonorum & malorum ordine Pythagorico, finitum poni in latere bonorum, infinitum in latere malorum. Argumentatur igitur Ariſt. hoc modo: Virtus eſt in mediocritate, eo quod eſt finita: vitium in nimio, & eo quod parum, eo quod ſit infinitum, ſeu in ordine infinito. Concluſio ſit iſta:

Quæ ſunt finita, ea ſunt bona: quæ infinita, ſunt mala.
At mediocritas eſt finita.
Ergo mediocritas eſt bona: extrema mala, & proinde illa virtuti conuenit, hæc vitio, propterea quod virtus ſit vniuſmodi, vitium multiplex.

Propoſitio ibi, τὸ γὰρ κακὸν, τοῦ ἀπείρου: quam confirmat auctoritate Pythagoræ. Aſſumptio ibi, ἔτι τὸ μὲν ἁμαρτάνειν, qua diximus, mediocritatem eſſe finitam: quod ita oſtendi po-

li poteſt, mediocritate recte agitur, extremis peccatur, vt iam upra eſt explicatum. Recte facta autem fiunt vno tantum modo, peccata multipliciter (quod confirmatur verſiculo; -θαλοιμῶν.) Ergo mediocritati conuenit finitio, extremis infinitio. Vera eſt ergo aſſumptio, mediocritatem eſſe finitam, extrema infinita: quæ cum ita ſint, & in propoſitione iam dictum ſit, finita eſſe bona, infinita mala, efficitur, mediocritatem eſſe quid bonum, extrema mala: & proinde mediocritatem virtuti conuenire, vtpote quæ ſit bona: extrema vitio. Eodem hoc principio, nempe, finita eſſe bona, mala infinita, & multiplicia, vſus eſt & Plato in re non abſimili: nam *libro 4. de Republ. extremo*, cum ex multis Rerumpublicarum generibus vnum iuſtum duntaxat, verum & rectum eſſe, oſtendere vellet, ita argumentatur:

Virtus eſt vna, ſeu vno ſit modo: vitia ſunt multiplicia.

Ergo & ex Rerump. generibus vnum eſt verum, & virtuti conſentaneum, cætera vitioſa.

Idem principium confirmat eleganti ſimilitudine *in lib. de Virtute Morali* Plutarchus, à ſcopo & arte iaculandi ſumpto: nam multis modis à ſcopo quem poſſe aberrare, vno duntaxat modo, nempe ab arte iaculandi præſcripto eum deſtinare. Hanc ſimilitudinem attingit hoc loco & Ariſtoteles, non tamen ad confirmationem propoſitionis ſeu principii huius, ſed alia de cauſa. Nam cum iam oſtendêrit: Virtutem eſſe in mediocritate & medio poſitam, vitium in extremis, tandem ex tota hac diſputatione elicit pulchram ſententiam, virtutem comparatu eſſe difficilem, vitia facilia: quam ſententiam etſi *infra capite vltimo* copioſius explicat: hic tamen breuiter ea ſimilitudine declarat: non mirum virtutem eſſe difficilem, vitia facilia, cum illa ſit vna vt in medio poſita, hæc vitia ſint multiplicia. Vt ergo difficile eſt vnicum attingere ſcopum, facile hinc inde aberrare, id eſt, ita & peccare multipliciter, facile eſt; recte agere difficile. Ex hac ſententia inuerſa nos quintum argumentum eliciemus: Virtutem nempe in mediocritate poſitam, vitia in extremis, eo quod medium difficile ſit, extrema facilia. Formula ſit iſta:

Difficilia conueniunt virtuti, facilia vitio.
Medium autem eſt difficile, extrema facilia.

Ergo

Ergo medium conuenit virtuti, extrema vitio.

Propoſitio explicata eſt *ſupra cap.* 3. *extremo*, ibi, περὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον. Aſſumptio hoc loco iam eſt probata, nempe medium eſſe difficile. Thomas *initio huius capitis* affert & aliud argumentum, quod ipſi eſt tertium, nobis poſſet eſſe ſextum, nempe quia facta, ex quibus exiſtat virtus, & quæ ipſa iam exorta poſterius edat, ſint mediocria. Ergo & virtus erit in mediocritate. Antecedens explicatum eſt *ſupra capite* 2. Et hoc eſt, quod hic initio capitis dicitur, ἤδη μὲν εἰρήκαμεν. Verum hoc argumentum ad primum noſtrum non incommode referri poteſt.

ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς.] Videtur eſſe verſiculus Theognidis, quem ſæpe in huiuſmodi rebus adducit Ariſt. Poteſt & confirmari dicto vulgari; Simplex eſt veritatis oratio.

ἕξις.] Ad explicandas perturbationes & virtutes naturales (de quibus *infr. lib.* 6. *cap. vlt.*) quas conſtat non eſſe habitus, ſed natura nobis ingenerari, vt *ſupr.* eſt explicatum *cap.* 5.

προαιρετική.] Cum conſilio agendi ad excludendas artes & ſcientias, in quibus non eſt προαίρεσις (nam ſunt in ea animi parte, quæ ratione eſt prædita, cum προαίρεσις ſit appetitio, quæ eſt in altera animi parte) ſed eſt ratio potius. Excluduntur denique omnia facta, quæ vel natura, vel caſu, vel temere fiunt.

ἐν μεσότητι.] Ita remouet vitia, quæ ſunt quidem habitus, & quidem cum conſilio, verum in extremis, non in medio poſita.

τῇ πρὸς ἡμᾶς.] Hoc appoſitum explicandi vocabuli medietatis (quam duorum generum eſſe, *ſupra* dictum eſt) gratia.

ὡρισμένῃ λόγῳ.] Hoc quoque vitia excludit, & medietatis inueniendæ rationem oſtendit.

ὡς ἂν ὁ φρόνιμος.] Quia λόγος eſt multiplex, his verbis indicat, quænam ratio in virtute ſit neceſſaria, nempe prudentis viri, non vero Philoſophi aut Mathematici, in quibus eſt ratio, vt eleganter *infra* diſtinguit Ariſt. *lib.* 6 *cap. vlt.*

μεσότης δὲ δύο.] Quid hæc ſibi velint, diſputari poteſt, nempe, an hic tantum iterentur breuiter ea, quæ hactenus ſunt explicata, nempe virtutem eſſe medietatem, eamque inter duo vitia, puta nimium & parum; deinde ea vitia deſerere & ſuperare, id quod docet diſſimili modo: & hæc fieri in perturbatio-

nibus

nibus & factis. An vero quid noui hic adiungatur ſuperioribus, nempe cum dictum ſit, virtutem eſſe medietatem, & medietas reperiatur non tantum in vitiis, ſed etiam in perturbationibus (quod *infra* latius explicabitur *capite proximo extremo in fine*) an, inquam, ob hanc medietatis ambiguitatem Ariſtoteles hic adiunxerit medietatem, in qua ſit poſita virtus, intelligendam eſſe de ea, quæ ſit inter duo vitia, non vero de ea, quæ ſit in perturbationibus. Et hoc modo locum hunc accipit Scholiaſtes Græcus, etſi valde lacer. Et videtur verior, cum & *infra* Ariſtoteles hoc diligenter iteret *cap. vlt. in prin.* Quare & recte Horatius:

Virtus eſt medium vitiorum, & vtrinq; reductum,

id eſt, retractum, ablatum.

διὸ κατὰ μὲν τὴν.] Hoc loco tacitæ quæſtioni occurrit Ariſtoteles: nam occurri poterat, virtutem non eſſe mediocritatem, ſed excellentiam, *ἀκρότητα*, propterea quod virtutis ea ſit vis & affectio, vt res optime & ſumme perpoliat, quod *initio capitis* explicatum eſt. Reſpondet igitur Ariſtoteles, virtutem eſſe mediocritatem & excellentiam: eſſe vtrumque, ſed diſſimili ratione: mediocritatem quidem, ſi virtutis naturam & definitionem ſpectes: excellentiam vero, ſi bonitatem. Plutarchus autem *in libello de Virtute morali* ita diſſoluit: Virtus eſt quidem mediocritas ratione quantitatis, vtpote inter nimium & parum: ſed eſt excellentia ratione qualitatis, ſi vim eius & bonitatem ſpectes. Theages Pythagoricus apud Stobæum *λόγῳ* 1. paulo aliter.

τὸν λόγον τὸν τί ἦν.] Phraſis eſt Ariſtotelica, *τί ἦν εἶναι*, id eſt, ad verbum, *quid ſit eſſe*, id eſt, quæ ſit natura, ſeu, vt vulgo loquimur, ſubſtantia & eſſentia, vbi *ἦν* poſitum eſt *ἀντὶ τοῦ ἐστὶ*, more Attico, vt recte explicat hanc particulam Alexander *in 1. Topicor.* vbi Ariſtoteles, *ὁρισμὸς* ſeu definitio eſt *λόγος ὁ τί ἦν εἶναι δηλῶν*, id eſt, definitio eſt oratio, quæ rei cuiuſq; naturam declarat. Itaque diligenter ex hoc loco retinendum eſt, virtutis naturam poſitam eſſe in mediocritate, propterea quod mediocritas, vt hactenus explicauimus, efficit, vt quid ſit bonum: & quæ à medio diſcedunt, ſint vitia: quare & recte mediocritas virtutis differentia vocabitur.

οὐ πᾶσα δ᾽ ἐπιδέχεται.] Diſtinguit hoc loco, materiam virtutum, quam conſtat eſſe perturbationes, & facta, de quibus, cum initio dictum ſit, eſſe in iis, nimium, parum, & medium: hoc

hoc loco id generale dictum reſtringit, & oſtendit, non in omnibus perturbationibus & factis reperiri illa tria. Quæ autem ſint huius generis, notam affert Ariſtot. inſignem, nempe ſi qua cum ipſo nomine turpitudinem contineant, hoc eſt, ſi, cum quis ea appellari audiat, ſtatim turpia & praua ea iudicet: vt in perturbationibus eſt maleuolentia, quæ nullo ſuo commodo aliena calamitate & malis ſeu incommodis gaudet. Impudentia quoque ab omnibus reprobatur ipſo ſtatim nomine: quanquam de hac *infr. capite proximo extremo* paulo aliter diſputet, vbi impudentiam extremis attribuit, ratione boni pudoris. Eadem eſt ratio inuidentiæ, quam & ipſam omnes vel ſolo nomine exoſam habent, & vitioſam iudicant. Eiuſdem generis quoque poteſt eſſe diſcordia & inimicitia, vt quæ nihil omnino boni in ſe contineant. In factis omnia ea continentur, quæ ſcelera & delicta in Iure dicuntur, ſeu crimina, vt proditio, parricidium, falſum, ſtuprum, adulterium. De furto & cæde ambigi poteſt: nam furtum videmus interdum probari, quale illud Iſraeliticum in Ægypto. Verum hoc, vt inſolens, hanc formulam vitiare non debet. Cædem quoque & parricidia interdum probari videmus, vt in libris ſacris Phinees, & apud Plutarchum Areti, de quo & *libro tertio Officiorum*, qui fratrem ſuum, eo quod Tyrannidem patriæ occupaſſet, interficiendum curauit: & Bruti, qui Cæſarem de ſe bene meritum interfecerit. Sed hæc quoque vna ratio vindicandæ patriæ vniuerſam regulam vitiare non debet.

οὐκ ἔστιν οὖν οὐδέποτε.] Si, inquit, in iis non eſt nimium neque parum. Ergo nec medium aut modus, quod ſingulatim explicat ibi, *οὐδ᾽ ἔστι τό.*

ὅμοιον οὖν τό.] Longe alia mihi videtur ſententia huius loci, quam quæ ab Interpretibus affertur, exiſtimant illi, hæc ſuperioribus adiungenda, hoc eſt, ſuperiora his verbis confirmari, & in his contineri argumenta, quibus confirmetur id, quod dictum eſt, perturbationes & facta, quæ ipſo nomine vitium continent, neque medium, nimium aut parum admittere. Si quis tamen diligentius verba & eorum connexionem conſideret, reperiet Ariſtotelem hic aliud quiddam afferre, nempe extremorum (inter quæ medium eſt virtus) nimii, & eius, quod parum, nullum eſſe medium; nullum nimium neque parum: confirmat duobus argumentis, aut etiam tribus. Prius eſt ab

abſur-

abſurdo, alterum à contrario, tertium poteſt eſſe à ſimili. Abſurdum affert duplex: prius ibi, ἔςαι γὰρ οὕτω, hoc eſt, efficeretur, vt in nimio eſſet modus, hoc eſt, in idem ſtratū vel ſubiectum concurrerent contraria, quod eſt abſurdiſſimū. Contraria ſunt medium & extrema, id eſt, nimium & parum, vt *infra* dicetur *cap. 8.* Iam ſi in ignauia ſit medium, cum ignauiam conſtet eſſe parum: Ergo medium erit in eo, quod parum, id eſt, concurrent duo contraria. Eadem eſt ratio de nimio. Alterum abſurdum ibi, καὶ ὑπερβολῆς ὑπερβολή, &c nempe efficeretur, vt vnum idemque in ſe ipſo contineretur, quod eſt longe abſurdiſſimum. Verbi gratia; ſi nimium, puta audacia, habet medium, nimium & id quod parum. Ergo in nimio erit nimium, hoc eſt, idē erit in ſe ipſo. Idem eſt in eo, quod parum. Ignauia erit in ignauia. Argumentum à pugnantibus eſt ibi, ὥσπερ δὲ σωφροσύνης, nempe quia in virtutibus nō eſt nimium aut parum. Ergo in vitiis non erit medium, & proinde neque nimium & parum (ſublato vno tollitur alterum.) Formula ſit iſta:

Si in temperantia & fortitudine non eſt nimium aut parum.

Ergo nec in intemperantia aut ignauia erit medium.

Verum illud. Ergo & hoc.

nam contrariorum eadem eſt ratio. Antecedens docet eſſe verum, ibi, διὰ τὸ μέσον, &c. hac ratione, quia medium ſit quoddam extremum, hoc eſt, quia virtus eſt & medium & etiam extremum quiddam. Vtriuſque diſſimilitudo & ratio *ſupra* eſt reddita. Quid tum poſtea? certe hinc efficitur, vt virtutis nullum poſſit eſſe nimium aut parum, quæ & ipſa conſtat eſſe extrema: nam cum virtus ſit extremum quiddam, ſi virtutem dicamus admittere nimium & parum, id eſt, extrema, efficitur rurſus, vt extrema ſint in extremo, hoc eſt, vnum idemque in ſe ipſo. Deinde, quod ſummum eſt (qualis eſt virtus aliqua ratione) eo nihil poteſt eſſe ſuperius. Ergo virtutis, quæ ſumma eſt, nulla poteſt eſſe ὑπερβολή, id eſt, ſuperius quiddam.

ὅλως γὰρ οὐθ' ὑπερβολῆς.] Quod modo dixit de tribus vitiis, Ignauia, Intemperantia, & Iniuria, idem obtinere ait in omnibus iis, quæ ſunt nimium aut parum. Et quod in virtutibus duabus, temperantia & fortitudine, dixit, non reperiri nimium aut parum, idem eſſe ait in omnibus aliis mediocritatibus & virtutib. Tertium argumentum à ſimili poteſt eſſe iſtud, vt ea facta & perturbationes, quæ ipſo nomine turpitudinem continent,

nent, nullum admittant nimium aut parum, quia ſunt pura, puta vitia. Ergo & ea, quæ virtutum dicuntur extrema, nempe nimium & parum, vt quæ & ipſa ſint vitia, nullum recipient medium, nimium aut parum. Et hoc argumentum ſubindicaſſe videtur Ariſtoteles hic initio in verbo, ὅμοιον. Quæſtio: Dictum eſt hactenus, virtutem eſſe medium quiddam ſeu mediocritatem. Verum cum mediorum plura ſint genera (vt in Dialecticis, medii qui dicuntur termini, in Phyſicis medii colores inter atrum & album, in Arithmeticis, verbi gratia, ſex inter tria & nouem: in Muſicis vox media inter ſummam & imam) quæritur, quodnam ſit genus medii, in quo virtutem eſſe poſitam diximus? Ariſtoteles *ſupr.* Arithmeticum eſſe genus oſtendit. Plutarchus *in libello de Virtute morali*, Muſico comparat, & certe eadem vtriuſque eſt ratio & comparatio. Verum latior explicatio videatur apud Plutarch. *eo loco*, & Camerar. *lib. 4. Tuſcul quæſtion. &c.*

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ τοῦτο, μὴ μόνον.] Quod *ſupra capite priore* diligenter explicauit in genere, virtutem eſſe mediocritatem: nunc hoc capite ſingulatim in omnibus virtutibus verum eſſe oſtendit: atque adeo in perturbationibus quibuſdam, extremo capite: vna iuſtitiæ explicatione in alium locum rejecta: de Prudentia quoque hic non agit, quia virtus eſt rationis, non morum.

δεῖ δὲ τοῦτο.] Pulcherrima eſt regula methodica: Ea, quæ de vita communi & rebus agendis, non tam vniuerſe, ſeu in genere explicanda eſſe, quam in ſingulis rebus & factis. Rationem adiicit Ariſtoteles hanc, quod vniuerſa rerum agendarum explicatio ſit inanior, ſingularis ſit verior. Huius rationis ipſius rationem quoque hanc affert: quia res agendæ ſunt in rebus ſingulis, quæ poſterior ratio eſt perſpicua. Nihil enim agere aut facere poſſumus, niſi manus admoueamus rebus ſingulis, & circumſtantiis rerum ſingularum. Prior ratio, quæ eſt regulæ, veriſſima quoque eſt: nam & Stoici, qui contra facerent, grauiſſime olim reprehendebantur: multa quidem in genere diſputantes de moribus & virtutibus: ſed cum ad vitam & mores eorum diſputationes accommodandæ eſſent, plæræque reperiebantur abſurdæ. Hinc Horatius:

Cum

Cum ventum ad mores, ſenſus vitaque repugnat.

Quare & Ariſtoteles *infra libr. 10.* idem iterat, nempe diligenter videndum, vt diſputationes morales rebus ſingulis & vitæ communi congruant. Ergo in artibus practicis magna vis poſita eſt in rebus ſingulis. Quod è medicina quoque perſpici poteſt, vt Helleborum omnem bilem purgare, oſtendit Medicus experientia in ſingulis hominibus. In Theoreticis alia eſt ratio, in quibus magna vis eſt in theſibus ſeu axiomatis & genere vniuerſo, vt in Mathematicis Axioma eſt ſeu propoſitio: omne triangulum habere duos angulos recto æquales: hoc Mathematicus non docet ex ſpeciebus triangulorum, ſed verum illud ipſum eſſe oſtendit in ipſis ſpeciebus triangulorum.

ἐκ τῆς διαγραφῆς.] Quod Latine deſcriptio ſeu tabula, hoc Græce διαγραφὴ ſeu διάγραμμα. Vult igitur Ariſtoteles, vt in ſingulis virtutibus medium & extrema cognoſcantur, tabulam nos conficere, qua nobis ante oculos id ponamus. Quod quidem ita meo iudicio commodiſſime fieri poterit, ſi virtutum materia, quæ ſunt perturbationes & actiones, primum ponatur, deinde ſubiiciatur medium, & vtrinque extrema.

τῶν δ' ὑπερβαλλόντων.] Nimium fortitudinis eſt triplex: vnum audacia, alterum intimiditas, vt ita dicam, ſeu ἀφοβίαν, tertium ignauia. Vnum, inquam, eſt in confidentia eius, qui dicitur θρασὺς, audax: duo in metu, quorum vnum eius, qui nihil timet, & hoc vacat nomine, vt & *infr. lib. 3. cap. 7.* vbi tamen ait, hunc hominem poſſe dici μαινόμενον ἢ ἀνάλγητόν τινα, hoc eſt, furioſum & ſenſus quodammodo expertem. Græca ſcholia volunt, Ariſtotelem dicere, poſſe quoque hunc dici ἄφοβόν τινα, ſed non recte dici: nam & fortem eſſe ἄφοβον. Alterum eſt eius, qui omnia timet, & nimium metuit, Græce δειλὸς, Latine *ignauus* & *timidus* dicitur. Hoc autem nimium poſtremum eſt quoque id, quod parum, diſſimili ratione: nam ignauia ratione metus eſt nimium: ratione confidentiæ, quia nihil confidit ignauus, eſt id quod parum: neque mirum eſt, vtriuſque nimii, nempe & eius quod parum, vnum duntaxat eſſe nomen: nam hoc nimium & id quod parum inter ſeſe reciprocantur: qui namque nimium metuit, parum ſeu nihil confidit: contra, qui parum fidit, nimium ſeu omnia metuit. In prioribus duobus nimiis, audacia & timiditate, non eſt eadem ratio: nam qui audax, eſt quidem & ἄφοβος, ſed non continuo, qui ἄφοβος,

eſt audax, ſeu non omnis ἄφοβος eſt audax: nam & fortis eſt ἄφοβος, non tamen audax, vt modo dictum eſt, fortis quidem cum ratione eſt ἄφοβος: audax eſt ἄφοβος abſque ratione.

οὐ πάσας.] Quidam codices poſt hæc verba habent & iſta: περὶ γὰρ τὰς σωματικὰς, καὶ τούτων τὰς περὶ ἁφὴν μάλιστα: id eſt, *In voluptatibus corporis, & his quidem maxime, quæ in tactu*: Quæ verba abſunt à veteribus libris, & veteri translatione: eaque eſſe ſpuria & inducenda, perſpicue apparet ex ſcholiis Græcis, ex quibus in hunc locum videntur traducta, quaſi explanationis loco: nam hoc ſibi vult Ariſtotel. hoc verbo, οὐ πάσας.

ἧττον δὲ καὶ περὶ.] Cur temperantia magis in voluptatibus, quam in moleſtiis collocetur, cauſa eſt, quia virtus verſatur in rebus difficilioribus, vt *ſupra* eſt explicatum *capite ſexto*, vt diximus Difficilius autem eſt reſiſtere voluptatibus, quam moleſtiis, propterea quod voluptates ſint blandæ, vt inquit Cicero, dominæ, & quaſi latens hoſtis, dolor apertus. Simili ratione in re non abſimili vſus eſt & ipſe Ariſtoteles *infr. lib.3. de Fortitudine.*

ἐναντίως δ' αὐτάς.] Interpretes hic intelligunt, atque adeo quidem expreſſe vertunt, mediocritates, perperam. Intelligendæ ſunt ἀσωτία & ἀνελευθερία, quæ duo verba modo fuerant poſita: & mediocritas non eſt duplex, ſed vna, αὐτὰς igitur dictum eſt, quaſi κατ' αὐτάς, id eſt, in illis nempe extremis.

ὑπερβάλλουσι καὶ ἐλλείπουσι.] Nempe, qui his extremis laborant, homines ſcilicet.

νῦν μὲν οὖν τύπῳ.] *Infr.* quidem *lib.3.* diligentiſſime Ariſt. hanc extremorum contrariam rationē explicat, quam hoc loco breuiter attingit: nam illic oſtendit eſſe quoddam prodigorum genus, qui etiam nimii ſint in accipiendo, vt auari, & ea de cauſa hæc verba hoc loco interiecit excuſationis cauſa.

ᾧ δὲ διαφέρουσι.] Differunt quidem extrema magnificentiæ ab extremis liberalitatis eodem modo, quo ipſa media, nempe magnitudine & paruitate, ſed aliam his verbis differentiam ſubindicare mihi videtur Ariſtoteles, hanc fortaſſe, quod liberalitatis extrema ſint vitia, & turpitudinem afferant: magnificentiæ non item, vt *infra* explicabitur *libro quarto, capite 2.*

ἀνώνυμοι

ἀνώνυμοι δ' καὶ.] In hac diſputatione de medio, nimio, eoque quod parum, ſemper conſiderantur duo, & habitus & habitu præditus. Itaque hoc loco cum dixit, eum, qui moderate honorem expetit, vacare nomine, ſtatim adiungit, ipſum quoque habitum vacare nomine. Habitus autem cum tres ſint ſemper, duo hic vacant nomine, medius & is qui parum: nam nimius dicitur φιλοτιμία, Latine *ambitio*.

ἔοικεν ἐπιδικάζονται.] Idem & *infr. lib 4. cap. 4.* ἀνωνύμου δ' οὔσης τῆς μεσότητος, id eſt, quia medium vacat nomine, de eius loco certant extrema, nimium; & id quod parum. Eſt autem comparatio à fundis ſeu poſſeſſionibus vacantibus ſumpta: nam vt in vacuum fundum vicini vtrinque inuad[illegible]e & occupare ſtudent: ita & nomen locumque medii huius, nomine vacantis, occupare ſtudent extrema. Student autem hoc modo, quem ipſe Ariſtoteles mox adiungit, καὶ ἡμεῖς δ', id eſt, fit interdum, vt is, qui nimio laborat, & ambitioſus proprie dicitur, laudetur, atque ita in medio quodammodo, quod laudabile eſt, collocetur: & is quoque, qui eo quod parum laborat, contemptor omnis honoris, vtpote modeſtus quodammodo, & alter quaſi magnanimus.

ῥηθήσεται.] Qua de re *infr. latius lib. 4. c. 4.*

κατὰ τὸν ὑφηγημένον.] Latine, eo quo inſtituimus modo ſeu ratione: nam τὸ ὑφηγημένον idem interdum valet quod προηγημένον. Hac autem phraſi, Docere quid κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον, vtitur & Ariſtoteles *initio Meteorologicorum, & libro 1. Politicorum*, dicit & κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον, *initio Politicorum, & libro tertio de ortu animantium*, κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον λεκτέον. Hoc autem loco τρόπον ſeu rationem intelligit hanc, nempe τύπῳ καὶ ἐν κεφαλαίῳ, reliquas virtutes eſſe explicandas: hoc eſt, breuiter & ſummatim.

πειρατέον δ' ὥσπερ.] Inſignis hic eſt locus de nouis vocabulis faciendis: qua in re ſæpe laborat Cicero in omnibus fere libris Philoſophicis, & Lucretius *libro primo*. Eſt autem ſententia quædam communis: noua vocabula non temere eſſe fingenda aut facienda, ſed vſitatis vtendū eſſe, propterea quod omnia vocabula hoc habent muneris, vt rem quam maxime ob oculos ponant, id quod inprimis faciunt verba vſitata. De hac regula eſt locus apud Ariſtotelem *in Topic. libro primo*, vbi Interpres Alexander Stoicos grauiſſime reprehendit

(quod iam ante ſæpe fecerat Cicero) qui rerum earundem & vſitatarum vocabula afferrent inuſitata, vt quæ vulgo bona vocemus, diuitias, nobilitatem, regna, illi producta, προηγμένα appellarunt. Verum, quia (vt præclare Ariſtoteles *in Elenchis*, & *4. Meteorologicorum*. & Vlpianus Iuriſconſultus *in l. quarta & quinta, de præſcriptis verbis*.) *plura ſunt negotia & res, quam nomina & vocabula*: hac neceſſitate fit, inquit Cicero *in Oratore perfecto*, vt ſæpe vnum vocabulum plures habeat notiones: vnam propriam, ſuam, & veram, reliquas translatas, aut abuſione quadam productas: fit quoque, vt interdum noua cudi debeant vocabula. Quod & Horatius monuit *in arte Poetica*: idque ea maxime de cauſa, quod cum ſua cuique rei ſint vocabula, oratio reddatur planior, vt hoc loco ait Ariſtoteles, & Cicero *in Timæo* (Res enim, inquit, erit planior.) In hac autem diſputatione tota Ariſtotelem vnum tantum nouum vocabulum feciſſe, nempe ἀοργησίαν ait Scholiaſtes Græcus.

καὶ τοῦ εὐπαρακολουθήτου.] Notum eſt εὐπαρακολούθητον id eſſe, quod facile quis aſſequi poſſit. Hoc autem loco quid valeat, dubitari poteſt: nam Interpretes mirifice variant: plærique putant, valere idem quod Latine *conſentaneum* & *congruens*, & ita hunc locum verterunt Turnebus & Giucchius, hoc ſenſu, vt planior ſit oratio, & inter ſe conſentanea, ſibique conſtet. Lambinus ita reddidit; Perſpicuitatis gratia, & vt aptior & facilior ſit ad conſequendum ſeries orationis, quod non intelligo. Veriſſima huius verbi hoc loco explanatio, & totius loci interpretatio (quam & Aretinus habet) hæc mihi videtur: perſpicuitatis gratia, & vt facilius hæc aſſequi poſſimus: vt his duobus verbis idē ſignificetur, & hoc indicetur, quod modo diximus, cum ſua cuique rei ſunt vocabula, planiorem reddi orationem. Cur ita? Nam hoc videtur agere Ariſtoteles, cum de verborum vi agat, vt oſtendat perſpicuitatem inde naſci. Turnebi tamen & Gruchi explicatio non eſt mala, qua his verbis duo diuerſa ſignificentur. Priore orationis perſpicuitas: altero diſputationis totius inter ſe congruentia, nempe hæc: omnes virtutes in mediocritate conſiſtere, eam eſſe laudabilem, extrema non item. Verum in hac notione (nempe vt ſit conſentaneum) iſtud verbum nondum reperi.

ἀληθής τις.] His verbis indicat nomen huius affectionis, quam veritatem vocat, non eſſe ſuum & verum ſeu proprium: nam

nam proprie veritas contraria eſt mendacio, & verus is proprie dicitur, qui in loquendo aut ſcribendo vere omnia profert. At hoc loco verus is eſt, qui non eſt arrogans, neque diſſimulator: hoc eſt, qui nimium ſibi non arrogat, neque etiam vera detrahit. Vocari poteſt Latine, moderate de ſe ſentiens. Verum quia hæc poſterior veritas ſeu affectio cum priore affinitatem quandam habet (neque enim mentitur, qui ea, quæ ſibi vere aſſunt, profitetur) hinc factum eſt, vt ab Ariſtotele veritas quoque quodammodo appelletur.

φίλος καὶ ἡ μεσότης.] Et hæc quoque affectio bona, cui contraria eſt aſſentatio & blanditia, proprie vacat nomine, niſi dicatur Latine *comitas*, ſeu *facilitas*, & *affabilitas*, vt plærique exiſtimant: nam *φιλία* ſeu amicitia Latine, non tam eſt virtus, quam *πάθος*, & perturbatio, vt *infra* dicetur *libro octauo*. Verum, quia hæc affectio cum amicitia affinitatem habet (nam vt moroſi & contentioſi omnibus inimici, ita comes & affabiles videntur eſſe amici) hinc quoque factum eſt, vt nomen amicitiæ huic affectioni ab Ariſtotele ſit attributum.

εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς.] Quæri poteſt, cur, cum *ſupra capite quinto* dictum ſit, perturbationum gratia neminem laudari aut vituperari: hic tamen aſſerat Ariſtoteles, reperiri quaſdam affectiones, quæ ſint laudabiles, quaſdam vituperatione dignas. Reſpondendum eſt, proprie quidem verum eſſe, quod *ſupra* dictum eſt. Verum quia reperiantur quædam perturbationes, quarum modus quoque ſit aliquis, non ſecus atque in virtutibus: certe iſtæ perturbationes non tam propter ſe, quam propter modum erunt laudabiles, qualis eſt verecundia & *νέμεσις*: & poteſt quoque eſſe miſericordia.

τοσοῦτον ἐλλείπει.] His verbis ſubindicat Ariſtoteles, cur maleuolentia ſit id, quod parum in his perturbationibus, eo quod nihil omnino doleat, neque afficiatur alienis malis & calamitatibus. Verum ea non eſt propria maleuolentiæ indoles, ſed hoc amplius, gaudet alienis malis: quod proprium eſt maleuolentiæ. Itaque *νέμεσις* dolet, vbi decet. Inuidentia dolet vbiq;, non habita ratione digni aut indigni: maleuolus dolet nuſquam, imo gaudet alienis calamitatibus. Verum de his alibi egit Ariſt. nempe *lib. 2. Rhetor.*

περὶ δὲ δικαιοσύνης.] Iuſtitia eſt bipartita: altera in iuſte tribuendis honoribus, præmiis & pœnis: altera in rebus contra-

hendis cernitur, vt *infra* dicetur *libr. 5.* ob quam diſſimilitudinem non potuit commode Ariſtoteles hoc loco explicare ſimpliciter, quomodo iuſtitia ſit mediocritas, & quæ ſint eius extrema: nam alia eſt ratio in priore iuſtitia, alia in poſteriore: imo vtriuſque iuſtitiæ alia eſt ratio (quod ad hanc diſputationem de medio & extremis attinet) alia cæterarum virtutum, vt ibi quoque explicabitur, &c.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Τριῶν δ' διαθέσεων.] Hoc caput eſt de trium ſuperiorum habituum inter ſe affectione & comparatione. Cur autem hoc loco hac de re agat Ariſtoteles, tres poſſunt reddi rationes: Prima, quia ſi cognoſcamus, quam longe aut prope vitia à virtutibus diſtent, aut etiam ipſa inter ſe: facilius aſſequemur ipſas virtutes, cognito, inquam, quam longe aut prope ab iis abſimus, quod hoc capite explicatur. Altera eſt ratio, quia ſæpe diſputari ſolet de vitiis & extremis vnius virtutis, vtrum ſit melius, & cum virtute magis conſentaneum. Tertia eſt ratio, vt cautius diſcernamus virtutes à vitiis. Sunt enim vitia quædam, quæ virtutes fallaciter imitantur, qua de re elegantiſſime Cicero *in Oratoriis partitionibus* ſic ait: Atque hæc quidem virtutum: vitiorum autem ſunt genera contraria. Secernenda autem ſunt diligenter, ne ea nos fallant vitia, quæ virtutem debent imitari: nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis. Qua de re & Horatius *libro 1. Satyra 3.* Hic igitur eſt triplex quoque vſus grauiſſimus huius capitis. Tria autem potiſſimum hic diſputantur; quorum primum, extrema cum inter ſe contraria, tum & inter ipſa & medium eſſe contrarietatem, ſed illam contrarietatem eſſe maiorem. in hac autem extremorum vnum, ſæpe fieri, vt medio ſit magis contrarium, quam alterum. Quæ vt cognoſcantur, & commodius intelligantur; tria quoque ex Dialecticis & Phyſicis ſunt repetenda. Primum, ea eſſe vere contraria, quæ in eodem genere longiſſime inter ſe diſtant, vt inquit Cic. *in Top.* Alterum, vnum vni tantum eſſe contrarium, non plura. Poſtremo ea, quæ ab eadem natura & indole ſeu ingenio proficiſcuntur, non eſſe contraria, vt eſt apud Ariſtotelem *lib. 2. Topicor.*

ἀντικει-

ἀντίκειντα͵ πως.]Recte *πῶς*, id eſt, *quodammodo* ſeu *κατά τινα τρόπον*, non *ἁπλῶς*, id eſt, *abſolute, ſimpliciter*, & *omnino & vere:* nam medium extremis vere non eſt contrarium; ſola extrema inter ſe ſunt *ἁπλῶς* contraria. Ratio, quia extrema inter ſe longiſſime diſtent. Quod perſpicuum eſt, cum ex eo, quia proficiſcentibus ab vno extremorum ad aliud, medium prius occurrit, quam ad aliud extremum perueniatur: tum ex eo, quod multa ſint extrema, cum quibus magnam affinitatem habeat medium, vt mox explicabitur, cum tamen extrema inter ſe nullam habeant. Verbi gr. Audacia, ignauiæ eſt *ἁπλῶς* contraria: fortitudini *πῶς*.

αἱ μὲν γὰρ ἄκραι.] Hoc primum eſt membrum huius capitis, nempe extrema inter ſe eſſe contraria: & rurſus, inter extrema & medium quoque eſſe contrarietatem. De priore non laborat Ariſtoteles confirmando, vtpote perſpicuo: poſterius verum eſſe confirmat à ſimili, ibi, *ὥσπερ γὰρ τὸ ἴσον.* Res omnis concludi poteſt hac formula:

Omne nimium contrarium eſt ei, quod parum.
Medium autem rationem habet nimii, comparatum cum eo, quod parum, & contra rationem habet eius, quod parum, comparatum cum nimio.
Ergo medium contrarium eſt extremis.

Propoſitio eſt certa. Aſſumptio confirmatur ab Ariſtotele, ſimilitudine ab æqualitate ducta: nam vt æquum ratione eius quod minus eſt, ipſum eſt maius: ita idem æquum ratione maioris eſt minus. Sic & in harum affectionũ medio, ipſum medium ratione nimii videtur id quod parum, & ratione eius quod parum, videtur nimium: quod Ariſtoteles exemplis appoſitis quoque confirmat, ibi, *ὁ γὰρ ἀνδρεῖος, πρὸς μὲν τὸν δειλὸν.*

οὕτω δὲ ἀντικειμένων.] Alterum eſt huius capitis membrum & ſententia, maiorem eſſe contrarietatem extremorum inter ſe, quam ipſorum & medii, ſeu cum medio: confirmat Ariſtoteles duabus rationibus: Primum, quia extrema longius diſtent inter ſe, quam à medio: verbi gratia: longius diſtat ignauia ab audacia, quam audacia à fortitudine, quod illuſtrat ſimilitudine quadam ab æquali, cum quo medium magnam cognationem habet. Nam vt æquale inter minus & maius, ita medium duobus extremis eſt interiectum. Itaq; maius longius diſtat à minore, & contra, quã vtrumq; ab æquali, vt in his numeris 3. 6. 9. perſpici poteſt. Altera ratio eſt, quia affinitas

quædam ſit, & cognatio extremorum quorundam cum medio, vt audaciæ cum fortitudine, effuſioni cum liberalitate, indulgentiæ cum iuſtitia: inter extrema autem nulla eſt cognatio. Formula ſit huiuſmodi:

Quæ inter ſe longiſſime diſtant, ea ſunt contraria.
Extrema autem longius diſtant inter ſe, quam ipſa à medio.
Ergo extrema magis ſunt contraria inter ſe, quam ipſa cum medio.

Propoſitio nota eſt ex propoſitione contrarii hic, τὰ δὲ πλεῖστον. Aſſumptio confirmata fuit duabus rationibus, altera à ſimili, ibi, ὥσπερ τὸ μέγα, altera ibi, ἐπὶ πρὸς μὲν τὸ μέσον.

πρὸς δὲ τὸ μέσον.] Tertium eſt huius capitis membrum & ſententia. Dictum eſt in prima ſententia, extrema quodam etiam modo contraria eſſe medio. Hic diſtinctionem adhibet, aitque extremorum vnum fieri interdum, vt magis medio ſit contrarium, quam alterum: quod Ariſtoteles *lib. 2. Eudem. capite 5.* eleganti ſimilitudine declarat à corpore ſumpta. Notum eſt, moderatam exercitationem & moderatum cibum eſſe res ſaluberrimas: contra nimiam exercitationem & nimium cibum, aut etiam nimis exiguum eſſe inſalubrem. Verum, ſi quæratur, vtrum ſit inſalubrius exercitationis & cibi, nimiumne, an id quod parum: Reſpondet Medicus, in exercitatione id quod parum, in cibo nimium. Itaque & in his, quæ ad corpus pertinent, extremorum vnum magis eſt contrarium medio, quam alterum. Eadem igitur & ratio erit in iis, quæ ad animum, nempe in virtutibus. Affert autem hic duas cauſas Ariſtoteles huius ſententiæ. Prima petitur ex rebus ipſis, ex ipſis inquam, vitiis & virtutibus, nempe quod eorum talis ſit indoles & natura, vt cum virtute vnum extremorum magis ſit conſentaneum, & maiorem habeat affinitatem, quam alterum; quod adhibitis exemplis oſtendit. Notum eſt autem, ea, quæ ſimilitudinem quandam inter ſe habeant, & quodammodo eiuſdem naturæ ſint, non tam eſſe contraria, quam illa, quæ ſunt diſſimilima. Altera ratio eſt à nobis ipſis, nempe, quia nos ad quædam vitia ſimus procliuiores, ad hæc magis, quam ad illa: quod idem confirmat exemplis Ariſtoteles. Ad quæ autem ſumus procliuiores, ea videntur magis contraria. Cur ita: quia reliqua vix in rerum natura eſſe exiſtimantur: Latent, inquit Ariſtoteles *lib. 2. cap. 5. Eudem. & ſupr. cap. 7.* vt temperan-

tiæ magis contrarium eſt nimium, quam id quod parum, quia ad nimium ſumus procliuiores, & vix reperitur id quod parum, eaque de cauſa nomine quoque vacat, inquit Ariſtoteles.

διὸ εὐκατάφοροί ἐσμεν.] Id eſt, quare procliues ſumus ad intemperantiam quam temperantiam. Phraſis eſt præciſa, veteribus vſitatiſſima, qua prætermittitur particula *magis* aut *potius*, & græce *μᾶλλον*, vt Varro *libr 1. rerum diuinarum*, noſtro ritu facienda ſunt ſacra, quã græco caſtu: apud Nonium *in verbo caſtus*, plura loca affert Antonius Auguſtinus *libr. 4. emendationum Iuris cap. 8.* quam phraſin qui non intellexerunt, vt alijs in locis, ita & hoc loco interiecerunt *μᾶλλον* contra veterum & meliorum codicum fidem, & veterem quoque translationem.

ἡ ἐπίδοσις.] Hoc verbum græce plærumque idem valet, quod latine *incrementum*: quare & hoc loco, ita ab omnibus Interpretibus redditur, meo quidem iudicio non recte. Nam his verbis nihil aliud Ariſtoteles agit, quam iterat, quod modo dictum eſt: magis eſſe contraria ea vitia virtutibus, ad quæ ſumus procliuiores. Itaque *ἐπίδοσις* hoc loco procliuitas reddenda eſt: In qua notione interdum & alias reperitur: non vero augmentum, incrementum, acceſſio, progreſſio, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν ἐστὶν ἡ ἀρετή.] Tria fere hoc capite continentur, difficile eſſe, virum bonum fieri primum, ſeu difficilem eſſe virtutis acquiſitionem. Deinde afferuntur rationes duæ eius difficultatis minuendæ & ſuperandæ: Poſtremo ad difficultatem redit, eamque, quomodo accipienda ſit, & quæ ſit eius in tractando, non vero in aſſequendo cauſa, explicat.

ἔργον.] Elegans eſt Phraſis *ἔργον* pro *difficile eſt*. Sic & Plato *in Timæo*, *τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ τὸν πατέρα τοῦ παντὸς εὑρεῖν ἔργον*; vbi Cicero, Mundi effectorem & parentem reperire difficile eſt. Virgilius *lib. Æneid. 6.* Græco more ad verbum:

Sed reuocare gradum ſuperaſq; euadere ad auras:
Hoc opus, hic labor eſt.

διὸ καὶ ἔργον.] Hoc primum eſt membrum de difficultate, virtutem acquiſitu eſſe difficilem. Quod & Plato præclare

I 5 expli-

explicat *lib. 5. de Republ.* & Heſiodus. τὴν δ' ἀρετὴν, &c. eoque pertinet litera Pythagoræ bicornis. Cauſam difficultatis affert Ariſtoteles vnam, quia ſit medium: eſt & altera Chriſtianis notior, quia vitio originis procliuiores ſumus ad vitia, quam ad virtutes. Eſt & tertia, quia virtus eſt quaſi ſcopus teſte Platone *lib.12. de legib. extremo.* Scopum autem attingere difficile eſt, aberrare facilius, vt & *ſupra* dictum *lib.1. cap.2.*

ἐν ἑκάστῳ γὰρ.] Eſt argumentationis propoſitio, quæ argumentatio ita concludi debet:

Quicquid eſt medium, difficile eſt reperire.
Virtus eſt medium.
Ergo virtutem parare difficile eſt.

Propoſitionem confirmat Ariſtoteles exemplo circuli, cuius medium, quemadmodum reperiri poſſit, docet Euclides *li. 3. Elementorum, Theoremate 1.* Eadem eſt ratio in linea diuidenda, ſiue in medio, & bifariam ſecanda, quod docet idem Euclides *li.1. propoſitione 10.*

οὕτω δὲ καὶ τὸ μ.] Hic iam accedit ad virtutes & vitia, & exemplis oſtendit difficultatem in re præſenti, quod dicitur: qua de re extant pulchræ diſputationes *in officiis lib. 1. & 2.* vbi diſtincte monet, quid patriæ, quid parentibus, quid propinquis, quid ciuibus, quid externis ſit tribuendum. Rurſus in quos beneficia ſint collocanda, in tenues, an in diuites.

διόπερ ἐστὶ τὸ εὖ.] Ita fere libri meliores: quam ſcripturam varij varie interpretantur. Accommodatiſſima Interpretatio mihi videtur iſta: quod eſt ipſum bene & rarum & laudabile, & pulchrum. Quod, id eſt, nempe illud καλὰ χαλεπά: alluſum eſt enim ad prouerbium. *Difficilia quæ pulchra.* Eſt & altera lectio huius loci, διόπερ ἐστὶ τὸ εὖ, &c. & tum ita reddetur: quare & id quod bene ſeu ipſum rectum, eſt quoque rarum & laudabile & pulchrum. Et hæc poſterior ſcriptura huic loco mihi videtur conuenientior, qua confirmatio quodammodo contineatur à communi prouerbio illo ducta, eius rei, de qua hic agitur, nempe virtutem eſſe difficilem. Atq; ita aperte Ariſtoteles *in magnis moralibus lib. 1. cap. 9.* de hac ipſa re agens ait, διὸ καὶ σπάνιον τὸ σπουδαῖον, id eſt. Itaq; rarum quoq; eſt id, quod rectum ſeu virtuti conſentaneum dicitur.

διὸ δεῖ τὸν στοχαζόμενον.] Altera huius capitis parte duo iam modi commemorantur, quibus difficultatem inueniendi medij ſuperemus. Alter autem his verbis exponitur, nempe, vt

quam

quam longiſſime diſcedamus ab eo extremo, quod medio magis ſit contrarium. Notum eſt autem ex capite priore, extremorum vnum medio magis eſſe contrarium, quam alterum. Hunc autem bonum eſſe modum, confirmat Ariſtoteles exemplo & verſu Homerico. Nam apud Homreum *Odyſſea M.* Vlyſſem per fretum ſiculum, vbi Scylla & Charybdis, duo loca nauigantibus periculoſiſſima, occurrunt, Circe Dea monet, vt in curſu nauem ſemper diuertat medium verſus ab extremis ſcopulis, ne ſi propius accedat, fumo & caligine ex æſtu à ſcopulis reiecto exorientibus, aberrent, & cœci in ipſos ſcopulos offendant. Quod ſtudioſe fecit Vlyſſes, & monita Circe, ſecutus, ita ſuos remiges & gubernatorem alloquitur. Τούτου τοῦ καπνοῦ. Eſt igitur μνημονικὸν ἁμάρτημα Ariſtotelis, qui hæc Calypſoni tribuat, cùm ab ipſo Vlyſſe dicantur, præmonito tamen à Circe.

ἐπεὶ οὖν τὸ μέ(σον.] His verbis ratio continetur, cur bonus ſit modus, quem attulit, nempe ab extremo vitioſiſſimo deflectendum eſſe: quia cum modum obtinere ſit difficillimum, ſaltem hoc eſt agendum: vt extremorum ſeu vitiorum id, quod minus eſt, habeamus: ſi non optimum, ſaltem non peſſimum aſſequamur.

τὰ ἐλάχιστα.] Hoc eſt quaſi prouerbium; *Minima de malis:* ſupple, ληπτέον, capienda; ad quod alluſit hoc loco Ariſtot. & *infra li 5. ca. 1. & 3. extremo*: vbi eius rationem affert hanc, quia minima mala rationem boni videantur habere. Et hoc prouerbium eleganter commemorat Cic. *libr. 3. offic. in princ.* & poſtea ibidem vbi de Regulo. Et *in Epiſtolis ad Q. Fratrem; Ex malis quod leuius.*

σκοπεῖν δὲ δεῖ.] Alter eſt modus, nempe vt videamus primũ, ad q vitia ipſi ſimus pcliuiores: quo cognito in contrariam partem noſtræ procliuitati nos retrahamus: ſi nati & procliues ad nimium, retrahamus nos ad id quod parum, & contra. Sic .n. ad medium tandem deueniemus, quod eleganti ſimilitudine confirmat: confirmari poteſt & alijs rationibus. Nam prouerbio hinc dici ſolet, vt monet Quintilianus *li. 4. Iniquum petendum, vt æquum auferas.* Et altero prouerbio græco, ἄκρον λαβὲ καὶ μέσον ἕξεις, *arripe extremum & habebis medium.*

ἐν παντὶ δὲ μάλιστα.] Adiungit hic Ariſtoteles 3. quodãmodo adiumentũ ſuperãdæ difficultatis, nẽpe vt ſtudioſiſſime ab illecebris voluptatis caueamus, exẽplo Seniorũ Homericorũ; qui

qui cum in Duello Menelai & Paridis proſpicientem ex arte cernerent Helenam: laudata primum eius forma, vt admirabili & pene diuina, tamen hanc vocem tandem adijciunt: ἀλλὰ καὶ ὣς τοίη περ ἐοῦσα: ſed etſi tam eſt pulchra, diſcedat tamen ad naues, & in Græciam redeat, ne liberis noſtris & patriæ maximam calamitatem afferat.

ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν.] Alij aliter, Dionyſius Lambinus ita, vt eorum, quæ dixi, ſummam faciat, imo ita vertendum eſt, *vt ſummatim, vt breuiter, vt vno verbo dicam.*

χαλεπὸν δ' ἴσως.] Tertia huius capitis pars, qua redit ad difficultatem, ſed alterius generis: nam non tantum difficile eſt, medium acquirere, ſed etiam definire, quando tandem medium ſit. Rationem adijcit Ariſtoteles, quia in rebus, ſingulis hæc res verſetur. Res autem ſingulæ ad viuum reſecari & ad libellam, quod dicitur, quadrati non poſſunt, & ita enucleate explicari, vt res Mathematicæ, & res vniuerſæ. Ratio præterea, cur res ſingulæ tam enucleate definiri nō poſſint, eſt iſta, & redditur hoc loco ab Ariſtotele: quia non tam ſub rationem & diſputationem, quam ſub ſenſum cadant. Argumentatur hoc modo:

Nulla ſub ſenſum cadentia, exquiſite definiri poſſunt, quia ſunt infinita.
Talia autem ſunt res ſingula, id eſt, ſub ſenſum cadunt.
Ergo exquiſite definiri nequeunt.

Aſſumptio facile confirmari poteſt. Nam omnibus eſt notum, & *infra lib.* 6. diligenter explicabitur, res vniuerſas ad rationem, res ſingulas ad ſenſum pertinere: illarum indicem eſſe rationem, harum κριτήριον, ſeu κρίσιν eſſe penes ſenſus. Itaq; ait Ariſtoteles in hac difficultate definiendi medij, hoc remedium eſſe tenendum, nempe vt eum recte agere dicamus, qui etſi exiguum, non tamen longe aut grauiter peccet.

τὸ μὲν ἄρα τοσοῦτον.] Et hic variant interpretes, ego ita malim: *tantum certe*, aut, *hoc certe perſpicuum eſt*, id eſt, etſi medium exquiſitum conſtitui non poteſt: hoc tamen, vel, hoc certe ex prioribus cognoſci poteſt, medium habitum eſſe laudabilem.

DE

DE VIRTVTVM ET VITIORVM numero, partitione, & vocabulis, tam Græcis, quam Latinis breuis explicatio.

MAGNA eſt Philoſophorum diſſimilitudo & varietas, in virtutum numero exponendo. Plato multis in locis quatuor facit ſumma genera, quas vocat Prudentiam, Fortitudinem, Iuſtitiam & Temperantiam. Peripatetici autore Ariſtotele, aliam tenuerunt viam, qua de re mox. Stoici, quorum rationem *in officiis* explicat Cicero, Platonem ſequi maluerunt. Fuerunt & olim, qui vnum duntaxat virtutis eſſe genus dicerent, (qualis erat Menedemus Erathrienſis teſte Plutarcho *in lib. de virtute morali*) quæ pluribus vteretur vocabulis. Ariſto quoque Chius vnam virtutem ponebat natura: ſed effectu & materia multiplicem: vt ignis natura eſt vna, q̃ tamen varias vrat materias: & cultri vni eſt natura, quæ tamen varia ſecet: verbi gratia, aſpectus noſter eſt vnus, qꝫ ſi cernat nigra, alius, ratione materiæ ſubiectæ. Chryſippus autem contraria ratione innumerabiles virtutes, & vt Plato loquitur, examen virtutum introduxit, vt ἀπ' ἐσθλίων ἐσθλότητα: à χαρίεν χαριεντότητα: à μέγαν μεγαλότητα. Atq; ita Philoſophiam, inquit Plutarchus, multis nouis & abſurdis vocabulis impleuit: q loc⁹ de vocabul. faciendis pertinet ad ea, quæ *ſupra* explicata ſunt *li. 2. c. 7.* Ariſt. autem virtutum moralium genera in his libris *12.* facit, nempe, ſi complectamur etiam Prudentiam, quæ licet proprie ſit virtus rationis: moralibus tamen non incommode aſcribi poterit, eo quod in illis dominetur, earumq; ſit velut dux & præceptrix, vt *infra* explicabitur *lib. 6. extremo*: nos igitur Ariſtotelem hoc loco ſequamur. Porro etſi Ariſtoteles harum omnium virtutum nullam attulit partitionem: nos tamen perſpicuitatis & ordinis planioris gratia videamus, ecquid in duo genera eas ſecare poſſimus. Notum eſt ex Dialecticis reperiri plærumq; partitiones à rebus & materia, in qua res partienda, ſeu de qua agitur, verſetur. Iam ſæpe dictum eſt, virtutum omnium materiam eſſe perturbationes, ſeu facta & actiones. Hinc igitur exiſtet partitio bimembris, vt alias quidem virtutes moderandis & regendis perturbationibus, alias vero dirigendis & moderandis actionibus ſeu factis attribuamus. Ad pertur-

perturbationes refero, Fortitudinem, quæ in metu & doloribus: Temperantiam quæ in voluptatibus: Honoris ſtudium, quod in cupiditate honoris: eodem & animi magnitudinem, quæ in ſummis honoribus: lenitatem deniq; ſeu manſuetudinem, quæ in ira moderanda cernitur, referri poſſe exiſtimo. Cæteras omnes ad actiones ſeu facta refero. Iuſtitiam ad hominum negotia & contractus: Liberalitatem & Magnificentiam ad donationes, domorum extructiones & ſumptus faciendos: tres deniq; illas virtutes, quæ communi nomine græce ὁμιλητικαὶ dicuntur, quod ea moderentur, quæ in congreſſibus & vita communi vſu venire ſolent. Hanc noſtram virtutum diuiſionem confirmat aliquo modo Scholiaſtes Græcus *in libr. 4. Ethic.* quæ tamen partitio ita eſt accipienda, vt eas virtutes, quas in actionibus cerni diximus, etiam perturbationibus nonnihil moderandis attribuamus interdum: verbi gratia, Iuſtitia temperat πλεονεξίαν nimiumq; habendi ſtudium. Ita igitur accipienda eſt pars hæc altera diuiſionis: vt magis perſpicue & aperte virtutes eius partis in factis cernantur, obſcurius in perturbationibus. Proximum eſt, vt ordine Ariſtotelis virtutum & vitiorum vocabula tam græce, quam latine explicemus.

Prima eſt FORTITVDO ſeu ἀνδρεία, in qua nulla eſt obſcuritas. Nam medium perſpicue græce ἀνδρεία, latine *fortitudo*, & interdum virtus dicitur. Nimium græce θρασύτης, latine *audacia*. Alterum nimium fere vacat nomine, dicitur tamen ἀφοβία græce, quæ latine dici poteſt, *metus vacuitas*: quod parum, δειλία & *ignauia* dicitur.

Secunda eſt TEMPERANTIA, hic medium græce σωφροσύνη, latine varijs nominibus à Cicerone dicitur, quod ipſe *in lib. de Finib.* nominatim ait, aut *frugalitas, modeſtia, moderatio, temperantia*. Nimium eſt ἀκολασία, quam Ariſtoteles *lib. 1. magnor. moral.* dictam ait, quaſi quæ nulla emendatione aut correctione mutari in melius poſſit, latine fere dicitur *intemperantia*. Nam græcum vocabulum, ſi ad verbum interpretari velis, coactius erit, inquit Gellius *lib. 19. cap. 2.* dicuntur & ἄσωτοι tam græce quam latine. Nam & verbo græco ſæpe vtitur Cicero *in libr. de Finib. & libr. 3. de natura Deorum.* Verum huius verbi græci duplex eſt notio. Nam & ad hanc virtutem & ad Liberalitatem, vt contrarium referri ſolet: propterea quod duo hæc vitia, nempe *intemperantia* (quæ in reb⁹

obſcenis

obſcenis latine dicitur *nequitia*) & *effuſio*, plærumq; concurrant. Quod parum, vacat nomine, inquit Ariſtoteles, dici tamē poſſe ἀναισθησίαν, quæ tamen vocabulum vim huius vitij non ſatis exprimit. Nam hoc vitio laborantem oportet vt à voluptatibus omnino abeſſe, ita in dolorib excellere, atq; ἀναίσθητος illud quidem habet, hoc non item, id eſt, abeſt quidem à voluptatibus, eaſq; non ſentit, ſed propterea tum dolorib. non excruciatur. Latini interpretes vocant *ſtupidos*, & ad verbum, *ſenſus expertes*. Cicero *in Tuſcul. lib 3* ſtuporem & immanitatem in contemnendis voluptatib. vocat. Vocat quoq; huiuſmodi homines communi nomine *Acerbos li. 3. de natur. Deor. Sic enim ait, nocere audientibus Philoſophos ijs, qui bene dicta male interpretantur. Poſſe enim Aſotos ex Ariſtippi, acerbos ex Zenonis ſchola prodire.*

Tertia, quæ in pecuniæ vſu cernitur eſt LIBERALITAS, ſeu ἐλευθεριότης. Nimium græce ἀσωτία, latine vulgo prodigalitas, pro quo antiquiſſimi prodigitas. Cicero *effuſio* & *profuſio* dicere ſolet. Vocat & Aſotos *in libr. de Finib.* Quod parum, ἀνελευθερία, latine *auaritia* & *illiberalitas*

Quarta item in pecuniæ vſu, ſed conſumendæ potius, quā donandæ, græce μεγαλοπρέπεια, quæ latine MAGNIFICENTIA. Nimium vacat nomine. Solet tamen græce dici ἀπειροκαλία & βαναυσία, & alijs quoq; nominibus, inquit Ariſtoteles *infra li. 4. c. 2.* nam & Salacones id genus hominū dici ſolet, teſte Ariſt. *li 3. Eudem. c. 9.* de quo verbo eleganter Heſychius. Latine quemadmodū hoc vitium eoq; laborātes dicantur, nō ita planum eſt. Perionius, Gruchius, & Turnebus, priora illa duo verba græca, latine efferunt. nimium *luxum* & *indecorum*, & *profuſum, ineptamq; profuſionem.* Lambinus reddit, *inſcientiam elegantiæ, & operariam in ſumptu faciendo inſolentiam*, quæ nimis ſunt coactā. nam q̄d ἀπειροκαλία ſit, norunt omnes: quid elegantiæ inſcientia (quo ad verbum exprimitur nomen ἀπειροκαλίας) non item. Gellius ipſo græco vocabulo vtitur latine, & apirocalos vocat inſulſos & ineptos id genus homines *libro vndecimo, capite 6.* vt quidem in libris manuſcriptis extat. Nos verba hæc Ariſtotelis reddenda putamus, ineptiæ & elegantiæ nominibus: nam vt græca, ita & latina ſunt communia, hoc tamen loco ad ſumptus faciendos aſtringuntur. Latini in ſumptibus faciendis hæc habent vocabula, *elegans, ſumptuoſus, humanus, ſordidus, & inſolens.* Elegantes dicun-

dicuntur, qui modice ſumptum faciunt, & hæc eſt virtus, *quæ* tamen magis ad liberalitatem, quam ad magnificentiam pertinet. Qualis dicitur à Cornelio Nepote, Pomponius Atticus; *Elegans*, inquit, *non ſumptuoſus*. Inſolentia quoque de ſumptibus proprie dici ſolet, & inſolentes illi, qui nimios & inſolentes facerent ſumptus. Sic eo verbo vſus eſt Cicero *in Philip. 9.* vbi de Seruio Sulpitio Iuriſconſulto. *Mirifice .n. Seruius maiorum continentiam diligebat: huius ſeculi inſolentiam vituperabat.* Et in Epiſtola ad Pætum *lib. 9. nec tamen ad hanc inſolentiam, &c.* Inhumanitatis quoq; vocabulum huc pertinet: & hoc modo non incommode reddetur βαναυσία. Cic. *pro Murena. Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multo minus.* Sed de hoc vocabulo mox plura. Quod parum, μικροπρέπεια, latine *ſordes* dici poterit, vel etiam *inhumanitas*. Nam commune eſt vocabulum, *ſordes* reddunt plærique Interpretes, excepto Lambino, qui vocat *Indecoram in ſumptu faciendo Parſimoniam*: quod non tam eſt reddere, quam explanare.

Quinta, quæ in honoribus eſt μεγαλοψυχία, latine MAGNITVDO ANIMI. Nam magnanimitas non eſt ita vſitata. Nimium vix habet nomẽ, quod & Ariſtoteles ſubindicat, cum ait, id dici χαυνότητά τινα. Nam particula τις indicat improprietatem: & certe χαυνότης eſt communior: ad hoc tamen vitium aſtringi ſolet, vt & teſtatur Ariſtoteles *libr. 3. Eudem. cap. 5.* latine dicitur *Elatio animi*, ab alijs *inflatus animus*. Cicero vocat ſuperbiam in extollendis animis, *in partitionibus oratorijs*. Quod parum μικροψυχία, latine recte dici poteſt, *puſillus, paruus, anguſtus, & humilis animus*. Poteſt & dici *demiſſio ſeu infractio animi & humilitas animi*.

Sexta virtus in paruis honoribus vacat nomine, interdum tamen dicitur φιλοτιμία, vitioſo nomine in bonam partem accepto. Latine poſſet dici, *Moderatum honoris ſtudium*: fortaſſe quoque MODESTIA non incommode dicatur. Nimium φιλοτιμία, & *ambitio* dicitur. Quod parum, vacat nomine, inquit Ariſtoteles hoc loco: *lib.* tamen *4.* vocat ἀφιλοτιμίαν. Cicero *in partitionib. oratorijs* vocare videtur Deſpicientiam in contemnendis honoribus. Sic enim ait; *Magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus imitatur.* Poteſt & dici, *honoris contemptio.* A

Turne-

Turnebo redditur *Inambitio.* Huius generis ſunt & illa, *Inapparatio, Inobſeruatio, Inreligio, Indeliſtum, & Immemoria* apud Papinianum.

Septima eſt in ira moderanda, quæ græce πρᾳότης, latine dicitur a Cicerone LENITAS, qua de re mox. Dicitur & CLEMENTIA & MANSVETVDO. A Lucretio *libr. 3.* dicitur *Clementia*: dicitur & *pacati animi ſtatus.* Nimium vacat nomine, etſi poteſt vocari ὀργηλὸς & ὀργηλότης, improprie: nam ὀργηλὸς & ὀργηλότης non tam ſunt habitus (quod hic requiritur) quam procliuitates ſeu poteſtates. Plutarchus *in libr. de magnis moral.* vocat ὠμότητα, id eſt, ſæuitiam, dicitur & χαλεπότης ab Ariſtotele *libr. 3. Eudem. cap. 3.* & ibidem ἀγριότης latine dici poteſt *iracundia* & *excandeſcentia.* Nam quod Ariſtoteles de hoc vitio *lib. 4.* ſcribit, idem Horatius attribuit iracundis, nempe eos facile placari:

Iraſci (inquit ipſe de ſe) *facilis, tamen vt placabilis eſſem.*

Quod parum, vacat quoq; nomine. Sed Ariſtoteles primus, inquit Scholiaſtes Græcus, facto nomine vocauit ἀοργησίαν, de quo vitio pulcherrimus extat liber Plutarchi περὶ τῆς ἀοργησίας. Meminit & Taurus Philoſophus apud Gellium *lib. 1. cap. vlt.* vbi ἀοργησίαν differre ait ab ἀναλγησίᾳ: etſi Ariſtoteles *lib. 1. Magnor. moral. cap. 23.* hoc vitio laborantem vocat & ἀνάλγητον: & Plutarchus *in lib. de virtute morali*, diſerte vocat ἀναλγησίαν, quam Ariſtoteles hic ἀοργησίαν. Dicitur & ab Ariſtotele hoc vitio laborans *lib. 3. Eudem. cap. 3.* ἀνδραποδώδης & ἀνόητος, latine Ciceroni dicitur *Lentitudo*. Sic .n. ait *lib. 4. Tuſcul.* Eamq; (quam nos lenitatem dicimus) vitioſo lentitudinis nomine appellant ſcilicet Peripatetici. Et *in Epiſt. ad Q. Fratrem*: Quæ quidem virtus non interdum mihi minor videtur, quam omnino non iraſci. Nam illud non ſolum eſt grauitatis, ſed nonnunquam etiam Lentitudinis. Seruili ingenio præditus, qui nunquam iraſcitur.

Octaua vacat nomine, inquit Ariſtoteles *libr. 4. cap. 7.* & hic *lib 2. cap. 7.* idem indicat, adiecta particula τις. In magnis tamen moralibus *lib. 1. cap. 33.* ſimpliciter dicitur ἀλήθεια. In Eudem. *lib. 3. cap. 7.* hac virtute præditus vocatur ἀληθὴς, ἁπλοῦς & αὐθέκαστος. *Infra* quoq; *lib. 4. cap. 7.* dicitur ἀληθευτικὸς & αὐθέκαστός τις, latine redditur fere ab Interpretibus VERITAS, eaq; præditus verax, non male, ſed planius reddatur CANDOR & Synceritas. Poteſt & eo præditus dici ſimplex

& rectus. Sic enim Cicero vocat *in offic.* rectos homines. Et *in Philipp.11.* grauem vocare videtur, quem ibi contrarium facit ventoſo, id eſt, ἀλαζόνι, de quo mox. Nimium græce ἀλαζονεία & ἀλαζὼν, latine, *glorioſus & gloriarum plenus*: vt loquitur Plautus *in Milite*: vbi Palæſtrio ſeruulus prologum ſic argumentum fabulæ commemorans, ſic ait: ἀλαζὼν græce huic nomen eſt Comœdiæ: id nos latine glorioſum dicimus. Dicuntur id genus homines & ventoſi. Nam & apud Ciceronem *lib. 11. Epiſt.* Lepidum Brutus vocat hominem ventoſiſſimum. & Lucretius *libr. 3.* Huic licet aduertas animum magis omnia laudis. Aut etiam venti, ſi fert ita forte voluntas. Plærumque tamen hoc vitium latine arrogantia dici ſolet. Quod parum, εἰρωνεία, & εἴρων, latine *diſſimulator & diſſimulatio*, dici poteſt. Cicero tamen *in offic. lib. 1.* Socratem quem Græci, inquit. εἴρωνα vocant, ſimulatorem vocat.

Nona affectio eſt in Scommatis, quæ grece εὐτραπελία, vt hoc loco, id eſt, *lib. 2. cap. 7. & lib. 4. cap. 8 & in magnis moralib. libr. 1 cap. 31 Eudem. lib. 3. cap. 7.* vocatur & ἐπιδεξιότης *lib. 4 cap. 8.* vbi & χαρίεις dicitur ea præditus. Hinc apud Ciceronem facetiſſimus ille Voluminius, cognomento dici cœpit Eutrapelus à ſuis facetijs. Latine hoc genus homines dicuntur *vrbani, lepidi, feſtiui, faceti*, & interdum *humani.* Affectio VRBANITAS & LEPOR, & interdum DEXTERITAS, vt Liuius *lib. 37. de Philippo Macedone* patre Perſei, cuius dexteritatem & humanitatem Scipioni placuiſſe ait. Nimium βωμολοχία, latine *ſcurrilis dicacitas*, & *ſcurrilitas* quoque dici poteſt: Dicitur & græce φορτικὸς, quaſi odioſus *infra libr. 4. cap. 8, & in Eudem. libr 3. cap. 7.* Quod parum ἄγροικος & ἀγροικία, *hic, & in magnis moralibus libr. primo, cap. 31 & in Eudem. libro tertio, capite ſeptimo*, vbi & dicitur δυστράπελος & ψυχρὸς, dicitur & ἄγριος & σκληρὸς (qui nihil ſcit ferre nec pati) *infra libro quarto, capite octauo*, latine *ruſticus & agreſtis:* affectio RVSTICITAS. Poteſt & dici *inhumanitas.* Nam humanus non tantum id valet, quod græce φιλάνθρωπος, ſed ſæpiſſime is dicitur humanus, qui temporibus vti nouit, & perſonis locisque ſe accommodare. Sic vſus eſt hoc verbo Cic. *pro Quintio*, de Næuio præcone. Non quo ei deeſſet ingenium; Nam neq; parū facetus Scurra Sextus Næuius, neque inhumanus præco eſt vnquam exiſtimatus. Vbi perperam repugnantibus libris veteribus, pro *inhumanus*,

manus, ſuppoſuerunt, *inurbanus*. Et *in offic. libro primo*, adhibenda præterea munditia eſt, non odioſa, neque exquiſita nimis: tantum quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam. Idem *in orator perfecto*. Quod ſi aures tam inhumanas tamque agreſtes habent. Et rurſus *1. offic.* at hoc idem ſi in conuiuio faciat, inhumanus videatur. Sed ea quæ ab humanitate diſcrepant. Ita & Terentius mihi locutus videtur *in Eunucho*: *non adeo ſum inhumano ingenio, neque tam imperita, &c.*

Decima vacat nomine, inquit Ariſtoteles, *libro quarto, capite ſexto*. Etſi, inquit, videri eſſe φιλίαν ſeu Amicitiam, à qua tamen diſcrepat hæc virtus, vt *ſupra* dictum eſt, & ibi dicetur, latine dici poteſt AMICITIA. Putant nonnulli, Perionius, Gruchius, Turnebus, eandem eſſe hanc virtutem, quæ latine dicitur *comitas* aut *facilitas* aut *affabilitas*. Verum non recte meo iudicio, qua de re *infra libr 4.* dicetur. Conuincuntur vel ſolis extremis. Nimium eſt bipartitum ἄρεσκος & κόλαξ: quorum quæ ſit differentia, *ſupra* eſt explicatum. Latine vt efferatur ἄρεσκος, non ſatis conſtat. Muretus vocat *Bellum*, Turnebus, Perionius, & Gruchius vocant *nimis obſequentem*. Lambinus *Blandum*, puto optime dici poſſe *blandum & obſequentem*. Vulgo dici ſolet *Placibo*. Affectio dici poteſt, *obſequium*. Quod parum dicitur δύσερις & δύσκολος. Ita vocatur ab Ariſtotele hic, & *infra libro quarto, capite ſexto*, latine *moroſus, contentioſus*, & *difficilis* dici poteſt. Poteſt & dici *affectio, agreſtis aſperitas*: quo modo Horatius *lib. primo, Epiſtola ad Lollium* expreſſit, vbi inter ſe comparat amicum ſcurram, quem pro adulatore ponit, & aſperitatem agreſtem vt loquitur. Cæterum Ariſtoteles *in magn moral. lib. 1. cap. 29. & in Eudem. lib. 3. cap. 7.* diſtinctius effert has tres affectiones, duasq́; facit virtutes & bina extrema. Prior virtus eſt σεμνότης *grauitas*. Nimium αὐθάδεια *inhumanitas* ſeu *ſuperbia*. Quod parum, ἀρεσκεία, *obſequium, obſequentia*. Altera eſt virtus φιλία: nimium κόλαξ: quod parum ἐχθρός. Quæ loca non video, quemadmodum inter ſe componi & conciliari poſſint. Videtur Ariſtoteles, omnia, quæ ſex illis affectionibus in illis libris tribuit, attribuiſſe in his libr. tantũ tribus, qua de re tamẽ *infra* latius: vbi & diſputabit, an hæ tres affectiones ὁμιλητικαὶ ſint virtutes. Qua de re dubitat Ariſtotel. *in magnis mor. lib. 1. cap. 29.* & aperte negat *in Eudem lib. 3 cap. 7.*

Vndecima, quæ eſt bipartita & græce δικαιοσύνη, latine IVSTITIA: altera in rebus communibus, vt in præmijs, honoribus & pœnis, in pecunia publica, &c. Nimium & quod parum vno communi nomine dicitur *ἀδικία*, ſeu *iniuria* & *iniuſtitia*. Nimium quidem, ſi cui tribuatur plus, quam meretur: quod parum, ſi parum tribuatur. Altera in rebus priuatis, tam in contractibus, quam in delictis. Medium notum eſt. Sed vt prior *Iuſtitia* cum adiunctione dicitur diſtribuens ſeu διανεμητική, ita & hæc Emendatrix ſeu διορθωτική. Nimium & id quod parum item vno nomine *Iniuria* dicitur. Habent tamen & diſtincta nomina. Nimium namque κέρδος ſeu lucrum: quod parum, ζημία ſeu damnum dicitur.

Vltima (ſi & hæc inter morales referenda eſt, vt proprie non eſt) PRVDENTIA dicitur, ſeu φρόνησις. Nimium πανουργία, latine *malitia*, teſte Cicerone *in partitionibus & lib. 1. offic.* Quod parum, ἀφροσύνη, id eſt, *ſtultitia* ſeu *impudentia* latine, &c.

FINIS LIBRI II.

LIBER

LIBER III.

ARGVMENTVM.

DVO poſſunt conſtitui ſumma capita ſeu membra huius libri. Priore afferuntur cauſæ & principia actionum & virtutum: poſteriore explicantur Fortitudo & Temperantia. Primum igitur rationes affert, cur ἑκούσια & ἀκούσια explicet, id eſt, ſponte vel inuite facta. Deinde quid ſit προαίρεσις ſeu agendi conſilium, explicat, quibus in rebus verſetur. Poſtea de voluntate, cuius, inquam, voluntas, boni ne viri an improbi ſpectari debeat, cum quæritur, an res aliqua, ſeu actio ſit bona vel mala. Poſtremo accuratiſſime diſputat, facta tam bona, quam mala noſtri eſſe arbitrij, aduerſus Platonem. Hæc quidem de priore capite. In altero explicantur, vt dixi, fortitudo & temperantia. De fortitudine quidem primum, quibus in rebus cernatur: deinde & extrema eius explicantur. Poſtea explicata iam vera fortitudine, quinque alia fortitudinis genera, non ita propria exponuntur. Tandem explicat Fortitudinem, etſi in rebus grauibus & triſtioribus verſetur, voluptatem tamen ſibi coniunctam habere. Hinc ad Temperantiam: de qua copioſe diſputat, quibus in rebus ſeu voluptatibus ſit poſita. Deinde eam cum ſuis extremis comparat, allata primum voluptatum ſeu cupiditatum partitione. Extremo libro comparationem ſeu contentionem facit ignauiæ cum intemperantia: vtra ſit magis voluntaria, ſeu libentius ſuſcipiatur, & in vtra facilius peccetur. Vbi de ἀκολασίᾳ græco nomine nonnihil afferi. Ad hunc librum intelligendum præter explanatores videantur hi ſcriptores, Ariſtoteles magnor. moral. lib. 1. cap. 9. extremo, cum 9. capitibus ſeqq. & lib. 2. Eudem. cap. 6. cum 5. ſeqq. capitib. Cicero, Plutarchus,

& Alexander Aphrodiſienſis in libris de Fato, *ſet*
εἱμαρμένης: *& Cicero* lib. 3. offic. *Et hi quidem*
caput. Ad poſterius videantur iſti. Ariſtoteles in ma
ral. lib. 1. cap. 21. & 22. & in Eudem. cap. 1. &
Cicero in offic. lib. 1. & 2. *Plato* in Lachete.

CAPVT I.

COMMENTARII.

SVMMA huius capitis eſt explicatio eorum facto
græce dicuntur ἑκούσια, & ἀκούσια: latine *volu*
ſponte facta & *inuite facta*. Primo autem ratio redd
nis, cur de his diſputetur in Ethicis: tum accedit a
tionem. Et primum quidem quid ſit ἀκούσιον, quod q
partitum: (nam vel vi, vel ignorantia fit) de vi factis,
vbi diſputat, vtri generi attribuenda ſint, dico an vo
an inuite factis, ea quæ fiunt aut maioris mali effug
boni aſſequendi cauſa. His duobus explicatis, de ig
cuius duo facit genera, aut cum pœnitentia aut abſq
quoq; oſtendit, aliud eſſe, ignorantia quid facere, a
rantem. Hoc igitur modo explicato inuite facto, ſi
breuiter de voluntario diſputat, vbi tamen accurat
an quæ cupiditate aliqua, puta, amore, aut ira, &
ebrietate fiunt, an ea, inquam, ſint voluntaria, ne

τῆς ἀρετῆς δὴ περὶ πάθη.] Sententia eſt, Diſputat
voluntario & neceſſario pertinere ad Politicam & d
nem de moribus, quod idem teſtatur Cicero *initio*
Fato, qui etſi eſt ἀκέφαλος (deeſt principium & fin
ta in medio) tamen hoc initio videtur agere, quod
Ariſtoteles. Sic enim ibi eſt. Quia pertinet ad mo
ἤθη Græci vocant: nos eam partem Philoſophiæ,
bus appellare ſolemus. Sed decet augentem linguam
appellare moralem. Confirmat Ariſtoteles duabu
bus. Prior eſt, quia ex factis (in quibus verſari virt
notum eſt) quæ laude digna ſint, quæ non, cernitur
tur ex eo, an ſint voluntaria, an contra. Altera
autoritate legumſcriptorum. Notum eſt enim l
ptores punire voluntaria atque etiam honoribus af
non item. Iam quæ legumſcriptoribus ſunt vtilia, e

tinent. Agitur enim in his libris de Politica, vt ſæpe dictum eſt. Eſt & tertia ratio ab Ariſtotele prætermiſſa κρύψεως ſeu ordinis occultandi, vt quidam ait, gratia: nempe quod harum rerum explicatio ad virtutis vim atque naturam, atq; definitionem planius cognoſcendam ſit neceſſaria. Nam *ſupra* dictum eſt, virtutem eſſe mediocritatem προαιρετικήν. Explicandum igitur, quid ſit προαίρεσις, explicandum quoque quid ſit ἑκούσιον, quũ a προαιρετικῶν eſt genus. Priores rationes duas affert quoque Ariſtoteles *in magnis moralibus & Eudem.* ſed non tam ad rationem methodi ſeu ordinis, quam vt doceat facta virtuti conſentanea & vitioſa, virtutem deniq; ipſam & vitium noſtri eſſe arbitrij. Qua de re *infra* agit, non h. loco Ariſtoteles: vbi & iiſdem rationib. in eadem re vtitur, & aliis cõpluribus. Prior autem ratio hac formula concludi poteſt:

Ea quæ vim factorum & naturam diſtinguunt, ad Politicam pertinent.

Atqui per ἑκούσια & ἀκούσια facta diſtinguuntur.

Ergo huc pertinent.

Propoſitionis ratio expreſſa eſt ab Ariſtotele τῆς ἀρετῆς, &c. quia ſcilicet in factis verſetur virtus. Aſſumptionis quoq; ratio ſeu declaratio expreſſa eſt, ἐπὶ ἐν μὲν τοῖς ἑκουσίοις In qua aſſumptione ſeu ratione vis totius argumenti poſita eſt. Diſtinctio igitur factorum ex voluntate & neceſſitate, iſta eſt, quod ſponte facta, ſi recta, ſint laudabilia: ſin praue facta, ſint reprehenſione & pœna digna: inuite autem facta veniam & miſericordiam mereantur. Quæ res etſi ita eſt perſpicua, vt non egeat confirmatione, videndus tamen erit Plutarchus *in vita Catonis Vticenſis*, vbi quærit, cur iniuſtitia apud omnes ſit odioſior & deteſtabilior, quam vel imprudentia aut malitia, vel ignauia & audacia? propterea quod, inquit, Iuſtitia & Iniuſtitia prorſus ſunt ἑκούσια: Prudentia autem & Fortitudo videantur quid ex natura habere. Alterius rationis hæc ſit formula:

Quæ legumſcriptoribus ſunt vtilia, huc pertinent.

Atqui voluntatis & neceſſitatis, aut ignauia ratio legumſcriptoribus eſt vtiliſſima & vſitatiſſima.

Ergo eorum tractatio huc pertinet.

Propoſitionis ratio eſt hæc. Quia præcepta legũſcriptorib⁹ neceſſaria ad Politicã pertinent, q̃ his libris explicatur. Aſſumtionis ratio expreſſa eſt ab Ariſt. nẽpe ꝙ ratione ἑκουσίου pœnas

& præmia moderantur: quod & Plato *in Hippia minore*, *lib. 9. de legibus* teſtatur. Hinc & in libris Iuris ciuilis ma habetur ratio, ſi quid ignorantia, dolo, metu, iuſſu alteri neceſſitate, caſu denique & fortuito agatur. Verbi gr *Vendere filium non licet patri, niſi inopia neceſſitate premen* inquit Paulus, *lib. 1. ſententiarum cap. 1. Tit. 1.* Hinc in dia oblata grauius puniuntur, quam fortuita, vt ait ICtu *l. 28. cap. 28. §. Incendiarij. ff. de pœnis.* Elegans quoque emplum affert Ariſtoteles ipſe *in Magn. moral. libr. 1. cap* de muliere, quæ cum Philtrum Amaſio dediſſet, eumq; it teremiſſet, abſoluta tamen fuit in Areopago: propterea q amoris cauſa dediſſet. Sic ſi quis hominem fortuito occid veniam meretur, inquit Imperator Valentinianus *in ſuis uellis.* [Item ſi quis ebrietate, ſi ludens cum aliquo, aliq interfecerit.]

ἀναγκαῖον ἴσως.] *Supra libr. 1.* monui, hanc particu ἴσως Ariſtoteli ſæpe non tam valere id quod plærumque ſo ſed ea illum vti ſæpe in rebus quoq; certis & neceſſarijs. Q modo & hoc loco accipiendum eſt. Perperam igitur Gra Scholiaſtes, qui mirifice hic laborat, vt cum plane ſit nece ria harum rerum explicatio, excuſet Ariſtotelem, qui dix ἀναγκαῖον ἴσως, cum ſit ἀναγκαῖον πάντως. Sed inquit ἴσως antem hoc loco valet ὁμοίως, quaſi dicat Ariſtoteles, ratione docendi vſi ſumus *ſupra*, ſimili quoq; methodo n vtemur: aut deſideratur verbum πρῶτον, quaſi dicat Ariſ neceſſe eſſe fortaſſe, primum de his rebus explicare, & dub tio ſcil. in eo ſit poſita, quod primo loco hæc ſint explican Quæ explanationes quam ſint frigidæ, per ſe apparet.

δοκεῖ δ' ἀκούσια.] Primum agit Ariſtoteles de inuite factis, pterea ꝙ maior in his ſit varietas, & magis quoq; incurran oculos: nam quaſi videre licet ea, quæ fiunt alijs cogentib aut etiam tempeſtate aliqua impellente. Definit .a. inuite cta quadã partitione, & quidem bimembri. Cuius rei hæc teſt eſſe ratio. Notum eſt, factorũ cauſam efficientem eſſe r tum quendã animi appetentis ſeu τῆς ὀρεκτικῆς. Nam ex app tu proficiſcuntur omnia facta. Iam. v. vt quis appetat, cogn antecedat, neceſſe eſt. Nam vt recte Poeta; *Ignoti nulla cup* Itaq;, vbi vel impeditur ipſa appetitio, ſeu motus animi: vi fit) vel etiam abeſt cognitio (quod ignorantia fit) tum quitur bipartitum iſtud ἀκούσιον, vel vi vel ignorantia.

Google

ἢ δι' ἄγνοιαν.] Sic in iure ciuili homines furioſi, etiamſi eorum nulla eſt voluntas: tamen inuiti dicuntur *cap. 4. tit. de ſeruitutib.* Sed de hac re poſtea latius.

βίαιον δ' ἐ.] Hæc definitio vi facti, quia in ea magnum momentum eſt poſitum, diligentius explicanda videtur. Βίαιον igitur, quod & modo dixit βίᾳ γινόμενον, Latine dicendum eſt, *vi factum*: nam violentia aliud ſonat. Violenti dicuntur venti, turbines, tempeſtates, fulmina, homines etiam, nempe furioſi, & vehementes, atque immoderati, quæ notio huc non pertinet. Et hæc quidem de nomine. Duabus autem in rebus potiſſimum definitio eſt poſita, nempe in eo, quod ſit principium externum. Deinde eiuſmodi principium, ad quod nihil adiumenti afferat is, qui agit aut patitur. Principium autem hoc loco, vt & alias idem valet, quod cauſa. Quare & Ariſtoteles *lib. 1. Magnor. Moral. cap. 15.* vbi hanc eandem rem definit, quod hic ἀρχὴν ἔξωθεν, ibi, αἰτίαν ἐκτὸς dixit. Iam cum multa ſint cauſarum genera, ſciendum eſt, hic non agi de materia aut fine, ſed de cauſa efficiente. Quæritur igitur, quæ ſit virtutum & actionum humanarum omnium cauſa efficiens. Eius cauſa ſeptem genera commemorat Ariſtoteles *libro 1. Rhetor.* Naturam, fortunam, perturbationem, rationem, voluntatem, neceſſitatem, quæ ad duo genera reuocari debent: vt aliæ ſint externæ cauſæ & aduentitiæ: aliæ vero interiores & ſuæ. Externæ cauſæ ſunt, neceſſitas, fortuna, ratio quoque interdum ſeu ars, & quæcunque extrinſecus adhibentur. Contra interiores ſunt, natura, voluntas, & ratio quoque. Iam igitur Ariſtoteles vi factum hoc eſſe ait, cuius cauſa ſit externa, ſeu quod ſua vi & motu non agat. Naturalia ergo omnia proprie vi facta dici non poſſunt, quia ſua vi agant omnia. Hac igitur particula ἔξωθεν remouentur vi facta à naturalibus, iiſque omnibus, quæ vi ſua agunt. Sed hoc nondum ſatis eſt ad complendam vi factorum definitionem; neque enim ſequitur, eius principium eſt externum: ergo vi factum. Verbi gratia: ſi quis ab aliquo volens deportetur, externum quidem eſt principium (nam deportatur ab alio) ſed tamen non eſt vi factum, quia volens deportatur. Rurſus opificum opera fiunt quidem omnia principio externo [ciſta, verbi gratia, non fit ſua vi, ſed manu opificis] quæ tamẽ vi fieri dici non poſſunt. Itaq; ad ea remouenda adiicit Ariſt. alteram definitionis partem ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλει]. Huius rei exempla mox adiicit Ariſt. οἷον εἰ πνεῦμα.

 ἢ αὖ-

Digitized by Google

ἢ ἄνθρωποι κύριοι ὄντες.] Interpretes hæc ita vertunt &c piunt, quaſi agatur de hominibus, quorum in poteſtate tione quis ſit, puta, Regis, Magiſtratus, Patris & Do Ego tamen non puto, hanc eſſe horum verborum ſe tiam, ſed κύριον hic valere valentem, vt intelligantur hæc ba de quolibet homine, qui me ſit valentior, & vel ctum abripere aliquo poſſit, viribus ſcilicet ſit p hoc indicat verbum κυριεύειν, quod hic iterandum eſt namque verbo non ditio, imperium, aut poteſtas, ſed vi gnificantur.

ὅσα δὲ διὰ φόβον.] Hic Ariſtoteles quandam veluti mo tionem ſuperioris definitionis affert. Sententia autem eſ Ea quæ maioris mali effugiendi, aut præclare quid aſſec di cauſa fiunt, eſſe potius ſponte quam inuite facta. Ma mali effugiendi exemplum affert Ariſtoteles, οἷον εἰ τύραν quales fuerunt triginta illi Tyranni, qui Socratem propo xoris & liberorum morte, perpellere tamen non potueru innocentem Leonem quendam morte condemnaret. E pla extant quoque innumerabilia *in Martyrologiis.* Sæpe q te Martyres metu mortis aut ſuppliciorum, vt proderen ligionem, conati ſunt Tyranni. Boni aſſequendi exemplu in Zopyro, qui vt Domino ſuo Regnum Perſarum vindic ſe non dubitauit omnibus fere membris mutilare, vt eſt Herodotum & Iuſtinum. Eſt & in Vlyſſe, qui idem capi Troiæ cauſa perpeſſus eſt; & domus recuperandæ grauiſ Procorum contumelias ſubiit, vt eſt apud Homerum.

ἁπλῶς μὲν γὰρ οὐδείς.] Hic oſtendit ea, de quibus diximu cta non videri voluntaria, propterea quod nemo niſi ame cturam ſeu damnum ſponte capere velit: nemo niſi impr turpitudinem in ſe admittere, ſeu fraudem aliquam com tere ſponte velit. Itaque ea facta ſimpliciter conſiderata videri voluntaria, ſed potius inuite facta.

μικταὶ μὲν οὖν εἰσιν.] Ratio hæc eſt, quia & cauſa quæda externa, quæ aliquem ſubigat: & tamen is ipſe, qui agit, ſe cogitur ad agendum, non omnino nihil adiumenti adfert. ſet enim, ſi vellet, damnum aut mortem ſubire, factum prætermittere.

ἐοίκασι δὲ μᾶλλον.] Oſtendimus, cur hæc facta ſint n hoc loco oſtendit Ariſtoteles, cur ea potius ſint voluntari bus rationibus: Prima eſt ibi, αἱρεταὶ γάρ εἰσιν: quia cum

in optione agentis eſt, fierine debeant nec ne. Quæ autem eius ſunt naturæ, vt pro arbitrio agentis fieri aut prætermitti poſſint, tamen cum fiunt, certum eſt ea eſſe voluntaria. Ratio concludi poteſt hoc modo:

Ex tempore, quo quæque fiunt aut geruntur, iudicari debent, an ſint voluntaria, nec ne.
Atqui hæc facta mixta cum fiunt, ſunt voluntaria.
Ergo hæc facta vere voluntaria dici poſſunt.

Propoſitio ibi, ἐ τὸ ἑκούσιον δή. Ratio propoſitionis ibi, τὸ ἢ τέλος τῆς πράξεως, &c. iſta, quod omnis vis & fundamentum actionum temporibus regatur, quod certe veriſſimum eſt. Notum eſt enim, facta in rebus ſingulis cerni, in quibus cum alia attributa perſonæ, loca, &c. tum maxime tempora ſpectari ſolent. Hinc & Cicero *lib. 3. Offic.* hac ipſa de re agens, diſputationem ſuam ita concludit. Sic multa, quæ videntur natura honeſta, temporibus fiunt non honeſta. Τέλος igitur hoc loco non valet idem quod finis, vt putarunt Interpretes: ſed latine idem quod fundamētum, id eſt, momentum & vis omnis, καὶ τὸ κύριον. Scholiaſtes Græcus vidit hoc loco τέλος non valere finem, ſed tamen non vidit, quid valeat. Ait enim τέλος non eſſe ſcopum, ſed παρεπόμενον conſequens quiddam & concomitans, quaſi factis comes ſit tempus. Rectius Thomas, qui explicauit pro complementum (hoc eſt, quod eſt perfectiſſimum, optimum, & maxime conſideratu dignum.) Aſſumptio ſeu potius eius ratio ibi, αἱρετὰ γὰρ εἰσι. Voluntaria enim cur ſint ea facta, ratio redditur, quia ſint optabilia, id eſt, fieri aut prætermitti poſſint pro arbitratu facientis. Eius autem generis quæ ſunt, iam diximus eſſe voluntaria. Altera ratio, cur hæc facta ſint voluntaria, quia principium & cauſa illorum ſit in facientibus, ibi, καὶ γὰρ ἡ ἀρχὴ, &c. nam in ipſis eſt ſitum, faciant ea, nec ne: nemo nos impellit, ipſi ſua membra proprio motu ad ea facta accommodant. Concluſio ſit iſta:

Quæcunque in noſtra ſunt poteſtate, ea ſunt voluntaria.
Hæc autem mixta in noſtra ſunt poteſtate.
Ergo, &c.

Propoſitio ibi, ὧν δ᾽ ἐν αὐτῷ. Rationem propoſitionis quoq; adiungit Ariſt. nempe cur ea, quorum in nobis eſt principium, ſint voluntaria: propterea quod fieri, aut nō fieri, quod eius ſint generis, poſſint. Atqui luce clarius eſt, ea eſſe voluntaria, quæ

nulla premente vi aut neceſſitate fieri aut prætermitti po
Aſſumptio ibi, καὶ γὰρ ἡ ἀρχὴ, &c. cuius hæc eſt ratio, quod
mine impellantur externa vi, ſed ſua ſponte, ſuoque mo
iam diximus, ipſi ſua membra, ſeque ad ea facta exped
accommodant. Tertia eſt ratio, quia ex factis mixtis ex
laudationes & vituperationes, ibi, ἐπὶ ταῖς πράξεσι. Fo
ſit iſta:

Ea quæ laudatione aut vituperatione ſunt digna,
ſunt voluntaria.
Hæc autem mixta interdum laudantur, interdum
perantur.
Ergo, &c.

De propoſitione dictum eſt *initio huius capitis.* Aſſu
elegantiſſima diſtinctione ab Ariſt. explicatur.

ἁπλῶς δ' ἴσως.] Oſtenſum eſt, hæc facta & cur mixta
volũtaria dici poſſint hic: cur & inuite facta dici poſſint,
ea ſimpliciter ſeu ἁπλῶς eſſe inuite facta, ſeu ἀκούσια, id eſt
ſiderata abſolute & in genere, abſque perſonis, locis, te
ribus, vniuerſe, inquam, & per ſe conſiderata ſine circum
tiis ſunt ἀκούσια. Ratio eſt, οὐδεὶς γὰρ, quia per ſe, non habi
tione attributorum, nemo ea ſponte ſua ſuſcipere velit,
iacturam faceret, verbi gratia, tempore & neceſſitate ne
ſtulante: nemo fratrem proderet, patriæ vtilitate, aut ſu
aliqua neceſſitate non requirente. Quia autem externa
ad hæc facta impellimur, certe inuite facta ſeu ἀκούσια dic
ſe videntur.

ἐπὶ ταῖς πράξεσι.] Ex his verbis oſtendimus elici poſ
tiam rationem, cur mixta facta potius dicenda ſint volun
Et verum eſt. Ariſtoteles tamen his verbis hoc oſtendit:
cta ea ſint voluntaria, nec ne; iam doceat eo amplius:
facta laude, vituperatione, venia ſint digna, nec ne: qua
cherrima eſt diſputatio. Et tametſi factorum infinita eſt
tas, vtpote, quæ perſonis, locis, temporibus (quæ ſunt i
ta varietate) regantur, eaque re difficilimum ſit, ea fac
certas regulas adſtringere, certaque genera eorum diſting
huic tamen difficultati Ariſtoteles admirabili ſua erudi
ſuccurrit, & in certa capita infinitam mixtorum variet
redigit. Quatuor igitur facit genera factorum Ariſtotel
quibus vnum laudem, alterum vituperationem, tertiu
niam, vltimum ne veniam quidem mereatur. Quæ diſt

by Google

tudo ex eo naſcitur: quod quædam magis ſint voluntaria, alia magis neceſſaria: nam pro hac diſſimilitudine laudationes, vituperationes, & veniam diſtingui, initio dictum eſt, καὶ ἐν μὲν τοῖς ἀκουσίοις. Primum autem genus eſt eorum, qui ob res præclaras, etiam grauiſſima quæque damna, exilia, ignominiam, ſupplicium perpeti non recuſant, puta, victoriæ inſignis cauſa, liberandæ patriæ, parentum & liberorum, fidei conſeruandæ & ſupplicium. Eiuſmodi fuit Zopyrus Perſa: de quo apud Herodotum. Qualis & M. Regulus aduerſus Pœnos fidei ſeruandæ cauſa: de quo Cicero *lib. 3. Officior.* Sic & Vlyſſes explorandæ Troiæ cauſa (vt eſt apud Homerum *lib. 4. Odyſſ.*) & recuperandæ domus ſuæ aduerſus procos, de quo *Odyſſ. ρ.* familiari veſte, & ruſtici amictu vti, aliaque indigna ſubire non recuſauit. Brutus auctor libertatis Romanæ, filios etiam ſecuri percuſſit, eiuſdem conſeruandæ gratia. Laudatus eſt & Themiſtocles, qui manus vltro ſibi afferre maluit, quam contra patriam arma ferre. Plutarchus *in eius vita*. Zaleucus legum ſcriptor oculum ſibi & filio eruit, legum conſeruandarum cauſa. Alterum genus eſt eorum, qui leuibus de cauſis turpitudinem aliquam committunt: coguntur, inquam, ad turpia leui de cauſa. Verbi gratia: ignominiæ aut paruæ pœnæ gratia produnt patriam, aut pecuniæ cauſa turpe quid committunt, vt Rabirius, qui nominis ſeu pecuniæ creditæ perſequendæ cauſa Alexandriæ pallium ſumere non erubuit, abiecto cultu Romano, quem tamen Cicero eo nomine in Rabiriana oratione veniam mereri vult, quia vi & neceſſitate paruerit. Aut, ſi cui teſtamento quid ſit legatum, ea conditione, vt in foro ſaltet media luce, quod nefas eſſe monuit & Cicero *libr. 3. Offic.* niſi ſi patriæ cauſa fieret: quod ad primum genus referri debet, qualis fuit ſaltatio Dauidis. Tertii generis facta non comitantur laus aut vituperatio, ſed venia, vt iam dictum eſt. Sunt autem eorum, qui turpe quid faciunt, ſubacti grauiſſimis tormentis & cruciatibus, quibus perferendis humana natura ſit impar. Sic veniam meritus eſt P. Rutilius Ruffus, qui Mithridatis crudelitatem vt effugeret, veſtem mutauit, ſumpto pallio, teſte Cicerone *in Rabiriana Orat.* & Athenæo *lib. 15.* Aut ſi excuſentur, qui ab hoſte concluſi, cum effugere non poſſint, ad depectiones, id eſt, turpes pactiones deſcendant, vt Popilius ille à Gallis obſeſſus: de quo Cicero *1. ad Herennium.* Huc quoque referri poteſt, quod olim hoſpitum ſuorum conſeruando-

uandorum cauſa, Loth non recuſauit filias ciuium libidini iicere, *capite 19. Geneſ.* Quod tamen ad primum genus fo ſe rectius. Huc pertinet quoque, quod interdum Romani uos militare ſint paſſi, cum pauci eſſent ingenui: quoc cit Marius. Aut ſi quis ornamenta templorum conflet quibus ſtipendium militi perſoluatur. Quartum genus eſt rum, qui nullis omnino cruciatibus aut damnis adduci beant, vt aliquid eiuſmodi faciant, cuius generis ſunt om quæ ſua vi & natura ſunt turpia: vt ſi quis Tyranni int ciendi cauſa cum eius vxore conſueſcat: quod Scholia Græcus licitum tamen exiſtimat, & primo generi attrib vt & mentiri graui de cauſa: & bono: quod & Plato *libro tio de Republica*, permittit: vt magiſtratus velut pharmac co mendaciis interdum vtantur. Sic patriam, fidem, reli nem prodere eſt nefas, quales fuerunt Martyres, vt Vin tius Magiſtratui minitanti mortem: tormenta, carcer, vn læ, ſtridenſque flammis lamina, atque ipſa pœnarum vlti mors, Chriſtianis ludus eſt. Vt eſt apud Prudentium περὶ *φανῶ*, & Laurentius apud eundem: *Magiſtratui ſcelus in ti, crede, nunquam ſeruiam.* Sic Suſanna, Ioſephus, Hip lytus, & Criſpus Conſtantini Magni filius, laudantur, q integritati & pudicitiæ mortem poſthabuerint. Huc quo pertinet diſputatio, quatenus Magiſtratui ſit parendum: de re habemus exemplum Apoſtolorum *in Actis*, qui et inuito Magiſtratu Chriſti gloriam morti, & illorum legi ciuilibus prætulerint. Et apud Sophoclem, Antigone c tempto Creontis edicto, fratrem humauit: *Longius n que*, inquit, *eſt tempus, quo Diis magis, quam homin placere debeam.* Eodem pertinet, quatenus parentibus ſit rendum: qua de re eſt pulcherrima diſputatio apud Agell *libro 2. capite 15.* Parendum in rebus honeſtis, & in rebus n tris (ἀδιάφορα vocant Græci) non autem in rebus natura pibus. Res neutræ, vt vxorem ducere: hoc vel illud vitæ g capeſcere; hanc vel illam veſtem ſumere; in militiam ire; ſas orare, &c. niſi cum rebus neutris coniuncta ſit turpit vt ſi infamem ducere vxorem iubeat, aut cauſam orare Clodio aliquo, aut Catilina, aut Tubulo: ſic enim ibi le dum, non *Bibulo.* Eodem pertinet de iuſſu domini. Et a Iuriſconſulti, Vlpianus *in l. ad ea. ff. de regulis iuris.* & Al nus *in l. 22. ff. de obligationib. & actionibus.* Seruum deber

cto audientem eſſe domino in rebus omnibus, à quibus abeſt maleficium.

ἔτι δὲ χαλεπόν.] Duas affert difficultates hoc loco, quæ in his factis mixtis occurrant ſæpenumero: quarum vna ſit in diiudicando: altera in perſeuerando, & conſtanter perpetiendo: nam ſæpe difficilimum eſt, videre, quænam ſint ſubeunda aut eligenda, cum alio vocat honeſtas, alio vtilitas, alio turpitudo, alio tormenta & damna. Sic olim Cicero anxie ſecum & cum Attico ſuo diſputauit, Cæſaremne (quod tutius) an Pompeium (quod honeſtius: qui cum benemerito & pro Republ.) in bello ciuili ſequeretur? Commemorat & ipſe *in libris ad Att.* eius generis ambiguitates aliquot Græcis verbis (Verbi gratia: an patria tyrannide oppreſſa, an ne) Sic Achilles apud Homerum *lib.10. Iliad.* deliberaſſe ſe ait, anne ad Troiam moriturus cum gloria ſit iturus, an domi ſalutis, ſed inglorius remanere debuerit, μήτηρ γάρ τέ μέ φησι, &c. Difficile eſt igitur, quod & ſupra diximus, cognoſcere, quæ pro quibus ſint eligenda. Verum quæ maior eſt difficultas, difficilius eſt, poſtquam iam iuſtum & rectum cognoris, illud conſtanter ſequi, neque vllis tormentis ab eo dimoueri. Sic Abraham turpitudinem mentitus eſt metu mortis, cum diceret, Saram non eſſe vxorem ſuam. Sed ille ſe excuſat, & ait, ſe non eſſe mentitum, cum ſit & ſoror & vxor.

τὰ ἀναγκάζοντα.] Meliores libri habent ἀναγκαζόμενα, vt & vetus tranſlatio, & rectius: nam duo hic conſiderantur, facta ipſa, ſeu quæ facere cogimur: deinde per quæ. Quæ cogimur, ſunt ἀναγκαζόμενα: & ea fere turpitudinem continent; vt ſi quis patriam, fidem, parentes prodere cogatur, ſaltare in foro: morionem agere (vt Ariſtippus apud Dionyſium.) Per quæ, id eſt, niſi illa turpia faciamus, proponuntur nobis cruciatus, damna, patriæ & liberorum amiſſio, mors denique ipſa, & hæc dicuntur προσδοκώμενα, quæ & dici poſſunt ἀναγκάζοντα: quia hæc nos cogunt ad turpitudinem, id eſt, per hæc rurſus, id eſt, vt hæc effugiamus, moleſta ſeu λυπηρά, cogimur ad illa turpia perpetranda.

τὰ δὴ ποῖα.] Breuis eſt commemoratio ſeu ἀνακεφαλαίωσις rerum omniū, quę adhuc de inuite factis ſunt explicata: Inuite facta, ſeu vi facta proprie quidem & ſimpliciter ea eſſe, quorum principium ſit externum, & ad quæ agens nihil conferat, ſed tamen eſſe & aliud genus vi factorum, quæ mixta *ſupr.* vocauit.

εἰ δέ τις

εἰ δέ τις τὰ ἡδέα.] Refellit Ariſtoteles hoc loco eorum opinionem, qui præter duo ſuperiora vi factorum genera, hoc eſt, ſimplicia & mixta, tertium adiungerent: quos Acciaiolus exiſtimat fuiſſe Cyrenaicos Philoſophos. Ego puto, hæc magis pertinere ad vulgi excuſationes refellendas. Solent namque vulgo, qui iniuſte aut nequiter quid admiſerint, id hac re eleuare & excuſare, quod à pulchritudine aut voluptate ea facere ſunt coacti. Ariſtoteles autem nullam hic vim aut neceſſitatem in rebus pulchris aut iucundis, quæ nos ad turpitudinem impellant, eſſe oſtendit duabus rationibus: Prior eſt ab abſurdo. Efficeretur enim, omnia eſſe neceſſaria, quod eſt abſurdiſſimum. Formula:

Si quæ ſunt iucunda & pulchra, eadem quoque ſint neceſſaria.

Ergo omnia omnino neceſſaria ſint, neceſſe eſt.

Connexi ratio, τούτων γὰρ χάριν, &c. id eſt, quia earum rerum, nempe pulchritudinis & voluptatis cauſa omnes omnia agunt, tam probi quam improbi: illi virtutum pulchritudinem & comitem, voluptatem, hi in vitiis perſequuntur. Quare Plato *in Phædro*, hanc eſſe pulchri vim & naturam oſtendit, vt maxime ſit amabilis. Eodem pertinet, quod eſt apud Ciceronem *initio lib. 1. Offic.* de forma honeſti ex Platonis Sympoſio. De voluptate quoque virtutum comite *ſupra* dictum eſt *lib. 1. cap. 8.* vbi de φιλοτοιούτος diximus, & *lib. 2. cap. 2.* Quia igitur omnes voluptatis & pulchritudinis gratia agunt: omneſq; quoque dicere poſſunt, ſe ab iis impelli, atque ita omnia facta eſſent neceſſaria. Hoc igitur modo confirmari poteſt connexi ratio. Atqui conſequens eſt abſurdiſſimum, nempe omnia eſſe neceſſaria. Ergo & antecedens.

τὰ καλά.] Sic habent emendatiores libri, & vetus quoque tralatio: etſi reddit καλὰ bona, quod & alii Interpretes plærique ſequuntur, vt intelligantur bona fortunæ, diuitiæ. Verum καλὸν Græce plærunque eſt pulchrum, quod huic loco magis congruit, vt intelligatur, homines duabus his rebus, pulchritudine & voluptate, ad turpia adduci. Perperam, & repugnantibus omnibus libris, Argyropylus, Gruchius, & Lambinus Interpretes inducunt τὰ καλά.

τούτων γὰρ χάριν.] Hoc eſt, iucundarum rerum & moleſtarum, quas vel expetant vel fugiant, inquit Græcus Scholiaſtes, ſed perperã. Nam τούτων, cum ſit relatiuum, relatiua autem ad

priora

priora referri debeant, certe hic quoque intelligenda erunt, quæ anteceſſere, nempe ἡδέα καὶ καλὰ, non vero ἡδέα καὶ λυπηρά.

πάντα πάντες.] De hac phraſi dictum eſt *ſupra lib.2.*

πάντες.] Nempe exceptis viris bonis, inquit Græcus Scholiaſtes, non recte. Nam cum ea exceptio eſt nimis communis: tùm quod hic dicitur, ad probos quoque accommodari optime poſſe, iam oſtendimus in confirmando connexo.

βίαια.] Hoc verbum βίαιον in tota quidem hac diſputatione eſt παθητικὸν, id eſt, de iis dicitur, quæ vi fiunt, ſed hoc loco videtur ἐνεργητικὸν, vt ea dicantur βίαια hoc loco, quæ vim afferant, & ad aliquid agendum quem impellant, quod faciunt res iucundæ & pulchræ. Hoc ἐνεργητικὸν non incommode Latine dici poteſt Violentum.

οἱ δὲ διὰ τὸ ἡδύ.] Sic fere habent omnes Interpretes: atq; ita omnino legendum contendit Lambinus: in quibuſdam tamen libris eſt διὰ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ κακὸν μεθ', &c. & ita vertit Perionius. Zwingerus noſter ita, οἱ δ' ἡδὺ, at vetus Interpres, οἱ δὲ διὰ τὸ καλὸν μεθ', &c. Ego his varietatibus commotus non dubito, quin omnes iſtæ varietates ſint ſpuriæ & inducendæ. Legendum igitur, οἱ δὲ μεθ' ἡδονῆς: nam cum præciſe dixiſſet Ariſtoteles, οἱ δὲ, alii interiecerunt, διὰ τὸ ἡδὺ καὶ: alii, διὰ τὸ κακὸν: alii, διὰ τὸ καλὸν: alii, διὰ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ κακὸν, explanationis ſcilicet gratia. Sic igitur vertendum: & qui vi quidem & inuiti, agunt cum moleſtia: hi vero cum voluptate. Hi, inquam, de quibus eſt ſermo, nempe qui voluptatis, aut pulchritudinis cauſa ſe peccaſſe excuſant. Itaque in his verbis altera eſt poſita ratio, cur ea facta non ſint neceſſaria, à conſequente ſumpta, eoque contrario, nempe, quia hæc facta comitetur voluptas: neceſſaria autem ſequatur dolor. Formula ſit iſta:

Omnia inuite facta fiunt cum dolore.

Hæc autem voluptatis & pulchritudinis cauſa fiunt cum voluptate.

Ergo non ſunt inuite facta, non ſunt neceſſaria.

Propoſitio ibi, καὶ οἱ μὲν βίᾳ. Ratio omiſſa ab Ariſtotele eſt iſta, atque hoc modo explicanda: Quæ vi fiunt & inuite facta, omnia ſunt neceſſaria. Quæ neceſſaria, omnia cum dolore fiunt & moleſta ſunt, vt ait Ariſtoteles *in Metaphyſic. δ. cap. 5.* vbi elegantem Poetæ verſiculum ad hoc adducit:

πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμα ἀνιαρὸν ἔστι. id eſt:

Omnis neceſſaria res moleſta eſt.

Quod & *in Eudem. lib. 2.* confirmat:

Nemo, inquit, *vi agens, cum voluptate agit.* Ratio autem, cur omne neceſſarium ſit moleſtum, reddi poteſt iſta, quia voluntati repugnet.

At quæ accidunt nobis nolentibus ſine dubio moleſta ſunt.
Ergo omnia inuite facta ſunt moleſta.

Aſſumptio autem nempe ea, quæ voluptatis aut pulchritudinis perfruendæ cauſa fiunt, fieri libenter, & cum voluptate, cum per ſe eſt perſpicuum, tum vel ex vno amante oſtendi poteſt.

γελοῖον δὴ τὸ.] Plærique hic tertium argumentū cōſtituunt: & quartum ibi, καὶ τῶν μὲν κ.λ.ῶι: & Thomas etiam quintum ibi, ἔοικε δὴ τὸ βίαιον, &c. Priora duo admitti quoque poſſunt, etſi Ariſtoteles his verbis non tam argumentari videtur, quam id genus homines & excuſationes accuſare. Vltimum plane nullum eſt: iis enim verbis non argumentum, ſed epilogus totius diſputationis de vi factis continetur.

τὸ δὲ δι' ἄγνοιαν.] Explicatis vi factis, quod eſt alterum genus inuite factorum, hic ad alterum accedit, nempe ad ea, quæ per imprudentiam geruntur. Cicero *in Rhetoricis veteribus, & ad Herennium,* imprudentiam vocat iuris ciuilis fere ignorātiam: huius autem rei maximus eſt vſus in vita communi: vt videre licet ex diſputationibus Iuriſconſultorū, *ſub tit. de iur. & facti ignor. & ſub tit. de pœn,* & apud Oratores, vt apud Cic. *lib. 2. ad Heren. lib. 1 vet. Rhet* Demoſthenes aduerſus Midiam, Ariſtocratem & Timocratē: & in quibuſdā Lyſiæ orationib. vt cum per imprudentiam ſeu caſu quis alium occiderit, aut læſerit, aut magiſtratui dicto audiens non fuerit, aut cum ſorore aut matre rem habuerit, aut ſi quis pro auro æs alicui diſſoluerit. Verum quia ſub hac imprudentiæ ſeu ignorantiæ ſpecie multa ſæpe peccantur, & imprudentiæ tribuuntur, quæ culpæ potius ſint adſcribenda, ea re Ariſt. hoc loco accuratiſſime à vera imprudentia ſecernit ea, quæ ſimulate eam imitari videantur, variaq; affert imprudentiæ genera, quæ priuſquam explicemus, quæri poteſt, an quæ per imprudentiam etiam vera geruntur, inuite fiant, ſeu ſint ἀκούσια. Dubitationem facit, quod quæ ſunt ἀκούσια, etſi voluntati ſunt aduerſa: tamen voluntatem ipſam non penitus excludunt, vel abeſſe volunt: ſed tantum impediri. Atqui ignorantis nulla prorſus cernitur voluntas. Poſſunt tamen,

qui

qui per ignorantiam agunt, inuiti quoq; dici, latius ſumpto inuiti ſeu ἀκουσίου vocabulo. Quare & in iure ciuili Furioſi, quorum alioqui nulla dicitur eſſe voluntas, *l. furioſi. D. de diuerſ. regul. iur.* inuiti tamen interdum dicuntur, *l. 4. D. de ſeruitut.* Et apud Xenoph. *in Cyri inſtitutione*, Tygranes quidam, omnia quæ per imprudentiam fiant, ἀκούσια eſſe ait.

τὸ δὲ δι᾽ ἄγνοιαν.] Affert Ariſt. primum duo ignorantiæ genera; prius, quod comitetur dolor & μετάνοια; vt ſi quis cum ſorore nuptias contraxerit inſciens, cuius ipſum poſtea pœniteat. Et hoc genus ait Ariſtoteles vere eſſe ἀκούσιον. Et diligenter eſt obſeruandum, propterea quod ad hoc vnum genus, veluti ad Lydium lapidem, cætera ignorantiæ genera, de quibus *infra*, ſpectari debent. Alterum eſt genus, cui nullus dolor eſt comes, vt de quodā narratur, qui cum forte emiſſo telo nouercam læſiſſet imprudens; *Euge*, inquit, *& hoc non male.* Inter hæc autē duo genera magna eſt differentia, quod prius ſit vere ἀκούσιον, alterum non item: nam certe hic de nouerca proprie dici inuitus ſeu ἄκων non poteſt, vtpote, qui gaudeat facto. Oſtendimus enim initio, ea proprie eſſe ἀκούσια, quæ coniunctum habeant dolorem: nihil fieri inuite, quin cum dolore, neque etiam dici poteſt ἑκὼν ſeu volens, quia ſcientia abfuit, quæ prorſus in volūtariis requiritur, vt *ſup. initio* oſtendimus. Quare cum neq; iſte dici poſſit proprie vel ἄκων vel ἑκών, *nolens* aut *volens*: recte Ariſt medium quoddam illi tribuit vocabulum, vt dicatur οὐχ ἑκών, id eſt, *non volens*, quæ ſubtilior diſtinctione in reprehenſiones incurreret, quaſi non opus ſit tam ſolicite in rebus politicis de vocabulis inquiri: adiungit Ariſt. pulcerrimum de vocabulorum diſtinctione ἀξίωμα: vbi res inter ſe diſcrepant, verba quoque diſtincta eſſe debere, quo canone vſus eſt & Cicero *in Top.* ſubtiliter diſcernens partitionem à diuiſione: *Quanquam enim*, inquit, *vocabula idem valere prope videantur: tamen quia res differant, nomina quoq; diſtare voluerunt.* Et Imp. Iuſtinian. *§. hoc autem caſu, in Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm.* vbi diſtinguens ſubtiliter teſtamenta rupta, irrita & iniuſta: ſed quia, inquit, commodius erat ſingulas cauſas ſingulis appellationibus diſtingui. Hæc autem diſtinctio inter volentem, nolentem ſeu inuitum, & non volentem, non paruum quoq; in vita cōmuni vſum habet. Verbi gr. ſi forte in venando, iaculo in feram emiſſo, inimicum prætereuntē feriat, atque ita non doleat, ſed gaudeat potius: hic quia inuitus pro-

prie dici non poteſt, veniam non ita mereb
facto. Sic Imperator Tyberius hoſpitei
quæſtioni ſubiecit imprudens, poſtea ag
fecit. Contra vero, qui dolet, veniam mer
tero, *in l. ſi adulterium. §. primo. ad leger*
rie. Talis quoque fuit ignorantia Oed
matris nuptias & patris cædem doluit: ea
clem in Colono ſe excuſat hac ipſa igno.
dem in Trachyniis Deianiram conſolatur
quod imprudens maritum Herculem tur
ta interemiſſet. Ex his igitur iam intellig
initio ait Ariſtoteles, τὸ δὲ δι' ἄγνοιαν, nem
imprudentiam fiunt, eſſe quidem non v
quidem eſſe voluntaria: ſed tamen non o
ἀκούσια ſeu inuite facta. Quædam enim eſ
dolore: alia οὐχ ἑκούσια, id eſt, non voluntari
fiant. Genus eſt igitur οὐχ ἑκούσιον, ſeu non v
duæ: ἀκούσιον vna, altera οὐχ ἑκούσιον, retent
cabulo. Itaque quod *ſupra* dictum eſt *initi*
la, quæ vel vi, vel per imprudentiam fiunt: l
interpretationem debet, vt intelligatur de
mni, ſed de ea duntaxat, quæ cum dolore fi

ἕτερον δ' ἔοικε.] Aliud hic Imprudentiæ
fert Ariſtoteles, quam excuſare ſolent, qu
re capti quid peccarunt. Quæ quidem Ariſ
bus fieri concedit: ſed per imprudentiam
que eſſe imprudentem aut inſciētem quid f
prudentiam: vt inter quæ multum interſit
prudentiam fieri dicuntur, eorū cauſa eſt ip
ab imprudentibus autē, non eſt neceſſe, vt
tia: qualia ſunt, quę ab iratis, ebriis, amore,
batione commotis, admitti ſolent. Hæc eni
prudentiam, id eſt, peccati ab irato, &c. a
eſſe conferendam in imprudentiam, ſed in
re & hæc veniam non merentur, vtpote qua
mox oſtendetur planius. Hæc autem diſtin
ritati & ſenſui, hominumq; cōmuni opinio
nam tametſi, qui vino vel ira quid perpetrar
tiam excuſandam confugere ſolent: vſitat
vino aut iræ attribuere ſolemus: vt Horatiu

Digitized by Google

as deſignat? hinc quoque eſt, quod Pittacus, legum ſcriptor celebertimus, ebrios; qui quem pulſaſſent, duplici pœna multari voluerit, vt *infra* teſtatur Ariſtoteles *cap. 5. & lib. 2. Polit. capite vltimo*. Ariſtoteles tamen *infra lib. 7. cap. 6. vel 7.* oſtendit, nõ tam grauiter peccare eum, qui ira quid admiſerit, quam qui libidine aut incontinentia: & Iuriſconſulti *in l quicquid. D. de diuerſ. reg. iur.* aliquo modo etiam excuſant ebrium, *l. perſpiciendum. D. de pœnis.* & ſi quis per laſciuiam aliquem interfecerit. Hæc autem facta Iuriſconſulti per impetum fieri dicunt: ſic enim vocant *l. illa perſpiciendum. de pœnis.*

ἀγνοῶν δ'.] Occurrit tacitæ quæſtioni. His enim verbis ita occurri poterat. Dicis Ariſt. ea quæ vino, &c. peccantur, non fieri per imprudentiam: atqui negare non potes, quin ab imprudentibus fiant. Reſpondet Ariſt. & admittit quidem fieri ab imprudentibus, ſed inde non effici, fieri per imprudentiã: quod oſtendit ab improbis omnibus: nam, inquit, & improbi imprudentes peccant, ſed non per imprudentiam: peccant autem improbi imprudentes duobus modis: aut ἐν τῆς προαιρέσεως, aut διὰ τὴν καθόλου: quæ duo non ſunt confundenda, quod nonnulli hic faciunt. Improborum igitur ignorantia ἡ καθόλου ſeu vniuerſa eſt iſta, cum quis ea, quæ recta, quæ virtuti conſentanea, quæ turpia, quæ praua, quæ iuſta, quæ iniqua in genere ignorat: talis ignorantia eſt in omnibus improbis: qui vitioſitatis habitu iam contracto, nullum inter bona & mala diſcrimen cernere poſſunt, vt præclare *infr.* docet Ariſt. *lib. 7. cap. 3.* Altera vero Improborum ignorantia eſt ea quidem in rebus ſingulis, ſed cum deliberatione & προαιρέσει, & proinde vitioſa, qualis eſt ignorantia incontinentium. Vt cum quis non neſcius ſcortationem eſſe turpem, certo tamen cuiuſdam amore aut cupiditate inflammatus, in iſta à ſe amata, ſcortationem turpem eſſe non putat, aut certe ſi putat, vincitur cupiditate. Sic in aliis etiam; qui bona videant, ſed deteriora ſequantur, vel cupiditate vel conſilio. Hi igitur improbi ignorantes quidem ſunt, ſed per imprudentiam, non peccant: ſed vel per improbitatem, vel per cupiditatem. Itaque non ſequitur, imprudentes peccant irati. Ergo per imprudentiam eos peccare: nam & improbi ignorantes peccant, quos tamen nemo dixerit per imprudentiam peccare.

βούλεται.] Valet hoc l. idem, quod latine ſolet, atq; ſæpe vſus eſt hoc verbo Ariſt. vt *infr. lib. 4. in princ.* βούλεται γὰρ ἄσοφ☉.

τὸ συμφέρον.] Videtur hoc loco idem
eſt, *rectum, verum*, quod deceat facere, c
taneum, quo modo & *ſupra* eſt vſus *lib.*

τὸ δ' ἀκούσιον.] A definitione *ἀκουσίου* c
peccantur, non fieri per imprudentiam
ſe, non ſi quis ignoret, quod rectum e
quę ab improbis geruntur, vtpote ignora
ſed ſi quis in rebus ſingulis ignoret, aut
Sic autem argumentatur:

Quæ per imprudentiam peccantur
At quæ vino, &c. peccantur, non
definitione *ἀκουσίου* perſpicuum
Ergo quæ vino, &c. peccantur, n
tiam.

Summa igitur diſputationis Ariſtote
imprudentiam committuntur, veram q
is, nempe cum quis in rerum ſingulariu
ratione verſetur, de quibus mox: & ha
ἀκούσιον, & proinde veniam mereri. Eſſe
genera. Vnū priori & vero valde affine, d
verſatur in rebus ſingulis) quod vera ign
iſta non item. Altera falſa ignorantia eſt
rum, aut cupiditate aliquid agētium. Te
borum, quam diximus eſſe bipartitam,
& *τὴν ἐν τῇ προαιρέσει*, id eſt, quæ in reb
vera ignorantia cernatur, ſed adhibito c

ἴσως οὖν οὐ χεῖρον.] Quia ignorantia,
ſit vniuerſa, ſed in rebus ſingulis poſita
tis, faciendum Ariſtoteli viſum eſt, vt e
uiter hic explicaret. Facit autem ſex
ciſſe ignoret: quid: qua in re ſeu in qu
re velut organo: cuius rei cauſa: & quo
duntaxat faciat Ariſtoteles, ratio reddi p
nim & res ſemper, & rei cauſa. De re c
quod ſit factum. In cauſis ab efficiente
principali quidem manat attributum q
organo ſeu adiumento: A fine, cuius
qua in re, aut in quem, quod, vt religu
ſtrabitur. A forma, quomodo. Omiſſo ig
propterea quod ab agente ignorari non

videamus de reliquis quinque. Primum eſt quid, vbi quæritur, quænam ſit res, quod factum, cuius ignorationem triplicem affert hoc loco Ariſtoteles. Primum quidem eorum, quod vel turpe, vel contumelioſum, vel etiam occultum, cum quid protulerint: poſtea reprehenſi, excidiſſe ſibi dicunt: deinde eorum, qui occulta cum protulerint, excuſent ſe neſciuiſſe ea eſſe occulta. Affert exemplum ab Æſchylo, de quo narrat Heraclides Ponticus *lib. 1.* de Homero, teſte Scholiaſte Græco, multa eum in Tragœdiis ſuis Toxitis, Hiereiis, Syſipho, Iphigenia & Oedipode de myſteriis Eleuſiniis (quæ nefas erat enuntiare) publicaſſe: & cum tandem aliquando Tragœdiam dicturus rurſus putaretur de iiſdem initiis quædam diuulgaturus: in maximum vitæ diſcrimen incidit: populus namque eum lapidibus petere cœpit. Sed animaduerſo populi furore, fuga ſibi conſuluit, & ad Bacchi aram, quæ erat in theatro, cōfugit. Vnde cum populus eum retrahi vellet, deprecante Senatu Areopagitico, & nolente illum indemnatū necari, conſeruatus eſt: atq; adeo tandem abſolutus, propterea, quod & ipſe & frater eius Cynægyrus in prælio Marathonio fortiter pro libertate communi pugnaſſent. Poſtremo eorum, qui, dum oſtendere quid cupiunt, verbi gr. tormentum: id imprudentes emittunt, vt quidam Catapultam, quis hic fuerit, nondum reperi. Et hac exceptione vtuntur Iuriſconſulti: *ſi telum manu fugit*, de qua Cic. *3. de Orat. & in Topic.* Tertium attributum περὶ τί ἢ ἐν τίνι: quæ duo idem valent & eodem pertinent: quo attributo continetur obiectum ſeu materia facti. Exemplum affert Ariſt. de Merope. Hæc enim Regis Corinthiorum Polybii vxor, interfecto altero filio, cum in alterum incidiſſet, eum interficere voluit, ignorãs eſſe filium, & putans eſſe ſicariū & hoſtem ſuū, qua de re periit elegantiſſima Euripidis Tragœdia Creſphontes, quam Latine vertit Ennius, teſte Cicerone. Eodem modo, Oedipus patrem interfecit, & cum matre nuptias contraxit. Sic & Iacob Patriarcha fraude Labanis ſoceri, cum putaret ſe cum ſponſa Rachele cubare, cum eius ſorore Lea concubuit. Quartum eſt, quo adiumento ſeu organo, & qua re & facultate quid ſit factum: vt ſi quis læſerit alium haſta, quam putarit obtuſo eſſe mucrone, cum eſſet acuto: aut iactu lapidis quem vulnerarit, cum non putarit eſſe lapidem, ſed pumicem. Quintum eſt, cuius rei cauſa, vt ſi quem caſtigandi cauſa & emendandi percuſſum interficias: aut ſi medicus præbito medicamento

valetudinis recuperandæ cauſa, au
tum non curarit, ſed interfecerit.
terfecit Herculem : quare & ipſa ap
niis eo ignorantiæ genere nominati
teles *lib. 2. Eudem. cap. 9.* narrat de
tori dederint, quod putarant eſſe P
venenum. Eodem errore Lucretium
Poſtremum attributum eſt de mo
percutere volens, grauius forte pulſe
§. diues. D. ad l. Cornel. de ſicar. excu
in rixa interfecerit claui aut cucuma.
ψ. Patroclus narrat, ſe æqualem pu
feciſſe imprudentem.

ἐκπεσεῖν αὐτοὺς.] Legendum αὐτοῖ
vt & Latinum *excidere*, in hac notio
apud Ciceronem *Philipp. 10.* de &c.
bi non excidit, vt ſæpe fit fortuito: ſc
tatum attuliſti.

κυελώπιζε δ᾽ εἶναι.] Ex quinque a
gniora Ariſtoteles. Qua in re & cuius
materiæ & finis. De fine ratio reddi
facto maximum ſit poſitum in fine
quæratur ſæpenumero, quid ſit fa
mo, & quo fine, vt proximo capite
eſt ratio, quia facta plæraque ex ſtra
nomen ſortiri ſoleant, vt parricidium
terio.

καὶ δεῖξαι βουλόμενος.] Sententia ho
tius ſcopus inter explanatores & inter
pe eum; qui leuiter percutere volueri
ipſorum verborum exquiſita redditio
re variat. Verum quia longius eſt, & fac
tates refellere: dico breuiter, videri mih
ξαι. Primum, quia ex verbo δεῖξαι nul
ſententia: deinde, quia τὸ θεῖξαι in vete
riatur: poſtremo, quia ex hoc verbo θεῖ
modiſſima, nempe ſi quis alium leuite
chiriſtarum, ſiue quando faciunt Acro
ter pulſet. Puto autem mendum irrepſ
δεῖξαι βουλόμενος ἀφεῖναι. Exemplum q

de hoc loco (ſi quis aliquem in rixa, gladio, aut cucuma percuſſerit) valde ſimile eſt huic noſtræ explanationi.

τὸ δὴ κατὰ τὴν.] Breuiter hic velut concluſionis loco definit ἀκούσιον per imprudentiam, nempe inuite factum per imprudentiam eſſe, per imprudentiam talem, id eſt, ſingularem & quæ in attributis cernatur iam expoſitis. (qua particula excluditur ignorantia communis, de qua *infra cap 5.* dicetur latius: excluditur & falſa illa ignorantia ebriorum, quia eorum facta non fiant per ignorantiam, ſed ab ignorantibus.) Deinde cui comes ſit dolor & moleſtia Qua particula excluduntur illi, qui quid turpe vel pulchritudine, aut voluptate adducti admiſerint. Excluduntur & illi, qui non volentes quidem quicquam agunt, ſed tamen non nolentes.

ὄντος δὲ ἀκουσίου.] Duas fecimus huius cap. partes. Priore de inuite factis copioſe explicata: altera iam breuiter exponitur: breuiter inquam, propterea quod vno contrariorum cognito, cognoſcatur & alterum. Qua ratione vſus hic Ariſtoteles, quia inquit, ἀκούσιον ſeu inuite factum eſt, quod vel vi, vel per ignorantiā fiat; contra ergo ſponte factum erit illud, quod non vi, id eſt, cuius principiū in faciente ſit, & à faciente fiat. ἀκούσιον igitur conſtituunt vis & imprudentia. ἑκούσιον libertas arbitrij & ſcientia ſingularis, vt & de ignorantia dictum eſt, non communis.

ἴσως γὰρ οὐ καλῶς.] Abſoluta diſputatione de ſponte & inuite factis: breuiter refellit quoſdam, qui dicerent: Ea quæ ira aut cupiditate gererentur, non eſſe voluntaria, ſed ab inuitis fieri, quod etſi *ſupra* paulo attigit Ariſtoteles: hoc tamen loco argumentis aliquot confutat planius. Argumenta aut ſunt quinq;: Primum, quia efficeretur, omnes animantes & pueros agere inuite. Concluſio.

Si, quæ ira aut cupiditate geruntur, ab inuitis fiunt.

Ergo & omnes animantes & pueri, quæ agunt, agunt inuite.

Ratio connexi in animantibus eſt perſpicua, quas certum eſt cupiditatibus ferri, non ratione. Pueros quoque cupiditate potius, quam ratione facere quæ faciunt, cum perſpicuum eſt, tum pulchre commemorat Ariſtoteles *infra cap. vlt.* quare & *lib. 2. Eudem. cap. 8.* verbum πράττειν animantibus & pueris conuenire negat, quia cum ratione πρᾶξις proprie ſit coniuncta, quod & nos *ſupra* docuimus. Atqui abſurdum eſt conſequens. Nam nulli magis libere dicuntur agere, quam animantes & pueri. Ergo & antecedens.

Digitized by Google

ἔτι πότερον οὐδὲν.] Altera ratio, quia
quæ ira aut cupiditate geruntur, aut nihi
inuite fieri. Concluſio ſit iſta.

Si ἀκούσια, ſunt ea, quæ ira vel cupidita
locum habebit in omnibus factis inde ma
buſdam duntaxat, puta, turpibus. Nan
neſta aiunt eſſe ἑκούσια. Connexi ratio eſt

Conſequens eſt falſum.

Ergo & antecedens.

Primum namque omnia quæ inde
& ipſi aduerſarij negant, & falſiſſimum
riſtoteles, quod multa ex ira & cupiditat
gratia, decet expetere res laudabiles & bo
formam, ſcientiam, &c. Iraſci quoq; de
cis; quod ita concludi poteſt:

Quæcunq; decet facere, ea non ſunt
Atqui ex ira & cupiditate quædam
Ergo quædam facta ex ira non ſunt

Falſa eſt igitur vna conſequentis pars
pia duntaxat ex ijs manantia eſſe ἀκούσια
λοῖον. Nam ridiculum eſt, vnius eiuſdem
ponere effecta in eodem ſtrato, puta, iræ i
cupiditatis.

δοκεῖ δὲ, τὰ μὲν.] Tertia ratio: quia q
ſtunt facta, iucunda ſunt, cum ἀκούσια
la ſit iſta:

Quæcunque ἀκούσια, ea ſunt mole,
dimus.

Atqui ex cupiditate manantia fact
eſt perſpicuum.

Ergo ex cupiditate manantia non ſu

Meminit Ariſtoteles in hac tertia ratio
eadem tamen ratio locum quoq; habet i
gaudet vindictam de inimico ſumere. E
teles *lib. 2. Eudem. cap. 7. in fine*, eoden
titur. Perperam igitur quidam, quia A
tantum mentionem faciat (quod breuit
hanc notionem in ira locum habere nega

ἔτι δὲ διαφέρει.] Locus eſt obſcurior;
dum, quod quidam faciunt, repugnant

Eſt autem quarta ratio, quia efficeretur, vt ſponte vel inuite facti nulla ſit vis, nullus effectus, quod eſt abſurdum. Concludi poteſt hoc modo:

Sponte facti & inuite facti, id eſt, differentia inter hæc duo vis & effectus hic eſt, quod alterum vitari poteſt, alterum non item. Nam inuite facta ſeu neceſſaria, vitari non poſſe, certum eſt. Et ſponte facta ea dicuntur, quæ facere quis poſſit, aut omittere.

Atqui tamen quæ ex ira & cupiditate fiunt, vitari & omitti poſſunt, quam quæ ex ratione.

Ergo hæc ex ira & cupiditate non magis erunt ἀκούσια, quam quæ ex ratione.

Nam alioquin ſequeretur, nullam eſſe vim & effectum differentiæ eius ſponte & inuite facti. Vis igitur eius diſtinctionis, quia in his duobus tam quæ ex ira quam quæ ex ratione, nulla eſt, diſtinctio quoque ipſa & cauſa nulla eſſe debet. Nam vt fruſtra ſit, abſurdum eſt.

φευκτὰ μὲν γὰρ.] Puto verbum φευκτὰ valere, quod vitari & prætermitti poſſint, & ſic plærumque reperitur. Alij Interpretes accipiunt, quæ ſint fugienda: hoc eſt, quæ ſint reijcienda & improbanda, atque adeo praua. Verum prior noſtra explanatio magis propria videtur.

Διαφέρει τοῦ ἀκούσια.] Sic eſt legendum, cum particula τοῦ, quæ tamen à quibuſdam libris abeſt, non recte.

ἢ θυμὸν.] Idem eſt & in cupiditate, cuius & hic breuitatis cauſa mentionem prætermiſit Ariſtoteles.

δοκεῖ δὲ οὐχ.] Quinta eſt ratio, quia hominis propria ſint ira & cupiditas: concludatur hoc modo:

Quæ hominis ſunt propria, non ſunt ἀκούσια.

Atqui ira & cupiditas hominis ſunt propria, vt & facta ex ijs manantia.

Ergo hæc facta quoque non erunt ἀκούσια.

Omiſſa eſt propoſitio ab Ariſtot. cuius ea eſt ratio: quòd ἀκούσια diximus eſſe *ſupra* ea, quorũ principium ſit externum & nõ proprium hominis. Sic nunc dicimus. Quæ propria ſuut hominis & in ipſo poſita, eſſe ἑκούσια. Aſſumtio in quæſtionẽ reuocari poſſet, propterea quòd ira & cupiditas cũ beluis ſint cõmunes, & proinde hominis nõ propriæ. Verũ propriũ intelligimus h.l. non quòd ſoli homini, ſed omni cõueniat ex ſua natura. Atquiita ira & cupiditas propria ſunt hominis. Nã animus hominis in 3. partes tribui ſolet,

ſolet, rationem, iram, & cupiditatem. Vt igitur ratio e
minis & humana (quod confirmant & aduerſarij) ita &
cupiditas.

ἄτοπον δὴ τὸ.] Concluſio eſt totius diſputationis de
cupiditate. Abſurdum eſt igitur, facta ex his promar
eſſe ἀκούσια, quod quidam exiſtimabant, teſte Ariſtotele
Eudem. cap.8. in fine.

CAPVT II.

COMMENTARII.

Διωρισμένων δὲ τε.] Agit hoc capite & proximo de πρ
ἑσεως. Hoc autem in tres partes ſecari poteſt. Primum, cu
plicari in his libris debeat de προαιρέσεως. Deinde quid n
προαίρεσις. Poſtremo quid ſit. Cum autem valde labo
Interpretes, & varient in hoc verbo latine reddendo, nos
uiter videamus, quemadmodum veteres expreſſerint. P
riores, vt Iuriſconſulti, Tacitus, Suetonius & alij ſolent v
re *Propoſitum.* Vocatur & à Iureconſultis *animi propoſit*
nimi iudicium, animi deſtinatio, l. fugitiuus. ff. de verbo
ſignificatione. leg. 76. in totum. ff. de diuerſis Regulis i
l. pupillus. 189. eodem titul. Priores & antiquiores, Plau
Terentius, Cicero vocant *conſilium, iudicium,* & quia m
mam cum eo affinitatem habet, *voluntatem.* Vocant &
terdum *inſtitutum.* Nos, quia poſteriores non ſatis latin
quentes imitandos facile non putamus: & antiquorum
cabula ſint ambigua: vtemur vocabulo, quo tamen &
Cicero eſt vſus, & vocabimus *conſilium agendi.* Sic enim
cero *in Lucullo*: *Huiuſmodi igitur viſis, conſilia capiet ag*
& non agendi. Et *3. de oratore*: *nam aut ſcientia, au*
gnitio rei perquiritur, vt virtus ſuamne propter dignitatem
propter fructus aliquos expetatur: aut agendi conſilium ex
ritur, vt ſit ne ſapienti capienda Reſpublica: & *initio libr*
mi, de Finibus. Quis ſit finis, quod extremum, quod vltim
quo ſint omnia bene viuendi recteq; faciendi conſilia refere
Vtemur & *conſilij* verbo, vt antiquis vſitatiſſimo in hac
tione; *Electionis,* (quo plærique hodie vtuntur) & *a*
ctus vocabula, vt prorſus in hac notione barbara, aſpe
mur.

οἰκειότατον γὰρ εἶναι.] Duas affert rationes, cur his in l

Digitized by Google

de conſilio ſit explicandum : quarum prior eſt, quia proæreſis virtuti maxime ſit cognata. Formula ſit iſta.

Quæ ad virtutem, eadem huc pertinent.

At προαίρεσις virtuti eſt coniunctiſſima.

Ergo huc pertinet.

Propoſitio eſt perſpicua. Aſſumptio ibi, οἰκειότατον, &c. & certe maxime cognatam virtuti eſſe προαίρεσιν docet quoque Pythagoricus Theages apud Stobæum λόγῳ α ex quo loco, vt & ex *capit. 4. ſupra libro ſecundo*, perſpicitur. Primum quid ſit προαίρεσιν virtuti eſſe cognatam. Deinde cur ſit maxime cognata. Nam cum ad virtutem tria maxime ſint neceſſaria: Ratio, facultas ſeu conſtantia & προαίρεσις: tum ex his tribus maxime virtutis propria eſt προαίρεσις: duabus namq; reliquis vti licet & alijs in rebus, puta in artibus etiam abſq, virtute: προαιρέσει non licet. Altera eſt ratio, quia de moribus iudicium poteſt capi & fieri magis ex proæreſi, quam de factis ipſis. Concluſio.

Quæ ad mores, eadem & huc pertinent.

προαιρέσει dijudicantur mores.

Ergo, &c.

Et hic propoſitio omiſſa eſt, vt certa. Aſſumptionis hæc eſt ſententia: De moribus & qualis quiſque ſit, probus an improbus, non tam ſpectari debet ex factis, quam ex animo, quo quæque facta gerentur. Nam alioquin ſi facta conſiderentur, ſæpe fieret, vt probus eſſet improbus, & contra. Fit enim ſæpenumero, vt vir probus praue quid faciat, vel caſu, vel quo alio impedimento: & contra vt improbus bene quid faciat. Multa quoque fiunt fortuito, natura & alijs modis, puta, neceſſitate & vi, tam bona quam mala. Ex quibus tamen nemo probus aut improbus dici iure debeat. Quare & Ariſteteles *libro ſecundo Eudem. capite vltimo. Itaque*, inquit, *ex προαιρέσει iudicamus, qualis quis ſit*: hoc eſt, quo animo & conſilio, cuiuſque rei cauſa fecerit, non vero quid fecerit. Verum huic rationi valde repugnat, quod eſt apud Ariſtotelem *libro ſecundo, capite vltimo, in fine, & 1. Magn. Moral. capite 20.* vbi ait, ſolere homines iudicare ex factis, non ex proæreſi. Et vulgo dicimus, ex fructibus cognoſcendam arborem. Sed ex ipſo Ariſtotele reſponderi poteſt, hæc non eſſe contraria: nam vulgo quidem ita fieri, vt ſpectentur homines ex factis potius, quam ex animo. Propterea quod, inquit

inquit Ariſtoteles, animus & προαίρεσις cerni non poſſi
cta incurrant in oculos: veriſſime tamen qui dijudicare
velit, non tam effectum, quam cauſam inſpicere debet.

ἡ προαίρεσις δὴ.] Hic iam exquirit, quid ſit προαίρεσ
primum quidem ſuo more, quid non ſit. [Ariſtotelicu
ſemper primum de negantibus agere.] Affert autem qui
ſponte factum, cupiditatem, iram, voluntatem & opinio
à quibus omnibus remouet προαίρεσιν, præterquam à pr
cum exceptione tamen quadam ſeu differentia. Sciendu
autem, omnium factorum principium eſſe ipſum homi
id eſt, animum hominis, qui animus in duas partes trib
let, in rationem & appetitum. Sub ratione ſunt ſcientia
pinio. Appetitus tria ſunt genera, cupiditas, ira & volu
Iam quia communi ſenſu notum eſt omnibus, προαίρεσ
quoddam factorum principium: quæritur iam, quidnã
ex ijs generibus modo commemoratis, hoc eſt, an ſit op
vel aliud quid ad rationem pertinens: an vero ſit appetitu
quis: an denique nihil omnino eorum ſit. Et concludi
ſtoteles: Et nihil eſſe, & vtrumque eſſe, nempe ratione
appetitum, id eſt, neque ſimplicem eſſe rationem, puta
nionem, neque ſimplicem appetitum: ſed ex vtroq; co
ctum quiddam, id eſt, appetitum cum ratione.

ἡ προαίρεσις δὲ ἑκούσιον.] Ait προαίρεσιν videri idem
quod ſponte factum. Et certe maxima eſt inter hæc duo
nitas, atque adeo extremo capite concludet omnem προ
σιν eſſe ἑκούσιον, ſed non contra. Eſt igitur προαίρεσις ἑκού
ſed tamen non eſt plane idem Nam latius patet ἑκούσιον:
oſtendit duabus rationibus: primum, quia ἑκούσιον ſit in
mantibus quoque & pueris: προαίρεσις non item, id eſt, ſ
te quidem agunt animantes & pueri, ſed non conſilio:
conſilium non eſt abſque rationis agitatione ſeu diſputat
Ratione carent animantes, diſputatione pueri. Nam im
potius agunt, quam conſulto & deliberato. Altera ratio
& τὰ ἐξ αἴφνης, &c. quia quæ ſubito, fiunt quidem ſpo
ſed non conſulto. Quæ conſilio, omnia fiunt conſulto.
cludi poteſt hoc modo:

Quæ conſilio, fiunt deliberato.
At ſ... multa non fiunt deliberato, vt ea quæ ſ...
fiunt. & quæ hic prætermiſit Ariſtoteles, ex re...
magis moralib. ſedere, ſurgere, bibere, edere.

Digitized by Google

Ergo ἑκούσιον non idem eſt, quod προαίρεσις.

οὐ γὰρ κοινὸν ἡ.] Quatuor rationibus oſtendit προαίρεσιν non eſſe aut cupiditatem, aut iram. Ex quibus tamen tres rationes, prima, ſecunda & quarta ad iram pertineant, aut referri poſſint. Prima eſt, quia cupiditas & ira ſunt in beluis quoque, conſilium non item.

καὶ ὁ ἀκρατής.] Altera ratio, quia incontinens cupiditate quidem agit, non vero conſilio: & contra continens. Concludatur hoc modo: Si conſilium idem eſſet quod cupiditas, efficeretur, vt qui vno agit, agat & altero. Ratio connexi eſt perſpicua. Atqui conſequens eſt falſum. Nam incontinens agit quidem cupiditate, non tamen conſilio, id eſt, abripitur cupiditatibus, iis paret, eaſque ſequitur reiecta ratione & conſilio. Contra agit continens, qui cupiditates conſilio & ratione ſuperat, quod *infra libr. 7. cap. 3.* explicabitur latius. Hæc quoque ratio in ira locum habet: etſi tacet Ariſtoteles: nam iratus certe prorſus non agit conſilio, vt paulo poſt explicabitur.

καὶ προαιρέσει μὲν.] Tertia ratio, quia cupiditati aduerſatur conſilium, non cupiditas. Concluſio ſit iſta:

Cupiditas non eſt contraria cupiditati.
At conſilium contrarium eſt cupiditati.
Ergo conſilium non eſt cupiditas.

Propoſitio, an cupiditas nulla alteri ſit contraria (quod hic dicere videtur Ariſtoteles) in controuerſiam reuocari poteſt, Nam cupiditas motus contraria eſt quieti. Prodigi ſæpe ſunt auari, vt *infra libro quarto.* At auarus habere cupit, alter profundere, perdere, quæ ſunt contraria. Ambitioſi ſæpe auari, inquit Cicero *initio offic.* At ambitioſus nullis parcit ſumptibus, auarus omnibus. Sic *in Andria* Pamphilus cum Glycerio ſua cupit eſſe, & tamen patri hoc nolenti idem cupit eſſe dicto audiens Auguſtus Imperator vt eſt apud Dionem, cupiebat dominatum, & contra abdicare imperio volebat. Sic Paulus Apoſtolus contrarios in ſe motus experiri ſe dicit apud Romanos Verum de his & ſimilibus exemplis, reſpondendū eſt, non hoc dicere Ariſtotelem, nullas reperiri cupiditates, quæ inter ſe pugnent: ſed hoc eum velle, in eodem homine non concurrere cupiditates contrarias: fieri non poſſe, vt vnus idemque eodem tempore, edere, ali, dormire cu-

re cupiat, & non cupiat: eundem eodem tempore oder
met eadem de cauſa. Videndum quoq; eſſe, an non ſit ſ
ta cupiditas, qualis fuit in Auguſto. Deinde an etiam
piditas, & non potius ratio aut conſilium: quando in
& Pamphilo pugnarunt motus: recta ratio & cōſilium
piditate: deinde an vere quoq; ſint contrariæ. Aſſump
tem, nempe conſilium aduerſari cupiditati, perſpicu
priori cōcluſione, qua dictum eſt, cupiditatem cum rat
conſilio in incontinente & continente confligere. Atq;
cipienda eſt, rectæ rationi & conſilio cupiditates adu
Nam alioqui prauo cōſilio ſæpe non repugnat cupidita
eo, qui hic Tyrannidem conſtituerit occupare, & vna
riſſimus, aut cædis cupidiſſimus.

καὶ ἡ μὲ ἐπιθυμία.] Quarta eſt ratio, quæ & in ira
habet, teſte ipſo Ariſtotele *lib. 2. Eudem. cap. 10.* nemp
cupiditas ſit rerum iucundarum & moleſtarum: con
non item, id eſt, cupiditatis ſtratū res ſunt iucundæ & m
hoc ait cupiditas, vt res iucundas perſequamur, aſper
contrarias, quod de beſtijs cernere licet (in quibus cu
tem eſſe iam ſæpe dictum eſt) vt quæ nulla re alia com
antur, q̄ voluptate & dolore. Quare & beluinam volu
ſupra dixit Ariſtoteles *li. 1. c. 4.* Conſilium autem non
rum rerum, ſed cerni potius in rebus bonis & malis, v
& inutilibus: etſi ex communi vita perſpicuum eſt: con
ri tamen poteſt ex eo quoque, quod hæ ſint res, quæ i
berationem cadant. De voluptate non deliberatur, ra
ad eam, vt & beſtiæ, in quibus nulla eſt deliberatio, qu
la ratio. Atqui conſilium verſari in ijs rebus, de quibus
ratur, copioſe mox capite proximo explicabitur. Etſi
vtilia & honeſta ſæpe quoq; ſunt iucunda: tamen delib
nis caput de honeſto & vtili potius eſſe ſolet: de iucun
conſequentias, vt loquuntur Iuriſconſulti.

ἡδέως καὶ ἐπιλύπως.] Ait Victorius in vno veteri Cod
ἐπίλυπος, id eſt, moleſta, & mox λυπηρά, quod & Lan
in vno veteri Codice reperiſſe ſe ait. Ego, cum eadem
tentia, & phraſis vtraq; bona, & vſitata lectio pluribus i
reperiatur, nihil mutandum cenſeo.

θυμὸς δ' ἔτι ἧττον.] Quia in quatuor prioribus ratio
ſemel duntaxat mentionem fecerit iræ (etſi nos initio d
primam, ſecundam & quartam rationes in ira quoque

Digitized by Google

habere) ea re tandem hic adiungit etiam de ira, & ait: *Si*, inquit, *conſilium non eſt cupiditas, multo minus eſt ira.* Rationem adiungit, quod ea, quæ ab irato fiant, multo minus fiant conſulto & cogitato, quam quæ à cupido. Nam quæ conſulto, fiunt mora quadam & cunctatione. At iræ motus eſt celerrimus: nullamq; admittit moram aut deliberationem. Cupiditas non tam eſt repentina, & hac in re coniunctior eſt conſilio cupiditas, quã ira; contra tamen conſilio ira eſt affinior quam cupiditas hac in re: quod cum in conſilio ſit ratio: iratus rationem aliquam ſemper ſequatur, quia iniuriam accepiſſe ſibi videatur: cupidus nullam ſequatur rationem, ſed ſuam prorſus cupiditatem, vt præclare *infra* Ariſtot. *lib. 7. cap. vlt.*

ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἡ.] Quatuor docet rationibus conſilium non eſſe voluntatẽ; etſi non negat, hæc duo valde eſſe affinia. Nam & voluntas & conſilium (quod extremo capite perſpicuum fiet) vtrumq; eſt appetitio quædam cum ratione. Et hac re in communi vſu ſæpenumero voluntatem pro cõſilio ponimus.

προαίρεσις μὲν γὰρ.] Prima eſt ratio, (quæ & commemoratur *li. 1. magn. moral. ca 18. & 2. Eudem. c. 10.*) nempe, quia voluntas earum ſit rerum, quæ fieri nequeant, conſilium non item. Quod exemplo docet Ariſt. immortalitatis. *Volumus*, inquit, *& cupimus eſſe immortales, ſed ea de re deliberare* (quod eſt cõſilij) *cum ſciamus eam nos aſſequi non poſſe, ſtultum ſit. Volumus interdum volare, dominatum habere totius mundi*, inquit Ariſt. *volumus interdũ alterius eſſe ſexus, diuerſis eſſe in locis vna hora, multa alia volumus abſurda: ſed de huiuſmodi rebus deliberat, niſi qui deſipiat, nemo.* Ratio autem, cur voluntas etiam ſit *τῶν ἀδυνάτων*, conſilium non ſit, hæc eſſe poteſt, quod voluntas abſolute, & vt ita dicam, abſtracte bonum ſpectet: conſilium vero ad facta humana prorſus ſe referat, ſemper ſe accommodans ad ea, quæ vſui nobis eſſe poſſint.

οἷον ἀθανασίας.] Ex hoc quoq; loco perſpici poteſt, Ariſtotelem exiſtimaſſe, hominem prorſus interire: negat enim immortalitatem poſſe fieri, quod & *in Eudem libr. 2. cap. 9 & in magn. moral. lib. 1. cap. 18. in princ.* negat, qua de re diximus & *ſupra lib. 1. cap. 11.*

καὶ ἡ μὲν βούλησίς ἐστι.] Altera ratio, quia etiam ad ea, quæ ab alijs gerantur, voluntas dirigatur: conſilium vero de ijs tantum ſit, quæ à nobis geri poſſint, aut ab alijs noſtro iuſſu. Propoſitio confirmatur exemplo hiſtrionum & Athletarum. Solent

M namq;

namq; ſpectatores, vel ad theatrum, vel ad palæſtram, hui ſtrioni aut Athletæ magis fauere quam alteri: hunc c re vincere, alterum non item: etſi ipſi non certent, non ag aut luctentur, qua de re eſt pulcherrimus locus apud Plau *in Prologo Amphitryonis*, vbi Mercurius Prologo grauiter cens, ne ſpectatores huic vel illi magis faueant: *Virtute*, inq *vincere decet*. Et de palæſtræ ſtudijs extiterunt tandē Ro quatuor illæ factiones, Ruſſa, Veneta, &c. de quibus apuc lexandrum. Eodem modo hiſtorias legentes, alius, verbi tia fauet Pompeio, alius Cæſari, alius alij: multa igitur v mus, quæ ad nos non pertineant. Aliud eſt in conſilio; qui nim ſtultius eſt, quam deliberare de rebus ad ſe non pertin tibus. Verbi gratia, de rebus, quas agat Rex Indiæ; ſed ha te mox capite proximo.

ἔτι ἡ ἡ μ.] Tertia ratio, quod voluntas magis ſe referat finem: conſilium vero in ijs verſetur rebus, quæ ad finem a quendū valeant. Volumus, verbi gratia, ſanitatem, conſili .a. capimus, quibus rebus eam aſſequamur. Conſilium igi eſt de medicamētis, de ambulando, diæta. Hæ.a. tres ratior quia ex eodem fonte & loco manant, nempe à ſtrato, id eſt, bus ijs, in quibus verſentur voluntas & conſilium: non inco mode in vnam rationem retrahi poſſunt, quia in diſſimili ſt to verſentur voluntas & conſilium: ipſa quoq; ſint diſſimi Formula.

Quæ diſſimili ſunt in ſtrato, non ſunt eadem.
At voluntas & conſilium ſunt in diſſimili ſtrato.
Ergo non ſunt eadem.

Propoſitio cum *ex Topicis* eſt nota, tum ex ijs, quæ *ſupra* 1. diximus, ſtrati maximam eſſe vim in diſtinguendis fac Aſſumptio confirmatur tribus exemplis. Nam voluntas etiam rerum, quæ fieri nequeant, quæ ab alijs gerantur, & pſius finis ſeu extremi: conſilium autem contra, de ijs tantu eſt rebus, quæ fieri poſſint, quæ à nobis ipſis gerantur, & q ad finem aſſequendum valeant.

προαιρούμεθα δ.] Quarta ratio à Phraſi ſeu genere loque di, recte, inquit, græce dicitur βουλόμεθα εὐδαιμονεῖν; at non cte προαιρούμεθα εὐδαιμονεῖν, hoc eſt, verbum βούλεσθαι, finib ſeu extremis recte attribuitur, προαιρεῖσθαι non item. Verum his verbis præter quartam rationem vulgo non obſeruatar continetur & exemplum prioris tertiæ rationis, nempe qu

cup:

Digitized by Google

cupiamus beatitudinem, qui finis eſt vitæ, ſed de ea non deliberemus: verum de ijs potius, quæ ad eam aſſequendam proſint.

ὅλως γὰρ ἔοικεν.] Et his verbis duo continentur. Primum, ratio tertiæ rationis, cur conſilium non ſit in fine, quia finis nõ eſt in noſtra poteſtate. Nam natura fere conſtituitur, atq; certus ac definitus eſſe ſolet: At conſilium eſt de rebus nondum definitis & certis: Eſt, inquam, generaliter de rebus ijs omnibus, quæ in noſtra ſint poteſtate, id eſt, quæ fieri aut prætermitti poſſint pro noſtro arbitratu. Continetur & communis quædam complexio & concluſio prioris omnis diſputationis, quaſi ita diceret Ariſtoteles, ſi conſilium non eſt rerum ἀδυνάτων, neq; earum, quæ ab alijs gerantur, neq; finis (propterea quod res omnes illæ non ſint in noſtra poteſtate) certe concludi etiam ὅλως & generaliter poteſt: Conſilium eſſe earum rerum, quæ noſtri ſunt arbitrij: quas res eleganti & præciſa phraſi ſemper vocant Græci τὰ ἐφ' ἡμῖν.

οὐδὲ δὴ δόξα.] Super eſt vltimũ, a quo remoueatur προαίρεσις, opinio, q̃ & ipſa magnam cum προαιρέσει cognationem habere videtur, quia vtraq; ſit cum ratione: deinde qui conſilio capto, quid conſtituit & ſuſcipiendum putat, videtur opinari & exiſtimare, hoc vel illud eſſe faciendum: Atq; latine, ſentẽtia, mens, animus idem interdum valent, q̃ προαίρεσις, vt cum dicimus, ſpectandũ potius eſſe, q̃ ſit huius vel illius ſententia, mens, animus, i. e. q̃ ſit προαίρεσις, q̃ factum ipſum. Et apud Græcos quæ προαιρέσει fiunt, dici quoq; ſolent fieri ἐκ προνοίας. Quomodo fere loqui ſolent oratores. Quæ omnia ad rationẽ ſeu animæ eam partẽ, in qua eſt ratio, & ad ipſam δόξαν pertinere videtur.

οὐδὲ δὴ δόξα] Quaſi dicat, quia conſilium eſt earum rerum, quæ noſtri ſint arbitrij. Ergo neq; eſt opinio. Sic enim hæc verba ex prioribus apta eſſe, indicat vel ſola particula δὴ.

ἡ μὲν γὰρ δόξα.] Hic incipit oſtendere, cur conſilium non ſit opinio, quæ opinio, quia eſt bipartita, communis & ſingularis: primum oſtendit (quod eſt facilimum) conſilium non eſſe opinionem communem, duabus rationibus. Deinde non eſſe, ne quidẽ ſingularẽ, quinq; rationib⁹. Et de communi quidem, prima in his verbis cõtinetur, à ſtrato ſumpta: quia opinio eſt de rebus omnib. tam de rebus æternis, ijſq;, q̃ fieri nequeant, quã q̃ noſtri ſint arbitrij. Ergo conſiliũ non eſt opinio. Propoſitio eſt veriſſ. nam videmus homines multa opinari de

Deo, de aſtris, de mundo, de rebus conſimilibus, quas æte
eſſe putant Philoſophi: opinantur & abſurda multi, puta
chymiæras & infinitos mundos. Ratio autem, cur opinio e
de his ſit rebus, quia ad partem animi cognoſcẽtem perti
Cognitio. a. & ratio vagatur, & verum quærit omnib in re
niſi quæ ſenſui pateant. Huc pertinet quod Ariſt. ait *in M*
li.1. ca.18. opinari nos etiam de ijs, quæ apud Indos gerar
conſiliũ nõ capere, quia noſtri nõ ſint arbitrij. De aſſumpt
iam dictum eſt, (h. e. cõſilium earum, quæ noſtri ſint arbit

ἢ τῷ ψευδεῖ.] Altera ratio, quia opinio vero & falſo int
diuidi & ſeparari ſoleat: conſilium vero bono & malo di
guatur. Nam de opinione quæri non ſolet, an ſit proba, an
proba, ſed vera ne potius, an falſa. Cuius rei hæc eſt ratio, c
opinio ad θεωρίαν pertineat, vbi propoſita eſt veritas. Con
vero non ſolet dici falſum aut verum, ſed bonum, honeſt
turpe, prauum, &c. quia ad appetitum pertineat & πρᾶξιν, c
bus propoſitum eſt bonum. Quod autem interdum opi
nes quædam dicantur bonæ aut malæ, id fit καταχρηστικῶς
ratione vtilitatis, quæ ex ijs ad noſtram vitam manat.

ὅλως μὲν οὖν.] Duabus rationibus iam oſtendit, conſilium
eſſe opinionem communem: ſed hoc, inquit, fortaſſe ne
negauerit. Verum difficilius eſt docere, ne quidẽ ſingularem
certam eſſe opinionem. Verbi gratia, quæ in rebus certis du
taxat cernatur, vt conſilium, nempe in ijs, quæ noſtri ſint ar
trij. Reſpondet Ariſtoteles ne quidem huiuſmodi opinion
eſſe conſilium, quod, vt dixi, docet quinq; rationibus.

τῷ γὰρ προαιρεῖσθαι.] Prima ratio, quia ex eo, quod conſi
conſilia ſuſcipimus bona aut mala, perſpicitur nos eſſe cui
dammodi, ſeu qualitate aliqua affectos: ex opinione n
item, id eſt, ex eo quod quis opinatur bonum aliquid eſſe, i
ſtum, aut contra: non propterea ſequitur, ipſum quoq; e
bonum aut malum. At in conſilio, contra eſt: nam qui con
lio capto boni aut mali quid ſuſcipiunt, boni quoq; aut ma
dici ſolent. Diſſimilitudinis ratio eſt, quod conſilium ad acti
nem, opinio ad contemplationem pertineat. At notum eſt, v
res bonos & iuſtos vt redduntur iuſti, iuſte agendo, & iuſte ip
quoq; agunt, ac deliberant ea, quæ ſunt iuſta: ita opinando
ſola cognitione ſtatim viri boni non fiunt, neq; iuſta faciun
vt *ſupra* eſt explicatum *li.2.* & certe videre eſt, ſæpe qui iuſtu
quid opinione teneant: tamen conſilio non perſequi: quo

Digitized by Google

in incontinente perſpicuum eſt, qui rectum quidem opinatur, ſed cupiditatibus ab eo diſtrahitur.

ϗ προαιρούμεθα μὲ.] Secunda ratio, quia conſilij eſt expetere & perſequi aut aſpernari aliquid: At opinionis munera ſunt exquirere, quid ſit hoc aut illud, id eſt, quæ vis & natura, cui rei ſit vtile, quomodo & quatenus eo ſit vtendum, verbi gratia, quid ſit virtus, quid panis, an dulcia noceant ſtomacho, an moderata poſt cœnam deambulatio non ſit inutilis.

ἤ τι τῶν τοιούτων.] Id eſt, emere, dare aliquid, pugnare, agere in genere aliquid, quod ad virtutem pertineat.

ϗ ἡ μὲ προαίρεσις.] Tertia ratio:

Laus & virtus conſilij in eo eſt poſita, quod ſit rectum, & tale quale oporteat.

At laus & virtus opinionis in eo eſt, quod ſit vera. Laus conſilij eſt, rectum eſſe: opinionis verum.

Ergo non ſunt eadem.

Ea namq; laudamus, vt bono conſilio ſuſcepta, quæ recte & vt oportet, ſint ſuſcepta: At opinio laudatur à veritate. Ratio differentiæ, quia opinio ad θεωρίαν, cui propoſita eſt veritas: conſilium ad facta pertineat, de quibus non quæritur, an ſint vera, an falſa, ſed praua ſint, an recta.

οὐ δεῖ μᾶλλον ἢ ὀρθῶς.] Particula μᾶλλον elegantiæ cauſa ſæpe interponitur, & nihil valet. Itaq; hæc duo οὐ δεῖ ὀρθῶς prorſus idem valent: nam perperam quidam hæc vt diſſimilia exiſtimant, quaſi conſilium ſit quidem de rebus, quas oporteat ſuſcipere & facere, ſed nõ laudetur à recto, quod eſt falſiſſimum.

ϗ προαιρούμεθα.] Quarta ratio, conſilium capimus de rebus ijs, quas certo ſcimus, quasq; certo exploratas habemus: opinamur autem de rebus plærumq; incertis. In cõſilio eſt maior certitudo, quam in opinione. Ergo non ſunt eadem. Nam opinionem eſſe infirmam quandam & incertam de rebus non ſatis cognitis aſſenſionem, certum eſt. Conſilium vero qui capiat de rebus incertis & nõ ſatis exploratis an ſint, an fieri poſſint, an in ſua ſint poteſtate, &c. præter ſtultum eſt nemo.

δοκοῦσί τε οὐχ.] Quinta ratio, quia multi opinione quid ſit, melius ſciunt quidem, at conſilio deterius ſequuntur. Formula: ſi cõſilium idem eſſet quod opinio, oporteret omnes, quod bonum exiſtimarint, id etiam ſequi: At falſum eſt cõſequens. Nam multos videre eſt, qui id, quod verius & melius ſit, videant, & opinentur hoc vel illud rectius, hoc vel illud deterius:

valetudinis recuperandæ cauſa, aut ſectione abhibita, æg tum non curarit, ſed interfecerit. Eodem modo Deianira terfecit Herculem: quare & ipſa apud Sophoclem in Tracl niis eo ignorantiæ genere nominatim ſe excuſat. Sic & Arif teles *lib. 2. Eudem. cap. 9.* narrat de puellis, quæ pomum an tori dederint, quod putarant eſſe Philtrum, cum in eo late venenum. Eodem errore Lucretium Poetam ſua ſuſtulit vx Poſtremum attributum eſt de modo, vt ſi quis leuiter aliu percutere volens, grauius forte pulſet. Sic & Iuriſconſult. *in l. §. diues. D. ad l. Cornel. de ſicar.* excuſari ſcribit eum, qui que in rixa interfecerit claui aut cucuma. Sic & apud Homer. *Ilia* ψ. Patroclus narrat, ſe æqualem puerum talo, aſtragalo inte feciſſe imprudentem.

ἐκπεσεῖν αὐτοῖς.] Legendum αὐτοῖς, nam verbum ἐκπεσεῖν, vt & Latinum *excidere*, in hac notione dandi caſum habet, apud Ciceronem *Philipp. 10.* de &c. Galeno: quod verbum ti bi non excidit, vt ſæpe fit fortuito: ſcriptum, meditatum, cogi tatum attuliſti.

κυριώτατα δ' εἶναι.] Ex quinque attributis duo ait eſſe inſi gniora Ariſtoteles. Qua in re & cuius rei cauſa, id eſt, attributa materiæ & finis. De fine ratio reddi poteſt iſta, quod in omni facto maximum ſit poſitum in fine momentum, & non tam quæratur ſæpenumero, quid ſit factum, quam, quo ani mo, & quo fine, vt proximo capite dicetur. De altero hæc eſt ratio, quia facta plæraque ex ſtrato & materia diſtingui & nomen ſortiri ſoleant, vt parricidium à cæde, ſtuprum ab adul terio.

καὶ δεῖξαι βουλόμενος.] Sententia horum verborum, ſeu po tius ſcopus inter explanatores & interpretes ſatis conſtat, nem pe eum, qui leuiter percutere voluerit, grauius pulſaſſe. Sed ipſorum verborum exquiſita redditio non ita conſtat, imo mi re variat. Verum quia longius eſt, & facile quoq; aliorum varie tates refellere: dico breuiter, videri mihi legendũ θεῖξαι, nõ δεῖ ξαι. Primum, quia ex verbo δεῖξαι nulla commoda poſſit elici ſententia: deinde, quia τὸ θεῖξαι in veterib. quibuſdã libris repe riatur: poſtremo, quia ex hoc verbo θεῖξαι ſentẽtia exiſtat com modiſſima, nempe ſi quis alium leuiter cõtingere (more Acro chiriſtarum, ſiue quando faciunt Acrochiriſtæ) volens, graui ter pulſet. Puto autem mendum irrepſiſſe ex loco priori, ibi, ἢ δεῖξαι βουλόμενος ἀφεῖναι. Exemplum quod attuli ex Iure ciuili de

Digitized by Google

de hoc loco (ſi quis aliquem in rixa, gladio, aut cucuma percuſſerit) valde ſimile eſt huic noſtræ explanationi.

τὸ δὴ κατὰ τὴν.] Breuiter hic velut concluſionis loco definit ἀκούσιον per imprudentiam, nempe inuite factum per imprudentiam eſſe, per imprudentiam talem, id eſt, ſingularem & quæ in attributis cernatur iam expoſitis. (qua particula excluditur ignorantia communis, de qua *infra cap* 5. dicetur latius: excluditur & falſa illa ignorantia ebriorum, quia eorum facta non fiant per ignorantiam, ſed ab ignorantibus.) Deinde cui comes ſit dolor & moleſtia. Qua particula excluduntur illi, qui quid turpe vel pulchritudine, aut voluptate adducti admiſerint. Excluduntur & illi, qui non volentes quidem quicquam agunt, ſed tamen non nolentes.

ὄντος δὲ ἀκουσίου.] Duas fecimus huius cap. partes. Priore de inuite factis copioſe explicata: altera iam breuiter exponitur: breuiter inquam, propterea quod vno contrariorum cognito, cognoſcatur & alterum. Qua ratione vſus hic Ariſtoteles, quia inquit, ἀκούσιον ſeu inuite factum eſt, quod vel vi, vel per ignorantiā fiat; contra ergo ſponte factum erit illud, quod non vi, id eſt, cuius principiū in faciente ſit, & à faciente fiat. ἀκούσιον igitur conſtituunt vis & imprudentia. ἑκούσιον libertas arbitrij & ſcientia ſingularis, vt & de ignorantia dictum eſt, non communis.

ἴσως γὰρ οὐ καλῶς.] Abſoluta diſputatione de ſponte & inuite factis: breuiter refellit quoſdam, qui dicerent: Ea quæ ira aut cupiditate gererentur, non eſſe voluntaria, ſed ab inuitis fieri, quod etſi *ſupra* paulo attigit Ariſtoteles: hoc tamen loco argumentis aliquot confutat planius. Argumenta aut ſunt quinq;: Primum, quia efficeretur, omnes animantes & pueros agere inuite. Concluſio.

Si, quæ ira aut cupiditate geruntur, ab inuitis fiunt.

Ergo & omnes animantes & pueri, quæ agunt, agunt inuite.

Ratio connexi in animantibus eſt perſpicua, quas certum eſt cupiditatibus ferri, non ratione. Pueros quoque cupiditate potius, quam ratione facere quæ faciunt, cum perſpicuum eſt, tum pulchre commemorat Ariſtoteles *infra cap. vlt.* quare & *lib. 2. Eudem. cap. 8.* verbum πράττειν animantibus & pueris conuenire negat, quia cum ratione πρᾶξις proprie ſit coniuncta, quod & nos *ſupra* docuimus. Atqui abſurdum eſt conſequens. Nam nulli magis libere dicuntur agere, quam animantes & pueri. Ergo & antecedens.

ἔτι πότερον οὐδέν.] Altera ratio, quia abſurdum ſit, eoru quæ ira aut cupiditate geruntur, aut nihil, aut turpia duntax inuite fieri. Concluſio ſit iſta.

Si ἀκούσια, ſunt ea, quæ ira vel cupiditate fiunt: certe aut h locum habebit in omnibus factis inde manantibus, aut in qu buſdam duntaxat, puta, turpibus. Nam & ipſi aduerſarij h neſta aiunt eſſe ἑκούσια. Connexi ratio eſt perſpicua.

Conſequens eſt falſum.

Ergo & antecedens.

Primum namque omnia quæ inde manant eſſe ἀκούσια & ipſi aduerſarij negant, & falſiſſimum eſt, quod ita docet A riſtoteles, quod multa ex ira & cupiditate facere deceat. ver gratia, decet expetere res laudabiles & bonas, vt valetudinem formam, ſcientiam, &c. Iraſci quoq; decet improbis, inim cis; quod ita concludi poteſt:

Quæcunq; decet facere, ea non ſunt ἀκούσια.

Atqui ex ira & cupiditate quædam decet facere.

Ergo quædam facta ex ira non ſunt ἀκούσια.

Falſa eſt igitur vna conſequentis pars. Altera, nempe tur pia duntaxat ex ijs manantia eſſe ἀκούσια, eſt plane ridicula γε λοῖον. Nam ridiculum eſt, vnius eiuſdemque cauſæ diſſimili ponere effecta in eodem ſtrato, puta, iræ in eodem homine au cupiditatis.

δοκεῖ δὲ, τὰ μὲν.] Tertia ratio: quia quæ ex cupiditate exi ſtunt facta, iucunda ſunt, cum ἀκούσια ſint moleſta. Formu la ſit iſta:

Quæcunque ἀκούσια, ea ſunt moleſta, hoc *ſupra* oſten dimus.

Atqui ex cupiditate manantia facta iucunda ſunt, quod eſt perſpicuum.

Ergo ex cupiditate manantia non ſunt ἀκούσια.

Meminit Ariſtoteles in hac tertia ratione ſolius cupiditatis eadem tamen ratio locum quoq; habet in ira. Nam & iratus gaudet vindictam de inimico ſumere. Et nominatim Ariſto teles *lib. 2. Eudem. cap. 7. in fine.* eodem argumento in ira v titur. Perperam igitur quidam, quia Ariſtoteles cupiditatis tantum mentionem faciat (quod breuitatis ſtudio ſæpe facit) hanc notionem in ira locum habere negarunt.

ἔτι δὲ διαφέρει.] Locus eſt obſcurior; nihil tamen mutan dum, quod quidam faciunt, repugnantibus omnibus libris.

Eſt

Digitized by Google

Eſt autem quarta ratio, quia efficeretur, vt ſponte vel inuitè facti nulla ſit vis, nullus effectus, quod eſt abſurdum. Concludi poteſt hoc modo:

Sponte facti & inuite facti, id eſt, differentiæ inter hæc duo vis & effectus hic eſt, quod alterum vitari poteſt, alterum non item. Nam inuite facta ſeu neceſſaria, vitari non poſſe, certum eſt. Et ſponte facta ea dicuntur, quæ facere quis poſſit, aut omittere.

Atqui tamen quæ ex ira & cupiditate fiunt, vitari & omitti poſſunt, quam quæ ex ratione.

Ergo hæc ex ira & cupiditate non magis erunt ἀκούσια, quam quæ ex ratione.

Nam alioquin ſequeretur, nullam eſſe vim & effectum differentiæ eius ſponte & inuite facti. Vis igitur eius diſtinctionis, quia in his duobus tam quæ ex ira quam quæ ex ratione, nulla eſt, diſtinctio quoque ipſa & cauſa nulla eſſe debet. Nam vt fruſtra ſit, abſurdum eſt.

φευκτὰ μὲν γὰρ.] Puto verbum φευκτὰ valere, quod vitari & prætermitti poſſint, & ſic plærumque reperitur. Alij Interpretes accipiunt, quæ ſint fugienda: hoc eſt, quæ ſint reijcienda & improbanda, atque adeo praua. Verum prior noſtra explanatio magis propria videtur.

διαφέρει τῷ ἀκούσια.] Sic eſt legendum, cum particula τῷ, quæ tamen à quibuſdam libris abeſt, non recte.

ἢ θυμόν.] Idem eſt & in cupiditate, cuius & hic breuitatis cauſa mentionem prætermiſit Ariſtoteles.

δοκεῖ δ' οὐχ.] Quinta eſt ratio, quia hominis propria ſint ira & cupiditas: concludatur hoc modo:

Quæ hominis ſunt propria, non ſunt ἀκούσια.

Atqui ira & cupiditas hominis ſunt propria, vt & facta ex iis manantia.

Ergo hæc facta quoq; non erunt ἀκούσια.

Omiſſa eſt propoſitio ab Ariſtot. cuius ea eſt ratio: q ἀκούσια diximus eſſe *ſupra* ea, quorũ principium ſit externum & nõ ꝓprium hominis. Sic nunc dicimus. Quæ propria ſunt hominis & in ipſo poſita, eſſe ἑκούσια. Aſſumtio in qſtionẽ reuocari poſſet, ꝓpterea q ira & cupiditas cũ beluis ſint cõmunes, & ꝓinde hominis nõ propriæ. Verũ propriũ intelligimus h.l. non q ſoli homini, ſed omni cõueniat ex ſua natura. Atq; ita ira & cupiditas propria ſunt hominis. Nã anim⁹ hominis in 3. partes tribui

ſolet,

ſolet, rationem, iram, & cupiditatem. Vt igitur ratio eſt
minis & humana (quod confirmant & aduerſarij) ita & ira
cupiditas.

ἄτοπον δὴ τὸ.] Concluſio eſt totius diſputationis de ira
cupiditate. Abſurdum eſt igitur, facta ex his promanan
eſſe ἀκούσια, quod quidam exiſtimabant, teſte Ariſtotele *lib*
Eudem. cap. 8. *in fine*.

CAPVT II.

COMMENTARII.

Διωρισμένων δὲ τε.] Agit hoc capite & proximo de προαι-
ρέσει. Hoc autem in tres partes ſecari poteſt. Primum, cur e
plicari in his libris debeat de προαιρέσει. Deinde quid non
προαίρεσις. Poſtremo quid ſit. Cum autem valde labore
Interpretes, & varient in hoc verbo latine reddendo, nos b
uiter videamus, quemadmodum veteres expreſſerint. Poſ
riores, vt Iuriſconſulti, Tacitus, Suetonius & alij ſolent voc
re *Propoſitum*. Vocatur & à Iureconſultis *animi propoſitio*,
nimi iudicium, animi deſtinatio, l. fugitiuus. ff. de verboru
ſignificatione. leg. 76. in totum. ff. de diuerſis Regulis Iur
l. pupillus. 189. eodem titul. Priores & antiquiores, Plautu
Terentius, Cicero vocant *conſilium*, *iudicium*, & quia ma
mam cum eo affinitatem habet, *voluntatem*. Vocant & i
terdum *inſtitutum*. Nos, quia poſteriores non ſatis latine l
quentes imitandos facile non putamus: & antiquorum v
cabula ſint ambigua: vtemur vocabulo, quo tamen & ip
Cicero eſt vſus, & vocabimus *conſilium agendi*. Sic enim C
cero *in Lucullo*: *Huiuſmodi igitur viſis, conſilia capiet agen*
& non agendi. Et 3. *de oratore*: *nam aut ſcientia, aut c*
gnitio rei perquiritur, vt virtus ſuamne propter dignitatem,
propter fructus aliquos expetatur: aut agendi conſilium exqu
ritur, vt ſit ne ſapienti capienda Reſpublica: & *initio libri pr*
mi, de Finibus. Quis ſit finis, quod extremum, quod vltimun
quo ſint omnia bene viuendi recteq́ faciendi conſilia referend
Vtemur & *conſilij* verbo, vt antiquis vſitatiſſimo in hac no
tione; *Electionis*, (quo plærique hodie vtuntur) & *dele*
ctus vocabula, vt prorſus in hac notione barbara, aſperna
mur.

οἰκειότατον γὰρ εἶναι.] Duas affert rationes, cur his in libr

Digitized by Google

de conſilio ſit explicandum: quarum prior eſt, quia proæreſis virtuti maxime ſit cognata. Formula ſit iſta.

Quæ ad virtutem, eadem huc pertinent.
At προαίρεσις virtuti eſt coniunctiſſima.
Ergo huc pertinet.

Propoſitio eſt perſpicua. Aſſumptio ibi, οἰκειότατον, &c. & certe maxime cognatam virtuti eſſe προαίρεσιν docet quoque Pythagoricus Theages apud Stobæum λόγῳ α ex quo loco, vt & ex *capit. 4. ſupra libro ſecundo*, perſpicitur. Primum quid ſit προαίρεσιν virtuti eſſe cognatam. Deinde cur ſit maxime cognata. Nam cum ad virtutem tria maxime ſint neceſſaria: Ratio, facultas ſeu conſtantia & προαίρεσις: tum ex his tribus maxime virtutis propria eſt προαίρεσις: duabus namq; reliquis vti licet & alijs in rebus, puta in artibus etiam abſq; virtute: προαιρέσει non licet. Altera eſt ratio, quia de moribus iudicium poteſt capi & fieri magis ex proæreſi, quam de factis ipſis. Concluſio.

Quæ ad mores, eadem & huc pertinent.
προαιρέσει dijudicantur mores.
Ergo, &c.

Et hic propoſitio omiſſa eſt, vt certa. Aſſumptionis hæc eſt ſententia: De moribus & qualis quiſque ſit, probus an improbus, non tam ſpectari debet ex factis, quam ex animo, quo quæque facta gerentur. Nam alioquin ſi facta conſiderentur, ſæpe fieret, vt probus eſſet improbus, & contra. Fit enim ſæpenumero, vt vir probus praue quid faciat, vel caſu, vel quo alio impedimento: & contra vt improbus bene quid faciat. Multa quoque fiunt fortuito, natura & alijs modis, puta, neceſſitate & vi, tam bona quam mala. Ex quibus tamen nemo probus aut improbus dici iure debeat. Quare & Ariſteteles *libro ſecundo Eudem. capite vltimo. Itaque*, inquit, *ex προαιρέσει iudicamus, qualis quis ſit*: hoc eſt, quo animo & conſilio, cuiuſque rei cauſa fecerit, non vero quid fecerit. Verum huic rationi valde repugnat, quod eſt apud Ariſtotelem *libro ſecundo, capite vltimo, in fine, & 1. Magn. Moral. capite 20.* vbi ait, ſolere homines iudicare ex factis, non ex proæreſi. Et vulgo dicimus, ex fructibus cognoſcendam arborem. Sed ex ipſo Ariſtotele reſponderi poteſt, hæc non eſſe contraria: nam vulgo quidem ita fieri, vt ſpectentur homines ex factis pótius, quam ex animo. Propterea quod, inquit

inquit Ariſtoteles, animus & προαίρεσις cerni non poſſi
cta incurrant in oculos: veriſſime tamen qui dijudicare q
velit, non tam effectum, quam cauſam inſpicere debet.

ἡ προαίρεσις δή.] Hic iam exquirit, quid ſit προαίρεσι
primum quidem ſuo more, quid non ſit. [Ariſtotelicu
ſemper primum de negantibus agere.] Affert autem quin
ſponte factum, cupiditatem, iram, voluntatem & opinio
à quibus omnibus remouet προαίρεσιν, præterquam à pr
cum exceptione tamen quadam ſeu differentia. Sciendu
autem, omnium factorum principium eſſe ipſum homi
id eſt, animum hominis, qui animus in duas partes tribu
let, in rationem & appetitum. Sub ratione ſunt ſcientia
pinio. Appetitus tria ſunt genera, cupiditas, ira & volu
Iam quia communi ſenſu notum eſt omnibus, προαίρεσι
quoddam factorum principium: quæritur iam, quidna
ex ijs generibus modo commemoratis, hoc eſt, an ſit op
vel aliud quid ad rationem pertinens: an vero ſit appetitu
quis: an denique nihil omnino eorum ſit. Et concludit
ſtoteles: Et nihil eſſe, & vtrumque eſſe, nempe ratione
appetitum, id eſt, neque ſimplicem eſſe rationem, puta
monem, neque ſimplicem appetitum: ſed ex vtroq; con
ctum quiddam, id eſt, appetitum cum ratione.

ἡ προαίρεσις δὲ ἑκούσιον.] Ait προαίρεσιν videri idem
quod ſponte factum. Et certe maxima eſt inter hæc duo
nitas, atque adeo extremo capite concludet omnem προα
σιν eſſe ἑκούσιον, ſed non contrà. Eſt igitur προαίρεσις ἑκούσι
ſed tamen non eſt plane idem Nam latius patet ἑκούσιον: q
oſtendit duabus rationibus: primum, quia ἑκούσιον ſit in
mantibus quoque & pueris: προαίρεσις non item, id eſt, ſp
te quidem agunt animantes & pueri, ſed non conſilio: c
conſilium non eſt abſque rationis agitatione ſeu diſputatio
Ratione carent animantes, diſputatione pueri. Nam imp
potiu agunt, quam conſulto & deliberato. Altera ratio
ἐκ τῶν ἐξ αἰφνης, &c. quia quæ ſubito, fiunt quidem ſpo
ſed non conſulto. Quæ conſilio, omnia fiunt conſulto. C
cludi pote t hoc modo:

Quæ conſilio, fiunt deliberato.
At iſ ... æ multa non fiunt deliberato, vt ea quæ ſu
fiun. & quæ hic prætermiſit Ariſtoteles, expreſſ
magi. moralib. ſedere, ſurgere, bibere, edere.

E

Digitized by Google

Ergo ἑκούσιον non idem eſt, quod προαίρεσις.

οὐ γὰρ κοινὸν ἡ.] Quatuor rationibus oſtendit προαίρεσιν non eſſe aut cupiditatem, aut iram. Ex quibus tamen tres rationes, prima, ſecunda & quarta ad iram pertineant, aut referri poſſint. Prima eſt, quia cupiditas & ira ſunt in beluis quoque, conſilium non item.

καὶ ὁ ἀκρατής.] Altera ratio, quia incontinens cupiditate quidem agit, non vero conſilio: & contra continens. Concludatur hoc modo: Si conſilium idem eſſet quod cupiditas, efficeretur, vt qui vno agit, agat & altero. Ratio connexi eſt perſpicua. Atqui conſequens eſt falſum. Nam incontinens agit quidem cupiditate, non tamen conſilio, id eſt, abripitur cupiditatibus, ijs paret, eaſque ſequitur reiecta ratione & conſilio. Contra agit continens, qui cupiditates conſilio & ratione ſuperat, quod *infra libr 7. cap. 3.* explicabitur latius. Hæc quoque ratio in ira locum habet: etſi tacet Ariſtoteles: nam iratus certe prorſus non agit conſilio, vt paulo poſt explicabitur.

καὶ προαιρέσει μὲν.] Tertia ratio, quia cupiditati aduerſatur conſilium, non cupiditas. Concluſio ſit iſta:

Cupiditas non eſt contraria cupiditati.
At conſilium contrarium eſt cupiditati.
Ergo conſilium non eſt cupiditas.

Propoſitio, an cupiditas nulla alteri ſit contraria (quod hic dicere videtur Ariſtoteles) in controuerſiam reuocari poteſt, Nam cupiditas motus contraria eſt quieti. Prodigi ſæpe ſunt auari, vt *infra libro quarto.* At auarus habere cupit, alter profundere, perdere, quæ ſunt contraria. Ambitioſi ſæpe auari, inquit Cicero *initio offic.* At ambitioſus nullis parcit ſumptibus, auarus omnibus. Sic *in Andria* Pamphilus cum Glycerio ſua cupit eſſe, & tamen patri hoc nolenti idem cupit eſſe dicto audiens Auguſtus Imperator vt eſt apud Dionem, cupiebat dominatum, & contra abdicare imperio volebat. Sic Paulus Apoſtolus contrarios in ſe motus experiri ſe dicit apud Romanos Verum de his & ſimilibus exemplis, reſpondendũ eſt, non hoc dicere Ariſtotelem, nullas reperiri cupiditates, quæ inter ſe pugnent. ſed hoc eum velle, in eodem homine non concurrere cupiditates contrarias: fieri non poſſe, vt vnus idemque eodem tempore, edere, ali, dormi-

re cu-

re cupiat, & non cupiat: eundem eodem tempore oderit
met eadem de cauſa. Videndum quoq; eſſe, an non ſit ſim
ta cupiditas, qualis fuit in Auguſto. Deinde an etiam ſi
piditas, & non potius ratio aut conſilium: quando in P
& Pamphilo pugnarunt motus: recta ratio & cõſilium cũ
piditate: deinde an vere quoq; ſint contrariæ. Aſſumptio
tem, nempe conſilium aduerſari cupiditati, perſpicua e
priori cõcluſione, qua dictum eſt, cupiditatem cum ratior
conſilio in incontinente & continente confligere. Atq; ita
cipienda eſt, rectæ rationi & conſilio cupiditates aduer
Nam alioqui prauo cõſilio ſæpe non repugnat cupiditas,
eo, qui hic Tyrannidem conſtituerit occupare, & vna ſit
riſſimus, aut cædis cupidiſſimus.

καὶ ἡ μὲν ἐπιθυμία.] Quarta eſt ratio, quæ & in ira loc
habet, teſte ipſo Ariſtotele *lib. 2. Eudem. cap. 10.* nempe q
cupiditas ſit rerum iucundarum & moleſtarum: conſil
non item, id eſt, cupiditatis ſtratũ res ſunt iucundæ & mole
hoc ait cupiditas, vt res iucundas perſequamur, aſperner
contrarias, quod de beſtijs cernere licet (in quibus cupid
tem eſſe iam ſæpe dictum eſt) vt quæ nulla re alia commo
antur, q̃ voluptate & dolore. Quare & beluinam voluptat
ſupra dixit Ariſtoteles *li. 1. c. 4.* Conſilium autem non eſſe
rum rerum, ſed cerni potius in rebus bonis & malis, vtili
& inutilibus: etſi ex communi vita perſpicuum eſt: confirn
ri tamen poteſt ex eo quoque, quod hæ ſint res, quæ in d
berationem cadant. De voluptate non deliberatur, rapin
ad eam, vt & beſtiæ, in quibus nulla eſt deliberatio, quia n
la ratio. Atqui conſilium verſari in ijs rebus, de quibus deli
ratur, copioſe mox capite proximo explicabitur. Etſi aut
vtilia & honeſta ſæpe quoq; ſunt iucunda: tamen deliberar
nis caput de honeſto & vtili potius eſſe ſolet: de iucundo
conſequentias, vt loquuntur Iuriſconſulti.

ἡδέως καὶ ἐπιλύπως.] Ait Victorius in vno veteri Codice
ἐπίλυπος, id eſt, moleſta, & mox λυπηρὰ, quod & Lambi
in vno veteri Codice reperiſſe ſe ait. Ego, cum eadem ſit ſ
tentia, & phraſis vtraq; bona, & vſitata lectio pluribus in lib
reperiatur, nihil mutandum cenſeo.

θυμὸς δὲ ἔτι ἧττον.] Quia in quatuor prioribus rationib
ſemel duntaxat mentionem fecerit iræ (etſi nos initio dixim
primam, ſecundam & quartam rationes in ira quoque locu
hab

Digitized by Google

habere) ea re tandem hic adiungit etiam de ira, & ait: *Si*, inquit, *conſilium non eſt cupiditas, multo minus eſt ira.* Rationem adiungit, quod ea, quæ ab irato fiant, multo minus fiant conſulto & cogitato, quam quæ à cupido. Nam quæ conſulto, fiunt mora quadam & cunctatione. At iræ motus eſt celerrimus: nullamq; admittit moram aut deliberationem. Cupiditas non tam eſt repentina, & hac in re coniunctior eſt conſilio cupiditas, quã ira; contra tamen conſilio ira eſt affinior quam cupiditas hac in re: quod cum in conſilio ſit ratio: iratus rationem aliquam ſemper ſequatur, quia iniuriam accepiſſe ſibi videatur: cupidus nullam ſequatur rationem, ſed ſuam prorſus cupiditatem, vt præclare *infra* Ariſtot. *lib.7.cap.vlt.*

ἀλλὰ μὴν οὐδ᾽.] Quatuor docet rationibus conſilium non eſſe voluntatẽ; etſi non negat, hæc duo valde eſſe affinia. Nam & voluntas & conſilium (quod extremo capite perſpicuum fiet) vtrumq; eſt appetitio quædam cum ratione. Et hac re in communi vſu ſæpenumero voluntatem pro cõſilio ponimus.

προαίρεσις μὲν γὰρ.] Prima eſt ratio, (quæ & commemoratur *l.1.magn.moral.ca 18.& 2.Eudem.c.10.*) nempe, quia voluntas earum ſit rerum, quæ fieri nequeant, conſilium non item. Quod exemplo docet Ariſt. immortalitatis. *Volumus*, inquit, *& cupimus eſſe immortales, ſed ea de re deliberare* (quod eſt cõſilij) *cum ſciamus eam nos aſſequi non poſſe, ſtultum ſit. Volumus interdum volare, dominatum habere totius mundi*, inquit Ariſt. *Volumus interdũ alterius eſſe ſexus, diuerſis eſſe in locis vna hora, multa alia volumus abſurda: ſed de huiuſmodi rebus deliberat, niſi qui deſipiat, nemo.* Ratio autem, cur voluntas etiam ἀδυνάτων, conſilium non ſit, hæc eſſe poteſt, quod voluntas abſolute, & vt ita dicam, abſtracte bonum ſpectet: conſilium vero ad facta humana prorſus ſe referat, ſemper ſe accommodans ad ea, quæ vſui nobis eſſe poſſint.

οἷον ἀθανασίας.] Ex hoc quoq; loco perſpici poteſt, Ariſtotelem exiſtimaſſe, hominem prorſus interire: negat enim immortalitatem poſſe fieri, quod & *in Eudem libr.2.cap.9 & in magn.moral. lib.1.cap.18. in princ.* negat, qua de re diximus & *ſupra lib.1.cap.11.*

καὶ ἡ μὲν βούλησις ἐστι.] Altera ratio, quia etiam ad ea, quæ ab alijs gerantur, voluntas dirigatur: conſilium vero de ijs tantum quæ à nobis geri poſſint, aut ab alijs noſtro iuſſu. Propoſitio confirmatur exemplo hiſtrionum & Athletarum. Solent

namq; ſpectatores, vel ad theatrum, vel ad palæſtram, hu ſtrioni aut Athletæ magis fauere quam alteri: hunc re vincere, alterum non item: etſi ipſi non certent, non a aut luctentur, qua de re eſt pulcherrimus locus apud Plau *in Prologo Amphitryonis*, vbi Mercurius Prologo grauite cens, ne ſpectatores huic vel illi magis faueant: *Virtute*, in *vincere decet*. Et de palæſtræ ſtudijs extiterunt tandē Re quatuor illæ factiones, Ruſſa, Veneta, &c. de quibus apu lexandrum. Eodem modo hiſtorias legentes, alius, verbi tia fauet Pompeio, alius Cæſari, alius alij: multa igitur mus, quæ ad nos non pertineant. Aliud eſt in conſilio; qu nim ſtultius eſt, quàm deliberare de rebus ad ſe non perti tibus. Verbi gratia, de rebus, quas agat Rex Indiæ, ſed h te mox capite proximo.

ἔτι δ' ἡ μ.] Tertia ratio, quod voluntas magis ſe refera finem: conſilium vero in ijs verſetur rebus, quæ ad finem quendū valeant. Volumus, verbi gratia, ſanitatem, conſil .a. capimus, quibus rebus eam aſſequamur. Conſilium ig eſt de medicamētis, de ambulando, diæta. Hæ .a. tres ratio quia ex eodem fonte & loco manant, nempe à ſtrato, id eſt bus ijs, in quibus verſentur voluntas & conſilium: non inc mode in vnam rationem retrahi poſſunt, quia in diſſimili to verſentur voluntas & conſilium: ipſa quoq; ſint diſſim Formula.

Quæ diſſimili ſunt in ſtrato, non ſunt eadem.
At voluntas & conſilium ſunt in diſſimili ſtrato.
Ergo non ſunt eadem.

Propoſitio cum *ex Topicis* eſt nota, tum ex ijs, quæ *ſupra* 1. diximus, ſtrati maximam eſſe vim in diſtinguendis fac Aſſumptio confirmatur tribus exemplis. Nam voluntas etiam rerum, quæ fieri nequeant, quæ ab alijs gerantur, pſius finis ſeu extremi: conſilium autem contra, de ijs tant eſt rebus, quæ fieri poſſint, quæ à nobis ipſis gerantur, & q ad finem aſſequendum valeant.

προαιρούμεθα δ.] Quarta ratio à Phraſi ſeu genere loque di, recte, inquit, græce dicitur βουλόμεθα εὐδαιμονεῖν; at non cte προαιρούμεθα εὐδαιμονεῖν, hoc eſt, verbum βούλεσθαι, finib ſeu extremis recte attribuitur, προαιρεῖσθαι non item. Verum his verbis præter quartam rationem vulgo non obſeruata continetur & exemplum prioris tertiæ rationis, nempe q

cup

Digitized by Google

cupiamus beatitudinem, qui finis eſt vitæ, ſed de ea non deliberemus: verum de ijs potius, quæ ad eam aſſequendam proſint.

ὅλως γὰρ ἔοικεν.] Et his verbis duo continentur. Primum, ratio tertiæ rationis, cur conſilium non ſit in fine, quia finis nō eſt in noſtra poteſtate. Nam natura fere conſtituitur, atq; certus ac definitus eſſe ſolet: At conſilium eſt de rebus nondum definitis & certis: Eſt, inquam, generaliter de rebus ijs omnibus, quæ in noſtra ſint poteſtate, id eſt, quæ fieri aut prætermitti poſſint pro noſtro arbitratu. Continetur & communis quædam complexio & concluſio prioris omnis diſputationis, quaſi ita diceret Ariſtoteles, ſi conſilium non eſt rerum ἀδυνάτων, neq; earum, quæ ab alijs geruntur, neq; finis (propterea quod res omnes illæ non ſint in noſtra poteſtate) certe concludi etiam ὅλως & generaliter poteſt: Conſilium eſſe earum rerum, quæ noſtri ſunt arbitrij: quas res eleganti & præciſa phraſi ſemper vocant Græci τὰ ἐφ' ἡμῖν.

οὐδὲ δὴ δόξα.] Super eſt vltimū, a quo remoueatur προαίρεσις, opinio, q̃ & ipſa magnam cum προαιρέσει cognationem habere videtur, quia vtraq; fit cum ratione: deinde qui conſilio capto, quid conſtituit & ſuſcipiendum putat, videtur opinari & exiſtimare, hoc vel illud eſſe faciendum: Atq; latine, ſentētia, mens, animus idem interdum valent, ꝙ προαίρεσις, vt cum dicimus, ſpectandū potius eſſe, q̃ ſit huius vel illius ſententia, mens, animus, i. e. q̃ ſit προαίρεσις, q̃ factum ipſum. Et apud Græcos quæ προαιρέσει fiunt, dici quoq; ſolent fieri ἐκ προνοίας. Quomodo fere loqui ſolent oratores. Quæ omnia ad rationē ſeu animæ eam partē, in qua eſt ratio, & ad ipſam δόξαν pertinere vidētur.

οὐδὲ δὴ δόξα] Quaſi dicat, quia conſilium eſt earum rerum, quæ noſtri ſint arbitrij. Ergo neq; eſt opinio. Sic enim hæc verba ex prioribus apta eſſe, indicat vel ſola particula δή.

ἡ μὲν γὰρ δόξα.] Hic incipit oſtendere, cur conſilium non ſit opinio, quæ opinio, quia eſt bipartita, communis & ſingularis: primum oſtendit (quod eſt facillimum) conſilium non eſſe opinionem communem, duabus rationibus. Deinde non eſſe, ne quidē ſingularē, quinq; rationib⁹. Et de communi quidem, prima in his verbis cōtinetur, à ſtrato ſumpta: quia opinio eſt de rebus omnib. tam de rebus æternis, ijſq;, q̃ fieri nequeant, quā q̃ noſtri ſint arbitrij. Ergo conſiliū non eſt opinio. Propoſitio eſt veriſſ. nam videmus homines multa opinari de

 Deo, …

Deo, de aſtris, de mundo, de rebus conſimilibus, quas æternas eſſe putant Philoſophi: opinantur & abſurda multi, puta eſſe chymæras & infinitos mundos. Ratio autem, cur opinio etiam de his ſit rebus, quia ad partem animi cognoſcẽtem pertineat. Cognitio.a. & ratio vagatur, & verum quærit omnib in rebus, niſi quæ ſenſui pateant. Huc pertinet quod Ariſt. ait *in Magn. li.1. ca.18.* opinari nos etiam de ijs, quæ apud Indos geruntur: conſiliũ nõ capere, quia noſtri nõ ſint arbitrij. De aſſumptione iam dictum eſt, (h.e. cõſilium earum, quæ noſtri ſint arbitrij.)

ἢ τῷ ψεύδει.] Altera ratio, quia opinio vero & falſo inter ſe diuidi & ſeparari ſoleat: conſilium vero bono & malo diſtinguatur. Nam de opinione quæri non ſolet, an ſit proba, an improba, ſed vera ne potius, an falſa. Cuius rei hæc eſt ratio, quia opinio ad θεωρίαν pertineat, vbi propoſita eſt veritas. Conſiliũ vero non ſolet dici falſum aut verum, ſed bonum, honeſtum, turpe, prauum, &c. quia ad appetitum pertineat & πρᾶξιν, quibus propoſitum eſt bonum. Quod autem interdum opiniones quædam dicantur bonæ aut malæ, id fit καταχρηστικῶς, & ratione vtilitatis, quæ ex ijs ad noſtram vitam manat.

ὅλως μὲν οὖν.] Duabus rationibus iam oſtendit, conſilium nõ eſſe opinionem communem: ſed hoc, inquit, fortaſſe nemo negauerit. Verum difficilius eſt docere, ne quidẽ ſingularem & certam eſſe opinionem. Verbi gratia, quæ in rebus certis duntaxat cernatur, vt conſilium, nempe in ijs, quæ noſtri ſint arbitrij. Reſpondet Ariſtoteles ne quidem huiuſmodi opinionem eſſe conſilium, quod, vt dixi, docet quinq; rationibus.

τῷ γὰρ προαιρεῖσθαι.] Prima ratio, quia ex eo, quod conſilio conſilia ſuſcipimus bona aut mala, perſpicitur nos eſſe cuiuſdammodi, ſeu qualitate aliqua affectos: ex opinione non item, id eſt, ex eo quod quis opinatur bonum aliquid eſſe, iuſtum, aut contra: non propterea ſequitur, ipſum quoq; eſſe bonum aut malum. At in conſilio, contra eſt: nam qui conſilio capto boni aut mali quid ſuſcipiunt, boni quoq; aut mali dici ſolent. Diſſimilitudinis ratio eſt, quod conſilium ad actionem, opinio ad contemplationem pertineat. At notum eſt, viros bonos & iuſtos vt redduntur iuſti, iuſte agendo, & iuſte ipſi quoq; agunt, ac deliberant ea, quæ ſunt iuſta: ita opinando & ſola cognitione ſtatim viri boni non fiunt, neq; iuſta faciunt, vt *ſupra* eſt explicatum *li.2.* & certe videre eſt, ſæpe qui iuſtum quid opinione teneant: tamen conſilio non perſequi: quod

in

in incontinente perſpicuum eſt, qui rectum quidem opinatur, ſed cupiditatibus ab eo diſtrahitur.

καὶ προαιρούμεθα μ.] Secunda ratio,quia conſilij eſt expetere & perſequi aut aſpernari aliquid: At opinionis munera ſunt exquirere, quid ſit hoc aut illud, id eſt, quæ vis & natura, cui rei ſit vtile,quomodo & quatenus eo ſit vtendum,verbi gratia, quid ſit virtus, quid panis, an dulcia noceant ſtomacho, an moderata poſt cœnam deambulatio non ſit inutilis.

ἤ τι τῶν τοιούτων.] Id eſt,emere,dare aliquid,pugnare, agere in genere aliquid,quod ad virtutem pertineat.

καὶ ἡ μὲν προαίρεσις.] Tertia ratio:

Laus & virtus conſilij in eo eſt poſita,quod ſit rectum,& tale quale oporteat.

At laus & virtus opinionis in eo eſt, quod ſit vera. Laus conſilij eſt,rectum eſſe: opinionis verum.

Ergo non ſunt eadem.

Ea namq; laudamus, vt bono conſilio ſuſcepta, quæ recte & vt oportet, ſint ſuſcepta: At opinio laudatur à veritate. Ratio differentiæ, quia opinio ad θεωρίαν, cui propoſita eſt veritas: conſilium ad facta pertineat,de quibus non quæritur, an ſint vera, an falſa, ſed praua ſint, an recta.

οὐ δεῖ μᾶλλον ἢ ὀρθῶς.] Particula μᾶλλον elegantiæ cauſa ſæpe interponitur,& nihil valet. Itaq; hæc duo οὐ δεῖ ὀρθῶς prorſus idem valent: nam perperam quidam hæc vt diſſimilia exiſtimant,quaſi conſilium ſit quidem de rebus, quas oporteat ſuſcipere & facere, ſed nō laudetur à recto, quod eſt falſiſſimum.

καὶ προαιρούμεθα.] Quarta ratio,conſilium capimus de rebus ijs, quas certo ſcimus, quaſq; certo exploratas habemus: opinamur autem de rebus plærumq; incertis. In cōſilio eſt maior certitudo,quam in opinione. Ergo non ſunt eadem. Nam opinionem eſſe infirmam quandam & incertam de rebus non ſatis cognitis aſſenſionem,certum eſt. Conſilium vero qui capiat de rebus incertis & nō ſatis exploratis an ſint, an fieri poſſint, an in ſua ſint poteſtate,&c. præter ſtultum eſt nemo.

δοκοῦσί τε οὐχ'.] Quinta ratio,quia multi opinione quid ſit, melius ſciunt quidem,at conſilio deterius ſequuntur. Formula: ſi cōſilium idem eſſet quod opinio, oporteret omnes,quod bonum exiſtimarint, id etiam ſequi: At falſum eſt cōſequens. Nam multos videre eſt, qui id, quod verius & melius ſit, videant,& opinentur hoc vel illud rectius, hoc vel illud deterius:

ſequantur tamen non rectius, ſed, vt dixi, deterius, vel cupiditatibus abrepti, vel animi vitio & deprauatione, vt illa Medeæ: *Video meliora, proboq́;, deteriora ſequor.* Si falſum ſecundum. Ergo & primum. Connexionis ratio non eget confirmatione.

εἰ δὲ προγίνεται.] Exiſtere poterat quæſtio, an opinio prior ſit conſilio, an contra, id eſt, an prius quid opinemur, eſſe quid rectum aut bonum: deinde conſilio id ſequamur, aut conſilium de eo capiamus. Verum hæc quæſtio non eſt huius loci, propterea quod non hoc agatur, vtrum altera ſit prius aut poſterius, ſed, an ſint eadem. Breuiter tamen hæc quæſtio hoc modo diſſoluenda videtur, opinionem plærumq; prægredi quidē, ſequi conſilium: eo quod opinio ad cognitionem, conſilium pertineat ad appetitionem, quæ ab illa nempe cognitione excitari conſueuit: Atqui de rebus prorſus non cognitis, neq; in opinionem tum reuocatis, nemo conſultat aut cōſilium capit. Fit tamen interdum, vt conſilio poſterior ſit opinio, idq; in ijs potiſſimum qui non, prout iudicant, amant, ſed, prout amant, iudicant, qui inquam, propter amicum, opinionem mutant, & plus amico quam veritati tribuunt.

τί οὖν ἢ ποιόν τι.] Hic tertiam huius cap. partem conſtituendā putauimus. Nam explicato iam, quid non ſit conſilium, & remotis, quæ magnam affinitatē cum eo habere viderentur, maxime ſponte facto, voluntate & opinione: hic demum, quid ſit, exponit. Ait igitur, conſilium eſſe quidem ἑκούσιον ſeu quiddā ſponte factum, non tamen omne ἑκούσιον eſſe conſilium. Sponte factum igitur erit genus, conſilium ſpecies. Differentia autem quia conſtringatur à genere, ponitur ab Ariſtotele προβεβουλευμένον, id eſt, quiddā voluntarium ſit, cum antegreſſa deliberatione. Conſilium igitur eſt ἑκούσιον προβεβουλευμένον, id eſt, voluntarium quiddam cum antegreſſa deliberatione. Eſſe voluntarium quiddam perſpicuum eſt: eſſe προβεβουλευμένον, h. e. conſilio neceſſario antecedere conſultationem quandam. cōfirmat duobus ſignis ſeu rationibus. Primum, quia conſilium ſit cum ratione & diſputatione qualis eſt & conſultatio: deinde à notatione verbi græci; nam προαιρεῖσθαι quaſi πρὸ ἑτέρων αἱρεῖσθαι. Neceſſe eſt igitur, vt deliberatio anteceſſerit, & ex ea perſpiciatur, quid pro altero ſit eligendum. Hæc autem definitio conſilij non ita accipi debet, quaſi ἑκούσιον verum ſit genus conſilij, cum ſit communis potius quædam affectio. Nam *infra* genus conſilij conſtituitur appetitio, qua de re ibi, &c.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

COMMENTARII.

QVIA dictum eſt, conſilium eſſe cum antegreſſa delibera-tione: explicat hoc loco, quæ res in deliberationem cadant, de quibus deliberetur: nam & eadem ratione perſpicietur, quibus de rebus conſilium capiatur. Idem explicat Ariſtoteles *1. Rhetoricæ initio*, ſed breuius, vbi tria rerum facit genera, neceſſariarũ, quæ fieri nequeant, & quæ nunc hoc, nunc illo modo fiant. Quod poſtremum genus facit tripartitum: Naturæ, vt ſenem caneſcere: fortunæ, vt inuenire theſaurum: & quarum principium ex mente humana pendeat, vt ſunt facta omnia, de quibus ſolis deliberari ait, de reliquis non item. Hoc autem loco accuratior eſt explicatio. Et primum quidem hoc monet, nos non loqui de ijs rebus, de quibus deliberent interdum ſtulti, vt ſi quis deliberet, quando in cœlum volare poſſit: ſed de ijs nos rebus agere, de quib. deliberent ſapientes. Diſtinctionem .a. harum rerum facit à cauſa efficiente: quæ cum ſit quadripartita; neceſſitas, natura, fortuna, & mens humana: fit vt quatuor quoq; ſint generum res, de quibus diſputari poſſit, an in deliberationem cadant. Quatuor igitur rerum genera, quatuor cauſis hiſcè diſtincta, ſunt hæc: Sempiternæ, quarum cauſa dici poteſt neceſſitas, non quidem ea, quæ ſit cum vi, (nam apud Philoſophos duo ſunt neceſſitatis genera, Ariſt. *in Metaphyſ. li. 2. ca. vl.*) ſed ea, q̃ prouidentia diuina dici poſſit. Vt cum dicimus ignẽ neceſſario vrere: quæ tamẽ cauſa ad alias quoq; res, nempe naturales accommodari poteſt. In his rebus ponit Ariſt. mundum, ponit & theoremata Geometrica, vt in quibus & ipſa ſit quædam concluſionum neceſſitas. Ariſtot. *in Metph. li. 4. cap. de Neceſſario.* Nemo igitur de mundo deliberat, neq; quoq; conſultat de propoſitionibus mathematicis, vtpote æternis & neceſſarijs, puta, an dimetiens ſeu Diameter lateri quadrati poſſit eſſe comparabilis aut ſymmetra, quod eſt ἀδύνατον. Euclides *lib 10. Element. theoremat. vlt.* Sic autem hic locus verti & intelligi debet: De Diametro & & coſta ſeu latere (nempe quadrati) non eſſe comparabilia, ſeu eſſe ἀσύμμετρα. Nam τὸ ὅτι non hic eſt αἰτιατικὸν; nam cauſam ſignificat, vt putat Lambinus, ſeu ἐξηγητικὸν ſeu δει-κτικὸν.

ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν.] Alterum rerum genus, quæ in motu

poſitæ ſint; quæ quidem ſunt bipartitæ. Nam vel eodem modo ſemper ſe habent, vel variant. Prioris generis ſunt, motus ſyderum, ortus & occaſus, ſolſtitia & brumæ, ver, æſtas. Alterius generis ſunt pluuiæ, tonitrua, ſiccitates, cani in ſene: quæ quidem plærumq; ita accidunt, ſed non rata & eadem ratione. Prioris autem generis cauſas affert Ariſtoteles, neceſſitatem, naturam, aut aliam aliquam, puta motores Dæmones ſeu genios, qui commoueant orbes cœleſtes. Neceſſitas autem, vt priore loco, item hic eſt accipienda.

οὐδὲ περὶ τῶν ἀπὸ τύχης.] Tertium rerum genus fortuitarum, vt theſauri inuentio, de quo ſtultum ſit deliberare.

ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν ἀνθρω.] Quartum rerum genus, quæ & ipſæ non cadunt omnes in deliberationem. Primum ſi per nos effici non poſſunt, vt quæ ab Indis aut Scythis gerantur. Deinde ſi res hæ, quæ ab hominibus fiunt, ita ſint certæ, vt nullam diſputationem admittant: qualia ſunt præcepta artium exquiſitarum. Qua de re mox.

οὐ γὰρ γένοιτ' ἄν.] Obſeruatione digna eſt hæc ratio, quia, inquit, nulla harum rerum per nos effici poſſit. Nam hæc vera eſt ratio, cur priora omnia rerum genera in deliberationem non cadant.

καὶ πᾶν τὸ δι' ἀνθρώπου.] Id eſt, omne quod per hominem ſcil. agit. πᾶν τὸ ſcil. πρακτέον, non vero πραττόμενον. Ait, inquã, nempe ſenſus & opinio, id eſt, factorum & rerum in deliberationem cadentium cauſa eſt mens, ſenſus & opinio.

καὶ περὶ μὲν τὰς ἀκριβεῖς.] Explicatis rerum generibus, adjungit de artibus, quænam in deliberationem cadant. Sciendum eſt autem, duo eſſe ſcientiarum genera, quas Græci vocant partim ἀκριβεῖς ſeu αὐτάρκεις: partim στοχαστικάς. Cicero vocat exquiſitas & opinabiles ſeu coniecturales *l. 1. de Diuinat.* Prioris generis ſunt, Geometria, Phyſica, Grammatica, &c. & Theologia, quæ eſt ἀκριβεστάτη, teſte Ariſtot. *initio Metaphyſices.* στοχαστικαὶ ſunt Politica, Medicina, Dialectica, Rhetorica, ars gubernandi, & opificum artes, vt eſt apud Alexandrum *in primum Topic.* Nunc ait Ariſtoteles, has in deliberationem cadere, illas nõ item; propterea ꝙ deliberetur de rebus incertis. Notum eſt autem opinabiles eſſe incertas, exquiſitas eſſe certas artes. Adiungit & Ariſtoteles ex ipſis opinabilibus alias alijs magis in deliberationem cadere, nempe quo ſunt incertiores, vt Medicina, aut gubernandi arte certior eſt gymna-

ſtica:

Digitized by Google

ſtica: certioribus nititur præceptis: eaque re minus obnoxia eſt deliberationi.

οἷον περὶ γραμμάτων.] Exemplum eſt de Grammatica, quam diximus exquiſitam ſcientiam. Putat D. Schegkius, γράμματα hic valere διαγράμματα, id eſt, deſcriptiones, & eſſe exemplum Geometriæ perperam. Nam & Ariſtoteles aperte *libro 1. Magnorum Moralium, capite 8.* de hac ipſa re agens, ait; *nemo deliberat, quemadmodum ſit ſcribendum nomen Achillis.* Deinde nomen γράμματος, pro διαγράμματος nuſquam reperitur.

μᾶλλον δὲ καὶ περὶ τὰς.] Hic diſtinctius Ariſtoteles cernit ſcientias: notum eſt enim, ſcientiæ vocabulum proprie pertinere ad eas, quæ ſunt exquiſitiſſimæ: artis vero ad incertiores & opinabiles: atque adeo ad ipſas opificum artes. Iam igitur ait, retenta hac ſubtili vocabulorum diſtinctione, magis in deliberationem cadere artes, quam ſcientias, quia plures dubitationes in illis, quam in his oriantur.

τὸ βουλεύεσθαι δὲ.] Ait, deliberationem fieri de rebus, quæ plærunque accidant, & quarum exitus ſit incertus & indefinitus. Summa igitur ſit hæc: In deliberationem non cadere res ſempiternas, res quæ in motu, ſiue eodem modo ſemper, ſiue non moueantur, res fortuitas, res denique humanas, quæ per nos effici non poſſunt. Scientias autem exquiſitas, & ex opinabilibus aliam alia magis. Contra, in deliberationem cadere res, quæ per nos effici poſſint, quarum in nobis poſitum ſit principium, opinabiles ſcientias & artes, res denique, quæ plærumq; accidant, quarum euentus ſit incertus.

συμβούλους δὲ παραλαμ.] Hoc ait his verbis Ariſtoteles, vt confirmet, quod modo dixerat, deliberationem eſſe de rebus incertis, & quarum definitus non ſit euentus. Cui argumento ſit, inquit, quod ob incertitudinem, de qua nos perſpiciunda, eoque quod melius ſit, internoſcendo nobis ipſis diffidimus, quaſi non ſatis idonei ſimus ſoli: alios quoque adhibere ſoleamus, maxime in rebus magnis.

βουλόμεθα δ᾽, οὐ.] Explicare hoc loco incipit, deliberationes nullas eſſe de fine, ſed de rebus & adiumentis ad finem aſſequendum idoneis, finem certum poni: in eo autem aſſequendo, omnem conſultandi laborem eſſe poſitum. Itaque poteſt hoc loco, velut ſecunda pars huius capitis conſtitui. Nam & Ariſtoteles extremo capite, velut enumerãs breuiter, quæ toto

capite ſunt explicata, duo duntaxat affert; Prius, quibus in rebus: deinde, quod in rebus ad finem ferentibus & adiuuantib. verſetur προαιρέσεις: & in hac ipſa re explicanda, fere, quod reliquum eſt capitis, conſumitur. Ex hac quoq; explicatione ratio & forma quoq; deliberationũ perſpicietur. Inductione autem confirmat, rem propoſitā deliberari non de fine, ſed adiumentis: *Nā hoc*, inquit, *faciũt Medicus, Orator, Politicus, alii omnes.*

εἰ εὐνομίαν.] Quod hoc loco dicit Ariſtoteles, finem Politico propoſitum eſſe εὐνομίαν. Et confirmat quoque *libro primo Eudem. capite 5.* in controuerſiam reuocari poteſt, cum ſæpe iam dictum ſit, Politicæ finem eſſe beatitudinem, non vero εὐνομίαν, hoc eſt, veram & rectam legum iuriſq; deſcriptionem, vt Cicero loquitur *in Offic.* Reſponderi poteſt, Politicam varie accipi: & hoc loco intelligendam eam, quæ in Reipubl. deſcriptione & adminiſtratione ſit poſita. Communiori autem Politicæ finis propoſitus eſt beatitudo.

καὶ διὰ πλειόνων.] Affert hic rationem & modum, quo vti debeamus in deliberatione de adiumentis, & rebus ad finem aſſequendum pertinentibus. Et hunc eſſe dixi modum ſeu formam deliberationum. Monet igitur Ariſt. ita agi ſolere, vt conſtituto primum fine, ſpectetur deinde, quibus rationibus eum aſſequamur: quod ipſum pulcherrime monet *in Polit.* nempe in omni conſilio & re ſuſcipienda duo ſemper eſſe ſpectanda, finem & adiumenta. De adiumentis autem ita eſſe agendum, vt videatur, an plura ſint, an vnum duntaxat. Si plura, vt ea diligantur, quæ ſunt faciliora, & ad rem perficiendam opportuniora. Si vnum, qua ratione hoc vno res perfici poſſit. Deinde progredientes videre nos oportere, hoc ipſum vnum vnde pendeat, & qua alia re illud ipſum obtineri poſſit. Quod ſecundum iam aſſecuti, rurſus ad tertium, & reliqua deinceps progrediendum: donec ad primam totius cōſilii cauſam peruentũ ſit, hoc eſt, ad primum adiumentum, ex quo reliqua fini propinquiora pendeant. Hoc autem primum, vt inuentione eſt vltimum, ita in agendo eſt primum. Verbi gratia: de pluribus adiumentis, vt ſi belli gerendi cauſa deliberetur, an equitatu, an peditatu ſit agendum: copiis terreſtribus, an naualibus, vt de oppugnanda vrbe ſi deliberetur, an ſcalis, an corona ſit oppugnanda, vel, an cuniculis, an vero tormentis. Sic medicus deliberat, an medicamentis, an vero ſectionibus & vſtionibus curādus ſit ægrotus. De vno eiuſq; progreſſu exempla ſint iſta,

vt

Digitized by Google

vt conſtituto equitatu conficiendum bellum: poſtea quæritur, quomodo is paretur: deinde cognito, eum pecunia cōparari, agitur de ea inuenienda. Cuius cauſa reperiendæ complures ſint modi, deligitur, verbi gratia, tributi indictio. Itaque in deliberando primum quidem ponitur victoria: deinde adiumentum equitatus, poſtea pecunia: poſtremo tributum, à quo actio tota eſt inſtituenda. Sic in domo ædificanda ponitur primū finis, qui eſt, vt nos arceat ab iniuriis cœli: adiumentū huius rei poſtea cognoſcitur eſſe tectum: quod vt perficiatur, collocandi ſunt parietes & fundamenta. Ad hæc omnia neceſſarii ſunt fabri, lapides, materia; quæ cum pecunia quoque parentur: hæc primum erit reperienda. Sic Romani pacem facturi, primum de mittendis legatis deliberant; deinde ad hos deligendos vident cogendum eſſe Senatum. Itaq; in his tribus, pacis confectione, legatorum miſſione & creatione: & Senatu cogendo, vertitur totus deliberationis huius contextus.

ὁ γὰρ βουλευόμενος.] Dixerat Ariſtotel. in conſultantibus ſeu deliberantib. eſſe quandam *εὕρεσιν*. Iam igitur hoc confirmat, ne quis miretur, eum dicere, in cōſiliis capiendis reperiri quandam inuentionem. Nam, inquit, qui deliberant, quærunt: & deliberatio eſt quæſtio: at vbi eſt quæſtio, ibi & inuentio: ſunt enim collata, & inter ſe comparata. Eſſe autē deliberationem quæſtionem, *infr.* quoq; *li.6.* confirmat, vbi de *ἀγχινοίᾳ* agitur: omnis quidē, inquit, cōſultatio eſt quæſtio: ſed nō cōtra: multæ namq; ſunt quæſtiones, quæ tamē nō ſint deliberationes, & de quib. non deliberetur: quales ſint Mathematicæ, & omnes illę, earumq; rerū, quas in deliberationē non cadere *ſup.* oſtēdimus.

ἀναλύειν.] Quia eſt ratio quædam & via explicandarum artium, quæ Græce *ἀνάλυσις*, vulgo fere reſolutio: ab elegantioribus diſſolutio & partitio dicitur: eaq; nihil ſit aliud, quā continuata earum ex cauſis, quoad eo perueniatur, donec ad primas eius rei, de qua agitur, cauſas & principia peruentum ſit, ſeries & nexus, & in conſilio capiēdo ſeu deliberationib. eundem progreſſum & nexū eſſe *ſup.* oſtendimus: ea re h. l. Ariſt. hunc deliberatiuum, vt ita dicam, nexum & progreſſum, *ἀνάλυσιν* quoq; recte vocat: quo vocabulo alioqui proprie ſolent Geometræ vti in retexendis ſuis diagrammatis ſeu deſcriptionibus. Huius autē *ἀναλύσεως* præter cætera hoc quoq; eſt proprium, vt quod in ipſa ſit extremum: id in *συνθέσει* ſeu constructione ſit primum, vt notum eſt. Sic eadē ratione in deliberationibus,

quod

quod deliberando reperitur vltimo, id in agendo eſt primum. Et hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, καὶ τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει, id eſt, quod in ἀναλύσει eſt vltimum, id in γενέσει, id eſt, in rebus conſtruendis, ſeu in rerum ortu, atque etiam in rebus agendis eſt primum: quare elegantiſſime Ariſtoteles *lib. 2. Eudem. cap. vlt.* τῆς μὲν οὖν νοήσεως ἀρχὴ, τὸ τέλος: τῆς δὲ πράξεως, ἡ τῆς νοήσεως τελευτὴ, id eſt, *Rationis igitur, ſeu deliberationis, & diſputationis principium eſt id, quod finis: actionis autem principium eſt deliberationis finis*: quorum hæc eſt ſententia: Deliberationis principium eſt id, quod finis, hoc eſt, à fine inſtituitur deliberatio. Actionis autem principium eſt finis deliberationis, id eſt, poſtquam deſiit quis deliberare, tum incipit actio.

κἂν μὲν ἀδυνάτῳ.] Oſtendit verum eſſe, quod dixerat, finita deliberatione, incipere actionem: niſi ſit aliquid, quod eam impediat: Verbi gratia: quod effici non poſſit: quæ autem ſint δυνατὰ, quæ ἀδύνατα, breuiter hoc loco definit. Et ea quidem eſſe δυνατὰ, quæ noſtri ſint arbitrii, quæque per nos effici poſſint: aut etiam quæ per amicos: propterea, quod principium, inquit, in nobis ſit poſitum, id eſt, amici hoc faciant noſtri reſpectu, voluntate aut iuſſu. Iam notum eſt Iuriſconſultorum dictum: *Quod quis per alium facit, ipſum videri facere.* Particula autem γὰρ, ibi, τὰ γὰρ διὰ, valet id, quod δέ.

ζητεῖται δ᾽ ὁτὲ.] Affert hic alteram adiumentorum diſtinctionem: prior erat, adiumenta vel eſſe multa, vel vnum: hæc eſt vel deliberari de adiumentis ipſis reperiendis, vel repertis quemadmodum ſit vtendum: & hoc ſibi vult verbum χρεία, quod mox ait πῶς, ἢ διὰ τίνος. Quæri igitur ſolent non adiumenta tantum, ſed modi & ratio iis vtendi, vt, cognito, medicamentis curandum eſſe ægrotum, deliberat tamen medicus, quantum, qua hora ſit præbendum. Sic Imperator cognito, bellum gerendum copiis naualibus, deliberat, an ducendum bellum, an prælio decertandum, an infeſtandæ oræ.

ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς.] Thomas per τὰ λοιπὰ artes accipit: *Idem eſt*, inquit, *in reliquis artibus*: cum tamen Ariſtoteles nullius artis ante mentionem fecerit. Itaq; puto, hoc verbum λοιποῖς poſitum ratione illius verbi ὄργανα: quaſi dicat Ariſtoteles, quod diximus inquirenda eſſe organa, & iis vtendi modum: idem in aliis quoq; rebus, etiam in quibus nulla propriè ſint organa, locum habet, vt exquiratur Quare, deinde Quomodo ſit agendum, vt modo dixi de Imperatore.

διὰ τί-

Digitized by Google

διά τινος.] Supple τρόπου, vt recte Scholiaſtes Græcus, id eſt, quomodo. Idem namque valet πῶς, & διά τινος.

ἔοικε δὴ, καθάπερ.] Paulo obſcurior eſt hic locus, nos omiſſa commemoratione, quid Thomas, Acciaiolus & alii exiſtimēt, horum verborum, & loci ſententiam ſcopumq; hunc eſſe exiſtimamus. Dictum eſt aliquoties, in explicandis adiumentis videndum eſſe, quæ magis ſint idonea rei gerendæ, quæ δυνατὰ & in nobis poſita, & id genus alia. Ex his igitur elicit Ariſtoteles hæc tria: Primum, hominem eſſe principium, & cauſas actionum, nempe mentem eius, rationem & animum, quod *ſupradictum* eſt, ibi, ἔτι δὲ νοῦς, &c. & *infra* iterabitur *lib, 6. cap. 2.* Deinde deliberationes earum eſſe rerum, quæ per nos effici poſſint, quod ipſum iam ſæpe dictum eſt. Poſtremo facta & actiones aliorum fieri cauſa, nempe finium, id eſt, facta omnia & actiones ad finem aſſequendum referri. Nam ex iis, quæ hactenus explicata ſunt de adiumentis, perſpicuum fit, ea omnia contendere ad finem aſſequendum.

οὐκ ἂν οὖν εἴη.] Concluditur tandem diſputatio de fine & adiumentis. Ex his igitur, inquit, perſpicuum eſt, deliberationes non inſtitui de fine, ſed de his, quæ ad finem.

οὐδὲ δὴ τὰ καθ'.] Quaſi ἐπίμετρον & corollarium prioribus adiungit Ariſtoteles, de rebus, quæ oculis cernantur, eas quoque non cadere in deliberationem. Nam poſtquam concluſit de fine & adiumentis (neque vero, inquit, de rebus ſub ſenſum cadentibus deliberari ſolet: ſic enim hæc prioribus annectenda ſunt) affert exempla Ariſtoteles, & duas rationes, quarum prior hæc eſt, quia ſenſu ea cognoſcantur & diiudicentur. At deliberatio eſt cum ratione & animi agitatione. Altera ratio ibi, εἰ δ' ἀεὶ, quia alioqui efficeretur, vt vana & irrita eſſet omnis deliberatio. Nam ſi etiam ſenſibus fides non habetur, & omnia in diſputationem reuocantur: ad exitum perduci deliberatio non poterit, eritque infinita. Si infinita. Ergo vana & irrita. Semper namque deliberabitur, nihil vero geretur, cum tamen deliberatio rei gerendæ cauſa inſtituatur. Formula ſit iſta:

Si de iis, quæ ſub ſenſum cadunt, erit deliberatio: certe vana erit & irrita.

Conſequens perſpicue eſt falſum, nempe omnes deliberationes eſſe vanas.

Ergo & Antecedens.

βουλευτὸν δὲ καὶ προαιρετόν.] Quæ adhuc de deliberatione ſunt expli-

explicata, hoc tandem loco ad conſilium (qui eſt ſcopus totius loci) accommodat, itaque ita definitionem conſilii elicit. Quare vt res ſit planior, ſit hæc velut tertia huius capitis pars, hunc autem in modum accommodanda: Quod ſub deliberationem cadit, idem etiam ſub conſilium, quod eſt βουλευτὸν, idem & προαιρετόν. Quæ autem ſint βουλευτὰ, quæ non, è ſuperioribus perſpicuum eſt. Itaque eadem quoq; erunt προαιρετά. Clarum eſt igitur, προαίρεσιν ſeu conſilium, eſſe earum rerum, quæ has quinque conditiones habeant: quæ fieri à nobis poſſint: quæ ſæpius accidant: quæ ſint incertæ: quæ ad finem ferant: quæ denique ſub ſenſum non cadant.

πλὴν ἀφωρισμένον.] Dictum eſt, quod ſub deliberationem, idem quoque ſub conſilium cadere. Ne quis autem hinc exiſtimet, idem prorſus eſſe προαιρετὸν, quod βουλευτόν: adiungit hoc loco differentiam, nempe προαιρετὸν eſſe ἀφωρισμένον, βουλευτὸν non item, id eſt, quod conſilii eſt, eſſe iam iudicatum & deciſum: quod conſultationis, nondum eſſe deciſum & definitum, ſed eius conditionis, vt de eo iudicari poſſit, verbi grat. de bello gerendo, dum adhuc deliberatur, eſt βουλευτόν: decretum iam vt geratur, eſt προαιρετόν. Nam in ſumma, quod ex deliberatione fuerit ſtatutum, id demum vere eſt προαιρετὸν, quod duobus argumentis & ſignis confirmat Ariſtoteles.

παύεται γὰρ ἕκαστος.] Prius argumentum, quia tum demum quiſque deſinit deliberare, ſeu amplius quærere, quid, quando ſit agendum, poſtquam eo rem perduxerit, vt ex ipſo deliberante iam pendeat, & ad actionis principium, quod eſt in conſultante, peruenerit, ſiue, vt loquitur Ariſtoteles, ὅταν εἰς αὑτὸν ἀναγάγῃ, id eſt, *cum in ſe, & ad ſuam vſq; poteſtatem agendi principium deduxerit.*

καὶ αὐτοῦ εἰς τὸ.] Quod idem valet, id eſt, cum ad id, quod in ipſo conſultante principatum obtineat, id eſt, mentem, rem, de qua deliberatur, perduxerit, quod ipſum, nempe mens eſt τὸ προαιρούμενον, eſt id, quod conſilio quid ſuſcipit. Sic autem hæc verba accipienda eſſe, cum ex totius loci contextu, tum perſpicuum eſt ex duobus locis apud Ariſtotelem *lib. 2. Eudem. cap. penultim.* βουλευόμεθα δὲ παντὸς, &c. & poſtea; ὅτι ἐκεῖ συγ. &c. atque ita recte quoq; cæteri Intetpretes, & Græcus τὸ ἡγούμενον, inquit, id eſt, νοῦς ὀρεκτικὸς, & D. Schegkius, τὸ ἡγούμενον, inquit, id eſt, auctoritas & maieſtas conſultantis. Argumentum igitur prius differentiæ inter προαιρετὸν & βουλευτὸν, nempe, cur alterum

Digitized by Google

alterum ſit iam definitum, hoc non ſit, eſt iſtud, quia βούλευσις & conſultatio deſinit, & proinde βουλευτὸν iam non amplius erit, poſtquam eo eſt peruentum, vt res ea iam ſit in ipſo deliberante poſita, nihilque aliud ſpectetur aut ſuperſit, quam vt agendi fiat initium. Quod initium cum ſit προαίρεσις: certe verum eſt, προαιρετὸν id eſſe, quod iam eſt ſtatutum, βουλευτὸν non item. Verum autem eſſe argumentum, nempe βουλευτὸν tum deſinere, cum ad agendi principium fuerit deuentum: deinde προαίρεσιν eſſe agendi principium: prius quidem perſpicuum eſt ex eo, quod deliberari non ſoleat, niſi de rebus incertis, & nondum diiudicatis: alterum vero iam ſæpe eſt explicatum, προαίρεσιν eſſe cum ratione, & eſſe rationis appetitionem, ex qua facta omnia manant.

δῆλον τὸ τοῦτο.] Alterum argumentum & ſignum ſumpſit ex generibus Rerumpublicarum, ſeu potius ex earum inſtituto & more; Veterum, inquam, quas Homerus expreſſerit. Apud Homer. *Namq; reges, inquit, quæ deliberatione facta, probaſſent, ea demum ad populum referre ſolēt.* Res ita ſe habet: *Rex autem ſecum, aut cum Senatoribus* (vt *lib. 2. Iliados.* Agamemnon ſecum, & *lib. 8. Odyſſ. extremo & 9.* Alcinous cum Senatoribus.) *deliberatione facta, quid agendum ſit, conſtituit; decretum & conſtitutum ad populum refert.* Ex hoc igitur more videre eſt, & deliberationem antecedere προαίρεσιν, & προαίρεσιν quoque relationem ad populum. Eadem erat ratio olim in Republica Romana: nam, vt eſt apud Dionyſium Halicarn. *lib. 9.* ea quæ publice eſſent agenda, primum in Senatu agitabantur, vbi decreta facta Senatuſconſulto (quod προβούλευμα vocat Dionyſius) poſtea ad concionem referri ſolent.

ὄντος δὲ τοῦ προαιρετοῦ.] Iam tandem accedit ad definitionem conſtituendam ex ſuperiorib. Vtitur autē argumento à coniugatis: Cum igitur, inquit, προαιρετὸν nihil ſit aliud, quam βουλευτὸν ὀρεκτὸν, earum rerum, quæ à nobis effici poſſint: conſequens eſt προαίρεσιν quoque nihil eſſe aliud, quam βουλευτικὴν ὄρεξιν, earum rerum, quæ per nos effici poſſint.

ἐκ τοῦ βουλεύσασθαι γὰρ.] Locus eſt obſcurior: cuius tamen hæc mihi ſententia & ſcopus videtur. Occurritur enim tacitæ quæſtioni. Nam quæri poterat, cur προαιρετὸν dixerit eſſe βουλευτὸν ὀρεκτὸν. Vnde iſtud ὀρεκτὸν ſit, cum nulla eius ante facta ſit mentio, & dicendum potius fuerit διωρισμένον, quod modo fuerat explicatū. Reſpondet igitur his verbis Ariſt. bono ſe cōſilio adiunxiſſe

iunxiſſe ὀρεκτὸν & προαίρετον dixiſſe ὄρεξιν ἐκ τοῦ βουλεύσασθαι γὰρ, propterea quod poſtquam deliberatione facta quid ſtatutum fuerit, id ipſum ſequens deliberationem, ſtatim expetamus: imo ipſa quodammodo definitio & determinatio ſit quædam ὄρεξις & appetitio.

καὶ ὅτι τῶν περὶ.] Etſi particula iſta non videbatur neceſſaria, eo quod prioribus iis περὶ ποῖα, &c. quæ ſunt communia, contineatur: ſeparatim tamen de iis rebus, quæ ad finem pertineant, ſeu de hac rerum proprietate & conditione commemorandum putauit, cum, vt oſtendat, ni fallor, quæ tota ſuperiore, de ſtrato, & rebus ſub deliberationem cadentibus, diſputatione ſunt allata, eo pertinere potiſſimum, vt melius cognoſcatur diſtinctio inter voluntatem & conſilium, quæ duæ affectiones alioqui ſunt coniunctiſſimæ, & ex hac ſtrati diſſimilitudine vnius maxime diſcernuntur: tum, vt, quæ ſuperſint de voluntate dicenda, ſuperiorib. artificioſe connectantur. Nam quod ſupra leuiter commemorat, voluntatem eſſe finium, non vero rerum ad finem pertinentium, id hoc loco diſtinctius explicandum ſuſcipit. Nam cum varii ſint fines ſeu bona, aliaq; vere ſint bona, alia φαινόμενα, & quæ ſpeciem boni referant: exquirendum fuit, an vere boni, an vero φαινομένου, & ſimulati ſit voluntas, an vtriuſque.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Δοκεῖ δὲ, τοῖς μὲν.] Duas affert contrarias opiniones, vnam eorum, qui voluntatem exiſtimarint eſſe vere duntaxat boni: eorum alteram, qui eius, quod videatur bonum: quam vtranque refellit: & tandem ſuam, quaſi mediam opinionem adiungit.

δοκεῖ δὲ.] Priorem opinionem refellit ab abſurdo ducta ratione, quia efficeretur, vt quod quis male & praue vellet, hoc non ſit βουλητὸν, quod eſt abſurdum: nam eſt contra rationem coniugatorum, aut quæ quis velit, non ſint βουλητά. Formula ſit iſta:

> *Si ſit voluntatis vere duntaxat bonum: ſeu, ſi vere duntaxat bonum eſt βουλητὸν. Ergo id, quod is vult, qui praue quid eligit, puta malum, non erit βουλητὸν.*
> *At conſequens eſt falſum, vt iam oſtendi.*
> *Ergo & antecedens.*

Connexi

Connexi ratio ibi, εἰ γὰρ ἔσται βουλητὸν: Nam, inquit, ſi id, quod praue quis vult, eſſet βουλητὸν: debet quoque eſſe bonum, cum ex eorum ſententia nihil ſit βουλητὸν, niſi quod bonum. Atqui erat malum & prauum. Ergo ex eorum ſententia non eſſet βουλητὸν: quod eſt abſurdum, nempe, vt quod quis velit, etiamſi malum, non ſit βουλητὸν. Sæpe autem fieri, vt prauum & malum quid velimus, & eligamus ac perſequamur, perſpicuum eſt.

τοῖς δ' αὐτὸ φαινόμενον.] Hic alterā refellit opinionem item ab abſurdo: ſequeretur enim, nihil eſſe reuera & natura βουλητὸν, quod neque ipſi admitterent; & eſt abſurdum. Nam ſuum ſtratum, &, vt ita dicam, obiectum affectioni & facultati propoſitum eſſe naturaliter & reuera, perſpicuum eſt, vel ex ſolis ſenſibus. Formula ſit iſta:

Si βουλητὸν eſt id ſolum quod videatur bonum. Ergo reuera & natura nihil eſt βουλητὸν.
At conſequens oſtendi eſſe falſum.
Ergo & antecedens.

Connexi ratio ibi, ἄλλῳ δ' ἄλλο φαίνεται. Nam, inquit, aliud alii videtur bonum, & interdum etiam contraria, vt videre licet in continente & in incontinente.

εἰ δὴ ταῦτα μή.] Refutatis iam duabus contrariis & extremis opinionibus, ſuam velut mediam adiungit, nempe βουλητὸν eſſe reuera & abſolute, quod vere ſit bonum: comparate vero βουλητὸν eſſe id, quod ſpeciem boni habeat, quod duobus confirmat ſignis; altero à corporibus, & quæ iis præbeantur, quaſi obiectis: altero vero ibi, ὁ σπουδαῖος γὰρ ἕκαστα: quia omnibus in rebus, & in omni habitu, quod verum ſit, ei proponatur, qui recte ſit affectus, & de eo bene iudicet: quod prauum male affecto. Vt igitur valentibus & ſanis, quæ vere ſunt ſalubria: ita quoque proponuntur, videntur, & iudicantur: contra vero male affectis, & morboſis: ita & vere βουλητὸν eſt id, quod vere ſit bonum: & non vere ſed comparate, nempe huic aut illi eſt βουλητὸν, quod ſpeciem boni habeat. Altera ratio, quia, vt iam dixi, vere affectus de rebus omnib. vere iudicet. Nam eſt quaſi quædam regula & norma rerum omnium vera affectio & habitus: quare & *ſupra lib. 2. & infra lib. 10. in princip.* dum quæritur, quid ſit bonum, nec ne, conſulendum ait Ariſtoteles virum bonum, vtpote probe affectum: & hunc eſſe veluti Lydium lapidem, ex quo id, quod ſpeciem boni habeat, à vere

bono internoſcatur, quod vir bonus hac in re diiudicarit, hoc vt ſyncerum iudicium amplectendum eſſe. Nam voluptatem, vt blandiſſimam dominam, ſæpe mentis oculos perſtringere, vt falſum & ſimulatum bonum à vero dignoſci non poſſit. Itaque vt vere bonum eſt, quod exiſtimarit eſſe vir probus: ita & vere βȣλητὸν erit, quod idem viro probo videbitur, & ab ipſo expetetur: quod ipſe volet. Summa eſt hæc, vt cognoſcatur, quid differant βȣλευτὸν, προαιρετὸν & βȣλητὸν, &c.

CAPVT V.

COMMENTARII.

ὄντος δὴ βȣλητȣ̃ μὲν.] Hoc capite Ariſtoteles id potiſſimum agit, vt doceat non tantum virtutes (quod plærique omnes concedunt) ſed vitia quoque eſſe in noſtra poteſtate, & eſſe voluntaria. Nam erant ea tempeſtate nonnulli, & inprimis Plato, qui dicerent, virtutes eſſe quidem voluntarias: ſed vitia eſſe neceſſaria: neminem ſua ſponte eſſe improbũ, quod Plato *li. 9. de leg.* demonſtrare conatur. Quæ quidem ſententia & multitudini, quæ hac ſpecie & ſimulatione ſua peccata eleuare & excuſare conſueuit, & Poetis quoq; vulgi ſcilicet magiſtris arriſit. Verum Ariſt. eam, vtpote falſam & valde pernicioſam, hoc capite refellit. Docet autem primum, actiones virtuti conſentaneas eſſe voluntarias. Deinde vitia quoq; & per cõſequentiam virtutes, i. ipſos actionũ habitus & fontes quoq; eſſe voluntarios: prius vno argumento: alterum duobus. Poſtremo & vulgi argumentũ & Philoſophorũ alterum doctiſſime refellit. Tota autem hęc diſputatio de arbitrii noſtra libertate ciuiliter eſt accipienda, quomodo & ipſi Philoſophi accepiſſe videntur. Nam & Plut. *in vita Camilli*, ſapienter diſtinguit ea, quæ cõmuniter & vſitate ab hominib. gerũtur, ab inuſitatis & quaſi diuinis factis. Illorũ namq; cauſam & fontem nobis: iſtorum diis aſcribendam, & ab iis manare exiſtimat. Atque hoc modo, hacque adhibita diſtinctione, nulla fere pugna erit inter libros ſacros & prophanos.

ὄντος δὴ βȣλητȣ̃.] Commemorat breuiter, quod prioribus duobus capitibus explicauit, voluntatem eſſe finis, deliberationem vero & conſilium eorum, quæ ad fines. Hinc enim argumentum elicit ad confirmandum, virtutum actiones in noſtra eſſe poteſtate. Hoc enim primo loco oſtendit, facta virtutibus conſentanea noſtri eſſe arbitrii: quia ad finem referantur. Concludatur hunc in modum:

Qua-

Digitized by Google

Quæ ad finem ſeu ultimum contendunt & referuntur, ea ſunt voluntaria.
Virtutum autem facta ad finem referuntur.
Ergo ſunt voluntaria.

Propoſitio ibi, καὶ περὶ ταῦτα πράξεις.

περὶ ταῦτα.] Nempe ea, quæ ad fines pertineant: nam de his modo meminit, & argumenti contextus id poſtulat. Male igitur Scholiaſtes Græcus, περὶ ταῦτα, inquit, id eſt, τὰ βουλευτά. Sed cur non τὰ προαιρετά, cum vtrumque anteceſſerit? Ratio propoſitionis ab ipſo quoq; Ariſt. indicatur, quia eæ res ſeu actiones ſint conſilii. Iam quæ ſunt conſilii, eſſe voluntaria, notum eſt ex *cap. 3. ſuperiore.* Aſſumptio, αἱ δὲ τῶν ἀρετῶν, &c. cuius ratio quoque non eſt obſcura: nam virtutum facta ad beatitudinem, vt finem, ſpectare & contendere, *ſupra libro primo* eſt explicatum. Summa igitur huius argumenti eo recidit, vt quia factorum virtuti conſentaneorum fons & principium eſt voluntarium (quod conſtat eſſe προαίρεσιν) ipſa quoque ſunt voluntaria, & proinde noſtri arbitrii. Alii aliter hic argumenta contexunt. Sed vera, quam expoſui, ni fallor, cognita ratione, facile eſt falſam refellere.]

ἐφ᾽ ἡμῖν δὴ.] Quidam ex δὴ fecerunt δὲ. Nam & alias ſæpe hæ duæ particulæ altera in alterius locum migrarunt: & hæc verba ἐφ᾽ ἡμῖν δὲ, &c. prioribus cohærere, & ex iis pendere, aptaque eſſe videntur, quaſi quædam hic ſit complexio hunc in modum: Quia facta virtuti conſentanea noſtri ſunt arbitrii. Ergo & virtus quoque ipſa erit, quæ emendatio verecunda, & explanatio non incommoda videtur. Vſitatæ tamen ſcripturæ (quomodo habent codices omnes, etiã vetus tralatio & Græcus Scholiaſtes) ſententia non incommoda quoq; eſſe poteſt: Oſtendit modo, facta ex virtute eſſe noſtri arbitrii. Nunc pergit oſtendere, virtutem ipſam & vitium eſſe quoque voluntaria, noſtriq; arbitrii. Quanquam enim totius huius cap. ſcopus, & Ariſtotelis conſilium ſit, demonſtrare vitia noſtri eſſe arbitrii (propterea quod à Platone & ab aliis hoc negaretur, vt *initio* diximus) tamen quia contrariorum eadem eſt ratio, quæ de vitiis, eadem de virtutibus afferri poſſunt.

ἐν οἷς γὰρ ἐφ᾽ ἡμῖν.] Primum eſt argumẽtum, quo vitia (& virtutes quoq;) doceat noſtri eſſe arbitrii; vel, vt ipſe loquitur, in nobis eſſe poſitum, boni ſimus, an improbi. Vtitur hac ratione, quia honeſta aut turpia facere, aut non facere, in nobis ſit

poſitum. Res,quia pluribus verbis ab Ariſtotele explicatur, & obſcurior eſt,concludatur hunc in modum:

Si honeſta & turpia agere aut non agere, noſtri eſt arbitrii. Ergo vt probi aut improbi ſimus, noſtri quoq; erit arbitrii.

Verum primum ibi, εἰ δ᾽ ἐφ᾽ ἡμῖν τὰ καλὰ, *&c.*

Ergo & ſecundum,ibi, ἐφ᾽ ἡμῖν ἔσται τὸ ἐπιεικέσι.

Connexi & conſecutionis ratio ſubindicatur ibi, τοῦτο δ᾽ ἦν, quaſi dicat,nihil eſt aliud eſſe virum bonum aut malum,quam ea facere, quæ boni aut mali conſuerint. Ratio igitur connexi perſpicua eſt ex *li.2.* vbi copioſe explicauimus: Ex factis honeſtis aut turpibus habitus virtutum & vitiorum promanare. Verum facilis eſt hæc ratio, &, ni fallor, incontrouerſa; eaque rē ab Ariſtot. vix attingitur. Verum antecedens confirmare, hoc opus,hic labor; & in eo conſumitur omnis Ariſtot oratio. Vis autem omnis confirmationis Ariſtotelicæ poſita eſt in contrariorum natura, nempe, vt cuius in poteſtate contrariorum eſt vnum, ſit & alterum, qui negare, poſſit & affirmare; qui velle, poſſit & nolle,& contra. Quare & Seneca *lib.2. de benefic.c.27. Si vis,* inquit, *me velle, effice etiam me poſſe nolle.* Et Vlpian. Iuriſconſultus *in l.3. D.de diuerſ.reg.iur. Eius eſt,* inquit, *non nolle,qui poteſt & velle.* & idem *l.4.D. de acquir.hered. Hereditatem adire nolle non videtur,qui non poteſt velle.* Sic igitur Ariſt. concludit rationem & confirmationem antecedentis:

Quarum rerum ea eſt natura, vt eas agere noſtri ſit arbitrii: certe & eas non agere,erit: & contra, quarum hæc eſt natura, vt eas non agere noſtri ſit arbitrii, eaſdem quoque agere, erit. Sit hac concluſionis propoſitio, ibi, ἐν οἷς γὰρ ἐφ᾽, *&c. cuius rationem paulo ante ex contrariorum natura attulimus.*

Atqui rerum honeſtarum & turpium ea eſt natura.

Ergo eas agere & non agere,noſtri erit arbitrii.

Aſſumptio ibi, ὥς τε εἰ πράττειν τὸ καλὸν, quæ vt intelligatur, quatuor hæc membra teneri debent. Quod bonum eſt, id ipſum facere bonum quoq; eſt. Quod bonum eſt,id non facere turpe eſt: contra: Quod turpe eſt,id ipſum non facere honeſtū eſt.Et quod turpe eſt,id ipſum facere quoq; turpe eſt. Nunc ſic argumentatur Ariſt. Si quod facere honeſtum eſt, id noſtri eſt arbitrii: E. & id non facere (quod turpe iam eſſe diximus) noſtri erit arbitrii. Ex quo elicitur,vt honeſta,ita & turpia facere noſtri

ſtri eſſe arbitrii. Prius concedebāt aduerſarii, poſterius nō item. Et hoc quidem de honeſto. Turpiū eadē eſt ratio, hunc in modum: Si turpia non facere (quod honeſtum eſſe diximus) noſtri eſt arbitrii: quod & aduerſarii concedebant, quia honeſta volebant noſtri eſſe arbitrii. Si igitur turpia non facere noſtri eſt arbitrii: Ergo & facere eadem erit noſtri arbitrii. Verum eſt igitur antecedens: Facere aut non facere honeſta aut turpia, noſtri eſſe arbitrii. Verum ergo erit & conſequens, virtutes & vitia noſtri eſſe arbitrii, & in nobis eſſe poſitum, boni ſimus viri an improbi.

τὸ δὲ λέγειν ὡς.] Interiicit hic breuiter refutationem verſiculi cuiuſdam vulgo vſitati: Eſt autem Senarius prouerbialis, teſte Scholiaſte Græco: qui vt conſtet, legendum eſt μάκαρ, quod quidem idem valet quod μακάριος, ſed alterum eſt poeticum. Eodem & vſum Poetam Syracuſanum Epicharmum, cuius & verba ex Hercule furente adducit Græcus Interpres. Sententia autem verſiculi eſt iſta: Neminem volentem aut libentem eſſe improbum: neminem cōtra inuitum eſſe beatum. Prius falſum, poſterius verū eſſe ait Ariſt. Et omiſſo poſteriore, quod huc non facit, prius falſum eſſe, oſtendit ex iis quæ modo ſunt explicata. Nam quod Scholiaſtes Græcus verbis νῦν εἰρημένοις ea intelligit, quæ *lib.* 2. ſint explicata, nempe virtutes non natura, ſed ſtudio noſtro comparari, nimis longe eſt petitum. Sic igitur Ariſt. *Aut*, inquit, *quæ modo de contrariorum vi attulimus, ſunt neganda*: atq; adeo initio cap. dictum eſt, actionum cauſam & principium in ipſo homine eſſe poſitum: aut falſus eſt verſiculus: nam vt præclare concludit Ariſtoteles:

Quarum rerum principia ſint in nobis, ipſa quoque in nobis cenſeri debent.

Atqui virtutum principia in nobis eſſe, iam explicatū eſt.

Ergo & ipſas virtutes in nobis eſſe fatendū eſt, præſertim cum nulla iuſta ratione alia principia iuſtiora reperiri poſſint, in quæ velut in cauſas ea quæ ab hominibus fiunt, conferantur.

τούτοις δ' ἔοικε.] Alterum eſt argumentum, aut ſi mauis tertium, quo doceat Ariſt. virtutes & vitia in nobis eſſe poſita, eſſe voluntaria; ductum cum ab iis, quæ priuatim à ſingulis gerantur, tum à legum ſcriptoribus, & iis quæ publice à magiſtratib. fiunt: cuius argumenti vis quanta ſit, poſtea videbitur. Quia autem eius explicatio multis ab Ariſt. verbis exponitur (nam

ad ea vſque verba, εἰ δέ τις λέγοι, pertinere poteſt) nos breuiter hoc modo concludendum putamus:

Quæ res noſtra non ſunt in poteſtate, neque ſunt voluntaria: ad eas nemo alterum adhortari, aut contra ab iis reuocare ſolet: nemo denique præmiis aut ſuppliciis afficere.

Atqui ad virtutes & vitia cohortationibus & dehortationibus vtuntur cum omnes alij, tum inprimis magiſtratus & legum ſcriptores: & illas quidem honoribus, hæc pœnis & ſuppliciis afficiunt.

Ergo virtutes & vitia non ſunt ex earum rerum numero, quæ non ſint in noſtra poteſtate, neque voluntaria, ſed potius ſunt voluntaria, & in noſtra poteſtate.

Propoſitio ibi, καί τοι φανερὸς ὅτι, quam confirmat à rebus natura inſitis, quas conſtat non eſſe in noſtra poteſtate. Verbi gratia: nemo ſuaſerit alteri, ne calefiat, algeat, ſitiat, aut eſuriat: nam fruſtra illi ſuaſeris, qui tuo conſilio, quantumuis velit, acquieſcere ipſe non poſſit: & naturæ potius vim & vocem ſequi debeat. Nam vt lapidem nullis monitis aut rationibus eo perduxeris, vt in ſublime & ſurſum feratur: ignem vt deorſum: ita neque in illis rebus natura inſitis, neque vllis aliis, quæ noſtra non ſint in poteſtate, quicquam adhortando aut contra profeceris. Vera eſt igitur propoſitio: Vana & irrita eſſe monita in vtramque partem: hoc eſt, tam hortationes quam dehortationes, in iis rebus, quæ noſtri non ſint arbitrii. Ad eundem modum nemo ob eas res pœnis aut præmiis dignus iudicari ſolet, quod cernere licet in iis, qui maiore vi coacti quid praue, id eſt, perperam admiſerint: quos venia & miſericordia potius dignos iudicari, *ſupra* explicauimus *capite 1.* quare & *infra capite 8.* eum etiam, qui egregium licet quid fecerit, ſed coactus, nullo honore aut præmio dignum eſſe, neque fortem vere dicendum, docet Ariſtoteles.

Aſſumptio ibi, τούτοις δ' ἔοικε. Quæ quidem vix eget confirmatione, adeo eſt perſpicua. Nam & parentes hac ratione aduerſus filios vti ſolent: præceptores aduerſus diſcipulos. Eodem pertinet eruditorum hominum cohortationes, libri, quibus adoleſcentum animos ad virtutem informare ſtudent, & reuocare à vitiis. Quod ad legũ ſcriptores attinet, & magiſtratuum edicta, res eſt luce meridiana clarior. Nam & Vlpianus Iuriſconſultus *in l. 1. D. de iuſt. & iure*: *Iuſtitiam namq;*, inquit, *col-*

volimus, & boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo, licitum ab illicito diſcernentes: Bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere conantes. & omnium elegantiſſime Cic. *lib. 1. de Orat.* agens de Iuriſconſult. & legibus: *Ex his*, inquit, *& dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, iuſtus, atq; honeſtus labor honorib. præmiis atq; ſplendore decoratur: Vitia autem hominum atq; fraudes, damnis, ignominiis, vinclis, verberib. exilio, morte multantur.* & apud Plat. *multis in locis, vt lib. 9. de leg. & 12. in Gorgia, & alibi.* & apud Ariſt. *infr. c. 8. & lib 10. extrem.* Aſſumptio igitur cōfirmatur communi hominum ſenſu & iudicio, nō ſolum prudentiſſimorū & eruditorum, ſed ipſius quoq; multitudinis. Quæ quidem ratio magnam vim habere ſolet: eo quod mortalium omnium conſenſus, lex naturę quædam, ſeu diuina potius cenſeatur: vt pulchre Cic. *lib. 1. de nat. Deor. & 1. de diuin.* Quare & Ariſt. cum aliis multis in locis, tum in his libris, vt ſupra iam indicauimus aliquoties, ab hoc iudicio communi argumēta maxime Politica ducere ſolet. Quanti autem fiat hoc argumentū, & quantā vim habeat: vel ex eo cerni poteſt, quod quicunq; de libertate arbitrii noſtri, ad vnum omnes diſputare & ſcribere ſint ſoliti. Cicero *de Fato*: *Si appetitus*, inquit, *cauſa non eſt ſita in nobis, nec ipſe appetitus eſt in noſtra poteſtate: quod ſi ita eſt, ne illa quidem, quæ appetitu efficiūtur, ſunt ſita in nobis.* Non ſunt igitur neq; aſſenſiones, neq; actiones in noſtra poteſtate. Ex quo efficitur, vt neq; laudationes iuſtæ ſint, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia. Summa igitur ſit iſta: Aut repugnandum eſt ſenſui communi (quod eſt abſurdū) atq; adeo dicendum, deſipere & delirare omnes homines: imo grauiſſime peccare omnes (quod graue ſit dictu) deniq; tollendæ ſunt omnes leges, omne pœnarū & præmiorum diſcrimē (quo genus humanū contineri, ſcribunt Plato & Cic.) aut probanda eſt noſtra aſſumptio. Quæ ſi vera eſt, vt eſt; & propoſitionem quoq; conſtat eſſe veriſſimam: efficitur, vt virtutes & vitia in noſtra ſint poteſtate, & ſint voluntaria.

καὶ γὰρ ἐπ' αὐτῷ.] Cōfirmat amplius ipſam aſſumptionē: imo, inquit, eos etiam qui ignorent, aut per imprudentiam peccarint, punire ſolent: ſi modo eius ipſi ſint autores & cauſa, puta, ſi per ebrietatem, iram, amorem, aut ſimilem affectionem, fraudem aliquam admiſerint. Horum namque in ipſis eſt cauſa, & imperare ſibi debent, vt cum poſſint, ab his ſibi caueant,

ſeque abſtineant: de quo imprudentiæ genere *ſupra* eſt explicatum vberius *cap.1.*

καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας.] Confirmat eandem aſſumptionem ab altero imprudentiæ genere: nam, inquit, eos etiam, qui ea, quæ legibus vetita ſint, etſi ipſa ignorarunt, punire ſolent legum ſcriptores. Ex hoc autem toto de ignorantia loco diſtinctio quædam elici poteſt, vt alia ſit, cuius ipſi nos ſimus auctores & cauſa: alia, cuius non ſimus auctores. De hac non agitur hoc l. vt quæ venia & miſericordia potius, quam ſupplicio ſit digna, de qua *ſupra cap.1.* Altera poteſt poni bipartita, vt ſit vel per ebrietatem aut perturbationem aliquam: vel per negligentiam & iniuriam. De priore iam eſt explicatum. Altera hoc loco ab Ariſtotele explicatur, τοὺς ἀγνοοῦντας, nempe, cum ea quis ſcire neglexerit, quæ tamen ſcire deberet. Verbi gratia; Leges ſcire omnes tenentur, inquit Imperator *in l. leges. C. de legib.* & hoc loco Ariſtoteles, quod tamen præclare, addita exceptione; ſi, inquit, non difficile ſit eas cognoſcere: quæ exceptio & I. C. præceptis eſt conſentanea: nam ſcrupuloſa & curioſa legum ſcientia non poſtulatur ab omnibus: non eſt neceſſe, vt ruſticus Romanus ſit Seruius aliquis aut Scæuola; & hinc eſt, quod ruſtici, pueri, milites, fœminæ hac in re excuſari ſoleant, *l. regula. de iuris & facti ignorantia.* Craſſam tamen & ſupinam ignorantiam puniunt leges. Verum ignorantia Decalogi, hoc eſt, legum naturæ ſeu diuinarum, in omnibus puniri ſolet, *l. ſeruanda. D. de in ius vocand.* Ad hoc ignorantiæ genus referri poteſt & ea communis ignorantia, qua laborant omnes improbi, qui vitiis immerſi, quid iuſtum, quid iniuſtum ſit, vix poſſint cernere. De qua *ſupra* quoque eſt explicatum, ἢ καθόλου. Ex his igitur perſpicuum eſt, quia nempe ignorantia quoque puniatur, vitia eſſe voluntaria, & in nobis poſita.

ἀλλ' ἴσως τοιοῦτός τις.] Refellit hoc loco vulgi & Philoſophorum quorundam argumentum ſeu opinionem. Sic enim Ariſtoteli occurrunt: *Ais*, inquiunt, *eos, qui negligentia & culpa quadam ſua per imprudentiam peccant, ſponte tamen ſua & volentes peccare*, propterea quod adhibita diligentia, quæ ſint cognoſcenda, cognoſcere: quæ cauenda, ab iis temperare poſſint, Atqui multos videas, qui etſi vellent, non poſſent tamen non peccare. Multos enim videre eſt, ita affectos, ita, inquam, vini auidos, iracundos, ſcortis furtiſque deditos, nulla vt ratione mores eos exuere poſſint, & plane nullam rerum honeſtarum

curam

curam habere, vtpote quia eas affictiones ab ineunte ætate imbiberint, & longo iam vſu confirmarint. Eius igitur generis multi, quia aliter viuere quam conſueuerint, nō poſſunt, nempe diſſolute, nequiter & vitioſe: effici videtur, vt vitia dicenda ſint neceſſaria, & ipſos peccare inuitos. Ariſtoteles probat quidem antecedens, nempe eum, qui habitum vitioſum ſibi iam contraxerit, non poſſe, niſi nequiter & vitioſe viuere: conſecutionem tamen falſam eſſe docet, hac ratione, quia eorum habituum initia ſunt voluntaria, & in ipſis poſita, habitus quidem contractos iam, tam probos quam vitioſos non negat eſſe neceſſarios. Hinc tamen non effici, vitia eſſe neceſſaria. Concludatur hoc modo:

Quorum principia in nobis ſunt poſita, ea ipſa ſunt voluntaria.

At vitioſarum affectionum principia in nobis ſunt poſita.

Ergo ipſæ vitioſæ affectiones ſunt voluntariæ.

De propoſitione explicatum eſt initio capitis. Aſſumptionem confirmat Ariſtoteles ibi, *τοῦ τοιούτους*, & ibi, *αἱ γὰρ περὶ ἕκαστα*. Notum eſt ex *lib*. 2. vbi hoc vberrime eſt explicatum: Ex factis & actionibus habitus probos aut vitioſos exoriri; quod adeo verum eſt, adeoq; perſpicuum, vt ſenſu communi præditum neget Ariſtoteles, qui hoc non videat. Itaq; cum nequiter viuendo, in commeſſationibus, compotationibus, iniurijs, &c. agendo intemperantiæ & iniuſtitiæ habitum ſibi contraxerint, quas actiones tamen prætermittere poterant: certe venia aut excuſatione indigni iudicari debent, cum, vt dixi, initia & principia habituum, id eſt, agere hoc aut illo modo, iuſte aut iniuſte, moderate aut nequiter, in ipſorum fuerit poteſtate.

οὐ μὴν ἐάν γε.] Confirmat Ariſtoteles antecedens exemplo morbi: quo & ipſo (quod ſit loco ſecundi argumenti) refellit conſecutionem, hunc in modum: Fateor, inquit, & probo antecedens, nempe, improbum iam, non poſſe pro ſuo arbitratu deſinere eſſe improbum, neq; poſſe non improbe agere; nam & ægrotus pro ſuo arbitratu ſanus eſſe non poteſt: propterea tamen non efficitur, improbitatem, aut vitia eſſe neceſſaria. Nam nec morbus eſt neceſſarius, vtpote cuius principium in ægrotantis fuerit poteſtate. Sæpe namq; fieri, vt ſua ſponte quis ſibi morbū contrahat (non ſemper, & proinde A-

 riſto-

riſtoteles ait *εἰ οὕτως ἔτυχεν*, *ſi ita fiat, ſi ita ponamus.*) Fit igitur id ſæpe, nempe intemperanter viuendo, & medicorum præceptis contemnẽdis, nulla diætæ aut victus obſeruata ratione. Morbi itaq; initium eſt in ipſo ægrotante: poſtquam inualuit, non item, quod eleganti ſimilitudine à lapide declarat Ariſtot. quomodo & Cic. *li.4. Tuſcul.* *Qui vitijs*, inquit, *modum quærunt, ſimiliter faciunt, qui cum ſe à Leucade præcipitarint, ſuſtinere ſe, cum velint, poſſint.* Sic ignem accendere, ſi quis nolit, poteſt: ſubiecta iam face, quo minus ardeat, non peræque in eius eſt poteſtate. Hoc & vidit Ouidius, qui & exemplo à morbis & medicis ſumpto, quod hic de omnibus vitijs, ipſe de amore monet.

Principiis obſta, ſero medicina paratur.

οὐ μόνον δ', αἱ.] Tertium poteſt eſſe argumentum, quod tamen & ſub ſecundo comprehendi poteſt, à ſimili ductum, nempe à vitijs corporis ad vitia animi. Concludi poteſt hunc in modũ:

Si ea corporis vitia, quæ reprehenduntur duntaxat ſunt voluntaria: quæ non reprehenduntur, ſunt neceſſaria aut naturalia. Ergo & animi vitia, quæ reprehenſione & vituperatione ſunt digna, neceſſaria dici debent.
Connexi ratio eſt perſpicua.

Atqui verum eſt primum.

Ergo & ſecundum.

Oſtendit Ariſtoteles antecedens multis exemplis, nempe mala aut incommoda naturæ, aut quæ nulla cum noſtra voluntate acciderint, reprehendi non ſolere: ſed ea tantummodo, quæ noſtra negligentia & culpa acceperimus. Qua de re eſt & pulcherrimus locus apud Plato. *in Protag.* vbi hoc ipſo vſus argumẽto, oſtendit vitia & virtutes natura nobis non ingenerari, ſed vſu & ſtudio noſtro cõparari. Vtitur & Ariſt. h. argumẽto *inf. l.7.c.5.* cum oſtẽdit, q fere dicendi ſint incontinẽtes & *ca.6.*

εἰ δέ τις λέγοι.] Refellit hoc loco argumentum grauiſſimum, quo in primis aduerſarij vti conſueuerint, vt oſtenderẽt vitia nõ eſſe voluntaria, neq; in noſtra poteſtate ſita. Refellit.a. duob. modis: primum directe, deinde quaſi *κατ' ἀντιπαρέστασιν* ſeu oblique. Ante tamẽ argumentum ipſum breuiter exponit.

εἰ δέ τις λέγοι.] Hic exponit argumentum, quod hunc in modum concludi poteſt:

Si, vt quidque viſioni videtur bonum, ita expetitur.

Ergo vitia non ſunt voluntaria, neq; in noſtra poteſtate,

ſiue

Digitized by Google

ſiue quod idem valet. Ergo ea boni expetitio non eſt in noſtra poteſtate.

Verum primum.

Ergo & ſecundum.

Poſuit antecedens Ariſtoteles εἰ δέ τις λέγοι. Omiſit conſequens,quia perſpici poſſit ex ipſa conſecutione ſeu ratione cõnexi, quam expreſſit ibi, τῆς δὲ φαντασίας. Ratio igitur connexi, quia viſum ſeu viſio non ſit in noſtra poteſtate. Quod vt planius intelligatur, in memoriam reuocandus ex Phyſicis eſt principiorum actionum omnium noſtrarum progreſſus & ordo. Notum eſt autem, primum eſſe conſtituendam rem obiectam, hanc percipi in ſenſu & viſo. Hinc ſequi aſſenſionem ſeu approbationem: poſtea appetitionem: inde actiones,poſtremo habitum. Qua de re & Cic *in Lucullo*, hac ipſa de re agens,nempe,an virtutes & vitia ſint voluntaria nec ne? *Virtutis*, inquit, *omnis conſtantia & firmitas ex his rebus conſtat, quibus aſſenſa eſt, & quas approbauit: omninoq; ante videri aliquid, quam agamus, neceſſe eſt, vt ei, quod viſum ſit, aſſentiatur.* Quare qui aut viſum aut aſſenſum tollit,is omnem actionem tollit è vita. Ex his conſtat ſeu perſpicuum eſt, viſum eſſe principium quoddam actionum & virtutum. Non autem eſſe in noſtra poteſtate viſum, perſpicuum eſt ex eo: quod cum viſum ſit vis quædam & facultas natura nobis inſita,non aliter quam ſenſus reliqui: non poſſit eſſe in noſtra poteſtate non magis quam ſenſus, aut quiduis aliud natura nobis inſitum. Verum eſt igitur connexum ſeu connexi ratio. Iam antecedens ſi verum fuerit, confecta eſt ratio. Videntur autem id confirmaſſe ex communi vulgi opinione, vt indicat Ariſtoteles in verbo πάντες. Ea namq; fere eſt vulgi opinio, omnes id quod ſibi bonum videatur expetere: nam & malum expetunt, non vt malum, ſed quia bonum ipſis videatur. Hæc igitur expoſitio eſt argumenti aduerſariorum. Ariſtoteles contra falſum eſſe oſtendit & antecedens & conſequentiam.

ἀλλ' ὁποῖόν ποθ'.] Hic refellit antecedens, ſeu potius adhibita diſtinctione explicat. Nam reuera bene explicatum antecedens non improbat, ſed conſecutionem duntaxat falſam eſſe oſtendit. Vulgo Interpretes & explanatores omnes hæc verba ἀλλ' ὁποῖός vſque ad illa εἰ μὲν οὖν ἕκαστος coniungunt prioribus, & aduerſarijs attribuunt, quod eſt falſiſſimum.

ſiſſimum. Nam his verbis Ariſtot. eorum antecedens diſtinguit: ꝙ.n. illi ſimpliciter dicebant, id quemq; expetere, quod ſibi videatur bonum: verum quidẽ eſſe conſentit Ariſtoteles, ſi adijcias particulæ *ſibi*, nempe effectu ſeu habitu aliquo prædito: quod intelligit Ariſt. hoc verbo ὁποῖος, i.e. quali habitu affectus. Quã explanationem aperte confirmant verba ***in extremo h.cap.*** illa, ꝛ τῷ ποιοί τινες εἶναι. Hoc igitur poſito & ita explicato antecedente, nẽpe pro cuiuſq; habitu & affectione, ꝙ ſibi bonum videatur, id quẽq; expetere: ſtatim adiungit confutationem conſequentiæ, ibi εἰ μὲν οὖν ἕκαστος: Dicebant namq;, viſa non eſſe in noſtra poteſtate: ſed natura nobis eſſe inſita. Hoc vero falſum eſſe, nunc oſtendit in hunc modum:

Si viſum dirigitur habitu, & habitus nos ſumus autores & cauſa ad aliquem modum.

Ergo & viſorum nos cauſa quoque erimus aliquo modo.

Conſecutio eſt perſpicua, à cauſa ad effectum. Antecedens notum eſt ex ſuperioribus. Nam *ſupra* eſt explicatum ex factis naſci habitus. Facta autem in noſtra eſſe poteſtate, & proinde ipſos quoq; habitus. Cauſa quidem habituum principalis, ſunt facta: ſed tamen quia facta ex nobis pendent, ſequitur habitus quoque aliquo modo ex nobis pendere, & nos eorum eſſe cauſam. Et hoc ſibi vult Ariſtoteles hoc verbo πῶς. Viſa autem dirigi ratione habituum, modo eſt dictum & *ſupra* capite priore eſt explicatum. Efficitur igitur viſum quoq; à nobis pendere, & eius nos eſſe autores πῶς, id eſt, ***aliquatenus.*** Nam viſi cauſa principalis eſt natura & res obiecta: ſed tamen quia regitur habitu, cuius cauſa nos ſumus, certe hac ratione, ipſius quoq; viſi cauſa in nobis erit.

εἰ δὲ μηδεὶς αὐτῷ.] Alterum eſt aduerſariorum argumentum, ſed vitijs tantum proprium: nam prius commune fuit tam virtutibus quam vitijs. Hoc igitur vtebantur, vt oſtenderent, vitia duntaxat non eſſe voluntaria, nimirum, quia nemo ſibi ipſe ſit autor male faciendi, ſed ignoratione finis, id eſt, nemo delectatur malo, niſi quia putat, illud ipſum malum ad finem pertinere. Atqui finis naturalis eſt, neq; noſtri arbitrij. Ergo. Formula ſit iſta:

Si nemo ſibi cauſa eſt malefaciendi, nullus vltro facit malum.

Sed finis ignoratio eſt cauſa, qui naturalis eſt.

Ergo malefacta aut vitia non ſunt voluntaria.

Verum

Digitized by Google

Verum primum.

Ergo & ſecundum.

Antecedens ibi, εἰ δὲ μηδεὶς αὐτῷ. Connexi ratio ibi, ἡ δὲ τὸ τέλος, id eſt, quia finis non eſt in noſtra poteſtate, ſed ponitur naturaliter: & natura factos nos eſſe oportet, ad eum acute cernendum & perſequendum. Quam naturalem bonitatem latius explicat Ariſtoteles, vſq; ad illa verba: εἰ δὴ τοιαύτη ἐστὶν ἡ ἀρετή, &c. & vocat εὐφυΐαν, quam hoc loco nihil eſſe aliud ait, quam innatam quandam vim & facultatem, qua id quod vere ſit iuſtum, bonum aut honeſtum, aut contraria cernere & ſumere poſſit is, qui ea ſit præditus. Latine dicitur à quibuſdam *ingenium*: à D. Victorio, *in 1. Rhet. ingenij acumen*: à plærisq; alijs *bonitas naturæ*. Eſt autem ea bipartita; vna corporis, altera animi. Corporis eadem eſt, quæ pulchritudo, quam Galenus *libr. 1. de vſu partium. cap. 9.* ita deſcribit εὐφυΐα & κάλλος eſt optima partium ſeu membrorum conformatio, cum vſu earum conueniente, ſed rarius de corpore poni ſolet hoc vocabulum. Animi εὐφυΐα, eſt, quæ vel in rebus agendis, quid expetendum aut fugiendum ſit: vel in rerum contemplatione quid verum aut falſum, optime intelligat. De rebus agendis hic agitur: De contemplatione *libr. 8. Topicor.* εὐφυΐα, inquit, eſt, poſſe optime videre, quid quaq; in re ſit verius, idq; optare, & fugere contrarium. Ex his perſpicuum eſt, εὐφυΐαν latine dici poſſe, bonitatem naturæ. Ea autem quæ eſt animi, dici quoq; poſſe, ingenium ſeu ingenij acumem. εὐφυὴς igitur erit latine, bene à natura informatus, aut ingenioſus. Quare & *in arte Poetica* Ariſtoteles εὐφυοῦς ait eſſe, poſſe verſus ſcribere, & ibidem, notam & argumentum eſſe εὐφυΐας, noſſe commode vti & abundare Metaphoris. Et *lib. 3. Rhetor.* facetias & vrbanitates proprias eſſe εὐφυοῦς ait, aut certe maxime exercitati.

καὶ ὅπερ ἑτέρου.] Genus eſt loquendi, quo ſolet vti Ariſtoteles cum rei cuiuſdam eximiam & incomparabilem præſtantiam exprimere velit. Natura vt *libro tertio Topicor.* oſtendit: vbi comparationis locis hunc quoque annumerat, præſtantius eſt id, ὃ μὴ παρ' ἑτέρου πορίζεσθαι, quod ab alio ſumere non liceat, quando poſſit. Sic igitur & in arte poetica, Metaphoræ laudem in exornanda oratione inſignem exprimere volens, καὶ λαβεῖν φησὶ οὐκ ἔστιν αὐτὴν παρ' ἑτέρου. & *libr. 3. Rhetor.* & eodem modo in arte Poetica, de eadem trala-

tralatione, hæc ſolum, inquit, non licet ſumere ab alio. Ad hunc igitur modum & hoc loco commendat εὐφυΐαν.

εἰ δὴ ταῦτ' ἐστίν.] Huc vſque ſuſpenſa eſt ſententia ab illis verbis, εἰ δὲ μηδεὶς αὑτῷ. Nihil enim aliud egit Ariſtoteles, quam vt aduerſariorum argumentum exponeret, & quaſi παρέργως explicaret; Quid ſit εὐφυΐα, quæ parentheſis ſeu interiectio de εὐφυΐᾳ, quia ὑπέρβατον fecit longius, eaq; de re ſententiam obſcuriorem: Ariſtoteles hoc loco eam obſcuritatem corrigens, breuiter argumentum aduerſariorum repetit. Si igitur, inquit, vera ſunt illa, nempe, quæ ab aduerſarijs adferuntur, neminem ſibi cauſam eſſe male faciendi, ſed eam conferendam in ignorationem finis: hunc autem finem non eſſe in noſtra poteſtate, ſed naturalem: ſi, inquam, hæc vera ſunt, abſurdum efficietur, aut ſaltem ipſorum opinioni quiddam contrarium, nempe, ſequetur, ipſas quoq; virtutes non eſſe voluntarias, contra ipſorum ſententiam, oſtendit hoc modo ibi, ἀμφοῖν γὰρ ὁμοίως, &c. *Nam*, inquit, *tam in virtutibus, quam in vitijs finis eſt naturalis, ſeu natura poſitus: aut ſi non eſt naturalis, eſt qualiſcunq; in vtraq; , tam vitijs quam virtutibus.* Facta autem ad finem pertinentia, tam in virtutibus quam in vitijs, non ſunt naturalia, (vt ipſi quoq; aduerſarij admittunt) ſed ſunt qualiacunq; , quod Ariſtoteles ſibi vult hic verbis, τὰ δὲ λοιπά.

εἴτε τὸ μὴ τέλος.] Hic tandem diſtinctius aduerſariorum argumentum refellit in hunc modum: Aut finis non eſt naturalis, ſed quiſq; aliquid ex ſe ad eum confert: aut eſt naturalis. Vtrocunq; modo agas, oſtendam, inquit, vitia eſſe voluntaria. De poſteriore prius oſtendit: nam, inquit, vt ipſe finis ſit naturalis, quod volunt aduerſarij: tamen ea, quæ ſunt ad finem, certe non ſunt naturalia, ſed voluntaria, quod ipſi quoque aduerſarij admittunt. Nam ex his & horum ratione, oſtendere illi ſolent, virtutes eſſe voluntarias. Sic igitur Ariſtot.

Si virtutes ſunt voluntariæ ob ea, quæ ad fines.

Ergo & vitia quoq; erunt voluntaria.

Nam, ὁμοίως γὰρ, id eſt, ea ipſa ad fines pertinentia, non minus ſunt in voluntate improbi quam viri boni: eſt in improbi arbitrio, hoc aut illo modo ſe gerere, hæc aut illa facere: facta, inquam ſaltem in ipſo ſunt ad finem pertinentia: ſi omnino ipſi velint aduerſarij; finem non eſſe in eius poteſtate, ibi, ἐν τῷ τέλει, inquit.

ii

εἰ ἐν ὥσπερ.] Hic iam redit ad Dilemmatis priorem partem, nempe finem non omnino eſſe naturalem. Nam Ariſt. aduerſariorum argumentum, nempe finem eſſe naturalem, tandem quoq; negat eſſe verum, & oſtendit, finem quoq; aliquo modo ex nobis pendere. Oſtendit autem id ab habitu, quemadmodum de viſo fecerat.

Habitus, inquit, cauſa, nos aliquo modo ſumus.

Atqui finis dirigitur ex habitu.

Ergo & finis aliquo modo ex nobis pendet.

Minorem, (nempe finem dirigi habitu) ibi, ἐ τῷ ποιοί. *ſupra* explicauit capite priore, vbi dictum eſt, ratione habitus ſeu affectionis, qua quiſq; eſt præditus, quemq; ſibi collocare & expetere finem conſentaneum: virum probum, finem quoq; bonum: contra in improbo.

κοινῇ μὲν ἐν περί.] Breuis eſt commemoratio eorum, quæ *ſupra li. 2. & hoc 3.* ſunt explicata. Primum, genus virtutum eſſe mediocritatē & habitum, quod dictum valde perturbat Græcum Scholiaſten. Cur inquam duo ponantur virtutis genera. Sed reſpondēdum eſt, genus virtutis proprie eſſe habitum mediocrem, ſeu in mediocritate poſitum, quod explicatum eſt *ſupra li. 1. ca. 5. & 6.* Deinde ibi, ὑφ' ὧν τι γίνον), id eſt, virtutes ex recte factis oriri, & poſtea ex virtutibus recte quoq; facta manare, quod explicatum eſt *ſupra lib. 2. cap. 3 & 4.*

ἐ καθ' αὑτάς.] Obſcurior eſt hæc particula: recte tamen ab Scholiaſte Græco, ni fallor, explicata. Notum eſt, ſua cuiuſq; virtutis eſſe recte facta, iuſtitiæ Ius, fortitudinis defenſionem patriæ, prudentiæ bonum conſilium capere, &c. Iam ex his, inquit Ariſtoteles, ſuis quæque virtus oritur factis, eademq; rurſus poſtea edit vt iam diximus, idq; per ſe καθ' αὑτάς. Nam fit interdum, vt prudens fortiter quid agat, fortia edat facta; ex quibus tamen factis prudens itaq; non extitit. Ea igitur fortia facta prudens non agit per ſe, nempe qua prudens, ſed per accidens, vtpote cum ſit prudens, coniunctas quoq; alias habeat virtutes. Nam qui vnam, habet omnes, qua de re alias latius.

οὕτως ὡς αὐ.] Commemorauit quidem & hoc *ſupra lib. 2. cap. 6.* ſed explicabit *infra lib. 6.*

οὐχ ὁμοίως δ.] Eſt quaſi ἐπίμετρον ſeu corollariū eorū, quæ modo ſunt explicata, virtutes & vitia eſſe voluntaria. Affert .n. diſ-

crimen

crimen inter virtutes & recte facta; inter habitus ipſos & habituum actiones. Factorum namq; & initia, & progreſſum, & extrema eſſe in noſtra poteſtate, videlicet ſi ea non ignoremus. Nam ſæpe fit, vt per ignorantiam quid faciamus, quod profecto voluntarium dici non debet. Virtutum autem ſeu habituum ex factis orientium initia duntaxat eſſe voluntaria, id eſt, in nobis eſſe poſitum, habitus ſuſcipiamus nec ne: ſuſceptos vt abijciamus, non eſſe noſtri arbitrij, quod explicatum eſt hoc capite *ſupra*. Docet autem, facta ſemper eſſe noſtri arbitrij, hac ratione, quod in nobis ſit ſitum, hoc an illo modo agamus: habitus autem non eſſe ſemper, docet exemplo morborum.

τῶν καθ' ἕκαστα.] Ait latentem illam, vt ita dicam, alluuionem factorum, ex quibus paulatim naſcantur habitus, non cerni, vt nec morborum: qui & ipſi non ſtatim, ſed paulatim colliguntur. Vt autem latens morborum progreſſus & acceſſio non cuiuis, ſed tantum ſolertiſſimis medicis innoteſcit: ita virtutum quoq; progreſſus, & incremēta, aliquo modo ſeu notis quibuſdam cognoſci poſſunt. Quas notas explicauit Plutarchus *libr. πῶς ἄν τις ἑαυτὸν προκόπτειν*; quemadmodum quis ſentire poſſit, ſe in virtute progreſſum facere.

πρῶτον περὶ ἀνδρείας.] Cur de fortitudine primum agat Ariſtoteles, rationem reddit Scholiaſtes Græcus, quia ſit virtus vna omnium pulcherrima, vna omnium laudatiſſima: At hoc, id eſt, laude affici, ſeu laus maxime propria eſt virtutis, vt *ſupra libr. 1. extremo* explicatum eſt. Cur autem maxime laudabilis ſit fortitudo, hanc adijcit rationem, quia res acerbas perpeti ſit difficilimum: neq; tam facile ſit pericula & labores ſuſcipere, quam voluptatibus abſtinere: & hoc eſt, quod Cicero *li. 1. offic.* ait: *Fortitudinis officia videri omnium eſſe ſplendidiſſima: eaq; ſolere laudari pleno ore.* Verum hæc ratio non ſatis videtur firma. Nam prudentia vtique & Iuſtitia virtutes longe ſunt præſtantiores. Et Cicero, Fortitudinem quidem videri, ait, ſplendidiſſimam, ſed verum iuſtitiæ ſplendorem eſſe maiorem. Melior igitur ratio hæc mihi videtur, quia hæc virtus omnium vna ſit ἄλογος, & ratione vacans, quare & beluis attribui ſolet, qua de re *infra* Atqui notum eſt ex ſuperioribus, virtutes morales, quas his libris explicandas ſuſcepit Ariſtoteles, eſſe in ea animi parte, quæ ratione vacat. Et hanc rationem Ariſtoteles quoq; ipſe *infra cap. 10. in princ.* ſubindi-

Digitized by Google

tat. Poteſt & altera reddi ratio, nempe, quod hominum naturæ (explicantur autem humanæ virtutes) ordo hic virtutum, quem Ariſtoteles obſeruauit, ſit accommodatiſſimus. Nam in pueris ſtatim elucent fortitudinis veſtigia: pueris ac adoleſcentibus vires ac fortitudo maxime congruit, maiorem ætatem & iudicium poſtulat Iuſtitia. Extremæ ætati conuenit prudentia. Temperantia quoq; conuenit adoleſcentibus, vt & Fortitudo, quod eleganter explicat Ariſtoteles *lib. 1. Rhetor.* Recte igitur Ariſtoteles primum de Fortitudine: deinde de Temperantia: inde de Iuſtitia, & ijs virtutibus, quæ cum iuſtitia affinitatem habent: Poſtremo de Prudentia agit: contra atque Cicero, qui dignitatis & præſtantiæ habita ratione, primum de Prudentia: deinde de Iuſtitia, Fortitudine, & Temperantia deinceps agit.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν μεσότης.] Exquirit primum Ariſtoteles, quibus in rebus cernatur Fortitudo. Et ait, in rebus formidoloſis, & cōtrariis ſeu fiduciam afferentibus. Deinde adhibita rerum formidoloſarum diſtinctione, oſtendit eam cerni in re omnium maxime formidoloſa: quam conſtat eſſe mortem. Quæ mors cum varijs caſibus offerri poſſit, hoc amplius oſtendit, poſitam fortitudinem in morte, vt ita dicam, bellica non metuenda.

περὶ φόβους καὶ θάῤῥη.] His duobus verbis quaſi prouerbialibus fortitudinis materiam deſcribunt Græci, qua Phraſi hac in re ſæpe vſus eſt & Plato. Cic. *lib. 4. Tuſcul.* quadantenus exprimere volens; *Fortitudo*, inquit, *eſt ſcientia rerum formidoloſarum & contrariarum.* Quanquam his verbis Cicero potius reddidit iſta Græcorum, ſeu Platonis hanc definitionem *in Lachete & Protagora extremo*; Fortitudo, inquit, eſt *σοφία τῶν δεινῶν καὶ θαῤῥαλέων*, aut: *τῶν δεινῶν ἢ μὴ δεινῶν*. Latine quidam ita reddunt, *in formidine & confidentia*: alij, *in formidine & audacia*: alij, *in formidine & fiducia.* Ex quibus confidentia & audacia, in malam partem accipiuntur; fiducia in vtramque; quod malim, propterea quod duo priora vitij ſint vocabula, cum fortitudine pugnantia: cum θάῤῥος non tam ſit habitus vitioſus, quam perturbatio ſeu πάθος, in quo moderando conſiſtit hæc virtus.

φοβούμεθα δὲ δηλονότι.] Quia dictum eſt, in metu & fiducia poſitam eſſe Fortitudinem, ſtatim hic agit de metu & rebus metuendis, ſeu formidoloſis, in quib. fere omnis eius cõſumitur oratio, propterea quod magis in metu moderando, quam in fiducia verſetur fortitudo: quemadmodum temperantia, etſi in doloribus & voluptatibus moderandis cernitur, magis tamen in altero, nempe in voluptatibus verſatur. Et certe vulgo quoq; is fortis dici ſolet, qui ad pericula adeunda imperterrito ſit animo. Ait igitur; *metuimus ea vtiq;, quæ ſunt formidoloſa*. Argumentum eſt à coniugatis, hunc in modum:

Si fortitudo eſt in metu & fiducia.

Metus autem rerum eſt formidoloſarum.

Ergo & fortitudo in rebus formidoloſis eſt poſita.

ταῦτα δ' ἐστίν.] Iam igitur oſtendit, quæ ſint res formidoloſæ, & vno verbo, breuiterque definit, eſſe eas, quæ vulgo dicantur mala, qualia ſunt conuicia, dedecus, ignominia, debilitas, orbitas, amicorum ſolitudo, paupertas, vulnera, exilium, morbi, ſeruitus, mali liberi & vxor, mors, iniuriæ, & cætera.

διὸ καὶ τὸν φόβον.] Ex definitione metus oſtendit, quod modo attulit, nempe formidoloſa eſſe ea, quæ vulgo dicuntur mala. *Nam*, inquit, *metus ab omnibus definiri ſolet, expectatio mali*. Ita & apud Platonem *in Protagora* φόβος, & *in Lachete* δέος definitur, & apud Ciceronem *4. Tuſcul. extrema*: *Si ſpes*, inquit, *eſt expetatio boni, mali expectationem eſſe neceſſe eſt metum*. Et hac definitione quoq; vſi poſtea ſunt Stoici: teſte Laertio *in Zenone*.

ἔνια γὰρ καὶ δεῖ.] Allata breui rerum formidoloſarum definitione, iam eas diſtinguit ſeu diuidit, vt enucleate oſtendat, an in omnibus, an vero in certis duntaxat, & quibuſdam rebus formidoloſis poſita ſit fortitudo. Ait autem hic initio; non in omnibus poſitam eſſe, quod vt cernatur, ita res formidoloſas diuidit, nempe alias eſſe, quæ etiam metui debeant, quaſq; metuere ſit honeſtum: alias quæ videantur quidem formidoloſæ, ſed proprie tamen non ſint: alias deniq; quæ vere ſint formidoloſæ, & in his alias eſſe grauiores & acerbiores, alias leuiores: in grauiſſima & vere formidoloſa, poſitam eſſe fortitudinem.

ἔνια γὰρ καὶ δεῖ.] Primum eſt genus formidoloſarum rerum, nempe, quas etiam honeſtum ſit metuere: turpe non metuere, vt

vt verbera, infamiam & dedecus, carmina ſeu infames libellos. In his autem non poſita eſt fortitudo; propterea quod fortis propriè is eſt, qui non metuit. At has res metuere honeſtum eſt, & proinde fortis quoq; eas metuere debet. Qui igitur has non metuet, quia honeſto (quocum ſemper eſt fortitudo) repugnat, impudens potius quam fortis dici debet. Etſi à vulgo interdum, vt generoſus & fortis dici ſolet, quaſi qui negligat, aut non curet. quid alij de ſe ſentiant. Itaq; & Plato *li. 1. de ll. & lib. 8. de Republ.* grauiſſime reprehendit eos, qui intemperantiam ſeu molliciem deprauato vocabulo vocent humanitatem, impudentiam, fortitudinem.

κτ̀ μεταφορὰν.] Non valet hoc loco Metaphora, quod vulgo, nempe lumen ſeu ſchema orationis, ſed valet idem, quod alias ſæpe Ariſtoteles *καθ' ὁμοιότητα*, id eſt, latine, impropriè ſeu ſimilitudine quadam *ὁμωνύμως*.

πενίαν δ' ἴσως οὐ.] Alterum eſt genus rerum formidoloſarũ, in quibus tamen ipſis fortitudo non cernatur, propterea quod propriè hæ res non ſint formidoloſæ; neq; metui debeant, etſi vulgo ſecus exiſtimatur, quales ſunt, paupertas, dolor, morbi, de magiſtratu deiectio, inuidia: omnia denique ea, quæ non noſtra culpa, neq; per nos, ſed fortuito potius accidant, vt cæcitas, debilitas, mors liberorũ. Ratio .n. cur hæ res propriè metui nõ debeant, ab Ariſt. prætermiſſa, hæc eſſe videtur, quia vitari nequeant, vtpote in nobis nõ poſitæ: Metus .n. propriè eſt cautio quædã, & cautos nos reddit. Fruſtra .n. ab ijs caueam9, q̃ vitari nequeant; fruſtra ergo & metuamus. Itaq; iam cõſtat, quædã viro forti eſſe metuenda, nẽpe quæ ſunt prioris generis: quædam, ne vlli propriè eſſe metuenda, vt quæ ſunt huius generis. Iam vbi nullus eſt metui locus, ibi nec fortitudini. Perperam igitur Plato *in Lachete* fortitudinem conſiſtere ait non tantum in periculis bellicis, ſed etiam in omnibus alijs, puta in maris periculis, morbis, paupertate, in rebus politicis, aduerſus multitudinis impetum, aut potentum inuidiam: atq; adeo non tantum in moleſtijs, ſed etiam in voluptatibus & cupiditatibus poſitam eſſe dicit. Perperam & Cicero, qui *in officiis* poſitam quoq; ait fortitudinem in deſpicientia earum rerum, quæ magni ab hominibus fiant, puta pecuniarum, imperiorum & magiſtratuum: in refrenandis cupiditatibus & voluptatibus, in ægritudine & morbis tollerandis, & in inuidia. Dicuntur quidem vulgo & hæc metuenda, ſed potius ſunt

fugienda & declinanda. Ratio: metus namq; eſt animi quæ-dam contractio. At ob hæc animus contrahi non ſolet. Multa autem ſunt fugienda, vitanda, declinanda, quæ tamen non ſint formidoloſa, vt in conſultando multa reijcimus & declinamus, in via ſæpe homines declinamus (vt peſtilentia infectos) à ſordibus & maculis quoq; declinare ſolemus: quæ tamen omnia non ſunt metuenda.

ἔνιοι γὰρ ἐν τοῖς.] Exemplo oſtendit à pecuniarum contemptu ſumpto, in his rebus non eſſe poſitam fortitudinem. Nam hoc poſito, quod ab omnibus conceditur, fortitudinem quoque in rebus bellicis cerni: adiungit Ariſtoteles: Atqui ſæpe videre eſt, eos qui in reb. bellicis ſint timidiſſimi, promptiſſime tamen pecunias effundant, de paupertate non ſoliciti, id eſt, hanc non metuentes, bellica tamen pericula grauiſſime metuunt.

οὐδ' δὴ εἴ τις ὕβριν.] Hæc particula ſeu clauſula ad alterum genus pertinet, qua docet Ariſtoteles, vti modo dixerat in ſecundi generis rebus imperterritum nõ eſſe fortem: ita ex contrario, in iiſdem rebus pauidum, ſeu eas res metuentem, non eſſe ignauum aut timidum. Verbi gratia, qui filio peregre abeunti metuit ne quid mali accidat, aut eidem ægrotanti, non propterea timidus dicendus erit.

ἤ τι τῶν τοιούτων.] Nempe quæ ſunt ſecundi generis reliqua. Eadem quoq; eſt ratio primi generis: nempe, vt qui in ijs rebus eſt meticuloſus, non ſit dicendus ignauus: vt neq; in ijs intrepidus, dici debet fortis, verbi gratia, *οὐδὲ εἰ θαρρεῖ*, &c. hæc enim clauſula ad primum genus pertinet.

περὶ ποῖα οὖν.] Remotis iam duobus rerum, quæ formidoloſa videantur generibus: ad tertium hic accedit, in quo vera ſit poſita fortitudo: hoc autem genus eſt rerum maxime formidoloſarum.

οὐδεὶς γὰρ ὑπομενητικώτερος.] Ratio, cur in maxime formidoloſis poſita ſit fortitudo: propterea quod inter omnes conſtet, neminem conſtantius & patientius res acerbas ferre viro forti, id eſt, rerum acerbiſſimarum tollerantia maxime fortem decet. Poteſt & altera reddi ratio, nempe, quia virtutes omnes in rebus difficillimis cernantur, vt *ſupra lib.2.*

πέρας γὰρ.] Ratio hic redditur vno verbo, cur res vna omniũ maxime formidoloſa ſit mors, quia, inquit, extremum eſt. & vt ille ait, vltima rerum linea, id eſt, quia omnia vitæ commo-

da,

Digitized by Google

da, & hanc ipſam lucem nobis tollat, inquit Cic. *li. 2. Tuſcul.* præſertim cum mortui vitæ commodis omnibus careant, inquit idem Cic. *lib 1. Tuſcul.* & hoc loco Ariſtoteles ait, ea re viros præſtantiſſimos maxime mortem exhorreſcere.

δόξειε δ' ἂν.] Reperto iam vero genere rerum, in quibus cernatur fortitudo, id ipſum iam amplius diſtinguit. Nam mortem accidere aut in bello & in acie: aut in mari, aut ex morbo, aut deniq; ſupplicio. Itaq; perquirit, quo in genere mortis poſita ſit fortitudo, & concludit, poſitam eſſe in morte, vt ita dicam, bellica, hac ratione, quia ſit pulcherrima. Quod & eleganter Virgilius *libr. 4. Georg. & 2. Æneid.*

Pulchrumq; mori ſuccurrit in armis.

Item *9. & 11. Æneid.*

Pulchramq; petunt per vulnera mortem.

Et *lib. 11. Pallas.*

At ſpolijs ego iam raptis laudabor opimis.
Aut letho inſigni.

Nam huiuſmodi mors plærumque oppeti ſolet pro rebus pulcherrimis, nempe, pro patriæ, liberorum, legum, amicorum, libertatis & religionis defenſione. Formula ſit iſta:

Mors pulcherrima conuenit fortitudini.
Atqui in bello eſt pulcherrima.
Ergo hac conuenit fortitudini.

Propoſitio, ἐν τίνι οὖν; ἐν τοῖς καλλίστοις. Quibus verbis, nempe ποῖοι καλλίστοις intelligendum θανάτοις, vt & iſto mox τοιοῦτοι, nempe θάνατοι. Perperam igitur quidam ita reddit nonne in eo, quod pulcherrimum? at tale eſt id, quod in bello oppetitur: mala & phraſi & ſententia: rectius alij, atque ita vertendum. In quibus igitur? annè in pulcherrimis? Tales autem, quæ in bello, nempe oppetuntur mortes. Ratio propoſitionis: quia cum virtutis finis ſit honeſtum, vt proximo capite: certè, quo quid præclarius erit, & honeſtius: ad virtutem, vt hic ad fortitudinem, ſuo in genere erit accommodatiſſimum. Aſſumptio ibi, τοιοῦτοι δέ: cuius ratio ἐν μεγίστῳ γὰρ, &c. quia in maximo, inquit, & pulcherrimo periculo mortes iſtæ oppetantur, nempe, vt iam explicauimus, pro patriæ, &c. defenſione.

ὁμόλογοι δέ.] Altera eſt aſſumptionis ratio à ſigno, nempe, ab honoribus & præmijs, quibus inſignioribus affici ait eos, qui in bello occubuerint, tam in Rebuſpub. quam in re-

gnis, puta ſtatuis, immunitatibus, victu publico, &c. etiam diuinis honoribus. Ariſtoteles *1. Rhetor.* & Cicero *1. officior.* hinc tot militum commoda, vulgo priuilegia, in Iure ciuili, & Iuſtinianus Imperator; *Per gloriam*, inquit, *viuunt, qui in acie pro patria occubuerint. §. 1. in Inſtitut. de excuſat. Tut. leg. bello amiſſi ff. eodem.* Hinc eſt, quod ſæpe glorietur Cicero, ſibi vni poſt vrbem conditam tributum ſupplicationis honorem togato, qui, vt maximus, non niſi Imperatoribus tribui conſueuerit.

ὑπόγυια ὄντα.] Quidam reddunt *repentina*, alij *propinqua* ſeu *inſtantia*. Vtrumq; ſignificat verbum græcum. Sed poſterius huic loco conuenit, quod perſpicuum fit ex *lib. 3. Eudem. cap. 1.* vbi vocat *πλησίον φαινόμενα καὶ οὐ πόῤῥω.* & *in magnis moralib. libr. 1. cap. 21.* vbi ait, pericula, in quibus fortitudo cernatur, non debere eſſe cuiuſuis temporis, ſiue longinqui, ſed propinqui eſſe debere. Nam alioqui fortis certe dici nō debet, qui verbi gratia, mortem in 10. annos, aut periculum aliquod longe poſitum non metuat: hoc eſt, eſſe extra periculum potius quam in periculo. Tenenda igitur eſt & hæc nota rerum formidoloſarum, nempe propinquas & vicinas eas eſſe debere. De repentinis agetur *infra cap. 8. extremo.*

οὐ μὴν ἀλλά.] Quaſi dicat, etſi in mortibus, quæ mari aut morbo accidunt, non poſita eſt fortitudo: tamen & in his fortiter ſubeundis, intrepido animo erit fortis, aliter tamen atq; *θαλάττιοι*, id eſt, nautici, vt vocat Liuius. Nam viri fortes in his mortibus & deſperant de ſalute, & ægerrime eas ferunt, quod cernere eſt apud Homerum *in Odiſſ. 1.* Et apud Virgil. *Æneid. 1.* & apud Sophoclem *in Aiace*, vbi tres illi præſtantiſſimi Heroes, Vlyſſes, Æneas, & Aiax grauiſſime conqueruntur ſe ingloriam mortem, nempe in mari, non vero glorioſam in prælio obire debere: Et hoc eſt, quod ait hic Ariſtoteles, *ἀνδρίζονται δὲ ἐν οἷς ἐστὶν ἀλκὴ*. *In his* inquit, *fortiter ſe gerunt fortes, in quibus & fortitudini ſit locus, & gloria pariatur, quod neutrum in alijs, quam in bellicis mortibus accidat.* Nautici vero propter experientiam & bene etiam ſperant, & tam ægre mortem eam non ferunt, neq; tam indignantur, quam viri fortes.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Τὸ δὲ φοβερὸν οὐ πᾶσι μέν.] Non debuerat diuelli à priore: nam initio etiam de rerum formidoloſarum diſcrimine agitur. Affert enim aliam quandam earum diſtinctionem, & in hac, quemadmodum & in reliquis omnibus, quomodo ſe gerere debeat vir fortis, nempe conſiderate, & rectæ rationi congruenter, atq; honeſti duntaxat, & decoris cauſa, explicat. Deinde extrema quoque huius virtutis, audaciam & ignauiam: poſtremo duas affert diſſimilitudines extremorum & virtutis: & extremo capite admirabilem quandam ſententiam: ſeu παράδοξον.

τὸ δὲ φοβερὸν.] Scholiaſtes Græcus, quem plæriq; alij ſequuntur, ita explanat nempe, quia auarus metuat pecuniæ amiſſionem; ambitioſus infamiam: vitæ amans, mortem: φιλήδονος dolores & acerbitates. Non recte. Ita potius explicanda ſunt hæc verba ex *lib. 3. Eudem. cap. 1.* Formidoloſa itaq; ſunt bipartita, non ſunt omnibus eadem: Quædam ſimpliciter, quædã non, ſed huic aut illi, vt & iucunda & bona diuidi quoq; ſolẽt. Illius generis ſunt, quæ ab homine præſtari non poſſint, & ſupra eius vires ſunt, vt fulmina, tonitrua, terræmotus, incendia, inundationes: Lunæ & Solis defectiones, (quibus ſæpe territi ſunt exercitus, vt eſt apud Thucydidem & Pontanum) portenta & ſpectra, fluctus deniq;. Humana ſunt reliqua omnia pericula: & hæc vel magna, vel parua. Quod eſt perſpicuum. Et apud Homer. *Illiad λ. & π.* Aiax ob extremum periculum fugere cogitur, & apud Virgil. *Æneid. 11.*

Æneas preſſis undiq; telis.
Per nubem eripitur.

Allata igitur hac diſtinctione, formidoloſa partim eſſe ſupra hominis vires; partim humana: & hæc rurſus eſſe bipartita, nempe, quæ vel plæriq; homines metuant: vt grauia pericula, vulnera, mortem: vel quæ certi homines, ignaui, vt leuiſſima quæque: Quærendum eſt, quemadmodum vir fortis in his gerere ſe debeat, & an vir fortis metuere quoque interdum debeat, & quatenus. De ijs, quæ ſupra hominem, nulla eſt controuerſia, quin & forti ea ſint metuenda. Nam & Ariſtoteles omnibus hoc loco, qui ſana ſint mente præditi, ea metuenda eſſe ait: & paulo inferius furioſos & inſanos, aut

ſenſus communis expertes, vt Celtas dicit, qui ea non metuerent. Omnis igitur difficultas eſt in periculis humanis, & ait Ariſtoteles, virum bonum eſſe quidem ἀνέκπληκτον, h. eſt, imperterritum. (Sic enim hoc loco eſt legendum, non ἀνεπίπληκτον, h. eſt, qui reprehenſione non ſit dignus, qui reprehendi non debeat) nam *in Eudemijs* fortis quoq; dicitur δυσέκπληκτος, quaſi qui vix terrefieri poſſit. Eſſe igitur fortem ἀνέκπληκτον, ſed vt hominem: hoc eſt, vt eleganter *in magnis moralibus, lib. 1. cap. 21.* Qua ratione in viro forti conſideretur fortitudo, in eum non cadere metum: qua ratione homo, cadere: nam alioqui lapidem, inquit, potius futurum, quam hominem. Itaque vir fortis, vt homo, metuere quoq; debet: neq; propter hunc metum ignauiæ argui debet. Modus autem metus, qui in virum fortem cadat, exprimitur ab Ariſtotele, ὡς δεῖ δέ· nempe quatenus recta præſcribat ratio metuet, ſed moderate. Hinc & Cicero *in offic. Nunquam omnino periculi fuga committendum eſt, vt in bello timidi videamur.* Sed fugiendum & illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quo eſſe nihil poteſt ſtultius: & *in Tuſcul. libr. 2.* grauiſſime reprehendit Barbaros, Cimbros, & Celtiberos, qui in morbis lamentarentur, in prælijs exultarent: propterea quod dolores & pericula nulla ratione & ſapientia ferrent, ſed impetu potius. Hinc & Ariſtoteles *in Eudem. Ignauus, inquit, multa, magna, pauca, parua, valde tenuiter metuit; fortis vero modice, vix, raro magna metuere ſolet.* Itaq; hæc duo diligenter ſunt conſideranda, vt quæ metuat, q̃ perferat aut agat vir fortis, ea omnia proficiſcantur ex recta ratione, & fiant honeſti cauſa. Prius, nempe recta ratio, verſatur in rerum attributis, vt quæ præſcribat, quid, quomodo, quãdo, &c. ſit ſubeundum. Et hoc eſt, quod ait Ariſt. ὃ μὲν οὖν ἃ δεῖ καὶ οὗ ἕνεκα.

κατ' ἀξίαν γ&.] Phraſis eſt κατ' ἀξίαν, quæ idem valet, quod κατὰ τὸ δέον, id eſt, *vt par eſt, vt decet,* idem quoq; quod ὡς ὁ λόγος, *vt recta præſcribit ratio:* ita & *ſupra lib. 1. cap. 10.* & *infra li 4. ca. 2. initio,* & alibi locutus eſt. Contra valet παρὰ τὴν ἀξίαν, *infra lib. 4. cap. 2.* & μᾶλλον τῆς ἀξίας, *infra hoc lib. cap. pen. in fin.* Perperam igitur, qui κατὰ τὴν ἀξίαν reddunt, pro cuiuſque dignitate, etſi & hoc quoq; valet, ſed alijs in locis vt *libr. 7. cap. 11. fere in princ.* ἀλλὰ τὸ κατ' ἀξίαν.

τέλος δὲ πάσης.] Locus eſt meo quidẽ iudicio perobſcurus: etſi ſcopus eſt facilis, nempe fortẽ honeſti cauſa omnia agere debe-

Digitized by Google

debere. Hoc enim ſine dubio agit his verbis Ariſtoteles: ibi namque, καλῶ δὴ ἕνεκα, eſt complexio. Sed quemadmodum id confirmet prioribus verbis, non peræque facile eſt videre. Quidam ita concludunt:

Quæ habitus eſt finis, eadem eſt & actionis, quæ ex habitu proficiſcitur.

Atqui fortitudinis finis eſt honeſtum.

Ergo & actionum fortitudinis, id eſt, omnium, quæ aget vir fortis, finis quoque erit honeſtum, id eſt, omnia aget honeſti gratia.

τέλος δὲ πάσης.] Sententia horum verborum hæc eſſe videtur: Actionem, quæ ex habitu ipſo proficiſcatur, eſſe perfectiſſimam ſeu pleniſſimam, & finem quodammodo actionis, id eſt, is qui ex habitu quid agit, agit perfectiſſime. Eo namque omnis actio pertinet, vt habitus tandem conſtituatur, & ex habitu conſtituto ſequatur actio, quæ ſit perfectiſſima, comparata ad actionem priorem, ex qua habitus conſiſtit.

ὁρίζεται γὰρ ἕκαστον.] Id eſt, *ſuo quæque res fine circumſcribitur*, id eſt, à fine nomen & naturam accipit, finis rei cuiuſque eſt natura. Ariſtoteles *lib. 2. de Anima*, ἔτι δὲ ἀπὸ τέλους, &c. vbi Ariſtoteles vim & poteſtatem animi θρεπτικὴν, quia eius finis ſit gignere, ſeu γεννῆσαι, ipſam quoque iure dicendam γεννητικήν: quemadmodum inquit Philoponus, νοῦς ἀπὸ τοῦ νοεῖν, & *ſenſus à ſentiendo*, vt fine & extrema propriaque actione dictus eſt. Et *initio lib. 1. œcon.* hoc vſus argumento docet, ciuitatem conſiſtere non poſſe, vbi finis, ſeu quæ ad finem aſſequendum, nempe ad beatitudinem, bene beateque viuendum neceſſaria deſint. Nam inquit, οὗ ἕνεκα, id eſt, finis cuiuſque rei eſt natura, cuius rei hæc eſt ratio. Nam cum finis & vltimum formæ rationem habeat (forma enim cum adeſt, adeſt finis.) Ex forma autem res omnis denominetur & perficiatur: efficitur, vt formam, ita & finem cuiuſque rei naturam conſtituere. Sic itaq; hoc loco Ariſtoteles; *Si*, inquit, *fortitudo eſt honeſtum, ergo & finis*. Ratio, ὁρίζεται γὰρ, quaſi dicat, fortitudo & finis idem ſunt. Nam vt fortitudo eſt perfectio quædam viri fortis, vtpote habitus: ita & finis eſt perfectio, vt iam dictum eſt.

τῶν δ' ὑπερβαλλόντων.] Explicata ipſa fortitudine, virtute & medio: accedit ad audaciam & ignauiam, vitia & extrema. Et primum quidem de his extremis, quæ maiorem cum fortitudine affinitatem habeant: eaque ſunt duo: Alterum nomine

vacans (*ἀφοβία* tamen communi nomine, aut etiam proprio magis *ἀναλγησία* dici poteſt, vt *ſup. l. 2. extrem.* eſt explicatum) puta, ſi q̃s ne illa quidē q̃ ſupra hominis vires eſſe diximus, metuat, vt terræ motū, &c. quē potius inſanū aut ſenſu cōmuni carentē dicendū ait Ariſt. quam fortem. Idem & Plato *in Lachet.*

κελτοὺς φασί.] Nam *in Eudem.* Celtas ſcribit tam eſſe audaces, vt etiam armis ſumptis, in mare aduerſus fluctus pugnatum procurrant, quod idem, & multo plura audaciæ Celticæ argumenta cōmemorat Ælian. *lib. 12. var. hiſt.* (Celtæ ab Ariſt. & aliis dicuntur omnes ii, qui habitant in regione ſeptentrionali, vel populi ſeptentrionales.) Simili ſtupore laborabat gladiator ille Cæſaris, qui cum vulnera eius exſecarentur, ridere ſit ſolitus, de quo A. Gellius *lib. 12. cap. 5.* *Quæ non eſt*, inquit, *vera fortitudo, quæ contra naturam monſtri vicem nititur, vltraq; modum eius egreditur, aut ſtupore animi, aut immanitate, aut etiam exercitatione gladiatoria, &c.* Nam eſſe quædam intolerabilia, quibus & viri fortes abhorreant.

ὁ δὲ τῷ θαρρεῖν.] Alterum eorum extremorum, quæ cum fortitudine cognationē habere diximus, eſt audacia. Cuius hanc affert notam Ariſtoteles, eſſe eam glorioſam, & veræ fortitudinis ſimulatricem & imitatricem. Quare fit, vt ſæpe audaces vulgo etiam fortes videantur & dicantur, vt eſt apud Platonem *lib. 8. de Repub.* & Cicer. *in partit.* nam vt vere fortis imperterrito eſt animo, & vere eſt imperterritus: ita & audax imperterritus non quidem eſſe, ſed haberi cupit. Nam in periculis ipſis fugam potius arripit, aut ea perferre detrectat, qualis ille apud Plautum Pyrgopolynices.

ὁ δὲ τῷ φοβεῖσθαι.] Alterum eſt extremum, quod ignauia vulgo dicitur: cuius item duo ſunt peccata, cum quia omnia metuat ignauus, tum quia nihil confidat. Verum in priore peccato magis elucet hoc extremum, id eſt, ignauus dicitur potius ex eo, quod omnia metuat, omneſque dolores aut labores detrectet, id eſt, ex dolorū fuga potius dicitur, quam ex fiducia, quam ex eo, quod nihil confidat.

δύσελπις δή τις.] Nota eſt quædam ignauiæ, nempe, nulla eum in ſpe eſſe, male ſemper ipſum ſperare: eo quod ſemper metuat, nihil confidat: At confidere eſt eius, qui bonam ſpem habeat. Concluſio:

In quo eſt fiducia, in eo & ſpes.

In ignauo non eſt fiducia. Ergo neque ſpes.

Propo-

Digitized by Google

Propoſitio confirmatur exemplo viri fortis: quia, qui confidit, bene quoque ſperat.

περὶ ταῦτα μὲν ὤν.] Recte Muretus legit ταυτὰ, id eſt, *eadem.* Hoc enim ait Ariſtoteles in iiſdem rebus, nempe formidoloſis & contrariis verſari fortes, audaces & ignauos, ſed diſſimili ratione. Nam hi poſtremi duo, partim nimium, partim id quod parum, ſectantur, fortes vero ὡς δεῖ, id eſt, *ipſum decorum & rectæ rationis normam.*

καὶ οἱ μὲν θρασεῖς.] Eſt hæc altera diſſimilitudo audacis & viri fortis. Nam audaces ante pericula quidem, & rem gerendam eſſe promptos & cupidos: in ipſis periculis non item: contra vero fortes in ipſis rebus & periculis eſſe ſtrenuos: ante quietos. Ex illo audacium genere eſt Iubellius ille Campanus apud Liuium *lib. 2.* & Ariſtogiton Athenienſis: qui multis diebus de ſua animi promptitudine & bello animoſe diſputaret: poſtea cum bellum eſſet indicendum, crure obligato, morbum ſimulauit. Talem & ludit Ariſtophanes, Piſandrum quendam, de quo prouerbium, *Ignauior Piſandro.* Sic apud Liuium *lib. 7.* Dictator in milites quoſdam; *In caſtris,* inquit, *feroces, in acie pauidi.* Quare & apud Homer. *lib. 3. & 4. Iliad.* Troiani magno cum ſtrepitu & molimine, vt iactabundi & glorioſi: Græci ſilentio in aciē deſcendunt. Eſt & pulcherrimus locus apud Appianum *de bello ciuili:* quo loco commemoratur prælium inter Conſules, Hirciū & Panſam, & M. Antoniū: quorū milites Veteranos quidem ſilentio & acrimonia pugnaſſe; tyrones autem magno cum ſtrepitu & clamoribus confuſis, ait; *Huc pertinet, audaces eſſe maledicos & verboſos, fortes non itē: vt ap. Virg. l. 10.*

> ------ *veſano talia late*
>
> *Dicta volans Ligeri, ſed non & Troius heros*
>
> *Dicta parat contra, iaculum nam torquet in hoſtem.*

τὸ δ' ἀποθνήσκειν.] Locus eſt inſignis de morte voluntaria; An qui ſibi manus afferant, fortes eo nomine ſint dicendi. Negat Ariſt. duabus rationibus; cum quia mollis & fracti potius ſit animi, grauia incommoda, dolores aut calamitates non poſſe perferre: cū fortis viri propria ſit patiētia, eiuſq; hæc ſunt verba:

> *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.*

Tum quia non honeſti cauſa & decoris, ſed mali fuga & moleſtiæ vitandæ cauſa mortem ſibi conſciſcere ſoleant. At fortes honeſti cauſa omnia agere, iam dictum eſt. Prior ratio hac ipſa in re ab Auguſtino quoq; affertur *lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 21.*

& à

& à Ioſepho *lib. 3. exilij Hieroſolymitani, cap. 21.* in quadam pulcherrima oratione. Et à Plutarcho *in vita Cleonis extrema pene.* Qui omnes hanc Ariſtotelis ſententiam probant, etſi admirabilem vulgo & παράδοξον: vulgo namque creditur, fortis eſſe viri, mortem ſibi conſciſcere, manuſque afferre potius, quam graue aliquod damnum aut ignominiam capere. Latiſſime autem patet hic locus de voluntaria morte: & duæ tamen ſummæ quæſtiones de ea agitari ſolent: An fortis ea ſit viri: deinde an excuſatione aut laude etiam ſit digna, an vero pœna. De priore quæſtione hic agit Ariſtoteles, & quos modo attuli. Apud Euripidem quoque Hercules, audita liberorum morte, cum ſibi manus afferendi conſilium primo cepiſſet: poſtea mutato animo, grauiſſime exclamat: ſe, qui maxima perpeſſus ſit pericula, non debere mortem ſibi conſciſcere, victum dolore ex filiorum mortibus. Quæri autem poteſt, an Ariſtotelis hic locus in omnibus cauſis locum habeat: hoc eſt, an quacunque in cauſa quis ſibi mortem afferat, ignauus ſit dicendus. Ipſe Ariſtoteles duas affert cauſas, paupertatem & amorem: adiicit tamen ἤ τι λυπηρὸν, hoc eſt, aut ſi qua ſit alia cauſa moleſtiæ plena. Cauſæ plures ſunt, vitæ tædium aut ſenectus, morbi impatientia, exilium, ſeu patriæ amiſſio: mortes liberorum, vxoris aut amicorum, metus ſupplicii aut ignominiæ, aut ne quis in manus hoſtium veniat, nempe odium & metus ſeruitutis, ambitio quoque & cupiditas immortalitatis, pudor ereptæ pudicitiæ, aut non bene geſtæ rei, deſperatio denique. De paupertate quotidiana ſunt exempla. De amore extant apud Virgil. *lib. 6. Æneid.*

Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes peperere manus, lucemq́; peroſi
Proiecere animas, quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores. &c.
Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi, &c.
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Affert Poeta Phædram, Procryn, Eriphylem, & ipſam Didonem. [extat & apud Plutarchum elegans exemplum hac de re, Seleuci filii, qui nouercam Stratonicen ita adamauit, vt eius cauſa in morbum grauiſſimum incideret, & contabuiſſet, niſi ea eſſet potitus.]

De morbis exempla ſint ii, qui cibi abſtinentia mori ſoliti ſint,

ſint, & Græce dicuntur ἀποκαρτερήσαντες, teſte Cicerone *lib. 1. de Finib.* quomodo mortem obiit Ciceronis Atticus, teſte Cornelio nepote *in eius vita.* Et Anaxagoras Philoſophus, teſte Plutarcho *in vita Periclis.*

Seruitutis odio, aut ne in hoſtium poteſtatem venirent, metu manus ſibi attulerunt, Demoſthenes, Cato, Scipio, Brutus, Caſſius.

Pudore ereptæ pudicitiæ, Lucretia, pudore ne patriæ bellum inferret Themiſthocles.

Ambitione & iactantia ſeu immortalitatis cupiditate, Empedocles, Calanus Indus, de quo Plutarchus *in Alexandro,* & Cicero *libr. 1. de Diuinat.* Et Zarmannus Indus, de quo apud Dionem, & Peregrinus Porteus, de quo Lucianus *in vita illius,* & A. Gellius, atque Tertullianus, & Alciatus *libro quarto παρέργων. cap 5.* Deſperantes celeberrimi ſunt, olim Iudas, nuper Franciſcus Spira Italus, de quo apud Sleidanum. Quæri igitur poteſt, an his omnibus in cauſis locum habeat hæc Ariſtotelis ſententia. Et putat Muretus *lib. 4. variarum lect. cap. 2.* & certe Auguſtinus & Cleomenes apud Plutarchum, Ioſephus quoque idem exiſtimant. Quæ vt vera ſit ſententia, non puto tamen eam fuiſſe Ariſtotelis mentem, ſed hanc potius, vt qui ob paupertatem, amorem, morbum, mortes ſuorum, aut ſimiles calamitates mortem ſibi afferant, non ſint fortes dicendi. De his autē, qui ſeruitutis, aut alterius turpitudinis metu mortem ſibi conſciſcant, non puto loqui Ariſtotelem. Nam & Plato *lib. 9. de legib.* hæc genera diligenter quoque diſtinguit. Altera eſt quæſtio communior, an vlla in cauſa mortem ſibi quis conſciſcere debeat, aut iure poſſit. Negant Theologi: Auguſtinus *eo loco,* id eſt, *lib. 1. de Ciuitate Dei. cap. 16. vſque ad cap. 24.* vbi Lucretiam & Catonem grauiter reprehendit, vt ſui homicidas. Quod idem facit Lactantius grauiſſime *lib. 3. Inſtitut. Chriſt. cap. 18.* hac ratione, quia innocentem occidere ſit iniuſtiſſimum. Hac de re extat quoque pulcherrima diſputatio apud Platonem *in Phædone,* qui & idem probat his duabus rationibus; tum, quia iniuſſu magiſtratus ex cuſtodia (homo autem à Deo, velut in cuſtodia corporis, collocatus eſt) fugere aut exire debet: tum quia Dei mancipia (quæ conſtat nullum in proprium etiam corpus ius habere) ſint homines, quod & Iuriſconſ. *in l. liber homo. D. ad leg. Aquil. Nemo,* inquit, *ſuorum membrorum eſt dominus.* Eaque re olim qui ſibi manus attuliſſent,

tuliſſent, Iudæi inſepultos proiiciebant, teſte *eo loco* Ioſepho. Idemque iubet Plato *lib. 9 de legib.* ſed adhibita priore diſtinctione. Philoſophi tamen adhibita diſtinctione, hac de re ſunt locuti, & conceſſerunt mortem voluntariam, ſi non eſſet metu ſupplicii, aut auaritia, & ſimili animi imbecillitate illata. Reliquas cauſas iuſtas exiſtimabant, vt eſt apud Cic. *lib 2. Tuſcul. & lib. 1. Officior.* quam iuſtam & voluntariam mortem vocare ſolent εὔλογον ἐξαγωγὴν, vt eſt apud Laertium *in vita Zenonis*, & Alexandrum Aphrodiſienſem *lib. 2. de Anima, fere in fine.* Hanc quoque diſputationē probant leges ciuiles, *l. ſi quis filio. §. 1. de iniuſt. rupt. l. in fraudem. in fine. D. de iure fiſci. l. omne delictum. §. qui ſe vulnerauit. D. de re militari.*

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Λέγονται δὲ καὶ ἕτεραι κατὰ πέντε τρόπους.] Explicata vera fortitudine cum ſuis extremis: affert hoc loco quinque fortitudinis non veræ genera, quæ *in Eudem.* καθ᾽ ὁμοιότητα, id eſt, *diſſimilitudine quadam*, dicuntur. Supra quoque *capitis 6. initio*, fortitudinis quoddam genus non veræ, ſeu non propriæ, ſed καθ᾽ ὁμοιότητα & ſimulatæ eſt explicatum. Hic alia quinque, vt dixi, explicantur, de quibus & breuiter *in Eudem. lib. 3. cap. 1.* & breuius *in Magn. Moral. lib. 1. cap. 21.* & Pontanus *libr. 1. de fortitudine, cap. 21. vſque ad 32.* & Franciſcus Patricius *lib. 7. de regno, cap. 3. cum 3. ſeqq.* Quæ autem harum cum vera ſit ſimilitudo, aut diſſimilitudo (quæ in vna maior eſt, quam in altera) in ſuo quæque genere indicabitur. Generatim tamen ſimilitudo in eo conſiſtit, quod tam in his, quam in vera fortitudine ſit ἀφοβία quædam, animuſque ad pericula adeunda paratus: diſſimilitudo autem, cum quia vera ſit conſtans & perpetua, vtpote habitus: ſimulatæ non item: tum quia vera, honeſti & decoris veri gratia agat: iſtæ non item.

πρῶτον μὲν ἡ πολιτική.] Prima eſt Politica ſeu Ciuilis, à ciuibus dicta, qui fortiter pericula adire ſoleāt, aut infamiæ & pœnarum metu, aut honorum & præmiorum legibus decretorum cauſa. Et hinc eſt, quod ciues eius Reip. habeantur fortiſſimi, apud quos viris fortibus magna ſint conſtituta præmia: ignauis & imbecillibus, pœnæ & infamia, vt apud Germanos, teſte Tacito *de Moribus Germanorum.* Apud Lacedæmonios, teſte

Plu-

Digitized by Google

Plutarcho *in Cleomene*. Romæ etiam extremo afficiebantur ſupplicio, teſte I.C. Arriano *in l. omne delictum. D. de re milit.* & multis infamiæ generibus, de quibus Vegetius, Frontinus, A.Gellius, Cicero & alii.

ποιητὴς δὲ καὶ ὅμηρος.] Exemplo Hectoris & Diomedis ex Homero, hanc Politicam fortitudinem illuſtrat. Hector enim *Iliad.* χ. *in principio*, deliberans ſecum, & conſtituens, honeſtius eſſe cum Achille congredi, quam in vrbem ſe recipere: *Si*, inquit, *in vrbem redeo*, quaſi fugiens, tum Polydamas me inprimis conuitiis excipiet, cuius conſilio, ſuadentis, vt ne Troianos Achillis iræ obiicerem, ſed ſaluos in vrbem reducerem, qui iam miſerrime ab illo ſunt conciſi, non paruerim. Eſt autem hic verſiculus Polydamas, &c. quaſi prouerbialis: quo & Cic. vtitur *lib. 2. ad Attic Epiſt. 5 & lib. 7.*

ἕκτωρ γάρ.] Sic & Diomedes *Iliados* θ. ad Neſtorem fugam ipſi ſuadentem; *Nolo*, inquit, *ne aliquando dicat Hector & glorietur, Diomedem à ſe fugatum eſſe.* Sic apud Virgilium Turnus *libro 10.*

Quo neq; me Rutuli, neq; conſcia turba ſequatur.

ὡμοίωται δ' αὕτη.] Explicatur iam hoc loco, quæ huius cum vera fortitudine ſit diſſimilitudo. Et ait Ariſt. hanc veræ eſſe ſimilimam, maximeque cognatam: eo quod illa ſcil. vera, ita & iſta honeſti gratia, & turpitudinis fuga fiat. Dictum namque eſt, ciues interdum fortiter pugnare: aut propter præmia & honores (quod honeſtum eſt) aut infamiæ & pœnarum euitandarũ cauſa, id eſt, turpitudinis fuga. Diſſimilitudo quidem omittitur ab Ariſt. ſed eſt & illa non minima: nam vt omittantur communes diſſimilitudines, quas initio attuli, vere fortis honeſtum perſequitur per ſe, id eſt, nullo propoſito pręmio aut honore: nullo, inquam, alio cõſilio fortiter ſe gerit, quam quia id honeſtum eſſe iudicet. Politicus autem honeſtum perſequitur, non per ſe, ſed per conſequentias, id eſt, per accidens, vt loquuntur ICti, id eſt, fortiter ſe gerit ob honores, quib. cõiuncta eſt honeſtas. Contra vero fortis turpitudinem fugit per ſe, alter non item: ſed potius infamiæ aut pœnarum metu.

τάξαι δ' ἄν τις.] Quid Politica ſit fortitudo, & quorum propria iam dictum eſt. Hic de iis, qui pericula quidem adeunt, & fortiter pugnant. Sed Imperatorum, aut eorũ, quorum ſunt in poteſtate, iuſſu & coactu: quiq; à ſuis pfectis vel inuiti pugnare cogantur, quod variis fit modis: Primum, graui etiam mortis propo-

propoſita pœna, quod Hector facit *Iliad* ο ἕκτωρ δὲ πρώτοισι· & Agamemnon *Iliad.* β. ὃν δ' κ' ἐγών. quem locum hic adducit Ariſtoteles, & Hectori attribuit, memoria lapſus, altero loco ſumpto pro altero. Deinde verberibus & flagellis, ſub quibus olim Perſas aduerſus Lacedæmonios in Thermopylis ductos pugnaſſe narrat Herodotus. Hoc vult Ariſtoteles his verbis; ἢ οἱ προστάττοντες, id eſt, qui ſuum cuique locum in acie deſcribunt & attribuunt, nempe præfecti aut duces: Id enim hic valere προστάττοντες puto. Alii vertunt, *qui imperant*: alii, *qui ordines ducunt*: alii mutant & legunt προτάττοντες, id eſt, *in prima acie locantes.*

τὸ αὐτὸ δρῶσι.] Id eſt, ἀναγκάζουσι, *cogunt.*

καὶ οἱ πρὸ τῶν.] Tertia cogendi ratio, qua ſæpe duces belli vtuntur, nempe, cum foſſam à tergo exercitui obiiciunt, vt vel inuiti pugnare cogantur, quia nullus fugæ pateat locus, cum à fronte ſit hoſtis, à tergo foſſa. Quod olim Laconas in prælio aduerſus Meſſenios feciſſe narrat Scholiaſtes Græcus ex Poeta Tyrtæo. Et Pauſanias *in Meſſenicis.* Sic & Romanus Conſul Odaſſilius Craſſus, milites, qui ab Hannibale ſub iugum miſſi, ad ſe in caſtra redierant, extra vallum tendere iuſſit, vt immuniti aſſueſcerent periculis, & aduerſus hoſtem fierent audentiores. Idem fecit Domitius Corbulo, aliique multi, de quibus Frontinus *lib. 4. Stratagem. cap. 1.*

καὶ τῶν τοιούτων.] Vt cum pontes reſcindunt, portas occludũt, ne receptus pateat ad ſuos fugientibus: quod olim factitarunt Coronæi aduerſus Onomarchũ & Phocenſes, qua de re mox. Huc pertinent alii omnes modi, quibus vel inuiti milites pugnare cogantur, vt cum apud Homerum *Iliad.* δ. Neſtor aciem ſuorum inſtruens, primos collocat equites, vltimos pedites fortiores, ignauos vero in medio κακοὺς δ' ἐς μέσσον, ἔλασσεν ὄφρα, &c. vt nolentes volentes pugnare cogerentur. Itaque hos omnes, qui à ſuis ducibus coacti fortiter pugnant, ad primam non veræ fortitudinis ſpeciem referendos exiſtimat Ariſtoteles. Nam vt ciues legum pœnis: ita hi ducum verberibus aut minis impulſi pugnant: illis tamen deteriores; quod illi, Politici, inquam, & ciues ob pudorem, hi ob metum: illi turpitudinis; hi ſolius moleſtiæ & verberum effugiendorum cauſa pugnent, & hoc eſt, quod ait, χείρους δὲ, ὅσῳ οὐ δι' αἰδῶ.

δεῖ δ' οὐ δι' ἀνάγκην.] Affert hic diſſimilitudinem inter inuite fortes,

Digitized by Google

fortes, & vere fortes: nam hos fortiter ſe gerere honeſti cauſa; illos neceſſitatis, id eſt, quia cogantur.

δοκεῖ δὲ καὶ ἡ.] Alter modus ſeu genus non veræ fortitudinis δι' ἐμπειρίαν, *hic, & in Magnis, & Eudemiis*, vocat Ariſtoteles: Latine ex vſu & peritia dici poteſt: deinde & στρατιωτικὴν ſeu militaris, eo quod maxime in militibus iſta cernatur, *libr. 3. Eudem. cap. 1.*

τοιοῦτοι δ' ἄλλοι.] Hic explicat, quorum propria hæc ſit fortitudo: & ait, cum aliis omnibus in rebus, tum maxime in bellicis, id eſt, in militibus eam locum habere. Certe & in nautis malos ſcandentibus, aut aduerſus tempeſtates intrepidis: in medicis aduerſus morbos, in fabris domos ſcandentibus; in vrinatoribus aquas perſcrutantibus; in athletis, in militibus denique quantam vim ad audaciam & animos faciendos habeat vſus, peritia & exercitatio, perſpicuum eſt eſt, & copioſe oſtendit Cicero *lib. 2. Tuſcul. cap. 4.* & perſpicue cernere licet ex milite veterano ac tyrone, quod quidem adeo Platoni & Socrati placuit, vt non hanc duntaxat ſpeciem, ſed etiam veram fortitudinem putatint eſſe peritiam aut ſcientiam rerum formidoloſarum & contrariarum, *in Lachete, & in Protagora.* Non recte tamen: nam vſu & peritia fortes, non eo ſunt fortes, quia ſciant res formidoloſas; ſed quia longo vſu & peritia ſciant aduerſus eas adiumenta, quibus ſe tueri poſſint, vt recte Ariſtoteles *lib. 3. Eudem. cap. 1. in fin.* Habet igitur locum hæc fortitudo multis in rebus: maxime tamen in bellicis, propterea quod multa ſunt belli inania. δοκεῖ γὰρ, hoc eſt, multi ſunt ſubiti terrores in bello, quibus tyrones & imperiti ſtatim perturbantur: veterani non item; vt præclare Cæſar *lib. 1. de bello ciuili: Tantus ſubito timor omnem exercitum occupauit, &c.* Duo igitur præſtat militibus hæc peritia, & in re militari vſus aut ſcientia: Primum, vt quæ multa ſunt belli inania, quod prouerbio dicitur (de quo Eraſmus, prætermiſſo tamen hoc loco) multique vani terrores, quos imperiti ignorant, & ſæpe ſubito iis perturbantur: ipſi cognoſcant, cognitis non commoueantur aut metuant: eaque re imperitis aut tyronibus, quaſi qui non temere metuant, fortiſſimi haberi ſolent. Deinde εἶτα ποιῆσαι, &c. vt armis bene vti ſciant, ictus hoſtium declinare, & cōtra hoſtem ferire; quod ipſum audaciam quoq; & animos facit, non ſecus atq; ſi armatus cum inermi pugnaret, aut exercitatus athleta cum rudi aut tyrone.

καὶ γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις.] Quaſi dicat, in his certaminibus athleticis, aut in ludis gladiatoriis, robur & corpus exercitatione firmatum: & ludis iſtis aptum iam redditum, plus valet, quam fortitudo, ſeu, vt Ariſtoteles loquitur, in his ludis, non qui fortiſſimi, ſed qui robuſtiſſimi, & viribus corporis maxime antecellant, ſunt pugnaciſſimi, optimeque ſe gerunt. Vt igitur in his ludis non tam fortitudo, quam vſus & exercitatio multum poteſt: ita & in re militari, vſus & exercitatio milites reddit pugnaciſſimos. Sic locus hic obſcurior explicandus & accommodandus mihi videtur.

οἱ στρατιῶται δὲ.] Hic iam diſſimilitudinem affert inter vere fortem & militem: hunc namque non perſtare in periculis perferendis, ſed ſimulac hoſtē aut copiis, aut alio bellico apparatu ſuperiorem viderit, fugam capeſſere: vere fortem contra. Qua ipſa in perſeuerantia, & periculorum perpeſſione, Politicam fortitudinem militari quoque antecellere: nam & ciues ad mortem vſque pro patria pugnare ſolitos, oſtendit Ariſtoteles exemplo prælii in Hermæo [planicies eſt prope Coronæam Bœotiæ vrbem] commiſſi: in quo olim Coronæi aduerſus Onomarchum, Phocenſium hoſtium ſuorum Ducem, qui arcem vrbis proditione iam ceperat, fortiter pugnando omnes occubuerunt, qui auxilio iis venerant: Thebani non item. Nam ſtatim cognita ſui Ducis Chæronis morte, fuga domum ſe receperunt, quod prælium exponit Scholiaſtes Græcus ex Cephiſodoro *lib. 12. de bello ſacro.* ex Anaximene *lib. 4. de rebus geſtis Philippi*, & ex Ephoro *lib. 30.* meminit & leuiter Diodorus *lib. 16.*

καὶ τὸν θυμὸν δὲ.] Tertium fortitudinis non veræ genus hoc loco ad θυμὸς, animos fere refertur ab Ariſtotele *in Eudemiis*, communiori nomine dicitur διὰ πάθος, vt contineatur cupiditas, amor & ira. Nam & mox Ariſtoteles cupiditatis & amoris quoque meminit. Eſt igitur eorum hæc fortitudo, qui vel ira, aut amore, vel ſimili cupiditate ad pericula ſubeunda ſtimulantur. Et primum quidem oſtendit hoc loco Ariſtoteles, cur ira excitati, fortes quoque dici poſſint: cum ex eo, quod omnes viri fortes ſint θυμοειδεῖς, quod in viro forti ſit quoque animoſitas θυμὸς, & ira: tum quia & ira animi res ſit, ad excitandam alacritatem, ad ſubeunda pericula accommodatiſſima. De priore ratione mox latius: poſteriorem comprobat teſtimoniis Homeri, quorum omnium hæc vis eſt, vt

ani-

Digitized by Google

animorum & iræ impetum ad res gerendas ſeu exequendas declarent.

ἰτητικώτατον γὰρ.] Sic eſt legendum, id eſt, *ὁρμητικώτατον* & *κινητικώτατον*, inquit Scholiaſtes Græcus, id eſt, ſtimulandi & excitandi vim maximam habet ira ad pericula: *ἴτης*, quod vſitatum eſt verbum; Latine eſt *paratus* & *alacris*: hinc *ἰτητικώτατον*, quod rarius eſt verbum: nam vt *infr. lib. 4. cap. 1.* liberalis minime dicitur *αἰτητικὸς*, ita hoc loco *θυμὸς* eſt *ἰτητικός*.

σθένος ἔμβαλε.] Ex *Iliad. π.* de Apolline, qui Glauco vulnerato operam ferens, animos illi inijcit. Idem facit Aiacibus Neptunus *lib. ν. Iliad. χαρμῇ γεγηθοσύνῃ.* & Minerua Græcis *2. Iliad. ἐν δὲ σθένος ὦρσεν.*

καὶ μένος ἐς θυμόν.] De Ioue Troianis animum augente *Iliad. ο.* Sic & Apollo Hectori *eodem lib. ὣς εἰπὼν ἔμπνευσε μένος μέγα ποιμένι λαῶν.*

καὶ θυμὸν ἔγειρε.] Hoc de Marte Troianis opem ferente *Iliad. ε.* & *eod. lib.* Iuno in pugnam deſcendens: *ὤτρυνε μένος καὶ θυμὸν ἑκάστου.*

δριμὺ δ᾽ ἀνά.] Ex *Odyſ. ω.* vbi Vlyſſes, qui patrem ſe antea celarat, cum eum ſe affligentem videret, tenere ſe amplius non potuit, quin ſe vindicaret: animus enim non ſuſtinebat diuturniorem ſimulationem: *τοῦ δὲ ὠρίνετο θυμός*: qui locus proprie quidem ad commiſeratione̅ pertinet, ſed in alium ſenſum detortus eſt ab Ariſtotele, nempe ad animos irati ac fortis viri.

καὶ ἔζεσεν αἷμα.] Hoc non puto facile reperiri poſſe apud Homerum. Et ſolet interdum Ariſtoteles adducere, quæ hodie in libris Homericis non extent, vt *vt libro 4. Politicorum, παρ᾽ γὰρ ἐμοὶ θάνατος*, quod hemiſtichium ſine dubio hodie non eſt in libris Homeri: & *in Elenchis* quoque. Huc tamen pertinet, quod Plato *in Cratylo, θυμὸν* dictum ait quaſi *θύσιν καὶ ζέσιν ψυχῆς*. Similia loca extant apud Poetas quamplurima, vt apud Virg. *lib. 10.* de Ænea: ----- *Sæua iamq; altius ira*

Dardanio ſurgunt Ductori. -----

& *lib. 9.* de Euryalo. Videatur & Victorius in variis lectionibus de mente aut animo interiecto.

οἱ μὲν οὖν ἀνδρεῖοι.] Poſtquam docuit fortes quoq; videri, qui ira impulſi fortiter quid agant: hic iam affert, quæ diſſimilitudo tame̅ ſit inter vere fortem & ira commotum, quod vt explicet, adiungit & de iræ vi, poteſtate & vtilitate, tam in viris

 forti-

fortibus, quàm in his, de quibus hoc loco agitur, quam deniq; in ipſis beluis. Differũt igitur in eo, quod vere fortis omnia honeſti cauſa agat, ab ipſa honeſtate excitetur, & quod agat conſiderate perpenſa periculorum magnitudine, h. e. prout recta præſcribit ratio: irati vero, dolore potius, aut vindictæ cupiditate ſtimulētur, nulla habita honeſti ratione, nulla cum periculorum magnitudinis cõſideratione, quod ex beſtiis clarius perſpicitur, vt in quibus impetus, & vis iræ maximè eluceat. Has igitur dolore ſtimulatas, ruere in perſequentem aut vulnerantem, ex eo docet Ariſt. quod illæ ipſæ, ſi non agitentur, aut vulnerentur, eoque ſint in loco, puta palude aut in ſaltu, vbi ſe tutas fore putent, neminem adoriri ſoleant: Solo igitur dolore ſtimulatæ ruunt in pericula. Temere autem, nullaque adhibita conſideratione, ruere in hoſtem iratos, vt omnibus notum eſt, non demonſtrat Ariſtoteles. Virgilius *ſecundo Æneid.*

Furor iraque mentem præcipitant.

Satis illi fuit vno verbo indicaſſe paulo inferius; οὐδὲν τῶν δεινῶν προορῶντα. Ex hac diſſimilitudine iam conſtat vere fortes non eſſe, qui ita ſtimulentur ad pericula. Et hoc eſt, quod ait, οὐ δή ἐστιν ἀνδρεία.

διὰ τὸ ἀλγηδόνος.] Locus videtur mendoſus. Itaq; Dionyſ. Lambin. legendum putat, τῷ δ' ἀλγηδόνος, vel διὰ τὸ ὑπ' ἀλγηδόνος, &c. puto leuiſſima immutatione ita poti⁹ legendũ διὰ τὸ δ' ἀλγηδόνος; nam & mox ita fere, τὰ δ' ἀλγηδόνος, &c. quod mendi genus in omnibus ſcriptoribus ſæpe occurrit, vt vnum verbum bis poſitum à ſcriptore, ſemel omitteretur à librario ſeu Typographo.

ἐπεὶ οὕτω γε.] Altera eſt ratio, cur beluæ, omneſq; ii, qui dolore aut impetu ſtimulentur ad pericula, vere non ſint fortes, ducta ab abſurdo: efficeretur enim, vt & aſini, quod conſtat animal eſſe ignauiſſimum, & mœchi homines nequiſſimi ſint futuri fortes. Concludatur hunc in modum:

Si, quia ad pericula ſtimulantur dolore vel ira, eo fortes ſint dicendi. Ergo & aſini & mœchi fortes erunt.

Hoc abſurdum.

Ergo & illud.

Ratio conſequentiæ ibi, τυπτόμενοι γὰρ: *nam aſini ſæpe grauiſſimas,* inquit, *plagas perpetiuntur ventris & pabuli cauſa:* Vt ille

Digitized by Google

ille aſinus, cui Aiacis pertinacem fortitudinem ac tolerantiam comparat Homerus *Iliad.* χ. ὡς δ' ὅτ' ὄνος, &c. ad quem hoc loco alluſiſſe videtur Ariſtoteles. Mœchi quoque libidinis ſuæ expetēdæ gratia multa pericula pleniſſima ſuſcipiunt: conſcendunt tecta, curſitant in nocte: de quibus videatur Horat. *lib. 1. ſerm. 11. Audire eſt opera pretium*. Eadē eſt & amoris ratio, quo inflammati multi multa ſubeunt pericula. Exemplo ſit Leander, quo de Ouid. & qui in Metaponto vere, & in Creta fabuloſe alter, tyrannum amoris cauſa occiderunt, teſte Ariſt. *l. 3. Eud. c. 1.* qualis & Galeatius ille Mantuanus eques, qui, teſte Pontano *lib. 1. de fortitudine, c. 26.* puellæ cauſa ſe cum equo in Ticinum de ponte præcipitem dare nō dubitauit. Eadē eſt & aliarum cupiditatum ratio: *Luxurioſus vel mortem, ſi ſuaue ſit, non recuſet*, inquit Ariſt. *in Eudem. Mercator quæſtus gratia omnia maris pericula & naufragia contemnit.* De ambitioſis ita Cic. *2. Tuſcul. extrem. Quid de noſtris ambitionibus? quid de cupiditate honorum loquar? quæ flamma eſt, quam non cucurrerint, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant.*

φυσικωτάτη δ' ἔοικεν.] Affert notam, qua hæc irati fortitudo à cæteris diſtingui poſſit, nempe eſſe eam maxime naturalem, & ſecundum naturam: facileque eam in veram fortitudinem commutari poſſe, ſi finis veræ fortitudinis, honeſtum & recta ratio conſiliumque accedat. Nam generoſi animi, accedente diſciplina vere fortes tandem euadunt: ignaui & timidi natura, nunquam. Cur autem hæc maxime ſit ſecundum naturam, hæc eſt ratio, quia cauſam habeat naturalem, nempe iram, qui motus eſt animi natura nobis inſitus, vt mox dicetur. Reliqua non veræ fortitudinis genera alias cauſas habent, partim ex metu aut pudore, partim ex vſu, ſpe vel ignorantia, quæ non ſunt naturales. Itaque huius fortitudinis participes ſunt & beluæ & pueri, qui non tam ratione, quam natura duce agunt. Barbarorum quoque fortitudinem talem eſſe ait Ariſtoteles *in Eudemiis*: qui impetu potius & iracundia bella gerant, & pericula adeant, quam ratione, quod idem de Cimbris & Celtiberis commemorat Cicero *2. Tuſcul.* De Germanis Seneca *lib. 2. de Ira.* De Romanis & omnibus Occidentis nationibus Scholiaſtes Græcus.

καὶ οἱ ἄνθρωποι.] Quod *ſupra* de beluis, id hic de hominibus iterat: nam & hos dolore concitari ad pericula: fortes tamen propterea dicendos non eſſe, ſed pugnaces potius, eo quod non

ratione, neq; honeſti cauſa, ſed impetu & dolore ſtimulati, pericula fortiter ſuſcipiant.

ὁ δὲ θυμὸς συνεργεῖ.] Ex hoc loco perſpicitur, verum eſſe, quod veteres de Ariſtotele & Peripateticis aſſerunt, horum ſententia iram quibuſdam in rebus eſſe vtilem, nempe in fortitudine, aut factis fortibus: excitari namque hac animos fortium virorum tanquam cote, vt ait Cicero *in Lucullo*, mendoſe in Lactantio, iram fortitudinis eſſe comitem, *lib. inſtitution. Chriſt. cap. 19.* cum ſcribendum videatur cotem. Diſputari tamen poteſt, an, quod Ariſtoteles hic ait, θυμὸν viris fortibus ad res gerendas eſſe adiumento, de ira proprie accipi debeat, cum potius de alio quodam animi ardore & impetu, diſiuncto ab ira: quod ſane videri poſſit: nam etiam verba ipſa, θυμὸς, ὀργὴ, & Latine, *animi, ira*, diſſimilitudinem quandam ſonare videntur: & Plato multis in locis laudat θυμὸν, & plane omnibus viris fortibus neceſſarium eſſe ait. Rectius tamen dicendum eſt, verbo θυμοῦ iram intelligi, cum quod omnes veteres tam Philoſophi, quam Theologi (Auguſt. Hieron. Lactant.) ita Ariſt. acceperint, tum quod ipſe Ariſt. *in Eudem. l. 3. c. 1.* hac ipſa de re agens, ὀργὴν vocat, καὶ δὴ ὀργὴν καὶ θυμὸς ὁσαύτως. Hanc Ariſtotelis & Peripateticorum ſententiam & Plato tenuit, vt videre eſt *lib. 5. de legib. & lib. 2. 3. & 4. de Rep. multiſq; aliis in locis*, vbi θυμὸν & τὸ θυμοειδὲς, ſi intra præſcriptum rationis contineatur, cum in re bellica, tum etiam Magiſtratibus in re ciuili vtiliſſimam eſſe & neceſſariam oſtendit. Contra Stoici grauiter eam reprehendunt, vt videre eſt apud Senecam *lib. 1. de ira. cap. 5. vſq; ad fin.* quibus & Cic. eſt aſſenſus *lib. 1. Offi. Prohibenda autem maxime eſt ira, &c.* & *in Lucullo: Atque illi quidem etiam vtiliter, &c. à natura datas has animi, &c.* & ex profeſſo *lib. 4. Tuſc.* vbi argumenta in vtranq; partẽ, vt & à Seneca eo loco copioſiſſime aſſeruntur. Plutarchus quoq; *in lib.* περὶ τῆς ἀοργησίας, etſi Academicus hac in re tamen Stoicos probat (οὐ δεῖ δὴ τῆς ὀργῆς ἡ ἀνδρεία) exemplo Lacedæmoniorum, de quo A. Gellius *lib. 1. cap. 11.* ex Thucydide, & Cic. *lib. 1. Officior.* Theologi Chriſtiani medium ſeruare voluerunt. Grauiſſime namque Stoicos reprehendunt, quod omnes animi perturbationes non amputandas, id eſt, moderandas, ſed penitus extirpandas exiſtimarint, qua in re eos peccare grauiſſime. Eſſe namque natura nobis inſitas, non opinione, vt putabat Stoici, & hac in re Peripateticis conſentiunt, φυσικώτατη γὰρ, vt hoc loco ait Ariſtoteles, vſum quoque

que ſeu vtilitatem iræ eſſe admittunt, non tamen vt Peripatetici in fortitudine, ſed in peccatis coercendis. Auguſtinus *lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 4. & lib. 14. cap. 8. cum 2. ſeqq.* Lactantius eo quem dixi loco.

παραπλήσιον δ' ἔχουσι.] Diſſimilitudo huius & veræ fortitudinis iam eſt explicata. Cognatio hæc eſt, quod vterque animi quodam ardore in pericula feratur. *ἀφοβία* vtrique eſt communis.

οὐδὲ δὴ οἱ εὐέλπιδες.] Quartum eſt genus non veræ fortitudinis, *κατ' ἐλπίδα*, vt *in Eudem.* dicitur: quo ex genere ſunt, qui fidentiam ad pericula ſibi pepererint ex crebris victoriis, ſpemque inde habeant fore, vt quemadmodum ſæpe antea, ſic & nunc ſuperiores ſint futuri, atque ita nihil incommodi accepturi ab hoſte. Hac igitur ſpe victoriæ quidam excitantur ad pericula: ſpes hæc fortes nonnullos facit, & fidentes, ſunt ſimiles. Nam in eo ſunt diſſimiles, quod fortes honeſti cauſa confidant, quod confidere ſit honeſtum, non confidere turpe: pericula denique adire fidenter ſit honeſtum. At ſpe fortes non per ſe, ſed quia ſuperiores ſe fore putant, nihilque incommodi accepturos, confidunt, quod ex eo perſpicuum eſt, quod ſtatim atque aliter illis eueniat, id eſt, inferiores ſe fore videant, vulnera & incommoda accepturos, non perſtent & perferant, vt fortes, ſed refugiant. Recte igitur huiuſmodi fortitudinem & fiduciam ebriis non abſimilem eſſe ait Ariſtoteles. Nam vt *Vina parant animos*, vt inquit Ouid. &, *Ebrietas ſpes iubet eſſe ratas*, vt ait Horatius, & *in Problemat.* Ariſtot. *Omnes*, inquit, *vinum reddit εὐέλπιδας*, & Plato *lib. 1. extremo*, *Vini*, inquit, *quo quis plus hauſerit, eo maiori ſpe impleri ſolet.* Quare & eleganter Antiphanes Comicus apud Athenæum *libro 10* vinum vocat Imperatorem *στρατηγὸν*, vt quo ſolo homines ad audendum ſtimulentur: & apud eundem *lib.* 2. Dyphylus Comicus: Ex ignauo reddis audacem, inquit ad vinum: *Tunc pauper cornua tollit*, vt ait Ouid. Spe igitur fortes, vere fortes dici non debent, qua de re eſt elegans locus apud Cic. *lib. 5. Epiſt. Epiſt. 13. Itaque hoc etiam fortiorem me puto, quam te ipſum præceptorem fortitudinis, quod tu mihi videre ſpem nonnullam habere, hæc aliquando futura meliora. Caſus enim gladiatorij, &c. vetabant me Reipubl. penitus diffidere. Itaq; alterum minus mirum, fortiorem te eſſe, cum aliquid ſperes, alterum mirum, ſpe vlla teneri.* Et mox: *Ergo & domeſtica & publica paulo etiam fortius fortaſſe,*

quam tu ipſe qui præcipis, feremus. Te enim ſpes aliqua conſolatur. Summa hæc eſt: Fortiorem ſe eſſe quam Luceium, eo quod hic ſpe fretus, Cicero vero nulla ſpe, fortiter tamen ferat calamitatem Reipublicæ à Cæſare oppreſſæ. Huius generis fortitudo in adoleſcentibus maxime cerni ſolet, qui propter rerum imperitiam magna ſpe ſæpenumero inflati, quidlibet audent. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles 2. *Rhetor.* Adoleſcentes fortiores & audaciores plærunq; eſſe ait, tum, quia iracundos, tum, quia εὐέλπιδας, id eſt, ſpei plenos.

διὸ καὶ ἀνδρειοτέρου.] Locus eſt inſignis, fortitudinem in repentinis magis cerni, quam in rebus prouiſis; ſeu fortiores videri, qui rebus ſubitis non perturbentur. Ratio, quia in rebus repentinis magis cernatur habitus, repentina magis ex habitu; prouiſa ex conſilio & deliberatione gerantur, concludi poteſt hunc in modum;

Quæ ex habitu, ea magis declarant fortitudinem.
At repentina ex habitu.
Ergo, &c.

Propoſitionis ratio hęc eſt, quia & ipſa fortitudo ſit habitus. Aſſumptionis hæc eſt ratio: quia nulli præparationi aut præmeditationi in rebus ſubitis ſit locus, quod vel ex eo perſpicitur, quod orationem, verbi gratia habere, ſumpto tempore & præmeditato quilibet facile poſſit: ex tempore non niſi orator. Eſt & altera ratio ab Ariſt. prætermiſſa: eo quod omnia repentina ſint grauiora, prouiſa leuiora. Formula ſit iſta:

In rebus difficilioribus & grauioribus cernitur maxime fortitudo.
Atqui ſubita ſunt grauiora.
Ergo in ſubitis magis cernitur fortitudo.

Propoſitio explicata eſt *lib. 1. & 2.* vbi dictum eſt, in rebus magis arduis ſpectari virtutis τὸ καλὸν καὶ τὸ εὖ. Aſſumptio copioſiſſime explicatur à Cicerone *lib. 3. Tuſculan.* Hoc tamen admonendi ſumus: Repentina non intelligi hoc loco ea, quæ ſupra hominis vires ſint, vt incendia, fulmina (nam *ſupra* dictum, in his non cerni veram fortitudinem) ſed humana pericula. Perperam autem hoc loco ex vna Ariſtotel. ratione Dionyſius Lambinus conuertendo fecit duas.

ἐκ λογισμοῦ.] Phraſes ſunt Ariſtoteli vſitatæ, contrarie fieri quid ἐκ λογισμοῦ, & ἀφ' ἕξεως, aut ἀπ' ἤθους, qua & vſus eſt phraſi *lib. 2. Rhetor.*

ἀνδρεῖοι

ἀνδρεῖοι δὲ φαίνονται.] Quintum eſt genus adumbratæ fortitudinis, ex imperitia aut inſcientia, δι' ἀπειρίαν καὶ ἄγνοιαν dicitur, ab Ariſtotele *in Eudem.* quæ maxime cernitur in pueris & furioſis, quos interdum & aſpides, & ſerpentes tractare manibus, aliaq; grauiſſima perpeti imperitia, cernimus. Habet autem hæc fortitudo affinitatem cum priore, eo quod vtrique nihil incommodi ſe accepturos exiſtument, illi quidem ſpe, quam ex victorijs conceperint, hi ſpe quoq;, quam ex imperitia, nullum putantes ſubeſſe periculum.

οὐ πόῤῥω τῶν.] Obſeruandus eſt vſus particulæ πόῤῥω. Sic & *infra cap. 11.* πόῤῥω ἂν εἴη τοῦ ἄνθρωπος. & *infra 10. in fin.* πόῤῥω εἶναι τοῦ διδάξαι.

χείρους δὲ ὅσῳ.] Quæ ſit huius cum priore ſimilitudo, iam dictum eſt, quæ diſſimilitudo, hic explicatur, & ait Ariſtoteles hos illis eſſe deteriores, eo quod hi nullam plane viri fortis ſpeciem & dignitatem præ ſe ferant: vtpote qui ſtatim periculo intellecto fugiant: illi vero ſpe & victorijs inflati, more virorum fortium ſe parent, & paulo diutius perſtent, neq; prius fugiant, quam inferiores ſe fore perſpexerint, & ſic accipio verbum ἀξίωμα ἔχειν, id eſt, *ſpeciem gerere*, aut *ſplendorem præ ſe ferre.* Phraſis eſt Ariſtoteli vſitata, *infra lib. 4. cap. 2. & in Polit. lib. 3. cap. 7.* Huius quoq; generis fortitudo in adoleſcentibus maxime lucet, quos propter imperitiam rerum, iam diximus ex Ariſtot. eſſe εὐέλπιδας, eaq; re audaciores: vbi & Ariſtoteles, ſenes ait eſſe δυσέλπιδας διὰ τὴν ἐμπειρίαν. Huc quoq; pertinet vulgatum Prouerbium: γλυκὺς πόλεμος τοῖς ἀπείροις.

ὅπερ οἱ Ἀργεῖοι.] Exemplo oſtendit per imperitiam fortes, cognito periculo ſtatim fugere. Olim namq; Sicyonijs ab Argiuis ſuperatis, cum Paſimachus Laco Hypharmoſta Satrapa equitatum auxilio Sicyonijs adduxiſſet, hoc ſtratagemate ipſos victores Argiuos vicit. Equitibus namq; ſuis ad pedes deſilire iuſſis, & Sicyoniorum illis accommodatis ſcutis (equos ad arbores religarat) id eſt, in Argiuos inuaſit, qui propter ſcuta putantes eſſe Sicyonios, contra fortiter ſe ingeſſerunt. Mox cognito eſſe Lacedæmonios, ſtatim terga verterunt. Quod Scholiaſtes Græcus commemorat è Xenophonte δ. ἑλληνικῶν, lapſus, niſallor, memoria. Nam in Xenophonte nuſquã reperitur Sic olim & Treueri Labienum fugam ſimulantem, ipſi vere fugere putãtes, inſecuti, cum ille mox ſigna conſtituiſ-

P 5 ſet,

ſet, & in hoſtes conuertiſſet, illi cum præter ſpem, quos fugere credebant, infeſtis ſignis ad ſe venire viderent, impetū modo ferre non potuerunt, ac primo concurſu in fugam coniecti, proximas ſyluas petierunt, inquit Cæſar *lib. 6. de bello Gallico.* Similis fere fuit fraus Patrocli Achillis armis induti, de quo apud Homerum *Illiad. π.*

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Περὶ θάῤῥη ᾗ ἐστί.] Quatuor fere hoc capite continentur. Primum, etſi περὶ θάῤῥη καὶ φόβους fortitudinem verſari d. eſt, magis tamen in formidoloſis eam ſpectari. Ratio, ὁ γὰρ ἐν τούτοις, eo quod fortior vulgo iudicetur, qui in rebus formidoloſis imperterritum ſe præſtet, quam qui audacem in rebus contrarijs. Ratio rationis eſt iſta, eo quod cum duo potiſſimum munera ſint viri fortis & fortitudinis, aut perferre pericula, aut hoſtem inuadere: certe illud multo grauius & periculoſius eſſe conſtat: qui enim hoſtem inuadit, bona ſpe fertur: qui ſuſtinet, inuicto plane videtur animo.

τῷ δὴ τὰ λυπηρά.] Aliquoties iam dictum eſt, fortem res aſperas & moleſtas perpeſſu ſubire. Hinc alterum huius capitis membrum elicitur, fortitudinem non eſſe abſq; dolore & moleſtia, eſſe quoq; maxime laudabilem; eo quod difficilius ſit moleſta perferre, quam à iucundis abſtinere. Præſtantior igitur temperantia eſt fortitudo. Illa namq; in abſtinendo à rebus iucundis, hæc in reb. aſperis perferendis verſatur. Quod autem hoc loco dicitur, fortitudini coniunctum eſſe dolorem & moleſtiam, in quæſtionē reuocari poteſt. Dictum namq; eſt *ſupra lib. 1. cap. 8.* Virtutis actiones coniunctam habere voluptatem. Reſpondet Ariſtot. id intelligendum de alijs quidem omnib. virtutibus, excepta fortitudine. Nam certe pericula, vulnera, mortes perferre (quæ propria ſunt viri fortis) non poteſt non eſſe moleſtum. Fortitudinis igitur facta ſunt cum dolore: Finis tamen eſt cum voluptate. Honeſti namq; cauſa alacriter & ſponte ea perfert vir fortis. Oſtendit exemplo ludorum Gymnicorum, in quibus τὸ τέλος οὗ ἕνεκα (ſic ab Ariſtot. vocari ſolet finis, ***cuius gratia quid fiat***) nempe corona ex olea, puta, aut lauro, & honores, puta victus publicus in Prytaneo, ſtatuæ quib. victores in illis ludis affici ſolēt. Eſt igitur & in his finis iucund⁹: ſed ad hunc aſſequendū multæ plagæ & moleſtiæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt capiendæ: adeo quidem, vt finis iucunditas vix cernatur.

τὰ τὸ κύκλῳ.] Elegans eſt particula τὰ κύκλῳ, Ariſtoteli vſitata, qua res omnes, rem aliquam principalem cingentes & circumſtantes notantur, vt h. loco fortitudinem cingunt pericula, vulnera, mortes, &c. *in Rhet. li. 1.* hominis τὰ κύκλῳ ſunt, nobilitas, bona, educatio, &c. vbi agitur de Encomio.

ὥσπερ σύγκειται.] Hæc clauſula commodius abeſſe poſſit, vt ita legatur: ἀλγεινὸν καὶ λυπηρὸν ὡς πᾶς ὁ πόνος, id eſt, *cadi dolorem & moleſtiam affert; vt & omnis exercitatio.* Id namque valere mihi videtur, hoc loco, ὁ πόνος: Agitur namq; de ludis gymnicis & exercitationib', quod *ſupra li. 1. c. 6.* explicauimus.

ὡς ἄκοντι ἐστι.] Elegans eſt dicendi genus, tam græcis quam latinis vſitatum, ἄκοντί τι τινι εἶναι, *inuitum quid cui eſſe*; & βουλομένῳ τι τινι εἶναι. Latinis, *nolenti volenti cupienti inuito quid eſſe*, id eſt, inuito aut volenti ſeu voluntate alicuius, ſeu probanti aut improbanti quid alicui accidere. Quam phraſin quia hoc loco non perſpexerunt Interpp. maſe reddiderunt. Sic namq; vertendum: Mors quidem & vulnera viro forti moleſta, & inuita ſunt. Sic Demoſthenes περὶ στεφάνου, αὐ βουλομένοις ἢ τούτοις ἀκούειν, *an volentibus his ſit audire, an bona cum voluntate audiunt.* Saluſtius *in Iugurthino*: *Et quia neq; plebi militia volenti erat, putabat Marius, &c.* Et in eodem: *vti militibus exequatus cum Imperatore labor volentibus eſſet.* Tacitus *lib. 1.* bellum quibuſq; inuitis aut cupientibus erat. Et *lib 15.* hæc atq; alia plebi nolenti fuere, &c. Qui vnus Tacitus ſcriptor ſæpiſſime hac phraſi eſt vſus.

καὶ ὅσῳ ἂν μᾶλλον.] Hoc ſit tertium in hoc capite obſeruatione dignum, nempe quo quis ſit beatior, omnibusq; bonis & virtutibus inſtructior, eo magis inuite mori, mortemq; ferre iniquius. Rationem adijcit Ariſtot. eo quod maximis bonis & commodis ſe orbari ſentiat, atq; adeo hac ipſa luce, qua ſe digniſſimum eſſe iudicet, vtpote præſtantiſſimum. Graue eſt autem & ea re orbari, qua quis ſe digniſſimum exiſtimet, & magnis vitæ commodis. Quod idem commemorat Cicero *lib. 1. Tuſcul.* vbi contra eos, qui hoc argumento (graue eſſe priuari magnis vitæ commodis) mortem docerent perpeſſu acerbiſſimam, erudite diſputat. Ad hanc Ariſtotelis ſententiam facit, & querela Theophraſti, quem morientem ſcribit Cicero *in Tuſcul.* grauiter de natura conqueſtum, quæ cornicibus longiſſimam, hominib. longe dignioribus tenuiſſimam vitam

ſit.

ſit largita. Huc quoq; pertinet Ariſtippi dictum, in quendam ſuum reprehenſorem. Nam cum in mari veherentur vnà, & ex vectoribus vnus Ariſtippum reprehenderet, quod tempeſtate exorta expalleſceret: *Non mirum*, inquit Ariſtippus, *cum tu de viliſſima vita, ego vt Philoſophus, de inſigni & diuturnitate digniſſima pericliter.* Fundamentum tamen huius opinionis in animi mortalitate poſitum videtur: Nam Chriſtianus aliter reſponderet, vt cui longe maiora bona & commoda ſunt propoſita.

οὐδὲ δὴ ἐν ἁπάσαις.] Modo eſt explicatum, in omnibus virtutibus non ſemper iucundas eſſe actiones, nempe in fortitudine: quod ad finem tamen attinet, etiam in fortitudine voluptatem contineri, omnium virtutum finem eſſe iucundum.

στρατιώτας δ' οὐδὲν.] Eſt velut ἐπίμετρον, ſeu corollarium diſputationis de Fortitudine, nempe poſſe quem bonum eſſe militem, etiam ſi non ſit fortis, iiſq; bonis & virtutibus præditis, quibus vir fortis: nam ἕτοιμοι γὰρ, &c. cum quo quis plura bona habeat, eo magis ea metuat amittere: quo pauciora, eo minus: efficitur vt licet miles non iis ornatus ſit bonis, quibus vir fortis, paratus nihil minus ſit ad pericula obeunda, & mortem etiam cum vita, vtpote viliſſima commutandam.

τί δὲ ἐστιν, οὐ.] Facile, inquit, eſt, breuiter ex prioribus elicere fortitudinis definitionem, nempe eſſe virtutem, quæ moderetur res formidoloſas & contrarias belli, &c.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Μετὰ δὲ ταύτην περὶ.] Explicauimus *ſupra initio cap.* 6. quibus adiiciatur, quod ait Ariſtot. *lib 7. Polit. cap.* 13. partes animi expertes rationis, iram & cupiditatem natura priores eſſe ea, quæ rationis eſt particeps, ſeu ipſa ratione. Putabant namque Philoſophi rationem homini naſcenti ſtatim non ingenerari, ſed progrediente demum ætate, animam, vt loquuntur Theologi, non eſſe ex traduce. Gellius *lib.* 11. *cap.* 5.

ὅτι μὲν οὖν μεσότης.] Toto hoc capite hoc agit Ariſtot. vt exquirat, quibus in rebus, velut in materia verſetur temperantia. Et *ſupra* quidem *li.* 2. commemoratum eſt verſari in voluptatibus & moleſtiis; quod hoc capite diſtinctius demum explicat. Et primum quidem, magis eam verſari in voluptatibus,

quam

Digitized by Google

quam in moleſtijs, quod perſpicitur ex nimio, nempe intemperantia. Nam omnibus fere eſt notum, Intemperantem eum eſſe, qui immoderate voluptatibus vtatur. Et hinc eſt, quod Ariſtot. adiungit hæc verba, *ἐν τούτοις δὲ καὶ ἡ ἀκολασία*, vt ex intemperantia, cuius verbi & vitij vis magis vulgo eſt nota, melius cognoſcatur eius contrarium, temperantia.

διῃρήσθωσαν δὲ.] Voluptatum partitione oſtendit, in quibus proprie voluptatibus verſetur Temperantia & Intemperantia. Voluptates igitur aut ſunt animi, aut corporis. Animi, vt quæ ex honorum, artium & contemplationis ſtudio capiuntur. Eodem referri poſſunt, quæ ex vſibus, diuitijs, venationibus, equis, canibus alendis, congreſſibus & confabulationibus capiuntur. Corporis ſint eæ, quæ ſenſuum adiumento fiunt, de quibus mox. Hac autem diuiſione vſus eſt & *infra lib. 7. extremo.* Cicero quoque: *nihil*, inquit, *tetrius corporis voluptate*. Definit autem Ariſtoteles, animi voluptates eſſe eas, in quibus nihil afficiatur corpus, ſed *διάνοια* potius, i. eſt, *ψυχὴ*, animus. Id enim hoc loco valet *διάνοια*, communiore notione & parte poſita pro toto, vt recte admonuit Scholiaſtes Græcus. Perperam igitur nonnulli hoc loco *διάνοιαν* vim agitandi vertunt. Nam & ipſe Ariſtoteles *ψυχικὰς* vocat has voluptates.

οἱ δὲ περὶ τὰς τοιαύτας.] Excludit primum à Temperantia omnes animi voluptates, eo quod vulgo, qui harum ſint ſtudioſi aut mediocriter, aut nimium neq; temperantes, neq; intemperantes dici ſoleant, ſed proprijs alijſq; nominibus.

περὶ δὲ τὰς σωματικάς.] Excluſis animi voluptatibus, relinquitur temperantiam & intemperanriam in voluptatibus corporis ſpectari. Verum quia & hæ ſunt multiplices, adhibita diſtinctione ſubtiliori, veram tēperantiæ materiam, eiq; propriam voluptatem, exquirit, perluſtratis ſingulorum ſenſuum voluptatibus, & primum quidem eas, quæ oculis capiantur, remouet à temperantia: quales capiuntur ex tabulis pictis, ſignis & ſtatuis, oculis & forma mulierum. Signorum cupiditate laborantem deſcribit Horatius Damaſippum *libr. 2. Sermonum Sermon. 3.* & Cicer. *7. Epiſt. familiar.* Eodem morbo (Sic enim proprie hanc cupiditatem vocabant Latini) in poculis & vaſis potiſſimum laborauit Verres. De quo Cicero tota oratione V. Verrina de ſignis. Gemmatum cupiditate laborauit Papa Paulus III. de quo Platina. Et Francorum Rex,

Fran-

Franciſcus primus, & Anglorum Henricus IIX. Sic & Æneas *lib. 1. Æneid. Oculos & animum pictura paſcit inani.*

Cur autem hoc morbo laborantes huc non pertineant, eadem eſt ratio, nempe, quia intemperantiæ vocabulum de his vulgo non prædicetur. Voluptates quoq; auribus capiuntur, vt quæ ex acroamatis, aut hiſtrionibus, muſicisq́; capiuntur, item remouet à re præſenti, eadē ratione. Quare & *in Eudem. li. 3. c. 2.* qui Sirenum cantu capti fuerint, negat fuiſſe ἀκολάστους.

καί τοι δόξειεν.] Etſi, inquit, voluptates aurium aut oculorū huc non pertinent: licet tamen ijs vti modice & immoderate, h. e. nimium quoq;, parum & mediocritas in ijs poteſt cerni. Quærat igitur aliquis quo referri hæc debeant, nempe luxus in tabulis pictis, in acroamatis, ſaltationibus, tripudijs, ſtatuis, veſtibus quoq;, &c. puto omnia hæc ad liberalitatem referenda, cuius ꝓpriū ſcribit eſſe Ariſt. τὸ φιλόκαλον, *in libel. de virtutib.*

οὐδὲ τοὺς περὶ τὴν.] Nunc de voluptatibus, quæ odoratu percipiantur, vt quæ ex vnguentis, ſuffitibus, thymiatis, muſis, roſis, &c. & ne in his quidem verſari Temperantiam aut Intemperantiam ait, niſi ex euentu, hoc eſt, proprie ad Intemperantiam hæ voluptates nō pertinent, ſed tamen aliquo modo pertinere poſſunt, ea nempe ratione, quia vere intemperantes his quoq; delectentur: Delectantur .a. eadem cauſa, quia voluptatum ipſis propriarum recordationem excitent, verbi gratia, delectatur Intemperans vnguenti odore, non tam propter ipſum odorem, quam quia ipſe ſuæ propriæ voluptatis memoriam faciat, declarat exemplo beluarum, quas & ipſas videre licet nullam propriam voluptatem capere ex odore ciborum, vt canes ex odore leporum, ex euentu tamen ſeu per accidens eo odore delectantur, vtpote quia recordentur, aut etiam ſpes ipſis fiat, fore, vt ijs potiantur & veſcantur. Qua in re propria eſt earum voluptas.

αἱ κύνες.] Hic eſt mos Græcorum, vt quotieſcunque loquantur de venatione (vt & Latinorum) fœminino vtantur Canum verbo, vt oſtenditur ex annotat *in Lucret.* cuius & hic exemplum habemus.

εὑρὼν ἔλαφον.] Alluſit ad Homeri verſum *Iliad. γ.* vbi Menelaum, quia cum Paride ſingulari certamine congreſſurus eſſet, lætantem comparat leoni lætanti, viſo à longe ceruo aut capella, ὥς τε λέων ἐχάρη. Exemplum quoq; hac de re ſit Philoxenus, quem ſcribit Ælianus *li. 10.* ollæ odore mirifice delectatum,

ctatum, vtpote qui helluo fuerit celeberrimus, de quo mox.

περὶ τὰς τοιαύτας δή.] Relinquit igitur, verſari temperantiã & intẽperantiam in ijs voluptatib', q̃ homini cum beluis ſunt communes. Quare & maxime ſeruiles & beluinæ videntur, in q̃bus cernitur intemperantia, eaq; re turpiſſimũ & beluinum videtur vitium, nempe, quæ ex guſtatu & tactu percipiantur. Qui duo ſenſus beluarum videtur proprij, eo quod ex his ſolis voluptatem capiant, ex alijs non item, vt præclare Ariſtoteles *in problem. ſectione 28. & Gellius lib. 19. cap. 2.*

φαίνονται δὴ καὶ τῇ.] Valde conſtringit temperantiæ & intemperantiæ materiam; nam ne guſtatu quidem vix eas cerni, quod ipſum eleganter *in Eudem.* Ariſtotel. *Vulgo quidem*, inquit, *ex opinione multitudinis, ἀκολασία ſeu intemperantia in duobus, guſtatu & tactu: vere tamen & proprie, in tactu duntaxat verſatur.* Quod exemplo confirmat Ariſtoteles eorum, qui vina aut obſonia probant. Nam guſtatu nõ tam delectantur, quam fruitione; & certe gurgites illi, cum vinum ita in guttur ſuum infundant, tanquam in vtrem aliquem, nihil curantes aliud, niſi vt quam plurimum exhauriant, prope vt percolando vino nati videantur, non admodum poſſunt ſuauitatem eius guſtando percipere. Quod & eleganter Varro *apud Nonium. Quis in omni vita*, inquit, *helluo olfacit temetum.* Iudicium igitur vini, quod eſt in guſtu, nullum fere eſt helluonum, ſed potius delicatorum & elegantium hominum, qui guttatim vinum infundentes, & poculum oculis naribusq; ſæpe admouentes, omnes vini ſuauitates aucupantur, vt ille apud Euripidem Silenus.

οὐ πάνυ δὲ χαίρειν.] Quærat aliquis, an guſtatu nihil omnino vtatur intemperans, & ait: aut nihil, aut perperã eum vti guſtatu. Nam ratione iudicij, quo guſtatus ſapores diſcernit (quod coqui faciunt, & exploratores illi vinarij) non vtitur: ratione vero tactus cum guſtatu coniuncti vtitur. Nam abſq; tactu non eſt guſtatus.

διὸ καὶ ηὔξατό τις.] In quibuſdam libris, τις φιλόξενος ἐρύξιος ὀψοφάγος, ſed ea φιλόξενος, ἐρύξιος, vt ſpuria recte induxit Victorius. Nam ſunt ex interpretatione: τις adiecit Magiſtellus ſcil. φιλόξενος, ἐρύξιος. Et certe Philoxenus Erixidis filius intelligitur hoc loco, de quo Athenæus *lib. 1.* hoc idem cõmemorat. Alter quoq; φιλόξενος Cytherius collum ſibi tricubitale ead. de cauſa optaſſe dicitur à Machone comico apud Athe-

Athenæum *li. 8. cap. 6. fol. 546. & 547.* Hoc igitur argumento docet Ariſtoteles intemperantiam maxime in tactu verſari.

κοινοτάτη δή.] Verſatur igitur, inquit Ariſtoteles, intemperantia, in ſenſu maxime communi, omnibus puta animantibus. Eaq; re turpiſſima eſt intemperãtia, eo quod in eo ſit ſenſu, qui plane eſt beluinus, hominiq́; conuenit, non qua homo, ſed qua belua.

καὶ γὰρ αἱ ἐλευθεριώταται.] Magis h. loco aſtringit materiam intemperantiæ. Nam ne quidem in omni tactu eam cerni, nempe in frictionib. & calfactionibus gymnaſticis ac balneariis: ex quibus tamen voluptas, quæ capitur, eſt ex tactu, de quibus apud Galenum *lib. 3. de tuenda valetudine.* Et hac ipſa ratione ſeu diſtinctione turpiorem eſſe oſtendit intemperantiam, vt quæ ex voluptatibus tactus magis ingenuas & honeſtiores non attingit, verſatur in fœdioribus, &c.

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Τῶν δὲ ἐπιθυμιῶν.] Reperta temperantiæ & intemperantiæ materia, nempe, potu, cibo, & venere: hoc capite quemadmoiis vtantur, intemperans, ſenſus expers, & temperans, oſtendit, id eſt, quemadmodum ſe gerant in voluptatibus & moleſtiis.

τῶν δὲ ἐπιθυμιῶν.] Vt modum vtendi & abutendi voluptatibus reperiat, eas primum diuidit bifariam: nam vel eſſe naturales & communes: vel aduentitias & proprias. Sub naturales refert deſideria cibi, potionis, & Veneris, eo quod natura duce expetantur, & quidem ab omnibus, eaq; re communes vocat.

καὶ εὐνῆς φησιν.] Honeſte Ariſtoteles & tecte Homerico lectuli vocabulo Venerem ſignificat. Extat apud Hom. *Illiad. vlt.* vbi Thetis Achillem, ita in Hectoris cadauere vexando occupatum, vt ſe ipſe non reſpiceret, grauiter obiurgans, τέκνον ἐμὸν, &c. neq; curam, inquit, cibi οὔτε τι εὐνῆς habes, neq; lecti.

τὸ δὲ τοιάσδε.] Alterum eſt membrum ſeu ſpecies voluptatum, quas proprias & aduentitias vocauit, nempe cum quis hunc vel illum cibum, hic piſces, ille aliud expetit. Quæ cupiditatis ſpecies, quia non eſt vniuſmodi, & ſimplex, neq; naturalis, (quam conſtat vniuſmodi eſſe, & vno modo ſemper agere) neq; communis (nam hic, ille aliud expetit) dici poteſt.

Digitized by Google

Habet tamen aliquid à natura, eo quod ipſa corporis conſtitutio (quæ naturalis eſt) & affectio ſeu Craſis multum iuuat, ad hoc vel illud expetendum, vt Melancholici fere amara expetunt, ſanguinei ſuauiora: Septentrionales multa carne & potu: meridionales herbis potius delectantur.

ὃ ἴνια πᾶσιν ἰδίᾳ:] Quaſi dicat, ſi voluptas aut cupiditas propria nihil haberet à natura, certe nulla eſſet res, quam peræque omnes expeterent, ſemper variarent. Nunc ſunt quædam, quæ ab omnibus expetantur, & præferantur rebus vilioribus, vt candidus & bonus panis atro & male cocto.

τῶ δὲ ἐπιθυμιῶν.] Conſentit fere hæc partitio cum ea, qua poſtea ſunt vſi Epicurei. Hic namq; cupiditates trifariam diuidebat, in naturales & neceſſarias: naturales & nō neceſſarias, & inanes: quam tamen diuiſionem, vt non ex arte factam reprehendit grauiter Cicero *2. de Fin.* nam rem ipſam probat (ſed artem diuidendi non) vult ita potius diuidi, vt cupiditates aliæ ſint naturales, aliæ inanes. Deinde per ſubdiuiſionem naturales aliæ ſint neceſſariæ, vt cibi & potus: aliæ non item, vt Veneris. Inanes vocat Epicurus, quas hoc loco proprias & aduentitias Ariſtoteles, vt nimiam honoris, imperij, gloriæ, libidinum, & delitiarum cupiditatem. Videatur & Plato *lib. 8. & 9. Polit. de Repub.*

ἐν μὲν οὖν ταῖς.] Confecta diuiſione iam vſum explicat, & ait, in naturalibus à paucis peccari, & vna tantum in re, nempe in nimio; quales ſunt lurcones, helluones, ventres, qui etiam vulgaribus eſcis vltra modum ſe explent

αὐτὴν.] Scil. *ἔνδειαν*; hoc eſt, inanitatem ſeu vacuitatem; non vero vt omnes Interpp. vertunt; ventrem. Nam & præceſſit *ἀναπλήρωσις τῆς ἐνδείας*, vt hoc loco *πληρῶντες*.

περὶ δὲ τὰς ἰδίας.] Dictum eſt in voluptatibus ſeu cupiditatibus communibus, à paucis peccari & quidem vna in re, eoſq; dici *γαστριμάργους* & *γαστρίδας*, latine ventres & lurcones, non .i. *ἀκολάστους* ſeu luxurioſos. In proprijs .a. cupiditatib: à multis & multimodis ſeu multifariam quadam *ἀπληστίᾳ*; iam docet Ariſtot. & hos proprie dici *ἀκολάστους*. Ad has autem proprias cupiditates referendos omnes, qui græce dicantur *φιλοτοιούτους*, hoc eſt, qui cuiuſcunque rei præter modum aut præcipue ſint ſtudioſi: Vt ſi qui ſint ſpectaculorū, muſicæ, vini, piſcium, carminum, librorū, mulierū, &c. nimium amantes, quales græcis dicūt *φιλοθεάμονες, φίλοινοι, φιλίχθυες, φιλόπαιδες, φιλογύναιοι.*

ἢ τῷ χαίρειν.] Commemorat modos varios, quibus peccetur in his cupiditatibus: primum, quia concupiſcantur ea, quæ ſit nefas, vt Veneris cupiditatem in genere, communem vult Ariſtoteles, & quidem ipſa natura: at certe Veneris puta cum nupta eſt nefaria, qua de re videatur Horatius *libr. 1. Sermon. ſerm. 3.* Sic commeſſationum cupiditas eſt dedecoroſa. Deinde, quia plus æquo concupiſcatur, quamuis licitum, vt ſunt fere, qui dicuntur φιλοτοιοῦτοι. Tertio, quia more vulgi, id eſt, nullo diſcrimine, nulla honeſti habita ratione. Quo morbo laboraſſe Parthos ſcribit Plinius, quos, quia ſumma auiditate indiſcretos cibos caperent, plæroſque fœtida anima fuiſſe ait. Poſtremo, quia non eo quo deceat modo, concupiſcantur, quamuis licita, vt veſci in publico, aut in diuerſorijs, & cum in famibus ſodalibus. Huc pertinet, quod Ariſtoteles *libello de virtutibus*, luxurioſos plæroſq; ait eſſe inpudentes. Et Cicer. *de Finibus*, eos non ita religioſos eſſe ait, quin & de patella veſcantur.

ἢ μὴ ὡς δεῖ.] Obſcurior eſt clauſula. Vertunt plæriq; ; vel quo dedecet, alius, vel qua parte non decet, qui & flagitioſam obſcœnitatem ſubeſſe putat. Abeſt à veteri tralatione, & Argyropyli, recte. Nam quod hac nota ſeu clauſula ſignificari poſſit, iam expreſſum fuit prima clauſula. οἷς μὴ δεῖ, omiſit & Græcus Scholiaſtes.

κατὰ πάντα δέ.] Explicatis peccatorum in cupiditatibus proprijs, generibus: adiungit in his omnibus peccare & offendere luxurioſos.

περὶ δὲ τὰς λύπας.] Notum eſt duo eſſe capita materiæ, tēperantiæ & intemperantiæ: voluptatē videlicet, & moleſtiam. Adhuc de voluptate: nunc de moleſtia, vbi interijcit diſſimilitudinem quandam inter fortitudinē & temperantiam, ignauiam & luxuriam. Nam & fortitudinem ignauiamq; in moleſtia verſari conſtat, nempe, in periculis, vulneribus, & morte perferendis, quæ certum eſt eſſe moleſtiſſima. Fortitudo igitur in doloribus verſatur, vt perferendis & ſubeundis vtiliter: ignauia vt non ſubeundis: temperantia vero in iiſdem ſpectatur, quia earum præſentia non doleat, non moleſte ferat, ſi nullis ſit in voluptatibus: luxuria vero moleſte ferat. Ex his quoque perſpicuum iam eſt, quemadmodum temperans & luxurioſus in moleſtijs ſe gerent: alter namq; grauiter dolet, ſi premat doloribus, neque ſit in voluptatibus: alter non

item

Digitized by Google

item, ſed vt in voluptatibus, item in moleſtijs moderate ſe gerit.

ἀντὶ τῶν ἄλλων πάντων.] Id eſt, has res iucundas alijs omnibus rebus honeſtis & vtilibus, propinquis etiam, patriæ & legibus anteponere ſolet.

διὸ καὶ λυπεῖται.] Dictum eſt modo, luxurioſos omnes omnino perſequi voluptates, omnia quæ ſint iucunda, expetere, rapi & duci cupiditatibus & voluptatibus. Hinc elicit pulcherrimam ſententiam Ariſtoteles, luxuriæ perpetuum comitem eſſe dolorem, eaq; re hoc vitium etſi frequens: tamen diligenter proſpectum, eſſe miſerrimum, vtpote cum perpetuo dolore coniunctum. Quod etſi Paradoxum videtur, vt ex voluptate oriatur dolor: tamen confirmat hac ratione, quia nulla abſq; dolore ſit cupiditas. Concludatur hoc modo:

Qui cupit, dolet.
Luxurioſus cupit.
Ergo, &c.

Propoſitionis ratio, eo, quod rei aut voluptatis expetitæ, quare [illegible] non poteſt. Hinc dolor. Aſſumptio, luxurioſum cupiditatibus ſemper flagrare, non eget confirmatione. Quare eſt [illegible]dum & admirabile prima facie [illegible] dolores & moleſtiæ, cui ſit cauſa voluptas: veriſſimum tamen eſt, non tam præſens, quam abſens & expetita, ſeu non tam per ſe, quam ex euentu, vt nauis euerſæ cauſa per ſe eſt maris tempeſtas, ex euentu, gubernatoris abſentia.

καὶ γὰρ [illegible].] Argumento à minore ad maius ducto; oſtendit, non reperiri, qui nullis capiantur voluptatibus: aut quibus inter res moleſtas aut iucundas non ſit diſcrimen: non reperiri, inquam, qui nullum in cibis delectum curent. Nam & beluæ id curant & norunt, quæ quibus ſint iucundiora palato. Quare & *infra libr. 7.* hoc hominum genus, aut infra homines, id eſt, beluas, aut ſupra, id eſt, deos potius eſſe ait, cuiuſmodi ſunt, qui poſthabitis omnibus voluptatibus totos contemplationi ſe dedunt.

ὁ δὲ σώφρων.] Explicatis extremis, quemadmodum in voluptatibus & moleſtijs comparare ſe debeant: hic iam de medio ſeu temperante ipſo explicat. Quæ verba, quia ſunt paulo perturbatiora, nos adhibita diſtinctione ita explicemus. Voluptates igitur aut ſua ſponte ſunt probroſæ & turpes: aut

ſua ſponte honeſtæ: aut mediæ & neuttæ. In probroſis maxime verſatur luxurioſus, vt in ſtupris, in commeſſationibus Symphonijs & Choreis (quas accommodate ad hunc locum Tropus *lib.* 30. vocat inſtrumenta luxutiæ) inuſitati denique cibi, ſpectacula, condimenta, &c. Ab his plane ſe abſtinet temperans, tantumq; abeſt, vt ea concupiſcat, vt deteſtetur potius, & odio digna iudicet. Honeſtæ per ſe voluptates capiuntur ex ijs rebus, quæ bonam valetudinem & vires tueantur & conſeruent, vt vſitati cibi & potiones, ambulationes & exercitationes. Et in his maxime verſatur temperans, has maxime perſequitur, omnia refert ad bonam valetudinem; aut etiam ad firmiorem corporis conſtitutionem ſeu εὐεξίαν. Quæ tamen ipſa, licet per ſe honeſta & expetenda, non immoderate, ſed bono modo & modice expetit. Poſtremi generis ſunt cibi & potiones paulo lautiores, & Venus. In his ſe ita gerit, vt recta præſcribit ratio, id eſt, ſuo loco, tempore, modo, cum decore expetit, deinde ſi & hæc bonæ valetudini non noceant, & honeſti quoq; cauſa, denique pro modo ſuarum facultatum. Nam abſurdum ſit tenuem expetere lautiora. At intemperans ſeu luxurioſus in his medijs plane alium ſe gerit, & rectæ repugnat rationi.

ἢ δεῖ οὐδενὶ οὐδ᾽.] Inducendum eſt οὐδενὶ, cum, quia in vetetibus quibuſdam codicibus nõ reperitut: tum, quia corrumpit ſententiam & phraſin. Nam totus hic locus à verbo οὐδὲ ἐπιθυμεῖ, ad verbum οὐδενὸς coniuncte legi & intelligi debet, hunc in modum: οὐδὲ ἐπιθυμεῖ οὐδενὸς, ἢ μετρίως, &c. οὐδὲ ὅλως τῶν τοιούτων, id eſt, *nullam rem ſeu voluptatem expetit, niſi modice, nullam plus æquo.* Vna pæterea eſt nota temperantiæ, quam modo prætermiſimus, Temperantem vt non efferri lætitia præſentis voluptatis: ita abſentis dolore non cruciari, &c.

CAPVT. XII.

COMMENTARII.

Ἑκουσίῳ δὲ μᾶλλον.] Duo fere hoc capite explicantur; Primum, diſſimilitudo triplex inter Ignauiam & Intemperantiam. Deinde origo & ratio verbi ἀκολασίας.

ἑκουσίῳ δὲ μᾶλλον.] Affertur prima diſſimilitudo, Intemperantiam magis eſſe voluntariam noſtriq; arbitrij, quam ignauiam.

Digitized by Google

uiam. Confirmat duabus rationibus, vt recte Thomas, non tribus, vt perperam alij. Prior eſt à voluntatis ſeu voluntarij coniuncto ſeu proprietate, nempe à voluptate. Conſtat autem ex initio huius libri: Ea quæ cupientibus & volentibus nobis fiant, cum voluptate quadam fieri: quæ inuitis & nolentibus, cum dolore & moleſtia. Formula ſit iſta:

Quæ cum voluptate, magis ſunt voluntaria, quam quæ cum dolore, quod iam eſt explicatum initio huius libri.

Atqui luxuria vere eſt cum voluptate, ignauia cum dolore: perſequitur namq; voluptates luxurioſus, refugit vulnera & dolores ignauus.

Ergo luxuria magis eſt voluntaria, quam ignauia.

Nam, vt recte adijcit Ariſtoteles, quæ cum voluptate, ſunt expetenda, vt eſt luxuria: quæ cum dolore, vt ignauia, fugienda. Nam & ſic concipi poteſt formula:

Quæ expetenda, magis ſunt voluntaria, quam quæ fugienda.

At luxuria, vtpote cum voluptate, magis videtur expetenda, quam ignauia, vt quæ cum dolore.

Ergo, &c.

[ἐξίστησι, id eſt, deturbat, ἐξεστηκότες. qui exierunt de ſua poteſtate, quorum mens de ſua ſede eſt deturbata, id eſt, qui non ſint mentis compotes.]

καὶ ἡ μὲν λύπη.] Altera eſt ratio (cur magis voluntaria ſit) à voluntatis ſeu voluntarij cauſa, nempe ſcientia aut ignorantia ſumpta: iſta hæc eſt: quia dolor reddit homines non ſui compotes, & mentem de ſua ſede deturbat, quod explicat Cicero copioſe *lib4 Tuſcul.* quanta nempe ſit vis ægritudinis & doloris. Concludatur hunc in modum:

Quæ hominem mente & voluntate priuant, non ſunt voluntaria, neq; volentibus accidunt.

Atqui dolor eſt eiuſmodi, voluptas non item, & in illo ignauia, in hac cernitur intemperantia.

Ergo quæ cum dolore, vt ignauia, minus ſunt voluntaria, quam quæ cum voluptate, vt luxuria.

Propoſitionis ratio iam explicata eſt, cum diximus, doloris hanc eſſe vim, vt mente quem priuet & voluntate.

μᾶλλον δὲ ἑκούσιον.] Id eſt, à voluntate igitur magis pendet. Vertit Dionyſius Lambinus, δὴ ſuppoſito pro δὲ, contra

 vete-

veterem librorum & tralationis fidem, & ipſam ſententiam: Neque enim hic eſt complexio, ſed quædam potius ἀντίθεσις prioris clauſulæ in hunc ſenſum. Voluptas autem nihil facit tale, id eſt, non ἐξίστησι, non reddit hominem ſtupidum, & mente captum, ſed potius eſt voluntaria & voluntati mentiq; noſtræ conſentanea.

διὸ καὶ ἐπονειδιστότερον.] Altera diſſimilitudo, odio & reprehenſione grauiori dignam eſſe intemperantiam, quam ignauiam; illam hac magis flagitioſam turpiorem, quam ipſam diſſimilitudinem ex priore elicit, hunc in modum:

Si magis voluntaria eſt intemperantia quam ignauia.
Ergo & magis flagitioſa, & reprehenſione, odio, pœna dignior.
Verum illud.
Ergo & hoc.

Ratio connexi ſeu conſequentiæ ex initio huius libri patet, vbi oſtendimus, quæ à volentibus peccentur, pœna: quæ ab inuitis aut ignorantibus venia aut miſericordia eſſe digna. Affert & alteram rationem ibi, ὃ γὰρ ἐθισθῆναι, quo Temperantia facilior ſit quam fortitudo. Quod ipſum confirmat, πολλὰ γὰρ ἐν τῷ βίῳ: eo quod quotidianus temperantiæ ſit vſus, nulla ſit vitæ pars, vbi temperantiæ non ſit locus. Deinde καὶ οἱ ἐθισμοὶ, quia vſus temperantiæ, & acquiſitio periculo omni vacet. Quæ vtraq; contra ſe habent in fortitudine, vt cuius & rarior ſit vſus, in bello puta ſolo, & perculoſior acquiſitio, vt cum vulneribus & morte interdum coniunctus. Iam igitur quia eadem eſt extremorum ratio, quæ virtutum: certe qui ea quæ facilia ſunt acquiſitu, tamen negligit, grauiore reprehenſione dignus erit, & proinde magis luxurioſus, quam ignauus.

δόξειε δ' ἄν.] Tertia differentia, qua & hoc vna explicatur, quemadmodum accipiendum ſit id, quod modo dictum eſt. Intemperantiam magis eſſe voluntariam, quam ignauiam. Diſtinguit igitur hunc in modum: Res ſingulas ex quibus ignauia, eſſe minus voluntarias, quam ipſam ignauiam: vtrumque quidē eſſe ἀκούσιον, aut certe minus ἑκούσιον, quam intemperantiam, ſed tamen alterum altero minus. Res ſingulas minus, quam ipſam ignauiam, propterea quod ignauia ipſa ſeu habitus ipſe ignauiæ ſit abſq; dolore & ἄλυπος: res autem ſingulæ (puta vulnera, pericula) magno cum dolore ſint coniunctæ

Digitized by Google

iunctæ, adeo vt ſæpe ſcutum, arma abijcere & turpem fugam mortis aut vulnerum metu arripere multi ſoleant. Contra vero fit in intẽperantia, vbi res ſingulæ magis ſunt voluntariæ, vtpote iucundæ, puta, frui hac aut illa voluptate. Habetur autem ipſe intemperantiæ, vtpote ignominioſus, infamis & probroſus, minus eſt voluntarius, ab omnibus reijcitur. Nemo vult dici luxurioſus, etſi res ſingulas multi expetunt.

τὸ δ' ὄνομα.] Alterum eſt huius capitis membrum de nomine ἀκολασίας. Ait autem id & ad puerilia peccata transferri (q; apud Ariſtophanẽ *in Pluto* de ſuo filio conqueritur) nam & pueros proteruos, Græci ἀκολάστους vocant. Vtrum autem ab altero ſit ortum, hoc eſt, an pueri ἀκόλαστοι dicantur a noſtris ἀκολάστοις, an contra, nihil refert ad inſtitutum. Vtut ſit, non eſt abſque ratione. Nam ſimilitudo quædam eſt inter pueros & inter cupidos ſeu voluptatibus deditos. Similitudo eſt bipartita; primum quia & pueri toti ſunt in cupiditatibus, cupiditate potius omnia agunt, quam ratione. Quod *infra lib.* 7. explicabitur latius. Deinde vtrum quotidie incrementum capit, magis magiſq; increſcit. Atqui par eſt refrenari turpem cupiditatem, & quod quotidie increſcit. Nam ſi non reprimatur, excreſcet in immenſum, vtpote, cum voluptatum cupiditas & ſitis ſit inexplebilis, inexhauſta, vt ait Cicero *libr. 1. de Fin. & 7. Paradoxorum*: ἄπληστος, vt ait Ariſtoteles hoc loco, ἀπληστότατον χρῆμα, vt ait Plato *libr. 4. de Republ.* vnde ſumpſit Ariſtoteles: maxime in puero incipienti, apud quem ratio aut nulla eſt, aut perinfirma, qua coherceri ſolet cupiditas. Nam ea eſt cupiditatis & voluptatis indoles, vt ſemper manet ac ſerpat longius, & ab vna progrediatur ad cognatam & ſimilem voluptatem: adeo vt tandem amplificatæ, & ad ſummum auctæ, rationem ipſam expellant, & velut furca eijciant. Hoc enim valet ἐκκρούειν τὸν λογισμόν. Quare ſatius eſt eas eſſe moderatas & modicas, & quæ rationi rectæ non aduerſentur. Id autem, nempe ita reprimi, Græci vocant κολάζεσθαι. Proprie namque κολάζειν eſt ea, quæ magis excreſcunt, luxuriant & intumeſcunt, minuere, reprimere & caſtigare.

ὥσπερ γὰρ τὸν παῖδα.] Rationẽ & modum affert caſtigandæ ſeu reprimendæ cupiditatis, eamq; rurſus ſimilitudine à puero ſumpta declarat, nam, vt puer, inquit, ex pædagogi præſcripto

viuere : ita & cupidus ex rationis norma refrenari debet. Quare & *infra lib. 4. cap. 1.* homines plane diſſolutos, prodigos inquam prorſus perditos & deſperatos vocat Ariſtoteles ἀσώτους, ἀπαιδαγωγήτους, id eſt, vere ἀκολάστους, quibus nempe medicina adhiberi non poſſit.

σκοπὸς γὰρ ἀμφοῖν.] Cur ad rationis normam refrenari debeat cupiditas, duas affert rationes, cum, quia vtriq; hoc eſt, & temperanti ſeu eius cupiditati & ἐπιθυμητικῷ, & ipſi rationi vnus idemque propoſitus eſt ſcopus, honeſtum. De Temperantia certum eſt, rationi quoque rectæ dedecus certe propoſitum eſſe non debet: tum, quia temperans cupit ea, quæ deceant, quemadmodum, quando. At harum rerum diſtinctio eſt ex ratione, &c.

FINIS LIBRI III.

Digitized by Google

LIBER IV.

ARGVMENTVM.

Supra explicatum eſt, inquit Thomas, de virtutibus, quæ in ipſo homine tuendo & moderando ſunt occupatæ. Hic de iis, quæ in eius externis bonis aut malis moderandis verſantur. Partitur idem hunc Librum in duo ſumma capita: quorum priore agatur de virtutibus: poſteriore de duobus affectibus, indignatione & pudore, cum virtutibus affinitatem habentibus. Tractationem autem de virtutibus, ſeu partem priorem, vt longiorem, & in quo totus fere liber conſumitur, ſecat de integro in duas partes, quarum priore de virtutibus ad res externas pertinentibus, eaſque vel bonas, vt facultates, in quibus liberalitas & magnificentia, & honores, in quibus altitudo animi, & quædam nomine vacans: vel malas, ex quibus puta ad iram excitemur. Et in his cernitur lenitas ſeu manſuetudo. Poſteriore autem de iis, quæ ad facta externa, nempe congreſſum & colloquium, & in his Amicitia, Veritas, & Vrbanitas. Summa quidem eſt hæc libri vera: partitio tamen & ordinis ratio, etſi aliis probatur (quod indicauimus ſupra lib. 3. cap. *6.) neque vera, neque Ariſtoteli conſentanea mihi videtur.*

CAPVT I.

COMMENTARII.

Λέγωμεν δ' ἑξῆς περὶ ἐλευθεριότητος.] Multa & præclara in hoc capite continentur: nam, vt vno verbo dicam, explicatur cum ſuis vitiis liberalitas, idque accuratiſſime, cum quod eius vſus in vita communi ſit ſummus & multiplex: tum quod in his rebus, quibus illa modũ recte vtendi præſcribit, plurimum occupentur mortales. Quare & ſplendida hæc de re eſt diſputatio *lib.2. Offic.* Partiuntur autem hoc caput alii aliter: nos id

 ſum-

ſummatim in duas partes ſecandum exiſtimamus: quarum in priore, quibus in rebus, ſeu in qua materia verſetur liberalitas, eiuſque extrema: poſteriore, quæ ſint liberalitatis actiones, ſeu quæ viri liberalis facta ſint propria, quæ prodigi, quæ auari. Et quidem hæc partitio Ariſtotelis inſtituto maxime eſt conſentanea, quem cernere licet hoc diligẽter obſeruare in ſingulis virtutibus explicandis, vt primum exquirat, quibus in rebus eæ ſint poſitæ: deinde, quem modũ iis adhibeat, i. quemadmodũ agãt. Idemq; obſeruat in vitiis. Huius aũt ordinis Ariſt. iuſtiſſima mihi videtur eſſe ratio & cauſa: Cur, inquã, prius de rebus, deinde de factis virtutũ & vitiorũ, cur denique de his duob. potiſſimũ agat. Et de factis quidẽ hęc videtur ratio, ꝙ ex eorũ diſcrimine virtutũ ſingularũ natura cognoſcatur. Factis circumſcribuntur & definiũtur virtutes, vt *ſup.* ſæpius eſt explicatũ. Factis virtutes diſtinguũtur à vitiis, & hãc rationẽ ipſe Ariſt. h in l. indicat. De rebus hæc eſt, ꝙ in his materia virtutũ cernatur. His vna virtus diſtinguitur ab altera. Qua in re etſi peccarunt alii, Platonici & Stoici, leuior tamen hic eſt error: ille eſt grauiſſimus, qui in factis admittitur. Neq; enim tanti refert ſcire, cum quid recte eſt factum, huic an illi attribuendũ ſit virtuti, quanti ſcire, quid recte, quid praue factũ dicendũ ſit. Nam & ſæpe vitia virtutum nomina ſibi induere ſolent. Quare Ariſt. qui hanc factorum difficultatem & momentum recte intelligeret, & ſæpe ea prædicat, & maiorem in iis explicandis operam ponit.

δοκεῖ δ' εἶναι.] Quod prius, primo, h. e. quibus in rebus ſeu materia verſetur hæc virtus, eiuſq; extrema, & ait verſari in iis rebus, quæ à Græcis χρήματα dicũtur, quæ illa ſint, mox explicabitur. Cur in his verſetur, hanc affert rationem: quia liberalis laudari ſolet ex eo, ꝙ quid fecerit in his rebus liberaliter. Neq; enim ex eo laudat' liberalis, ꝙ quid fortiter in bello; ꝙ temperãter, ꝙ in iudiciis & rebus cõtrahendis iuſte: ſed quod in re familiari recte ſe gerat, quę ratio vt intelligat', hoc repetendũ eſt, ex factis virtutes maxime cognoſci. Iã igit' cõcludatur hunc in modum: *Quibus ex rebus ſeu factis virtus quæque laudari ſolet, in his & verſatur.*

Atqui liberalis ex factis, vt ita dicã, pecuniariis laudatur.
Ergo & in his verſatur.

Propoſitionis hæc eſt ratio, eo quod virtus habitus ſit laudabilis, virtutis maxime propria ſit laus, vt *ſup. l. 1.* dictum eſt. Iam igitur, vbi virtutum laudantur facta, certe & virtutes ibi verſari neceſſe

Digitized by Google

neceſſe eſt. Nam abſurdum ſit, alibi eſſe virtutes, alibi earum facta. Itaq; ſi iuſtitiæ laus eſt in contractibus: certe & ipſa iuſtitia in iis erit. Eadem eſt cæterarum ratio. Quare & liberalitas, cuius factorũ laus eſt in re familiari (quod omnib. eſt notum) & ipſa item in re familiari ſeu χρήμασι verſabitur. Obſeruetur itaque hoc loco aurea regula ſeu nota, qua virtutum ſingularum materia deprehendi poſſit, nempe laus factorum ſingularum virtutum, vt recte monuit Græcus Scholiaſtes.

χρήματα δὲ λέγομεν.] Dictum eſt modo, liberalitatis materiam eſſe χρήματα, quod verbum, quia eſt ambiguum, ſeu ὁμώνυμον (nunc enim idem quod πρᾶγμα, nunc quod pecunia numerata, & ita vere, nunc idem quod Iurecõſultis pecunia, id eſt, res omnes, quæ noſtro ſunt in patrimonio, numi, pecudes, agrĩ, ſerui, arbores, &c. *l. 4. lex 22. 125. 222. D. de verb. ſig.*) breuiter monet Ariſt. quæ notio huc pertineat, & ait, eo verbo hic comprehendi res omnes, quæ pecunia æſtimentur, hoc eſt, tertia de iis, quas modo attuli, notio huc pertinet. Conſtat igitur, liberalitatis materiam eſſe rem familiarem, vt Latini loquuntur, facultates & res omnes, quæ ſunt in patrimonio.

καὶ ὑπερβολαὶ καὶ ἐλλείψεις.] Non dicit nominatim & diſtincte, effuſionem eſſe nimiũ, auaritiã eſſe id, quod parũ, ſed confuſe & permixte, hæc duo eſſe nimia, & ea quæ parum: propterea, quod extremorum vtrunq; nunc eſt nimium, nunc eſt id, quod parum. Nam prodigus in conſumendo eſt nimius, in accipiendo & quærendo ἐλλείπει modum deſerit: contra auarus in accipiendo eſt nimius, in erogãdo reſtrictior, parcior. Plærunq; tamen & magis proprie, nimium eſt effuſio, quod parũ, auaritia: propterea quod nõ tam quæſtus ſeu acquiſitio, quã ſumtus ſeu conſumtio in hac virtute & vitiis ſpectetur, quod & modo, μᾶλλον δ' ἐν, &c. monuit Ariſtoteles, & *infra* diligenter explicabit.

καὶ τὴν μὲν ἀνελευθερίαν.] Interiicit explicationẽ verborũ Græcorum ἀνελευθερίας & ἀσωτίας, & huius maxime, vt quod ſit ambiguum. Ait igitur, ἀνελευθερίαν ſemper & proprie de vno eodemq; auaritiæ & pecuniarũ ſtudio dici: ἀσωτίας aũt, nõ tantum de profuſione pecuniarũ, ſed de alio quoq; vitio interdũ dici, nempe de luxuria. Luxurioſos, ſeu Græce ἀκολάστους & ἀκρατεῖς: dici quoq; à Græcis ἀσώτους, nempe qui nullis parcãt ſumtibus ad ſuas explendas voluptates, vbi & præclarũ ſc. elogium luxuriæ interiicit. Nã quia luxurioſi duob. in vitiis cõtaminati, vt q profundãt pecunias, & cõquirãt libidines, eſſe φαυλοβίοτους,

ſeu

ſeu omnium deterrimos & flagitioſiſſimos. Videtur certe Ariſtoteles captare diligenter omnes luxuriæ, vt vitii deterrimi, reprehenſiones: nam quam ſupra beluinam, ſeruilem, doloribus & ſolicitudine perpetua plenam, ſummo dignam odio, peſtem denique ac perniciem mentis & ingenii: hanc hoc loco oſtendit omnium eſſe flagitioſiſſimam, vt iure apud Iuſtinum *libro 20.* frugalitas virtutum genitrix dicatur.

συμπλέκοντες.] Quidam libri, vt vetus tralatio hic poſt συμπλέκοντες, habent verbum τοῖς ἀκολάστοις, quod certe aut intelligendum, aut interiiciendum eſt.

οὐ δὴ οἰκείως.] Plærique libri habent οὐ δὴ, & reddunt Interpretes, *non igitur*, quaſi hic quædam ſit complexio. Eſt enim particula δὴ συμπερασματικὴ, concluſiua, perperam. Rectius vetus Interpres & Argyropylus. Neque enim hic eſt complexio, ſed ἀντίθεσις. Sententia totius loci hæc eſt. Etſi iam dictum eſt, luxurioſos, Græce quoque dici ἀσώτους, verum quidem id eſt, inquit Ariſtoteles, non autem proprie. Legendum eſt igitur, εὐ δὲ.

βούλεται γὰρ ἄσωτος.] Valet hoc loco verbum βούλεται idem quod *ſolet* aut *debet*, qua de re dictum eſt *ſupr.* Affertur autem hic ratio, cur luxurioſi proprie non dicantur ἄσωτοι, ſumpta a verbi notatione. Nam ἄσωτος vt ab α στερητικοῦ & σώζεσθαι ſeruari, deductum, is eſt proprie, qui ſibi ipſi peſtem & interitum affert, qui per ſe ipſe interit, qui cum ſe ſeruare poſſet, ipſe negligit, & ſuam ipſe ſalutē prodit. Cur ita, inquit aliquis? Eo quod ſuas facultates perdat, & ſua ſponte diſſipet, in quibus vita quodammodo & incolumitas continetur, vt quibus abſque, vita non ſit futura vitalis. Proprie igitur ἀσώτου vocabulum, ad vnum hoc vitium perdendæ pecuniæ, latius & improprie etiam ad luxuriam pertinet.

ὧν δ' ἐστὶ χρεία.] Explicata priore capitis parte, de virtutis huius cum vitiorum materia: hoc loco ad alteram accedit, quæ eſt de factis, modo & vſu, forma denique materiæ. Et primum quidem hanc liberalis viri adfert proprietatem, munus & officium, rectum rei familiaris vſum ad liberalem pertinere. Ne quis tamen dubitet, an varius rei familiaris poſſit eſſe vſus, hoc eſt, an ea quis bene & male quoque vti poſſit: hoc ante diſſoluit, & oſtendit eius & rectum & prauum poſſe eſſe vſum, hac ratione: quia ſit de rerum χρησίμων numero, id eſt, ſit earum rerum, quarum & vſus. Formula ſit iſta:

Quarum

Digitized by Google

Quarum rerum cunque eſt vſus, illis & bene & male vti licet.

Atqui χρήματα ſeu res familiaris & diuitiæ ſunt earum rerum, &c.

Ergo & re familiari bene & male vti licet.

Hoc iam poſito, oſtendit rectum eius vſum ad liberalitatem pertinere, hac ratione, quia ea is virtute ſit præditus, quæ in re familiari verſatur, concludatur in hunc modum:

Quarum rerũ virtutem quis tenet, his idẽ optime vtitur.

At liberalis rei familiaris virtutem tenet.

Ergo ea quoque optime vtitur.

Propoſitionis ratio hæc eſt, quia virtus cuiuſque rei ſit perfectio, vt *ſupra lib. 2.* eſt explicatum. Sic igitur perfectus Tibicen rectum tibiarum vſum nouit, recteque iis vti. Idem eſt in medico, gubernatore, &c. Quod autem virtuti hic tribuit Ariſtoteles, rectum nempe rerum vſum, id ſapientiæ & ſcientiæ tribuit Plato: *Peritus*, inquit, *& ſapiens medicus curationibus recte vtitur: gubernator nauibus, tibicen tibiis, &c.* atque hóc argumento, virtutem eſſe ſapientiam, aut ſcientiam, & beatitudinem quoq; eſſe ſcientiam in Euthydemo oſtendit: verum non recte: nam in rebus ad ingenium pertinentibus ſcientia quidem primas partes tenet, eaſque res perficit: ingenii perfectio eſt in ſcientia: at non in moribus, vbi dominatur virtus & virtutum actiones, quod *infra* explicabitur latius *lib 6. extrem.* Quæri poteſt, ſi, vt hic dicitur, bonorum, aut rei familiaris vſus eſt penes liberalitatẽ, quid fiet ſcientiæ chrimatiſticæ, ſeu parandarum diuitiarum, quid item œconomicæ? Reſpondeo, chrimatiſticæ & liberalitatis hac in re eam eſſe rationem inter ſe, quæ eſt artis faciendæ tibiæ, & artis ea canendi. Parat rem familiarem chrimatiſtica, vtitur ea liberalitas: Oeconomicæ vero munus latius patet, neque ſolum in pecunia, ſed etiam in liberis & vxore moderandis cernitur: nam pecuniæ ratione œconomicæ coniuncta eſt liberalitas.

χρῆσις δ᾽ εἶναι.] Hic iam explicat, quis ille ſit vſus fructuſq; rei familiaris, idque eo conſilio, vt melius cognoſcatur liberali quid agendum, aut quid non ſit agendum, & ait, rei familiaris vſum in ſumptibus & largitionibus potius conſiſtere, quam in capiendo & cuſtodiẽdo: vſum cenſeri ſumptu faciendo aut donando, non vero capiendo aut cuſtodiendo: cum is, qui ab aliis accipit, quiq; ſumptibus omnib. parcit, res ſuas conſeruat, non

tam

Digitized by Google

tam vti ſuis rebus, quã quærere & acquirere videatur. Elegantius Ariſt. χρῆσις, inquit, in dando & ſumtu faciendo: κτῆσις in capiendo & tuendo cernitur. Solent namq; Græci eleganti ἀντιθέτως hæc duo verba coniungere, vt apud Cic. *lib. 7. Epiſt.* *Sum enim*, inquit, *χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici.* quod Cic. poſtea latine reddens: *Sum enim vſu quidẽ & fructu tuus, mancipio & nexu Attici*: vbi κτῆσις dominiũ valet: hic dominii quæſtũ ſeu acquiſitionem potius. Recte autem agens de re familiari duo hæc commemorat, vſum & quæſtum, propterea quod hæc duo potiſſimum in re familiari conſideranda ſint, quemadmodum paretur, & quemadmodum conſumatur aut collocetur, præſertim cũ magna & in his affectionibus, liberalitate & eius extremis, magna inde exiſtat varietas, vt mox videbimus. Eadem illa duo in hac diſputatione δόσιν & λῆψιν vocat Ariſtoteles.

διὸ μᾶλλόν ἐστι.] Huc tandẽ pertinent, quæ modo de vſus natura, de dando & accipiendo ſunt dicta. Nam hoc agit Ariſt. vt oſtendat, liberalẽ in dando potius, q̃ in accipiendo verſari, ſiue etiam in non accipiendo, cũ prodigus & ipſe in dando potiſſimum verſetur, auarus in accipiendo. Sed de acceptione poſtea latius & diſtinctius. In dando igitur ſeu largitionibus cerni liberalitatem oſtendit Ariſt. argumentis, non 5. non. 6. non 10. vt alii, ſed 3. primum iam eſt commemoratum, quia vſus rei familiaris eſt in dando potius, quã in accipiẽdo. concludatur hunc in modum:

Quæ ad vſum, propria ſunt liberalitatis.
Atqui donatio ſeu largitio vſus eſt rei familiaris.
Ergo donatio propria eſt liberalitatis.

Propoſitionis ratio modo eſt explicata, quia rei familiaris vſus rectus ad liberalem pertinet: eius eſt munus, re familiari recte vti. Aſſumptio etiam ipſa modo eſt explicata, vbi diximus, vſum rei familiaris non eſſe acceptationem.

τῆς ἀρετῆς γὰρ.] II. Argumẽtum, quia virtutis magis eſt proprium bene mereri, aliiſque prodeſſe, quam ipſi alium: hoc agit virtus, omnibus vt proſit, nemini noceat, quod *infr.* iterat Ariſtoteles *lib. 8. cap. 13.* Atqui dando quis prodeſt alii non accipiendo. Ergo datio propria eſt liberalitatis.

καὶ τὸ καλὰ πράττειν.] III. Arg. quia magis propriũ eſt virtutis honeſte agere, q̃ turpiter non agere. Magis laudatur, qui quid honeſte agit, q̃ q à turpitudine dũtaxat ſe abſtinet: nã vt pclare Cic. *in Off. l. 1.* non ſatis eſt neminem afficere iniuria, ſed iuuare homines oportet, ſtudio, opa, facultatib. hæc igit̃ eſt ꝓpoſitio-

nem

Digitized by Google

σὺν ἀδήλοις.] Aſſumptio vtriuſq; propoſitionis hic exponitur, prioris iam attulimus, poſterioris hęc eſt: Atqui dando quis honeſte agit, non vero accipiẽdo: non tam agit honeſte, quã cauet à turpitudine, nempe ſi non accipiat, aut nolit acipere ab his, à quibus non oporteat, vt facit auarus. Ergo datio magis propria eſt liberalitatis. Obſeruandæ autem hic ſunt duæ virtutum omniũ proprietates inſignes, nempe virtutem omnem bene mereri de aliis. Deinde virum bonum hoc agere potius, vt honeſti quid faciat, quam vt à turpibus tantum ſe abſtineat.

καὶ ἡ χάρις.] IV. Argum. quia gratia haberi ſoleat, non ei qui nihil accipit, quod non oporteat, ſed danti potius. Beneficio afficientibus gratiæ agi ſolent. Formula:

Cui gratia habetur, id huc pertinet: nam proprie ad liberalitatem ſeu beneficentiam pertinet gratiarum actio.

At danti habetur gratia.

Ergo datio huc pertinet.

καὶ ὁ ἔπαινος δὲ μᾶλλον.] V. Argum. quia laudari magis ſoleat qui donat, quam qui nihil donat, nihil quoq; accipit. Formula:

Quod laudabilius, id, cum omni virtuti, vt ſupr. lib. 1. dictum eſt, tum liberalitati quoq; magis eſt proprium.

At qui dat, laudatur. Et certe hæc virtus omnium maxime laudari & celebrari ſolet. Cic. 2. Offic. *Temeritate enim remota, grauiſſima eſt liberalitas, eoq; eam ſtudioſius pleriq; laudant, quod ſummi cuiuſq; bonitas, commune perfugium eſt omnium, inquit Cic. 2. Offic. Qui autem non dat quidem, ſed nihil tamen accipit, vnde non oporteat, is quidem laudari quoq; ſolet, non tamen vt liberalis, ſed vt iuſtus, qui alieno abſtineat: nam ſi accipit, prorſus non laudatur.*

Datio igitur, quia eius eſt laus, huc pertinet.

καὶ ῥᾷον δὲ.] VI. Argum. quia facilius eſt non accipere, quam dare. Formula:

Difficiliora virtutum ſunt propria.

At dare difficilius eſt, quam non accipere, τὸ γὰρ οἰκεῖον.

Ergo dare virtutum magis eſt proprium.

Ratio minoris; neque enim tam facile quis ſuum donat, quam ab alieno ſe abſtinet.

καὶ ἐλευθέριοι.] VII. Argum. quia vulgo liberales habentur, qui donant: qui vero non accipiunt, iuſti potius, vt qui accipiunt aliena, iniuſti. Ergo donatio huc pertinet.

φιλοῦνται

φιλοῦνται δὲ σχεδὸν.] VIII. Argumentum: quia ex omnibus virtutibus maxime diligatur liberalitas. Nam iuſti ſæpe ſunt moleſti, prudentes pro callidis habentur, temperantes quoque vt nimis acerbi & aſperi ſunt odioſi ſæpe, ſola liberalitas eſt gratiſſima & chariſſima. Nam σχεδὸν, in quo hic laborat Græcus Scholiaſtes, quid valeat, *ſupra* eſt explicatum. Ratio autem, cur gratiſſima ſit liberalitas, eſt, quia vtiliſſima, ſiue, vt Cicero ait, quod commune perfugium ſit vir liberalis:

> *Amantur igitur inprimis liberales; ratio, quia inprimis proſunt.*
> *At proſunt, qui largiuntur, non, qui non accipiunt.*
> *Ergo largitio liberalitatis eſt propria.*

αἱ δὲ κατ' ἀρετὴν.] Poſtquam conſtat, in largitionibus ſeu donationibus maxime conſiſtere munus liberalitatis: iam pergit oſtendere, quales debeant hæ eſſe largitiones & quantæ. Cautiones vocat Cicero *lib. 1. Offic.* Prima eſt ratio ſeu nota veræ & iuſtæ largitionis, eam debere eſſe honeſti cauſa. Ratio, quia omnium virtutum actiones ſunt honeſti cauſa, ſunt honeſtæ. Non eſt igitur liberalis largitio, quæ fit aliis de cauſis, vt maioris lucri, aut dignitatis & honoris aſſequendi, libidinis aut voluptatis. Sed hi vel ambitioſi, vel prodigi, vel captatores potius & negotiatores, aut alio aliquo nomine, quam liberales ſunt dicendi, vt mox ait Ariſtoteles. Excluduntur ergo à liberalibus largitionibus illæ, quæ in Rebuſpublicis deliniendæ multitudinis gratia fieri ſolent, vt recte Cicero *in Offic.* vbi de ædilitiis largitionibus, quæ tamen ad magnificentiam potius pertinent: *Cauſa largitionis eſt*, inquit, *ſi aut neceſſe eſt; aut vtile.* In his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. Sub hac igitur nota, tota fere liberalium largitionum natura & rectitudo continetur, nempe, quia hac admonemur, quibus, quando, quæ, &c. ſint largienda. Et huc pertinet cautio Cic. vt pro dignitate cuique tribuatur, vt, in beneficentia delectus ſit dignitatis: in quo & mores eius erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas ac ſocietas vitæ, & ad noſtras vtilitates officia ante collata. Huc quoque pertinet quæſtio: Fortunatone potius, an inopi ſit donandum, qua de re Cicero *libr. 2. Offic. Sed cum in hominibus, &c.* vbi docet, beneficia potius in tenues, quam in beatos eſſe collocanda. De qua re & Plato *in Phædro in princ.* nam propenſior benignitas eſſe debet in calamitoſos, niſi forte erunt digni calami-

by Google

calamitate. Recte igitur & Ennius: *Benefacta male locata, malefacta arbitror.* & *eodem in lib. Largiendum quidem*, inquit, *eſt, ſed idoneis hominibus indigentibus, ſed diligenter atque moderate*, id eſt, cum delectu.

καὶ ταῦτα ἡδέως.] Altera cautio ſeu nota largitionum, vt fiant libenter, aut certe abſque moleſtia, & non grauate. Ratio, τὸ γὰρ, quia virtutum omnium, excepta fortitudine, actiones ſunt vel iucundæ, vel abſque moleſtia, aut certe minima cum moleſtia. Sic enim legendum puto ex veteri tralatione ἥκιστα, & facile abſumi potuit alterum. De antecedente, nempe, omnium virtutum actiones eſſe iucundas, dictum eſt *libro 2. & 3.* & de liberalitate quoque apud Apoſtolum: *Hilarem datorem diligit Dominus.* Huc quoque pertinent prouerbia: *Bis dat, qui cito dat, &c.*

ὁ δὲ διδοὺς οἷς.] Quæ modo attulit, largitiones honeſti cauſa & libenter fieri debere: iam contrariis explicandis magis declarat. Qui igitur honeſti cauſa non largitur, inquit, non liberalis, ſed alio nomine dicendus erit, puta ambitioſus, &c. vt neque liberalis erit, qui non libenter & hilari vultu, ſed vel pudore aut metu coactus, donat. Apparet namque, hunc pecuniam retinere malle, quam dare aut exercere liberalitatem.

οὐδὲ λήψεται δέ.] Adhuc de largitione: nunc de acceptione, ſeu ſumptione. Sic enim Plautus loquitur *in Perſa*: *Improbus homo eſt, qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit.* Et Martialis: *Dedecus eſt ſemper ſumere, nihilque dare.*

Etſi autem liberalis omne munus in dando potius quam in accipiendo verſari oſtendimus: nonnihil tamen & in accipiendo ſpectatur, aut certe hoc quoque videndum eſt, quemadmodum ſe in accipiendo gerere debeat. Primum igitur hanc affert cautionem, Liberalem non ſumere, vnde non oporteat, hæc prima eſt ſumptionis lex & conditio. Cuius ea eſt ratio, eo quod ſumere à quibus non oporteat, à quolibet, non eſt eius, qui pecuniam parui faciat, vt liberalis, ſed auari potius. Altera conditio eſt, liberalem non eſſe αἰτητικόν, id eſt, ad poſcendum ſeu poſtulandum facilem, non eſſe petacem, ſeu, vt antiqui loquebantur, procacem [Cicero *lib. 4. de Repub.*] Ratio, οὐδὲ γάρ ἐστι, &c. quod liberalis, qui alios beneficiis afficere ſolet, nolit vere affici ab aliis. At qui poſtulat, is affici cupit. Manat autem hæc ex priore: nam qui ad ſumendum non eſt facilis, idem neque ad poſtulandum.

ὅθεν δὲ δεῖ λήψεται.] Explicatis duabus cautionibus ſumptionum, tertio loco oſtendit, quid liberali ſit agendum, & ait, ſumere quidem illi licere, ſed vnde oporteat, nempe ex ſuis rebus & poſſeſſionib. & ex his ipſis tamen eo conſilio, nõ quaſi ipſum ſumere per ſe ſit honeſtum, ſed hunc potius in finem, vt hac ſumptione ad largiendum vtatur, & hinc ſuppetant copiæ ad donandum. Ex quibus verbis perſpicuum eſt, ſumptionem in liberali valde arctari, nempe quæ in ſuis tantum rebus permittatur: deinde in hac ipſa tamen non poſitam eſſe liberalitatem, ſed potius eam fieri liberalitatis & largitionis cauſa.

οὐδ' ἀμελήσει.] Explicat, quod dixerat de ſuis rebus liberalem capere poſſe: nam & liberalem ſuarum rerum curam gerere debere, non tam propter ipſas res, aut quo eas amet, ſed vt ad largiendum ſuppetant, quod ipſum & Cic. *lib. 2. Offic.* monet. Habenda eſt autem ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt, ſed ita vt illiberalitatis auaritiæque abſit ſuſpicio: poſſe enim liberalitate vti non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum eſt pecuniæ fructus maximus.

οὐδὲ τοῖς τυχοῦσι.] Hoc *ſupra* eſt explicatum, vbi de honeſto, ad cuius diſtinctionem pertinet, videre cui donetur, digno an indigno, ſiue, vt Cicero, vt pro dignitate cuique tribuatur, vt patriæ, ciuitatis, cognationis, calamitatis, probitatis, habeatur ratio. Cicero quidem *libro ſecundo Officiorum*, idoneis duntaxat dari vult: hoc eſt, vt Ariſtoteles appellare videtur, οὐ τοῖς τυχοῦσι, quod grauiter reprehendit Lactantius *libro 6. Inſtitut.*

ἐλευθερίου δ' ἐστι.] Adferuntur hic aliæ quatuor liberalitatis proprietates, quarum hæc eſt prima; Liberalem in largiendo valde excellere, adeo, vt ipſe ſibi minus retineat ſemper. Ratio, τὸ γὰρ μὴ, eo quod hæc liberalis viri ſit natura & indoles, nullam ſui curam habere, nihil ſe reſpicere, ad largiendum totum ſpectare.

κατὰ τὴν οὐσίαν.] Altera proprietas, ex facultatibus iudicandam eſſe liberalitatem: neque enim in multitudine aut magnitudine donorum ſpectari liberalem, ſed ex animo & voluntate, ex recta affectione. At hæc pro facultatibus ſuis donare ſolet, quod confirmatur ex eo, quia ſæpe magis liberalis habeatur, qui pauca, qua[m] qui multa donarit: pauca ex re tenui: multa ex magnis copiis, & tamen non pro rata, vt illa muliercula apud Euangeliſtam. Prætermiſit Ariſtoteles hoc loco,

ſed

Digitized by Google

ſed paulo inferius commemorat: Liberalem pro facultatibus ſuis donare oportere, earum modum non excedere, vt præclare Cic. ne maior ſit benignitas quam facultates. Qui enim benigniores volunt eſſe, quam res patitur, primum in eo peccant, quod iniurioſi ſunt in proximos: quas enim copias his ſuppeditari æquius eſt & relinqui, eas transferunt ad alienos. Ineſt aũt in tali liberalitate cupiditas plærunq; rapiendi & auferendi per iniuriam, vt ad largiendum ſuppetant copiæ: & *lib.2.* moderate ait donandum. Multi enim patrimonia effundunt, inconſulte largiendo. Quid autem eſt ſtultius, quam quod libenter facias curare, vt id diutius facere non poſſis, &c. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda, vt pateat omnibus, modus adhibeatur, iſque referatur ad facultates.

ἐλευθεριώτεροι δ᾽ εἶναι.] Tertia proprietas, magis eſſe liberales, qui à maioribus partas diuitias acceperunt, quam qui ipſi pepererint, quod ipſum & Plato *lib.1. Politicorum*, indicat: ex quo loco hæc ſumpſit Ariſtoteles. Cuius rei duas affert rationes. Prior eſt, quia inopiam nunquam ſunt experti. Vt autem qui in bello nunquam fuerint, ad pericula proiectiores videntur: ita & in diuitiis, qui inopiam nunquam ſunt experti, ad eas profundendas ſunt faciliores, & hoc arg. *lib.2. Rhet.* Ariſtot. oſtendit, adoleſcentes eſſe natura magis liberales, quam ſenes. Altera eſt ratio, ἢ *πάντες ἀγαπῶσι*, quia ſuum quiſq; opus amat; ſuum cuiq; eſt pulchrum, quod quiſque ſibi peperit, hoc ipſi eſt chariſſimum: quod oſtendit Ariſt. ex parentũ amore erga liberos, quem conſtat eſſe acerrimum, & multo quidem acriorem, quam liberorum aduerſus parentes. Qua de re *infr.l.9.c.6. πᾶς γὰρ τὸ*, &c. oſtendit & exemplo Poetarum, qui ſua quiſq; ſcripta & verſus mirifice amare ſolent. Ex omnibus ſcriptoribus nemo tam ſibi placet, quam Poeta, nemo tam ſua amat ſcripta quam Poeta: quod & *infra* commemorat *eo loco*, & Plato *eo loco*, & Cicero *lib.5. Tuſculanarum quaſt. de Dionyſio Siculo*: *Muſicorum vero*, inquit, *perſtudioſum accepimus: Poetam etiam Tragicum quam bonum nihil ad rem. In hoc enim genere neſcio, quo pacto, magis quam in aliis ſuum cuiq; pulchrum, adhuc neminem cognoui Poetam, & mihi fuit cum Aquinio (ſc. peſſimo Poeta, teſte Catullo) amicitia, qui ſibi non optimus videretur, ſic ſe res habet, te tua, me delectant mea.* Idem commemorat *lib.14. ad Attic. & lib.2. ad Q. Frat.*

πλουτεῖν δ' οὐ ῥᾴδιον.] Quarta nota & proprietas; non facile fieri, vt diteſcat liberalis; homines liberales plærunq; non eſſe ex ditioribus, ratio, *μήτε ληπτικὸν*, &c. eo quod nec ſint *ληπτικοὶ* ad accipiendum & acquirendum auidi, nec *φυλακτικοὶ* non nimis attenti in rebus conſeruandis (nam & *ſupra* diximus, liberalitatem non verſari in cuſtodia aut ſumptione) ſed ſint potius *προετικοὶ* ad largiendum profuſi & faciles, & quia bona non propter ipſa, non quia ipſa ament, ſed dandi & largiendi duntaxat cauſa ea cupiant aut quærant. Sic enim in libris fere omnibus & veteri tralatione legitur. Quidam reponendum putat *δι' αὐτὸν*, vt referatur ad ipſum liberalem, non ad *τὰ χρήματα*. Verum, cum omnis mutatio, tum vbi bona peræque conſtat ſententia eſt periculoſa, hic certe minime neceſſaria.

διὸ καὶ ἐγκαλεῖται.] Argyropylus legit *ἡ τύχη*, accuſatur fortuna, ſed in omnibus libris etiam veteri tralatione eſt *τῇ τύχῃ* fortunam accuſat, nempe vulgus *τὸ πλῆθος*. Qua conciſe loquendi ratione & Græci & Latini ſæpe vtuntur, vt & *libro primo* admonuimus, vt Cicero *1. Officiorum.* Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur. Sic ibi legendum ex veteribus libris: nam in vulgatis interiectum, nonnulli. Quod ad rem attinet; ſic apud Senecam in Hercule furente quidam: *O fortuna viris inuida fortibus, quam non æqua bonis præmia diuidis.* Idem alibi: *Res humanas ordine nullo fortuna regit, ſpargitque manu munera cæca peiora fouens.*

συμβαίνει δ' οὐκ.] Cur non diteſcat liberalis, etſi iam ratione confirmarat, vt quia ſit *προετικὸς*, hic alteram pene geminam tamen & eandem adfert, nempe quia non curet diteſcere, quia nullum in diuitiis quærendis ſtudium & operam ponat, vt res aliæ, bona valetudo, honores, eruditio ita & copiæ ſtudio & induſtria parantur.

οὐ μὴν δώσει γε.] Etſi liberalis ad largiendum eſt facilis & profuſus, non tamen largietur, quibus nō oporteat, id eſt, indignis, vt *ſupr.* eſt explicatum, vt largiendum pro facultatibus, largiendum libenter, & non grauate: accipiendum quoque vnde oporteat.

διὸ τοὺς τυράννους.] Poſtquam oſtendit eum, qui in dando & largiendo modum excedat, eſſe prodigum: id ipſum argumento à ſigno, hoc eſt, à vulgi teſtimonio & loquendi conſuetudine confir-

Digitized by Google

confirmat,& quidē à contrario. Tyrannos namq; vulgo nō dici prodigos,quod tantæ eorum ſint copiæ, vt largiēdo modum earū ſuperare vix poſſint, raro reperiantur Tyranni, qui plane ſe exhauriant largiendo. Eſt igitur & hic argumentum, eum, qui modum facultatum nō excedat, quantumis immenſa donet,poſſe tamē eſſe liberalē,neq; propterea dicendū prodigum.

ὁ δ' ὑπερβάλλων.] Perperam Thomas exiſtimat Ariſtotelem hic incipere agere de prodigo,de quo multo poſt: nam iſtud de prodigo eſt parergon: adhibito contrario ad explicandum magis modum liberalitatis.

ὁμοίως ἐν μικροῖς.] Obſcurior clauſula: nam vel ita accipi poteſt: liberalem ſeruaturum rectum modum, tam in rebus paruis,quam in in magnis. Paruas voco,quę in priuatis locum habent,vt captiuorū redemtionem, dotis dationem, ſepulturam, &c. Magnas,quæ in Repub. locum habent,in quibus verſatur Magnificentia,de qua proximo capite. Et ita Thomas. Verum quia non puto,liberalitatem,de qua hic agitur, in magnis eiuſmodi rebus verſari,vt proximo cap. oſtendam: ſic potius accipienda hæc puto: Liberalem, ſiue parum, ſiue multum largiatur,tam in paruis donis, quam magnis ſeruaturum *τὸ δέον*. Siue etiam ita: Liberalitatis rectitudinem tam in paruis donis cerni, quam in magnis: neque id abſque ratione. Nam & artes, quibus virtutes ſæpe comparauit Ariſtoteles,tam in paruis rebus elucent,quam in magnis, & ſæpe magis in paruis, vt pictoris tam in parua tabula, quam in magna: & ſculptoris tam in ſigillo,quam in ſigno.

τῆς ἀρετῆς γὰρ.] Quod hic dicitur, liberalitatem in vtroque, dando & accipiendo ſpectari, qua cum diſtinctione accipi debeat, *ſupr.* eſt dictum.

ἕπεται γὰρ τῇ.] Obſcurus eſt locus, quo tamen hoc puto agere Ariſtotelem, vt planius explicet, & quaſi *τὸ διότι* adferat eius ſententiæ, liberalem cum in dando, tum in accipiendo *τὸ δέον* ſequi, ſiue, honeſtam & ſumptionem & largitionem in eo ineſſe. Nam eas inter ſe ſequi, vt in honeſtate conuenientes. Quæ autem ſequuntur, non mirum ſi concurrant, cum ſint ſimiles, vtpote honeſtæ vtræque. At quæ non inter ſe ſequuntur, vtpote diſſimiles & contrariæ, neque concurrunt, neq; in vno eodemque reperiri poſſunt propter contrariorum naturam. Quare, vt liberalis viri datio, ita & ſumptio, honeſta *κατὰ τὸ δέον* eſſe debet. Sequuntur autem inter ſe, & altera co-

mitatur alteram, rectam largitionem recta ſumptio: vt in liberali, & contra, vitioſam donationem vitioſa ſumptio, vt in prodigo, qui, quia contra τὸ δέον diſſipat & largitur, vt ad largiendum copiæ ipſi ſuppetant: ſumat quoque contra τὸ δέον neceſſe eſt, nempe furando, latrocinando, turpiter aut improbe poſtulando, aut emendicando, &c. Vt igitur vitioſa ſumptio ſimilem dationem ſequitur: ita & recta ſumptio ſimilem dationem ſequitur. At contrariæ ſe non conſequuntur, vt vitioſe nactus, ſeu per fas & nefas (quod fere faciunt auari) certe non facile largietur honeſte, neque contra, vitioſam donationem non ſequitur honeſta ſumptio. Nam prodigus, qui effundit contra decorum ſeu vitioſe, ſi honeſte ſumere velit, breui illi nihil ſupererit ad donandum. Ex his igitur perſpicuum eſt, quæ inter ſe conſequantur, quæ non: & cur tam ſumptio, quam largitio honeſta in liberali concurrant, qui ſcopus eſt huius loci.

ἐὰν δὲ παρὰ τὸ δέον.] Quia *ſup.* dictum eſt, Libenter daturum liberalem, hoc amplius hic adiicit interdum & dolorem capturum. Dolebit igitur liberalis, ſi vel indigno, aut quas in res non oporteat, ſumptus fecerit aut donauerit, ſed dolebit modice: cuius rei hanc affert rationem Ariſtoteles, quod virtutis ſeu viri boni ſit, quibus rebus quatenus ſit & lætandum & dolendum: tametſi Stoici poſtea exorti aliter ſenſerint, qui noluerunt in virum bonum cadere ægritudinem: qua de re apud Cic. 2. *Tuſc.*

καὶ εὐκοινώνητος δ᾽.] Obſcurior eſt locus, quem tamē omnes ita accipiunt, liberalem comem & facilem eſſe ſocium, in communione ſeu ſocietate rei pecuniariæ, aut bonorum eſſe tractabilem, & qui ſibi non plurimum ſemper tribuat. Sed difficilius eſt videre, quemadmodum hæc inter ſe cohæreant: videtur tamen horum verborum hic eſſe ſcopus, quibus exponat Ariſt. fieri non raro, vt liberalis, quibus aut quemadmodū non oporteat, largiatur: ſæpe fieri, vt donet indignis, eo quod, ad pecunias quod attinet, minime ſit difficilis, ſit εὐκοινώνητος facilis & tractabilis, atque ita decipi facile poteſt, obrepi ab indignis illi poteſt, perſuaderi denique poteſt. Et hæc videtur mihi huius loci ſententia & ſcopus, & vis verbi εὐκοινώνητος. Quo enim hic de ſocietate.

καὶ μᾶλλον ἀχθόμενος.] Et hic locus cōfirmat noſtram explanationem. Agit namq; etiam de liberalis dolore: quare & illud

εὐκοι-

Digitized by Google

ἀνηγνώστη eodem ſpectare debet. Nam abſurdum ſit clauſulam prorſus alienam à re propoſita interiectam hic eſſe. Ait autem hoc loco Ariſt. liberalem magis dolere, quia non conſumpſerit, vbi oporteat, quam quia conſumpſerit, vbi non oporteat. Quemadmodum Imp. Hadrianus: *Præſtat*, inquit, *nocentem abſoluere, quam innocentem damnare.*

καὶ τοῦ Σιμωνίδη.] Grauiter hoc loco, & quidem (qui mos Ariſtoteli eſt vſitatus) aliud agens, perſtringit Simonidem Poetam inſignem, & verſibus Lyricis, & auaritia nobilem. De quo Plato *in Hipparcho.* Athenæus *lib.14.* Plutarchus *de tarda Dei vindicta.* Ælianus *lib.8. in principio.* & Eraſmus *in prouerb. Simonidis cantilena.*

εἴρηται δ' ἡμῖν.] Hic proprie incipit explicare de prodigo. Nam quòd modo, eum, quibus rebus aut quemadmodum oporteat, neque lætari neque dolere: ad planiorem explanationem viri liberalis pertinebat.

εἴρηται δ' ἡμῖν.] Id dictum eſt *ſupr. initio capitis*, nempe nimium, & quod parum eſſe auaritiam & profuſionem.

καὶ τὴν δαπάνην.] Hoc adiicit Ariſtoteles, eo quod prodigi profuſio non tam in donando, quam in ſumptu faciendo verſetur. Itaque quia dixerat, prodigum in datione eſſe nimium, idque in dubium reuocari poterat, vt iam diximus, præmonet Ariſtoteles, ſumptum ſeu δαπάνην nomine largitionis quoque ſe complecti.

ἡ μὲν οὖν ἀσωτία.] Iam demum naturam ſeu facta prodigi explicat. Et quidem in tribus potiſſimum ipſum peccare, nempe quia in dando & in non accipiendo ſit nimius, in dando modum ſuperet, in accipiendo modum deſerat. In dando quidem, quia temere dignis, & maxime indignis omnibus donat. In non accipiendo, quia nihil prorſus accipere curet, ſed omnia potius profundat. In his igitur duobus prodigi conſiſtit ὑπερβολή· ἔλλειψις autem, ſeu id quod parum in accipiẽdo, quia nihil accipiat, ſeu minus quam oporteat. Nam liberalis, qui rebus in omnibus modum tenet, dat quoq; modice, & accipit modice. Hæc enim tria facta diligenter ſunt diſtinguenda. Auarus autem bis peccat, in dando & in accipiendo. In hoc quidem nimium, in illo parum.

πλὴν ἐπὶ μικροῖς.] Accipiunt vulgo & reddunt, præterquam in rebus paruis, quaſi ſit exceptio, perperam: nam in rebus magnis qui ſunt λαπισταί, i. modũ in accipiendo ſuperant, non

proprie ſunt auari, ſed iniuſti, πλεονέκται Tyranni, vt ipſe Ariſtoteles *infra* hoc capite, τοὺς γὰρ τὰ μεγάλα, &c. Eſt igitur in his verbis non exceptio, ſed explanatio huncin modum: Auaritiam modum ſuperare in accipiendo, nempe, ſiue, ſed tamen (id enim ſæpe valet τὸ πλὴν) in rebus paruis, quaſi dicatur, in rebus magnis non verſatur auaritia, ſed Tyrannis potius & iniuſtitia.

τὰ μὲν οὖν τῆς.] Explicato ſummatim factorum, tam auari quam prodigi diſcrimine: iam eadem diligentius explicat. Et primum quidem de prodigo: Facta eius raro concurrere, id eſt, vix reperiri, vt ſemper quis largiatur, qui nihil accipiat. Sic enim hoc loco legendum eſt, συνδυάζεται, ſiue, vt quidam libri habent, συνδυάζεται, id eſt, vt recte Græcus Scholiaſtes, συμπλέκεται, id eſt, coniunguntur, & ἅμα γίνεται, id eſt, concurrunt, vt nos explicauimus. Ratio huius ſententiæ, οὐ γὰρ ῥᾴδιον, quam & modo attulimus, non eſſe facile donare eum, qui nunquam accipiat. Nam largitio cum fundum non habeat, vt prouerbio dicitur, certe ſemper dantem nunquam accipientem, res vt deficiat, neceſſe eſt, priuatum præſertim, qui proprie dicuntur prodigi. Nam Tyranni & Principes δυνάσται etiam multa largiendo non facile labuntur facultatibus, neque proprie dicuntur prodigi, vt *ſupra* eſt explicatum.

ἐπεὶ ὅγε.] Aut legendum ἔπειτα, id eſt, deinde, aut rarus eſt hoc loco huius particulæ vſus & notio, pro *ceterum* aut *verum*.

ἐπεὶ ὅγε τοιοῦτος.] Vt ex malis alia aliis ſunt leuiora, item in his duobus extremis, prodigum auaro minus eſſe malum, oſtendit tribus potiſſimum rationibus. Quia autem prodigi tria ſunt genera, videndum, de quo accipienda ſit hæc ſententia: nam quidam ſunt tantum δοτικοὶ, & ad largiendum procliues: quidam ſimul & ληπτικοὶ, , qui & dent & accipiant nullo modo aut diſcrimine: omnium poſtremi ſunt, qui in luxurioſos degenerant, ſeu potius iam ſunt luxurioſi, ad libidines & voluptates perfruendas patrimonium conſumunt: certe de primo genere, vt minime malo, hæc accipienda videntur, & hoc eſt, quod ait τοιοῦτος, & poſtea, ὁ δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, &c. quales fere ſunt adoleſcentes. De ſecundo genere, ἀλλ' οἱ πολλοὶ, &c. De tertio genere, διὸ καὶ ἀκόλαστοι, &c. & ex ſecundo plærunque degeneratur in tertium.

διακτὸς

ἀϊατός τι φ.] Prima ratio, quia prodigus eſt ἰάσιμ☉, id eſt, ad ſanitatem & frugem reduci poteſt, auarus eſt *ἀνίατος*, vt *infra* hoc capite extremo dicitur, id eſt, deploratus, & qui difficillime ad liberalitatem reuocari poſſit. Certe paucos reperies auaros, qui liberales poſtea fiant: Etſi apud Terent. *in Adelphis, Demea ex aſpero, duro & auaro ſene, liberalem & lenem ſe prabere ſtudet.* Prodigi autem & luxurioſi multi repeniuntur, qui ad frugem redierunt. Cic. *pro Cœlio. At multi,* inquit, *& noſtra, & patrum maiorumq́; memoria Iudices, ſummi homines & clariſſimi viri fuerunt: quorum cum adoleſcentia cupiditates deferbuiſſent, eximia virtutes extiterunt:* Exemplo ſit ille, de quo apud Horat. *lib. 2. ſerm.* 3.

Facias ne quod olim mutatus, &c.

Huius diſcriminis rationes ſunt duæ, prior ab ætate. Nam plæruinq; hæc profuſio cadit in imperitos adoleſcentes & petulãtes, qui vbi adoleuerint, cõfirmato cum ætate iudicio, plærumq; vitam illam luxurioſam derelinquere ſolent. Contra fit in auaris, quod vitium in ſenes potiſſimum cadit, in quibus, vt nulla eſt ætatis aut iudicij: ita nec morum mutatio, immo exaggeratio potius, vt *infra* explicabimus hoc capite. Altera ratio diſcriminis eſt ab inopia. Quæ adoleſcentes per luxuriam facultatibus exutos, ad frugem ſæpe reuocare ſolet; quæ certe ratio in auaris locum non habet, cum per auaritiam non inopia, ſed copiæ conquirantur.

ϗ ἐπὶ τὸ μέσον.] Altera ratio, quia prodigus cum liberali cognationem habeat, auarus non item. Nam prodigus non eſt ληπτικὸς, vt auarus, ſed δοτικὸς, vt liberalis, niſi quod hic modo & honeſti gratia, prodigus non item: qui tamen ob hanc affinitatem ad liberalitatem perduci poterit, vel conſueſcendo, vel ætate aut inopia, vt iam diximus. Et hoc eſt, quod ait ἰθιδθείη, ἢ πως ἄλλως μεταβάλλοι, &c.

διὸ ϗ δοκεῖ οὐκ.] Itaque prodigus non videtur malæ eſſe indolis: id namque valet τὸ ἦθ☉, de quo *initio lib. 1.* valet hic indolem, ingenium, non mores, vt quidam reddiderunt. Sententia eſt, Prodigum videri non malæ indolis aut naturæ, propter eam cum liberali affinitatem, & vt hoc loco ait Ariſtoteles, quia generoſi ſit animi largiri & nihil accipere Cicer. *lib. 1. offic. Nihil enim eſt,* inquit, *tam anguſti animi tamq́; parui, quam amare diuitias, nihil honeſtius magnificentiusq́; quam pecuniam contemnere.* Et Ariſt. *lib. 8. Polit. cap. 3. in fine.*

ϰαὶ ἔτι ὁ μ.] Tertia ratio, quod prodigus proſit multis, auarus nemini, ne ſibi quidem ipſi, inquit Ariſtoteles, vt & Publius *in Mimis ſuis: In nullum auarus bonus, in ſe peſſimus.* Et idem *Auarus, niſi cum moritur, nihil recte facit.*

ἀλλ' οἱ πολλοὶ τ.] Alterum prodigorum genus, qui nō tantum ſint δοτικοὶ, ſed etiam ληπτικοὶ id eſt, qui non profundant ſua duntaxat, ſed aliena quoque rapere ſtudeant, idque hac de cauſa fieri, quia cum largitionibus exhauriantur, & earum ſint cupidiſſimi, neceſſe eſt, vt copiæ ad largiendum ipſis ſuppeditent, eos quoq; eſſe ληπτικούς. Vere .a. & proprie prodigi ſunt δοτικοί: ex euentu autem fiunt ληπτικοί, & hac in re ſimiles ſunt liberalibus, quos & *ſupra* oſtendimus per ſe δοτικούς, ex euentu ληπτικούς.

ἀναγκάζονται γ.] Id eſt, coguntur aliunde copias ſibi conquirere, ſeu parare diuitias, id valet, quod dicit πορίζειν, non vt quidam reddiderunt, præbere & ſuppeditare alijs, quod huic loco non conuenit.

ἅμα ϰαὶ διὰ τὸ μηθὲν.] Poſtquam docuit prodigos quoque fieri ληπτικούς, hic modum λήψεως oſtendit, ex quo cognoſcatur diſcrimen inter λῆψιν prodigi & liberalis. Nam hunc ſumere vt oportet, & à quibus oportet, illum non item: propterea quod hic honeſtum habeat propoſitum, prodigus nullam honeſti curam gerat, & proinde à dignis & indignis, ab omnibus deniq; ſumit, aufert, rapit, furatur.

διόπερ οὐδ' ἐλευθέριοι.] Elicit ex prioribus hanc ſententiam, prodigorum largitiones non eſſe liberales, tum quod non ſint honeſtæ, tum quod nullo diſcrimine aut diligenter, id eſt, cum delectu fiant, & indignis potius quam dignis. Quare recte Ennius: *Benefacta male locata, malefacta arbitror.*

διὸ ϰαὶ ἀκόλαστοι.] Quia dixerat prodigos ijs fere largiri, qui voluptatem aliquam ipſis reperiant, qui adulari ipſos norint: hinc elicit, prodigos in luxurioſos fere degenerare, plæroſq; ex prodigis eſſe quoq; luxurioſos: cum, quia, qui omnibus in rebus facile ſumtum faciunt, patrimoniumq; profligant, hi quoque in rebus luxurioſis ſumptibus non parcent: tum, quia, qui nullam honeſti curam ſeu rationem habent, vt hi prodigi, facile ad voluptates, id eſt, luxurioſorum materiam delabuntur.

ἡ δ' ἀνελευθερία.] Nūc de Auaritia: de qua hoc primū, Eam eſſe inſanabilem, nunquam in mediocritatem conuerti poſſe. Cuius rei duas affert rationes; priorem ab ætate, quia ætas, in

quam

Digitized by Google

quam cadit auaritia, eo eſt ingenio, vt quo magis ingraueſcat, eo auaritiam magis augeat. Eſt .a. ſenectus hæc ætas, quam & h. loco & *li. 2. Rhet.* Ariſtot. ait, reddere homines auaros. Quæ ſenectus, vt eſt auaritiæ ortus cauſa, ita & incrementum. Contra eſt in adoleſcentia, quæ cum maturitate ſapere diſcit, atq; ita ad frugem reuocari ſolet. Cæterum ſenes fere eſſe auaros, perſpicuum eſt. Etſi apud Cic. Cato, nihil abſurdius eſſe ait, quã vbi minus reſtet viæ, plus quærere viatici. Cur .a. auari fere ſint ſenes, negat ſe intelligere Cato. At Ariſt. duas eius rei affert cauſas. Alterã *in Rhetor.* quia longo vſu didicerint, quid valeat nummus: quanti fiat pecunia, quam nõ temere ſit profundenda: altera indicatur h. loco. quia imbecillitas omnis ſit auara. Qualis eſt ſenectus, & hac ratione quoq; fœminæ plærumq; viris ſunt auariores. Cur .a. infirmitas homines reddat illiberales, duæ poſſunt reddi rationes, tum, quia infirmitas eſt defectio quædam & inopia, quam omnes explere ſtudemus: tum, quia quæ viribus nequeunt, ea ratione ſeu parſimonia & auaritia aſſequi ſtudent. Hæc igitur vna eſt ratio, cur inſanabilis ſit auaritia. Altera eſt, καὶ συμφυέστερον: quia magis naturæ noſtræ ſit cognata quam profuſio, quod ex eo fit perſpicuum, quia multo plures φιλοχρημάτους & pecuniæ ſtudioſos, quam prodigos & ad largiendum faciles reperias. Formula:

Quæ naturæ noſtra ſunt coniunctiora, ægrius depelli poſſunt: Naturam expellas furca, &c.
At auaritia naturæ noſtræ eſt cognatior.
Ergo difficulter poteſt expelli.

Plane Ariſtotelis ſententia ita eſt accipienda, vt interdum tamen exceptionem patiatur.

Καὶ διατείνει ἐπί.] Adfert varia auaritiæ genera. In libello *de virtutibus* tria commemorantur αἰσχροκέρδειαν, id eſt, turpis lucri ſtudium, quale eſt opificum quorundam. φειδωλία, parſimonia nimia eorum, qui nullos faciant ſumptus, aut ægre. κιμβεία eorum, qui ſumptus quidẽ, ſed Euclionis inſtar faciant, aut Simonidis, quem ipſum κίμβικα vocat chamæleon apud Athenæum *lib. 14.* Hoc .a. loco duo ſumma auaritiæ genera afferuntur, eo ꝙ auarus partim in nimium accipiendo, partim in nihil dando peccet. Nam raro fieri ait Ariſt. vt in vno vniuerſa reperiatur auaritia. Ad hæc a. duo genera, tria ſuperiora referri poſſunt: ad prius primum, ad poſterius duo reliqua; ꝙ poſterius, prius explicat Ariſtot. Eſt autem eorum, qui nihil

largi-

largiantur, nihil quoq; accipiant, aliena non appetentes, ſuis conſeruandis intenti, & quidem hi meliores videntur, quod ab alienis manus abſtineant: cur. a. abſtineāt, duab. de cauſis fieri, monet Ariſt. Nā alios abſtinere probitate, & turpitudinis fuga adductos, temperare inquā ab alienis, ne quid turpiter cogantur admittere; furta, inquam, fraudes, &c. in quæ ſæpe incurrunt, qui alienum appetunt. Alios vero ab alienis temperare, non probitate aliqua ſed metu, ne & ipſis aut eorum bonis accidat, vel à priuatis, vel à Magiſtratibus, quod in alios ipſi perpetrarint. Nam vt præclare Ariſtoteles, ἐ ῥᾴδιον τὸ, &c. difficile eſt aliena quem appetere, cui contra ſua quoq; ab alijs nō appetantur. *Male ſcilicet parta, male dilabuntur. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et certe plærique auari male volunt & inſidiantur. Hinc & apud Cicero. 3. *de Nat. Deorum*, Filiusfamilias in Synephebis Cæcilij paradoxe mauult habere patrem auarum, quam facilem, propterea quod à liberale, vt aliquid per dolum auferat, ſibi perſuadere non poſſit. Auaro autem omnem machinam & dolum commoliri, ſumma ſit voluptas. Huius autem generis ſunt, qui Græcis dicuntur φειδωλοὶ parci, γλίσχροι tenaces, κίμβικες (quaſi ollares dicas, qualis Euclio erat cum ſua olla) κυμινοπρίσται cumini ſectores, ῥυποκόνδυλοι ſordidi, τρεγώδιοι, id eſt, fere victantes, συκοτραγίδαι, ficubus victitantes. Hoc igitur primum eſt auaritiæ genus ſummum. Nam huius ipſius generis, quam varia rurſus ſint genera, vel ex ſolis nominibus, quæ modo attuli, perſpici poteſt.

οἱ δ' αὖ κατὰ τὴν.] Alterum eſt auaritiæ genus ſummum, eorum, qui nullum in ſumendo modum tenent, vndecunque lucrum captant, etiam minimum, & cum infamia, quales plæriq; ſunt opifices, perductores, lenones, fœneratores, captatores, teſtamentarij & viduarum, aſſentatores, aleatores deniq;, fures, graſſatores, latrones, ac ſi qui alij ſunt iniuſti, illiberalis & turpis quæſtus ſtudioſi.

ἐπὶ τὸ μικρόν.] Obſcurior eſt clauſula. Vulgo accipiunt, qui pauca ſcilicet donant, maioris gratia, vt ſunt adulatores & captatores. Rectius, vt puto, alij, qui pauca ſcil. lucrantur aut quærunt & accipiunt: magno ſcil. precio, id eſt, qui ob pauxillum lucri etiam indigna ſubire non erubeſcant, & vt mox ait Ariſtoteles, qui honeſtati & famæ etiam viliſſimum lucellum anteponunt. Itaque ἐπὶ πολλῷ ſcilicet μισθῷ precio, id

eſt,

Digitized by Google

eſt, qui magna mercede, id eſt, damno & dedecore etiam parua lucella redimunt.

τοὺς γὰρ τὰ μεγάλα.] Rationem reddit, cur dixerit, ἐ τούτῳ μικροῦ, id eſt, etiam minimi & viliſſimi lucri cauſa. Nam, inquit, qui maiora lucra ſumunt aut perſequuntur, vt qui vrbes capiunt, fana ſpoliant, (qualis apud Ciceronem eſt Verres) hi non proprie dicuntur auari, ſed malefici, improbi, iniuſti, Tyranni, de quibus & Cic. 1. *offic. Sunt autem*, inquit, *multi, & quidem cupidi ſplendoris & gloriæ qui eripiunt alijs, quod alijs largiantur, &c.* Videndũ eſt igitur, vt ea liberalitate vtamur, quæ proſit amicis, noceat nemini, quale L. Syllæ, C. Cæſaris pecuniarum translatio à iuſtis dominis ad alienos, non debet liberalis videri: nihil enim liberale, quod non idem iuſtum 1. *lib.* Ab hoc igitur genere largitionis, vt alijs detur, alijs auferatur, aberunt hi, qui Rempubl. tuebuntur, qualem deſcribit Hageſilaum ſuum Xenophon.

ὁ μὲν τοι κυβευτής.] Quia de furibus, graſſatoribus, latronibus, aleatoribus, eo quod cum Tyrannis affinitatẽ habeant, dubitari poterat, an & hi iniuſti potius quam illiberales dicendi eſſent, nominatim de his explicare voluit. Et ait illiberales quoq; hos eſſe, ἀμφοτέρους inquam, id eſt, tam aleatores, quam reliquos, propterea quod vtriq; ſint αἰσχροκερδεῖς. Formula ſit iſta:

Qui αἰσχροκερδεῖς, ſunt illiberales, vt ex prioribus perſpicuum ſit.

At hi vtriq; ſunt αἰσχροκερδεῖς. Nam aleatores quidem, quia ab ijs lucrum quærunt, quibus donare potius deberent, nempe ab amicis & ſocijs, cum quibus plerumq; ludus ille exerceri ſolet, & alioqui conſtat, alea luſum & infamem & legibus eſſe vetitum, vt inquit Horatius, & extat textus in Codice. Reliqui vero quia quæſtus duntaxat cauſa, etiam grauiſſima, non neceſſaria pericula ſubeunt, vt alios ſpolient.

Ergo & hi vtriq; ſunt illiberales.

καὶ πᾶσαι δή.] Quod ipſum iam ex Cicerone attulimus *lib. 1. officior.*

εἰκότως δὲ τῇ.] Poſtremo comparat extrema ſeu vitia cum medio, & ait, Auaritiam recte dici maxime contrariam eſſe liberalitati, magis inquam, quam profuſionem, confirmat duabus rationibus. Prior eſt, quia maius malum ſit auaritia, quam

quam profuſio, minorem cum liberalitate cognationem habeat auaritia, quam profuſio. Formula ſit iſta:

Extremorum quæ cum medio minorem habent affinitatem, ea magis illi ſunt contraria, vt ſupra eſt explicatum lib. 2. cap 8.

At auaritiam cum liberalitate minorē habere affinitatē quam profuſionem, hoc ipſo cap. ſupra eſt explicatum.

Ergo liberalitati magis eſt contraria auaritia q̃ profuſio.

Altera ratio, ϐ μᾶλλον, &c. quia magis in auaritia peccent homines, quam in profuſione, magis ad illam, quam ad hanc ſunt propenſi. Formula:

Extremorum ea, ad quæ magis ſumus propenſi medio magis ſunt contraria, quod idem eod. c. 8. l. 2. eſt explicatū.

Ad auaritiam magis propenſi ſunt homines.

Ergo hæc medio magis eſt contraria. &c.

CAPVT II.

COMMENTARII.

Δόξειε δ' ἂν ἀκόλουθον εἶναι.] Eadem eſt huius, quæ ſuperioris, quæ omnium eſt ratio. Primum namq; quibus in rebus, tanquā materia verſetur magnificentia ſuis cum extremis: deinde quemadmodum in his ipſis rebus & medium & extrema ſe gerant, id eſt, quæ eorum ſint facta.

δόξειε δ' ἄν.] Ordinis rationem reddit, cur poſt explicatam liberalitatē ſtatim de magnificentia diſputandum ſit, propterea quod magna inter has duas affectiones ſit affinitas. Verſantur namq; in eadem materia περὶ τὰ χρήματα in facultatibus, & re familiari, ſed diſſimili ratione, vt mox explicabitur.

οὐχ ὥσπερ δ' ἡ.] Oſtendit, quæ harum affectionum inter ſe ſit diſſimilitudo. Nam cum in materia conueniant, in factis diſcrepant. Liberalitas namq; omnibus in factis, omnibus in rebus, quæ per rem familiarem geri poſſunt verſatur, nempe in donando & ſumptu faciendo: magnificentia vero tantum in ſumptu faciendo, ſeu vt Ariſtot. loquitur περὶ πράξεις τὰς δαπανηρὰς cernitur, & quidem hac ipſa in re, id eſt, in ſumptu faciendo, in quo & vtranq; verſari iam diximus. Hæc tamē eſt diſſimilitudo, quod liberalitas in quotidianis, communib. priuatis, & paruis fere ſumptibus: magnificentia vero in raris, inuſitatis & magnis ſumptibus verſetur. Tumultuatur hic Scholiaſtes Græcus, eo quod Ariſtot. liberalitatē in omnibus factis rei familiaris cerni ait. Si in omnibus, inquit; Ergo & in ijs, in quibus

quibus magnificentia, recte, ſed adhibito diſcrimine & diſſimili ratione, vt iam explicabimus.

ἐν τούτοις δ'.] Pro *ἐν τούτοις*, de quo genere dictum eſt *ſupra lib. 1. cap. 1.* nempe *πράξεσι.*

καθάπερ γὰρ τοὔνομα.] Ab Etymologia confirmat diſſimilitudinē liberalitatis & magnificētiæ. Ipſo namq; nomine ſignificari, magnitudine hanc illi antecellere, vt dixim⁹, & eſſe nihil aliud, quā *ἐν μεγέθει πρέπουσαν δαπάνην*, i.e. *in magnitudine ſeu rebus magnis ſumptum decorum*, q breuis eſt & *ὀνοματώδης* definitio. Solet ſæpe Ariſtot. maxime in his reb⁹ politicis ex verborū notationibus argumenta elicere. Quod poſterius imitati ſtudioſius Stoici, in ſummas delapſi ſunt ineptias teſte Galen. *in libris de Hippocratis & Galeni placitis*, & in Cic. Hortenſ. *in Lexico Feſt. in verb. oppidum.* & Cic. *in offic.* de fide. Cæterum magnificētiæ quoq; vocabulum alijs quoq; rebus tribui ſolet, non tamē proprie, ſed metaphorice inquit Ariſt. *li. 1. c. 7. magn. moral.* vt cum magnifice quem loqui aut incedere dicimus.

τὸ δὲ μέγεθος πρὸς τί.] Duæ ſunt partes definitionis *μέγεθος* & *πρέπον*, vt ex quib. *μεγαλοπρεπείας* vocabulū græcum cōſtet. In his igit explicandis elaborat Ariſt. Et primum qdē de magnitudine, de qua iam dictū eſt, hac ſola magnificentiā diſcrepare à liberalitate. Hoc loco de altera parte, ſeu de decoro explicat, & neceſſariam eam partē eſſe oſtendit. Nam quia magnitudo cōparatum eſt vocabulū, & ad alios accommodatur: certe qui in magnitudine verſabitur, idem, quæ huic aut illi conueniat magnitudo, quid huic aut illi ſit magnū, conſiderare debebit, aliud namq; magnū eſt priuato, aliud magiſtratui; aliud huic, aliud illi loco; maior ſumptus eſt faciendus in excipiendo Cæſare, quam in Electore; maior in duce belli, quam in oratore mittendo; maior in templo, in Baſilica, quā in Xenodochio.

τῷ ἀρχιθεωρῷ.] Perperam Interpp. latini reddunt, ſpectaculorum præfecto. Nam apud Græcos cum duo ſint legatorum genera, ſacri partim, partim, pphani: hos vocabāt *πρέσβεις*, illos *θεωρούς*, quos verbi gratia ad ſacros ludos, vt Olympicos, &c. vel ad oracula conſulenda Delum mittebant, quorum caput *ἀρχιθεωρὸς* dicebatur. Reddendum igitur latine. Non idem fit ſumptus in Trierarcho, & in Architheoro aut in legato ſacro. Nam vt Cicero *in Verrinis* Trierarchi nomen retinuit, ita & Architheori, quod proprium eſt Græcorum munus, retineri poteſt.

τὸ πρέπον δή.] Aretinus, & quidam alius legunt πρέπον δὲ, ſed melius eſt nihil mutare. Nam δὴ extat in omnibus libris & in veteri tralatione, & dicendum potius fuerat, τὸ δὲ πρέπον. Continetur igitur complexio in his verbis, quæ tamen & ipſa ſunt perobſcura. Plæriq; reddũt ita: *Decorũ igitur, ratione perſona, loci, temporis, & rerum ſpectatur.* Ita Perionius, Grucchius, & Lambinus: nam ſub ἐν ᾧ, intelligunt ratione loci & temporis. Rectius Scholiaſtes Græcus Aſpaſius, hæc duo ἐν ᾧ & περὶ ἃ, ſiue vt ille habet, περὶ ᾧ, monet poſita, ἐκ παραλλήλου, id eſt, pro eadem re, vt ſæpe alias & paulo inferius περὶ ἃ δὴ ἄλλα ἐν οἷς, qui locus id aperte confirmat. Sub hoc autem πρὸς αὐτὸν, intelligunt ratione perſonæ. Puto ita reddenda: *Decorum igitur ad illum, in quo & in quibus*, id eſt, ad illum, ad magnificum pertinet, magnifici eſt decorum videre & tenere, in quibus oporteat.

ὁ δὲ ἐν μικροῖς.] Redit ad magnitudinem, & ait, Eum, qui in rebus paruis aut mediocribus ſumptum faciat, non eſſe magnificum, ſed qui in rebus magnis. Oſtendit ex vſu communi, quia vulgo non ille, ſed hic dicatur magnificus. De illo exemplum affert, vt ſi mendico quis donet, aut in eum ſumptum faciat, quod ſe factitaſſe Vlyſſes & ipſe mendicans, & ab Antineo pro Penelopes ſtipem petens, commemorat apud Hom. *Odyſſ. ρ.* καὶ γὰρ ἐγώ, quem locum hic ſignificat Ariſtoteles, πολλάκι δόσκον, &c.

ὁ μὲν γὰρ μεγαλοπρεπής.] Concludit tandem comparationem liberalitatis & magnificentiæ. Nam magnificum eſſe quidem illum liberalem, ſed non contra. Quod ita accipiendum eſt, vt ab Ariſtot. ipſo explicatur, quatenus vtraq; in ſumptu, prout oportet, faciendo eſt poſita. Hactenus inquam, id eſt, ratione ſumptus κατ᾽ ἀξίαν καὶ κατὰ τὸ δέον, magnificus quoq; eſt liberalis. Nam vt præclare Aſpaſius, liberalis τὸ εἶναι, eſſentia ſeu vis & natura cernitur ἐν τῷ καλῶς, ſiue κατ᾽ ἀξίαν & κατὰ τὸ δέον, & ὀρθῶς ſumptum facere, quod εἶναι, quia & in magnifico reperitur, fit vt & hic naturam liberalis habeat. Magnifici tamen τὸ εἶναι, non cernitur ἐν τῷ καλῶς, ſed ἐν μεγάλοις in magnis rebus, & ita ſe ipſe explicat, paulo inferius, ἀναγκαῖον δὲ, &c.

ὁ δὲ μεγαλοπρεπής.] Diligentius explicat τὸ πρέπον ſeu decorum, & hanc ex eo ſententiam elicit, magnificum videri doctum & ſcientia quadam præditum. Sic enim vertendum, &

hoc

hoc valet ἔοικε, vt *ſupra li.1.* eſt explicatum. Cuius ſententiæ rationem hanc affert Ariſt. quia cernere decorum, & quod cuiq; conueniat (quod facit magnificus) eſt quædam θεωρία. At θεωρεῖν ſcientiæ eſt proprium. Itaq; quia θεωρητικὸς, vt loquitur Aſpaſius, eſt magnificus, eſt & ſcientia quodammodo præditus, & certe non cuiuſuis eſt decorum cernere, ſed eruditi, qua de re præclare Cic. *li.1.offic. & in perfecto oratore.* Nam morale decorum fere temperantiæ adſcribit, & hoc quoq; argumẽto virtutes eſſe ſcientias, Plato demonſtrat. Cæterum in rebus paruis, quarum propria eſt liberalitas, non tam difficile eſt cernere decorum, quare non illi, ſed magnificentiæ potius tribuenda fuit ſcientia. Sæpe namq; multa conſumere licet, non tamẽ magnifice, ſed inepte, aut etiam alia ratione, vt ſi quis rem aliquã pretioſam magno emat precio, qua in re etſi multum cõſumitur, nõ tamen poſita in eo eſt magnificẽtia, vt *inf.* explicabitur.

ὥσπερ γὰρ ἐν ἀρχῇ.] Loc⁹ eſt pobſcurus; dubium namq; eſt, an ad priora, an ad ſequentia accommodari debeat. Ad priora accommodat Thomas, vt ratio his verbis cõtineatur (quod ſubindicat particula γὰρ) prioris ſententiæ, magnificam eſſe quandam ſcientiam, magnificum eſſe doctum & ſcientia quadam præditum, propterea quod facta magnifici, ſcientiam quandam redoleant, nempe ſumptum facere decore. Atq; ita concludi poteſt hoc modo:

Si facta ſunt ſcientis. Ergo & magnificentia ipſa eſt ſcientis, ſeu magnificus ſcientia eſt præditus.

Verum illud.

Igitur & hoc.

Antecedens iam explicauimus. Ratio connexi exprimitur ab Ariſtot. his verbis, ὥσπερ γὰρ, &c. nempe quia ex factis ſpectatur vel æſtimatur habitus, qualia ſunt facta, talis eſt & habitus, quod explicatum eſt *ſupra* initio, id eſt, non initio huius lib. vt putat Græcus Scholiaſtes Aſpaſius, ſed *lib.1.c.10. & li.2.c.1. & li.3.* Ad ſequentia vero ita accommodari poſſit hic locus, vt ſit ratio, cur facta magnificentiæ debeant magna eſſe & decora. Verum, tum eius dicti: Ex factis ſpectari magnificum, ratio inuertenda eſt potius, & vt alias ſpectatur habitus ex factis, ita hic ex habitu ſpectari facta; & huc pertinere eius dicti commemorationem, quaſi ea ſit cognatio inter hęc duo, vt ab vno ad alterum viciſſim commemoret, non quod vnum videri non debet. Concludatur igitur hunc in modum:

Si habitus eſt res quadã magna, praclara & decora, qualem magnificentiam eſſe, vel ex ipſo nomine apparet, & iam eſt explicatum.

Ergo & eius facta & opera magna quoq; erunt & decora.

Et hanc explicationem noſtram confirmat patticula δὴ, αἱ δὴ &, vt habent plærīq; libri. Nam vetus tralatio videtur habuiſſe ᵹ, atq; ita quoq; vertit Perionius & Gruchius (qui tamen mirifice hunc locum mutarunt) & Lambinus. Nam Argyropylus & Anonymus retinent δὴ.

τοιαῦτα δὴ & c.] Eo fere pertinet hic locus, vt ꝙ de expenſis magnifici, idem de eius operibus oſtendat, eadem debere eſſe magna & decora, quod iam vno argumento communi, tam impenſis, quam operibus eſt probatum. Adiungitur & alterum, ſed operum duntaxat proprium.

οὕτω γὰρ ἔςαι.] Quia hoc ipſo, i e per opera efficitur, vt & ipſæ impēſæ ſint magnæ & decoræ, ꝙ tamē verum eſſe iam conſtat. Formula. *Si opera ſunt magna & decora; igitur & impenſa.*

Atqui verum hoc.

Igitur & illud.

Ratio connexi, nam in opus aut rem magnã, magni quoq; debent fieri ſumptus, atq; ita & ſumptus operi & opus ſumptibus reſpōdere debet: alterũ altero eſſe dignũ: vtrumq; magnitudine & decoro inter ſe conuenire, atq; adeo ſumptus ſeu impenſa opus etiam ſuperare, ἢ & ὑπερβάλλειν. Nam parci aut ſordidi potius eſt hominis, ita rationes quadrare & conſolidare, non eſt magnifici, ſubtiliter ſumptus opere met ri.

δαπανήσει ᵹ & c.] Conſtat iam quibus in rebus, nempe in re familiari, & quibus in factis, nempe in ſumptibus magnis & decoris faciendis, & operibꝰ eiuſmodi appatandis verſari magnificentiam. Hoc loco factorum quaſdam adijcit leges & conditiones. Prima eſt, omnia honeſti cauſa debere fieri à magnifico. Ratio, quia eadem eſt ratio, in omnibus virtutib. Deinde libenter & hilari vultu, quod commune habet cum liberalitate, vt *ſupra* explicatum eſt. Præterea large & profuſe, non reſtricte, neq; ad amuſſim, neq; ſubtiliter. Ratio, quia hoc parci aut ſordidi potius, quam magnifici ſit ſubtiliter inire rationes. Præterea quod eſt prouerbium: *Magnificum non tam cogitare de precio, ſed de pulchritudine & ſpecie operis. Cogitare potius, quam præclarum debeat eſſe opus, quam quanti conſtet.*

πῶς κάλλιον ᵹ &.] Redit ad ſimilitudinē, & diſſimil. liberalitatis

Digitized by Google

tis & magnificentiæ, vtrumq; *ſupra* eſt explicatũ. Hoc tamẽ hic eleganter adiungit ſeu elicit potius ex differentia, magnificentiam eſſe quandam veluti liberalitatis magnitudinem: q. cum in ijſdem verſentur rebus, magnificentia tamen ſpectet magnitudinem. Adiungit alterum aut nouum diſcrimẽ, aut prioris effectum ex pari impenſa liberalem minus, magnificum vero ſplendidum magis opus efficiendum curare. Ratio, quia operis virtus in magnitudine & ſplendore potius, quam ex precio æſtimetur aut ſpectetur. Alia namq; eſt ratio rei κτήσεως ſeu κτήματος, alia operis. Nam huius excellentia in ſplendore & magnitudine, illius in precio cõſiſtit: id namq; valet hoc loco ἀρετή. Qua de re *ſupra lib. 2. cap. 6.* ni fallor. Ratio autem, τοῦ γὰρ τοιούτου, cur laus, virtus & commendatio operis in ſpecie & magnitudine conſiſtat, eſt, quia hæc duo ſint admirabilia, admiratione homines afficiant. At quæ admirabilia, magnificentiæ ſunt propria.

οἷον μέγεθος.] Legendum & interpungendum οἷον μέγεθος περὶ ταῦτα τῆς ἐλευθεριότητος οὔσης, καὶ δαπ, &c. vt iã explicauimus, quaſi magnitudo quædam ſit liberalitatis, in ijſdem licet rebus verſantis, cum ipſa magnificentia.

καὶ ἔστιν ἀρετή.] Abeſſe poterat hæc clauſula, & certe eſt obſcurior. Videtur tamen eſſe totius prioris diſputationis concluſio, ſed ſcriptura variat: nam in quibuſdam non reperitur ἀρετή. Alij inducunt μεγαλοπρέπεια. Fortaſſe ita commodius ſcribatur, καὶ ἔστιν ἄρα ἀρετὴ ἔργου μεγαλοπρεπῶς ἐν μεγέθει, aut certe inducendum prorſus eſt μεγαλοπρέπεια in hanc ſententiam. Eſt igitur operis magnifici laus & perfectionis in magnitudine poſita: nempe κλήματος.

ἔστι δὲ τῶν δαπανημάτων.] Docuit adhuc Ariſtoteles infinite ſeu generatim, quales debeant eſſe magnifici impenſæ & opera, nempe magna & decora: nunc hoc loco ſigillatim impenſarum genera exponit, vt ſubtilius explicetur, in quibus cernatur magnificentia. Impenſarum igitur duo ſumma facit genera, quarum aliæ ſint τίμια, honeſtæ & ſplendidæ: aliæ non item. Honeſtarum rurſus tria ſunt genera, aut certe duo. Nam tertium diſtinctionem recipit, nempe, ſacræ, publicæ, & priuatæ. Sacræ ſunt, quæ fiunt in res, quæ Deo dicantur, vt ſunt donaria ſeu ἀναθήματα in ædes ſacras ſeu κατασκευάς, [alij habẽt παρασκευάς] in ſacrificia & hoſtias in legationes ſacras ſeu θεωρίας, in omnia deniq;, q̃ in Deorũ honorẽ fiunt.

Qua magnificentia excelluit Athenis Pericles, Romæ, teſte Liuio & Horatio Imperator Auguſtus. Publicæ impenſæ ſunt, quæ in ludos Romæ gladiatorum munera, prandia, & epulas ad populum deliniendũ, ad vias, aquæductus, thermas, Nymphæa, porticus, muros, portas, naualia, & id genus alia publica ædificia fiunt. In quo genere Athenis idem excelluit Pericles: Romæ, Pompeius, & Agrippa & Cæſar. De his Cicero *in orat. pro Murena. & lib. 2. offic.* vbi grauiter Theophraſtum reprehendit, qui magnificentiam nimis laudet, & pecuniarum fructum in ſumptu popularium munerum ponendum putauit. *Quanto*, inquit Ariſtoteles, *rectius & verius, qui hæc non admiremur, &c.* Athenis quatuor fere erant impenſarum publicarum genera (de ædificijs non loquor) χορηγία; id eſt, ſubminiſtratio apparatus ſcenici: ἑςίασις φυλῆς, prandia & epulas vocant Romani: τριηραρχία munus inſtruendarum nauium bellicarum: & γυμνασιαρχία, præfectura & impenſa, quæ in ludos palæſtricos, gymnicos, &c. de quibus apud Pollucem. Hic Ariſtot. tria priora commemorat.

ὡς φιλοτίμητόν ἐστιν.] Vno verbo hic indicat Ariſtototeles, impenſas publicas quaſdam eſſe veras & laudabiles: alias non item, de quibus eleganter Cic. *lib. 2. offic. & in libris de Rep.*

ἐν ἅπασι δ' ὥσπερ.] Mira perturbatio. Nam rurſus ad τὸ πρέπον redit, habendam rationem non operis duntaxat, ſed perſonarum quoque, qui ſumptum faciant. Et in his duo requirere videtur Ariſtoteles. Primum, vt ſint diuites, ſiue ſua opera & induſtria, ſiue à maioribus aut propinquorum hæreditatibus facti. Deinde, vt vel ſint nobiles, aut ex honeſta familia: vel clari & illuſtres viri, aut in magiſtratu poſiti. Quare pauper non erit magnificus, vt cui deſint copiæ, qui tamen ſi magnifice quid ſuſcipere velit, (quod ſæpe faciunt homines glorioſi) hic non tam magnificus, quam ſtolidus dici debet, eo quod contra honeſtatem ſumptum faciat. Concludatur hunc in modum:

> *Quæ ex virtute, eadem recte fiunt* (& κατὰ τὸ δέον, & κατ' ἀξίαν, *quæ tria idem valent, quod ab alijs non eſt perceptum.*)
>
> *At pauper magnificus, quia nõ pro facultatibus ſumptum facit,* οὐκ ὀρθῶς παρὰ τὸ δέον.
>
> *Ergo pauper vere non eſt magnificus, non virtutum rationi congruenter, ſed ſtolidus potius.*

Eadem

Eadem erit ratio hominis plebei & humilis, quantumuis copioſi, qui ſi volet eſſe magnificus, ridiculus potius & odioſus erit, qualis fuit Lycinius conſul, qui ſplendidiſſimum monumentum ſibi extrui curauit. De quo Martialis:

Marmoreo Lycinus tumulo iacet:
At Cato paruo,
Pompeius nullo,
Credimus eſſe Deos?

Ratio autem, cur hæc magnifico ſint neceſſaria, hæc eſt, quod in his ſit ἀξίωμα, ſplendor, dignitas, & ſpecies, quæ magnificentiæ maxime ſunt propria.

τῶν δ᾽ ἰδίων.] Modo dixerat, in ſacris & publicis impēſis maxime verſari magnificentiam, vtpote ſplendidiſſimis & honoratiſſimis. Hic de priuatis, in quibus & ipſis aliqua ex parte verſari magnificentiam adiungit, vt ſunt illæ, quæ ſplendide quidem, ſed raro fiunt, puta, quæ in nuptias, quæ in congratulationes, militiam, dignitatis aut magiſtratus ingreſſum, in funus denique.

καὶ εἰ περί τι πᾶσα.] Et hoc ad priuatas impenſas pertinet, vt ſi qua ſit res tota ciuitate honorata, aut etiam natione, vt Thebis ſtudebant conuiuijs; Lacedæmone palæſtris: Athenis ſpectaculis, Neapoli hodie & Genuæ hortis; Antuerpiæ villis; Venetijs Cimbis; Hiſpani & Angli gaudent comitatu; Germani torquibus; apud alios veſtes; apud hos equorum cura ſeu ornatus; apud Græcos paſſim ſigna & tabulæ & pocula cœlata, inquit Cic. *in Verrinis*, in honore erant. His igitur in rebus, ſi quis ſplendide ſe gerat, magnificus dicendus erit.

καὶ περὶ ξένων.] Magnificentiam quoq; ſpectari in hoſpitib. ſplendide recipiendis aut dimittendis. Id namq; h. loco valere ἀποστολάς, id eſt, dimiſſiones ſcil. ξένων, hoſpitum, non vero legationes, vt alias, puto. Eſt igitur magnifici propria quoq; hoſpitalitas: quod ipſum latius explicaſſe mihi videt Theophraſtus *in lib. de diuitiis*. Ex quo hæc Cic. *lib. 2. offic. Recte etiam à Theophraſto laudata eſt hoſpitalitas:* Vbi exemplum affert illuſtre de Cimone, de quo & Plutarchus *in eius vita*. Videatur & Cic. *lib. 3. in Verr.* vbi de Philodamo Lampſaceno.

καὶ δωρεὰς καὶ ἀντιδωρεάς:] Magnifici quoq; ait eſſe munera donatiua, congiaria. Proprium eſt igitur magnifici ſplendidum eſſe in muneribus & in remunerando.

οὐ γὰρ εἰς ἑαυτόν.] Quia modo dictum eſt, magnificum largū

eſſe in recipiendis hoſpitibus, in muneribus dandis & reddendis. Hinc colligit ſeu adiungit hanc ſententiam, magnificum non tam in ſe, quam in alios, & quæ ad communionem pertinent, ſumptum facere, quod quidem cum liberale commune habent, qui & ipſe, non ſibi, ſed aliis eſt vtilis, & quidem multo magis. Nam magnificus etiam ſibi interdum eſt vtilis, extruendis ſibi villis, portis, porticibus, & hortis. Spectat tamen & hic magnifici ſplendor, non tam ad ſuam vtilitatem, quam ad dignitatem & ornamentũ commune. Cicero *in Murenіana: odit populus Romanus priuatam luxuriem, publicã magnificentiam diligit: non amat profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multo minus.* Et Horatius *lib. 2. Od. 15.* de veteribus Romanis: *priuatus illis cenſus erat breuis, communis magnus.*

τὰ δὲ δῶρα.] Ex his verbis perſpicuũ eſt, illa, οὐ γὰρ εἰς ἑαυτὸν, quaſi parentheſi eſſe includenda. nam etiamnum de muneribus agit, & ait, ſimile quid ea habere cum donariis deorum, & quia vtraq; ſint dona, & non tã ad vtilitatẽ accipientiũ, quã ad honorẽ & dignitatẽ pertinentia. Iã quia donaria cõſtat eſſe magnifici, mirũ non eſt, ſi & alia ſplendidiora munera magnifici ſint propria. Et huc mihi videtur pertinere hæc clauſula.

μεγαλοπρεποῦς δέ.] Splendidam quoque domum magnifici eſſe debere; in domo quoq; verſari magnificentiã, quod ipſum Ariſt. ait & *in libello de virtutibus:* vbi & hoc amplius, etiam in veſtibus magnificentiã verſari ait: præterea in feris & animantibus rarioribus alendis, in hortis deniq; inſignioribus, vt recte monet Pontanus *libro de magnificent.* Cæterum de domo magnifici, qualis eſſe debeat, diligentius explicat Cic. *lib. 1. Offic.* vbi ita ſcribendum. *O domus antiqua, et quam diſpari domino:* nam dominare prorſus eſt ſpurium, eſt namque conciſa phraſis: *quam diſpari domino ſcilicet inhabitaris aut teneris;* vt ipſe Cic. *Philip. 2.*

κόσμος γάρ τις.] Ratio, cur domum magnificus habere debeat ſuis copiis congruentem. nam & hac in re, inquit, ornatus eſt quidam & ſplendor, quæ ratio vt intelligatur, ſciendum τὸ πρέπον eſſe cum ornatu. τὸ μὲν γὰρ πρέπον ἐν κόσμῳ, inquit Ariſt *in Eudem. lib. 3. cap. 9.* Quare cum magnifici ſit τὸ πρέπον, ornatus quoque eius vt ſit, neceſſe eſt, id eſt, quidquid ſplendorem & ornatum habebit, erit magnifici, eo quod τὸ πρέπον eiuſdẽ ſit.

καὶ περὶ ταῦτα.] Alia eſt proprietas magnifici, ſeu diſtinctio operum, in quibus potiſſimum elaborare debeat, nempe in diutur-

Digitized by Google

diuturnis, propterea quod ea plærumq; ſint pulchriora, & ex optima materia confecta. Quæ. a. opera magis ſint diuturna, ex Architectis, earumq; rerum peritis, peti debet. Eſt & altera ratio, eo ꝙ nominis immortalitas, cuius vt rei ſplendidæ, ſtudioſus quoq; eſt magnificus, ex his propagetur aut conſeruetur, vt recte Pontanus *lib. de Magnif. 1. c. 9.* Impenſæ deniq; omnes diuturniores magis ad magnificum pertinent, in his magis elaborabit, quam in ijs, quæ ſtatim pereunt, quales ſunt, quæ in ludos aut Pompas fiunt. Videatur & Cic. *lib. 2. offic.* de diſtinctione impenſarum.

καὶ ἐν ἔργοις.] Redit ad decorum, cuius duæ hic afferuntur notæ. Prior de perſonis, nō eadem impenſa colendū Deum & homines, magiſtratum aut priuatum: altera de rebus & operib. ipſis, id eſt, alio ſplēdore faciendam ædem ſacram: alio ſepulchrum: alio Baſilicam ſenatus: alio Xenodochium.

ἐπὶ τῶν δαπανημάτων.] Locus eſt paulo obſcurior, cuius tamen hic mihi ſcopus videtur. Agit namq; rurſus Ariſtot. de magnitudine, eamq; oſtendit eſſe multiplicem & variam, cum pro impenſarum inter ſe diſſimilitudine, tum pro operum & impenſarum facta comparatione diſparitate. Quæ diſtinctio eo pertinet, vt oſtendatur, magnificum ſuo quamq; in genere quid magnum ſit, omni in re & ſumptu magnitudinē ſpectare debere. Primum igitur magnitudinem ſuo quamq; in genere reperiri ait; & quidem in re magna, quæ ſit magnitudo, eam ſequi eſſe magnificentiſſimum: in rebus alijs quæcunq; tandē hic ἐν τούτῳ ſit magnitudo, eam quoq; ſequi magnificū. Deinde alia eſt operis magnitudo, alia ſumptuum. Poteſt namq; res eſſe in ſuo genere magnifica, nullo tamen ſumptu, vt puerilia munera, pila aut ampulla, quæ ſi in ſuo genere ſint elegantiſſima, magnifica quoq; ſui generis & puerorum ratione ſunt: ſumtuum tamen ratione, quia perexigui in eas res fiunt, ſunt perexigui neq; magnifici.

τὸ γὰρ τοιοῦτον οὐκ.] Adiungit rationem, cur in omni re magnitudinem ſectari debeat magnificus, omnia facere magnifice, propterea quod magnifici proprium ſit operibus & impenſis ſemper antecellere, atque ita ſe gerere, vt ab alijs in eo genere ſuperari non poſſit: atque ita ſumptus magnitudo, operis magnitudini reſpondeat. Sequitur igitur, tam in ſumptibus, quam in operibus, magnitudinē: in alterutro ſi peccat, non eſt magnificus, tum quia ſuperari ab alio poterit in eodem gene-

genere: tum quia decorum non ſeruat. Erit potius ventoſus, aut oſtentator aut auarus.

ὁ δ' ὑπερβάλλων.] Nunc de extremis, & primum de inepto & ventoſo, cuius duas potiſſimum proprietates adfert, alteram à rebus & ſumtibus, alteram à fine. Nam in rebus paruis & nugatorijs aut indignis, magnos: in magnis autem, & vbi oporteat magnos ſumptus facere, paruos faciet ſumptus. Adfert duo exempla: vt ſi quis familiares aut ſodales, quos familiari cœna deberet, ſplendidiſſime exciperet: aut vt Ariſtot. loquitur ex ſui tẽporis inſtituto, vt ſi quis ſymbolorum ſodales cœna non familiari & vſitata ſymbolorum ſodalibus, ſed nuptiali quodammodo excipiat. Alterum exemplum eſt à Megarenſibus, quorum is fuit luxus aut ineptiæ potius, vt Theatra, quæ pellibus alioqui intendi ſolent, & poſtea velis alijs, teſte Græco Scholiaſte & Lucretio *lib. 4.*

Et vulgo faciunt, id lutea vaſa.
Et verugena cum magnis intenta theatris.

Ea purpureis velis intenderunt, quod in Verre quoq; reprehendit Cicero, qui tabernacula Carbaſeis velis intenta habuerit. Idem luxus poſtea & Romæ percrebuit, de quo Plinius *lib. 19. cap. 1.* Alterum peccatum ventoſi eſt, quia non honeſti, ſed oſtentationis cauſa ſumptum faciat, qualis deſcribitur à Luciano Nigrinus, quem vulgo Athenis vocitabant Pauonem. Et pulcherrimus oſtentator deſcribitur *ad Herennium lib. 4.*

ὥσπερ οἱ μεγαρεῖς.] De hac Megarenſium luxuria nihil dum reperi. Ariſtophanes *in Feſtis* eos notat, vt frigidos in ſuis comicis actionibus. Quod ipſum Scholiaſtes Græcus confirmat duorum veterum comicorum teſtimonio Myrtili & Ecſantidæ *lib. 8. Pol. in fin.*

ὁ δὲ μικροπρεπής.] Iam de ſordido, cuius has affert notas, & conditiones, omnib. in rebus modum eum deſerere, id eſt, minores quàm oporteat ſumptus facere, & vt maximos interdũ faciat, parua tamen in re & minuta ſuum animum prodere, ſuas ſordes: & hoc eſt, καὶ τὰ μέγιστα ἀναλώσας. Deinde nõ hilari vultu, promptoq; animo, ſed cunctãtem & ægre atq; cum dolore q̃cquid faciat facere, circumſpectantẽ ſemper, vt quam minima poſſit, putantẽ deniq;, plus æquo ſemper ſe expẽdere.

εἰσὶ μὲν οὖν.] Diſtinctis iam extremis & explicatis, qua tamẽ in re conueniant, tandem adiungit: eſſe quidẽ ea vitioſa, vtpote à medio diſtincta: non tamẽ probroſa aut dedecoroſa, aut

repre-

Digitized by Google

reprehenſione grauiori digna: tum quia aliis non noceant, imo proſunt potius. Nam etſi non vt magnificus, &, vt decet, ſumtum tamen faciunt, aut donant: tum quia non admodum ſint turpia aut defotmia, quemadmodum eſt auaritia aut profuſio: præſertim cum difficilimum ſit in rebus magnis, vt & in ſumptibus non hallucinati. Itaque hæc vitia non nimis ſunt flagitioſa: atq; adeo vix ſunt vitioſitates, vt neq; extrema magnanimitatis, vt ait *infr.* Ariſt. *cap. prox. in fin.*

CAPVT III.

COMMENTARII.

Ἡ δὲ μεγαλοψυχία.] Hic de Magnanimitate, quæ à Cicerone plærumque Magnitudo & altitudo animi dicitur, de qua & *in Eudem. & in Magn. Moral.* Ariſtoteles, & Cicero *lib. 1. Offic.* Pontanus *duob. in libb.* Franciſcus Patricius *de Regno lib. 7. c. 8.* Hęc igitur eſt capitis ſumma explicatio huius virtutis & extremorum, partitio eadem eſt, quæ cæterorum capitum.

ἡ δὲ μεγαλοψυχία.] Ex notatione rurſus Ariſtoteles, vt magnificentiam, ita & magnanimitatem in rebus magnis verſari oſtendit: & ob hanc cognationem, ni fallor, magnificentiæ explicationi continuo adiungit de magnanimitate, quæ ordinis ratio ſępe repetitur. Nam alioqui vt de liberalitate prius, quam de magnificentia: ita & prius de modeſtia, quam de magnanimitate agendum fuerat.

περὶ ποῖα δ᾽ ἐστι.] Hic eſt locus, de quo *ſupr. initio huius libri* monuimus, hoc ipſum Ariſtotelem quoq; ſubindicaſſe in explicandis virtutibus hunc eſſe ſeruandum ordinem, vt primum quibus in rebus verſentur, deinde quemadmodum, id eſt, quæ earum ſint facta & notæ, explicetur.

διαφέρει δ᾽ οὐδέν.] Et hoc ad methodum pertinet: Nihil, inquit, refert in virtutibus explicandis de affectione ſeu virtute nominatim explices, an de affecto & virtute prædito. Quæ eſt abſtracti, eadem & concreti eſt ratio, vt Grammatici loquuntur; eadem eſt coniugatorum natura, vt Dialectici loquuntur. Itaque omnia hoc loco magnanimo attribuit, non magnanimitati, hac fortaſſe de cauſa, quia ſæpe vtendum ſit verbo ἀξιοῦν, dignum ſe iudicare, quod magis homini, quam rei conuenit. Idem fecit *lib. 5. de Iuſtitia.*

δοκεῖ δὲ μεγαλόψυχος.] Breuis eſt magnanimi definitio, cuius

ius duæ ſunt particulæ; altera iudicare ſe dignum, altera rebus magnis. Sua vtramque ratione confirmat, & à contrario fere. Priorem ibi, ὁ γὰρ μὴ κατ' ἀξίαν, &c. quia

Qui honores ſibi indigne arrogat, ſtultus haberi ſolet.
Atqui magnificus ſtultus non eſt, propterea quod qui ex virtute quid agit, nemo ſtultus eſt.
Ergo magnificus digne de ſe ſentit, pro dignitate iudicat, alioqui ſit ſtolidus, quod eſt abſurdiſſimum.

μεγαλόψυχος μὲν ὤν.] Hanc tamen magnanimi definitionem reprehendit Ludou. Viues *lib.6. de cauſis corruptarum artium*, tum, quia cum honores, in quibus verſatur magnitudo animi, comparate dicantur, id eſt, alius alii debeatur honos. Certe qui alios non norit, difficulter ſtatuere poterit, qui ſibi debeatur honor: nam fortaſſe alii ipſo digniori debetur, præſertim cum ſe ipſum noſſe difficilimum ſit: tum, quia vt ſe quis & alios optime norit, ſeque præmiis maximis dignum eſſe videat, tamen eo vir melior habendus eſt, quo ſe modeſtius gerat, & demiſſius de ſe ſentiat. Itaque & in ſacris libris hæc ſæpe inculcantur: *Noli altum ſapere*: ad minuendam arrogantiam, aut præclaram de ſe exiſtimationem pertinentia. Putat igitur ille, magnanimitatem Ariſtotelicam cum Chriſtiana dilecto pugnare. Eodem modo & Vitus Amerbachius contradicit *in Commentario ad librum primum Magnorum Moralium*. Reſponderi tamen poteſt, magnanimum, etſi de ſe magnifice ſentit, non peccare tamen, propterea quod nihil ſibi aut arroget, aut detrahat, id eſt, in ſe ipſe ſit iuſtus. Neque puto ſacris libris iuberi, quem ita demiſſo eſſe animo, vt quas licet à Deo habeat dotes, eas tamen contemptim habere debeat, aut obſcure, aut etiam ſibi minuere & detrahere. Arrogantia duntaxat & ſuperbia, quod ipſum monet Ariſtot. vitanda erit, & agnoſcendus auctor, à quo hæc magnitudo animi, eiuſque cauſæ proficiſcantur.

ὁ γὰρ μικρῶν ἄξιος] Altera definitionis particula de magnitudine, item à contrario confirmatur: *nam vulgo*, inquit, *conſtitit, eum, qui cum paruis honoribus eſt dignus, iis quoq; acquieſcit, ſeq; dignum eſſe iudicat, neq; ad maiores aſpirat, non eſſe magnanimum, ſed modeſtum.* Si ergo vulgo modeſtus dicitur non magnanimus, qui paruis, quib. eſt dignus, acquieſcit, certe magnanimus contra erit, qui magnis cum ſit dignus, iiſdẽ acquieſcit. Itaque concludi poteſt, in magnitudine poſitam eſſe magnani-

gnanimitatem non ſecus atque pulchritudinem & dignitatem. Et hac in re magnanimitas & pulchritudo conueniunt, vt illa in magnis (honoribus, vt poſtea oſtendetur) ita & hæc in magnis corporibus proprie locum habet: nam parui non tam pulchri vulgo dici ſolent, quam elegantes, venuſti, & concinni ſeu belli ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι χαρίεντες. Cyrus *libro tertio de Cyri inſtitution.* *Alij*, inquit, *prædicabant ſapientiam, alij tolerantiam, alij, lenitatem, alij denique dignitatem & magnitudinem.* Lucretius *libro quarto: particula punitio,* χαρίτων, *Charitum,* μία, *tota, merum ſal, magna atque immanis* καταπλήξεως *plenaque honoris.* Ouidius *de Romulo: pulcher & humano maior, &c.* Item Euripides *in Phœniſſis*, vbi Antigone de Hipomedonte Rege ſs. &c. vbi Giganticum comparat. Cur autem magna duntaxat cenſeantur pulchra, ratio redditur à Pontano, quia pulchritudo dignitatem adferat, quæ dignitas eſt in magnis: nam in paruis potius eſt contemptus. Poteſt & hæc reddi ratio, quia pulchritudo eſt rerum perfectarum. Nam

Quo quid eſt perfectius, eo pulchrius.
At quæ parua, non videntur perfecta.
Ergo nec pulchra.

Elicit & hinc Pontan. virum magnanimum magna & inſigni corporis dignitate eſſe debere, quod ego nō puto hinc elici poſſe, atq; adeo puto falſum. Nam etſi dignitas corporis & forma ornat magnanimum, tamen abſq; ea magnanimum eſſe non poſſe, cum ea res ſit corporis, negandum eſt.

ὁ δὲ μεγάλων αὐτὸν.] Conſtat in rebus magnis pro dignitate verſari magnanimum. Sunt alia quatuor hominum genera, de quorum item dignitate addi poteſt. Primum eorũ, qui paruis digni, maioribus quoque ſe dignos non iudicant, & hos vulgo modeſtos σώφρονας vocat Ariſtoteles: vbi verbum σώφρων non proprie (pertinet enim ad voluptates) ſed communiter de animi quadam continentia accipitur. Alterum genus eſt elatorum, qui etſi indigni, maximis tamen ſe rebus dignos exiſtimant, & hoc eſt huius virtutis nimium. Eſt & tertium genus eorum, qui magnis quidem rebus ſunt digni, at aliquibus maioribus tamen ſe dignos, quam quibus ſint, exiſtiment, vt ſi quis errore, aut etiam malitia maiora affectet, aut etiam maioribus affici honoribus cupiat, maioribus ſe dignum putat, errore aut malitia, non vero ſtultitia:

titia: & hoc eſt, quod ait, ὁ δὲ μειζόνων, &c. & hi proprie non ſunt Græce χαῦνοι, quia non tam ſtultitia, quam errore, &c. præſertim cum difficilimum ſit interdum iudicare, quibus quis ſit honoribus dignus. Quartum genus eorum eſt, qui prorſus abiecti ſunt animi, nulliſque dignos honoribus ſe iudicent, ſiue tamen digni ſint magnis, mediocribus autem etiam paruis, & his propterea minoribus dignos ſe exiſtiment. Et hoc eſt huius virtutis, id, quod parum eſt. Maxime autem anguſtus hic animus in eo cernitur, qui cum magnis erit dignus honoribus, dignum tamen ſe paruis exiſtimet: propterea quod hic ipſe, ſi non magnis, ſed minoribus eſſet dignus, iam etiam multo minoribus ſe dignum iudicaret, & plane ſe abiiceret.

ἔστι δὴ μεγαλόψυχος.] Concluſio, qua & tacitæ quæſtioni occurrit: nam ſi in magnis verſatur magnanimus, videbatur magnanimitatem nō eſſe mediocritatem (quod tamen in virtutibus eſt neceſſarium) ſed extremitatem potius & excellentiam. Magnorum namque propria eſt excellentia? Reſpondet Ariſtoteles, magnanimum eſſe & extremum & medium, ſed diſſimili ratione: extremum quidem ratione magnitudinis: medium vero ratione dignitatis, ſeu eius quod oportet: vtpote, qui in rebus magnis, vt oportet, ſe gerat, cum elatus & abiectus, vel in nimio, vel in eo quod parum peccet. Eadem ratione & *ſup. lib.* 2. oſtendimus, virtutem diſpari modo eſſe, & ἀκρότητα & μεσότητα.

εἰ δὲ δὴ μεγάλων.] Conſtat in rebus magnis verſari magnanimum, atque adeo in rebus maximis. Exquirit igitur, quæ ſint iſtæ res maximæ, & primum quidem docet, vnam duntaxat eſſe rem, hac ratione, quia ſit maxima. Formula ſit iſta:

Si in rebus maximis verſatur magnanimus.

Ergò in re vna.

Antecedens perſpicuum eſt ex prioribus. Connexi hæc eſt ratio: quia quæ excellunt, fere ſunt vnica. Itaque concludendum eſt, in vna duntaxat re cerni magnanimum, nempe præcipue & per ſe: nam ex euentu & in alia quoque re verſatur, vt *infra* oſtendetur.

ἡ δ' ἀξία λέγεται.] Exquirit iam, quæ hæc res ſit vna, ex natura dignitatis: quæ dignitas, quia vulgo non de bonis animi (neque enim dicimus quenquam hac aut illa virtute eſſe dignum) ſed de bonis externis dici ſolet (vt bona aut aduerſa fortuna hunc aut illum eſſe dignum.) Hinc efficitur, hac vnam

rem,

Digitized by Google

rem, quæ magnanimi ſit propria, in bonis externis eſſe quærendam, cur ita? quod dignitas propria ſit magnanimi, & altera eius definitionis particula (qui ſe dignum iudicat) vt *ſupr.* eſt explicatum.

μέγιστον δὲ τοῦ αὐ.] Iam conſtat, propriam magnanimi rem debere eſſe maximam, & vnam in bonis externis. Videamus ergo, quæ vna rerum externarum ſit omnium maxima, & quidem eam eſſe omnium maximam ait, & merito maximam iudicari debere, quæ Diis maxime tribui ſoleat, quam principes viri, & in dignitate conſtituti, maxime expetant, quæ denique rerum pulcherrimarum ſit præmium Quia autem hæc maxima ſit res in rebus externis, quæ tribus his conditionibus excellat, certe dubitari non debet, quibus ipſis cum ornata & prædita ſit gloria & honor, efficitur, vt magnanimi materia ſit gloria & honor. Concludatur hunc in modum:

Ea res in externis eſt maxima, quæ tribus his conditionibus ſit prædita.

Atqui honor tribus his conditionibus eſt præditus.

Ergo honos in rebus externis eſt maxima.

Aſſumptionis ratio: nam & hunc maxime Diis tribuere ſolemus, eaque propter, honor diuinum bonum à Platone dicitur, qua de re *ſupra lib, 1. cap. 12.* Politicis quoque & in dignitate conſtitutis, honorem veluti ſcopum eſſe propoſitum, *ſupra* quoque eſt explicatum *lib. 1. cap. 5.* & copioſe explicat Cicero *lib. 1. Offic.* Eſſe denique honorem rei pulcherrimæ præmium, ex eo eſt perſpicuum, quod tanquam prouerbio dicatur; *Gloriam virtutis rei præſtantiſſimæ eſſe præmiũ.* & hac de re copioſe explicat Nobilius *in lib. de Honore*, & Pontan. *l. 1. de Magnanimitate, cap. 2.* Etſi & hic rurſus Ariſtotelem grauiſſime reprehendit Viues *lib. 6. de cauſis corrupt. artium.* Quod autem Ariſtoteles *lib. 1. Rhet.* magnanimi materiam non honorem, ſed beneficentiam aut benefacta conſtituit, id excuſatione leniendum eſt, quod in iis libris non accurate diſputetur de virtutibus. Nam benefacere quidem eſt magnifici, eſt factum quoddam eius, ſed non materia. Quod autem *in libello de Virtutib.* præter honorem & dedecus, ſecundam quoque & aduerſam fortunam magnanimi materiam ponit Ariſt. id ita eſt accipiendum, vt maxime & proprie in honore, ſecundario in fortuna verſetur, vt mox explicabitur.

καὶ ἄνευ δὲ λόγου.] Etiam abſque ratione, quam vnam iam attulit:

tulit: nempe à ſigno, id eſt, iudicio magnorum virorum, idem oſtendi poſſe ait, nempe magnanimum verſari in honore & dedecore, propterea, quod videre liceat, magnos plærosque viros honorem & gloriam inprimis ſectari, ea ſe dignum iudicare. Cæterum tota hæc diſputatio de materia magnanimi ita accipi debet, quemadmodum Cicero eam eſt interpretatus: *Vera*, inquit, *lib. 1. Offic. & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud, quod maxime naturam natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria iudicat*. Qua de re mox latius.

ὁ δ' μικρόψυχος.] Comparat extrema cum medio, & eadem inter ſe: nam medium in honore verſari κατ' ἀξίαν, extrema modum ſuperare aut deſerere. Et quidem anguſti animi hominem modũ deſerere, tam ratione ſui, quam ratione magnanimi: Elatum autem ratione ſui duntaxat modũ ſuperare, non vero ratione magnanimi: Illum quidẽ ratione ſui, quia ſe licet dignum, iudicat indignũ: magnanimi ratione, quia indignum ſe iudicat magnis honoribus, quib. conſtat dignũ eſſe magnanimum: hunc vero ratione ſui, quia plus ſibi tribuit, quam mereatur, non vero magnanimi ratione, quia magnanimi honores aſſequi ſtudet, id eſt, magnos, quibus tamen eſt indignus.

ὁ δ' μεγαλόψυχος.] Colligit præclaram ex ſuperiorib. hanc ſententiam, magnanimum eſſe virum præſtantiſſimũ & optimum, non poſſe eſſe niſi virum bonum, atq; adeo omnibus virtutibus præditum, quod certe prudenter hic monuit Ariſt. ne quis putet, magnanimũ quem eſſe poſſe, qui nulla honeſti cura per fas, per nefas, iure aut iniuria, magna licet perpetret: præſertim cum videre liceat, multos ſolo gloriæ, ſed falſæ ſtimulo excitatos, grauiſſime peccare. Qua de re extat locus *libro primo Officiorum*: *Sed ea elatio animi, &c.* Ratio autem Ariſtotelis prima hæc eſt, quia magnanimus maximis honoribus eſt dignus. Formula:

Qui maximis præmiis eſt dignus, is vt optimus ſit neceſſe eſt: nam μείζονος ὁ, &c. quo quis eſt melior, eo maiore præmio affici debet & ſolet.

Atqui magnanimus ſummo præmio eſt dignus, nempe gloria & honore.

Ergo optimus vt ſit neceſſe eſt.

καὶ δόξειε δ' ἂν εἶναι.] Oſtendit, magnanimum non tantũ eſſe virum bonum, ſed hoc amplius, quod in quaq; virtute ſit magnum, eximium & excellens, id huius eſſe proprium: vt in fortitudine

tudine grauiſſima ſuſcipere aut contemnere pericula: in temperantia etiã ſummas voluptates ſpernere: in liberalitate quicquid erit ſummum, in eo ſumptum facere. Quare & *in Eudemiis lib. 3.* magnam huic virtuti cum magnificentia & grauitate affinitatem eſſe ait. Sed de hac re & mox. Ex hac autem ſententia argumentum quoque elici poſſe videtur, ſi quæ in ſingulis virtutibus ſunt eximia, ea magnanimi ſunt propria (quod vel ex ipſo nomine perſpicitur) etiã inde effici, magnanimum certe virum bonum eſſe debere, declarat exemplo fortitudinis & iuſtitiæ: nam minime decere magnanimum fugere aut iniuria alium afficere.

φεύγειν παρασείσαντα.] Qui effuſe & celeriter currere volunt, manus iactare ſolent, quod manuum iactatione curſus ſubleuetur, & adiuuetur, teſte Ariſtotele *in libro de progreſſione animalium*, id Græci vocant *παρασείειν τὰς χεῖρας*, Latini dicunt, *currere dimiſſis manibus*. Plautus *in Epidico*: *Imo ſi audias meas pugnas, fugias manibus dimiſſis domum.* Et *in Pſeudulo*: *Odor dimiſſis pedibus? peccaui inſciens; quod eſt, quia dimiſſis manibus volui dicere.* Magnanimus igitur, vt & fortis, fugit interdum. Sed in ipſa fuga etiam dignitatem ſuam ſeruat. Quod de Leone generoſiſſimo animali & Ariſtoteles & Plinius *lib. 8. cap. 15*; *Illa*, inquit, *nobilior animi ſignificatio, quamlibet magna canum & venantium turba ingenti non vi conten. reſ. in campis, & vbi videri poteſt.* Idem vbi virgulta penetrauit, acerrimo curſu fertur vel: dep: ab: turpitudinem. Quo modo & fugientem facit Aiacem Homerus *lib. λ.* vbi & Leoni illum comparat. Ita hunc locum explicauit Petrus Victorius *in varijs lib. 29. cap. 2.*

τίνος γὰρ ἕνεκα.] Ratio eſt, cur magnanimus neminem iniuria afficere debeat, quod nulla ei ſit cauſa lædendi, eo quod omnia pro nihilo putat, ex quibus cauſæ iniuriæ naſcantur, vt lucrum & pecunia, vt *infra* explicabitur. Et quidem ex hac ipſa ratione tertium argumentum elici poteſt, cur magnanimus vir bonus eſſe debeat, nempe, quia cur malus eſſe debeat, nulla ſit cauſa, vt iam explicauimus. Atqui ſine cauſa nemo malus eſſe velit.

καθ᾽ ἕκαστα δ᾽ ἐπισκοποῦντι.] Quartum argumẽtum ab abſurdo, quia ridiculus appareat, & ab omnibus derideatur, qui cum ſit improbus, magnanimum tamen ſe eſſe dicat. Abſurditas hæc perſpicua fit, omnia magnanimi facta & ſingularum virtutum

perſpi-

perſpiciendo, vt ridiculus ſit, ſi vir facinoroſus fortem ſe haberi velit, aut temperantem.

οὐκ ἂν δ' ἄν.] Quintum eſſe poteſt argumentum, quod tamen pendet ex primo, qui ne honore quidem vllo ſit dignus, ſi ſit improbus. Formula:

Qui improbus, nullo honore eſt dignus.
At magnanimus ſummo honore eſt dignus.
Ergo non eſt improbus.

Propoſitio *ſupra* eſt explicata, vbi, quod & hic adiungit Ariſtotel. dictum eſt, honorem deberi virtuti, eius eſſe præmium, bonis tribui, non improbis: per virtutem vtique ad honorem & gloriam peruenitur, quod Marcellus æde virtutis & honoris quoque oſtendit, vt eſt apud Plutar. *in eius vita.*

ἔοικε μὲν οὖν.] Explicato, magnanimum abſque virtute & probitate eſſe non poſſe: explicato & hoc, q̃ in ſingulis virtutibus ſint eximia, magnanimi eſſe propria, adiungit præclaram ſententiam, magnitudinem animi eſſe quoddam virtutum omnium ornamentum ſeu κόσμον: nam & virtutes ornat, ſeu ornatiores & excellentiores reddit, id eſt, quod in ſingulis virtutibus eximium eſt, id agit, & abſque virtutibus, vt iam dictum eſt, eſſe nequit. Pulcherrima eſt igitur hæc virtus, &, vt Cicero loquitur, ſplendidiſſima, & eleganter à Pontano, corollæ ex optimis quibuſque floſculis virtutum contextæ, comparatur, aut inſigni & fluuiorum regi, Danubio aut Rheno, in quem vndique plurima flumina influant. Quare & hoc alterum adiungit Ariſtoteles, hanc virtutum vnam omnium eſſe difficilimam; difficile eſſe magnanimum fieri; raros eſſe viros magnanimos; quæ namque præclara & difficilia, eaque eſſe rara: neque enim magnanimus eſſe poteſt, quin omnibus virtutibus excellat, id eſt, καλοκαγαθὸς ſit: nam καλοκαγαθία eſt omnium virtutum cumulus & complexio, teſte Ariſtotele *lib. 2. Magn. Mor. cap. 9.*

μάλιστα μὲν οὖν.] Adhuc oſtendit, magnanimi materiam eſſe honorem & dedecus: adiungit tamen hoc loco, maxime, μάλιστα, id eſt, proprie & maxime in his cerni magnanimitatem: nam & in aliis cernitur, in bona & aduerſa fortuna, nempe, diuitiis, egeſtate, orbitate, & aliis calamitatibus moderandis, vt paulo inferius.

καὶ ἐπὶ μὲν ταῖς μεγάλαις.] Reperta magnanimi materia, honore, quemadmodum in hoc ſe gerere debeat: nunc explicat,

etſi penitus rem inſpicienti, reperietur Ariſtoteles, etiamnum agere de materia, ſeu coniunctè potius de materia & factis, vſque ad eam clauſulam, οὐκ ἔστι πυκνοκίνδυνος, &c. vbi proprias demum magnanimi notas & proprietates perſequitur, & hoc ipſe quoque indicat mox, μάλιστα μὲν οὖν ἐστι: neque enim de fortuna, quam alteram huius virtutis materiæ partem eſſe diximus, quicquam dum addidit. Primum itaque duas has affert ſententias, eaſq; item coniunctè & iiſdē verbis connexas, nempe magnanimum honores maximos duntaxat, eoſque à grauibus & viris bonis delatos, curare, alios, id eſt, paruos, & à vulgo delatos, negligere & aſpernari, propterea, quod illi ipſo ſunt digni, parui indigni. Oſtenſum namque eſt ſupra, magnanimum magnis ſe dignum iudicare, & qui à plebe & abſq; iudicio deferuntur honores, certe contemnendi ſunt. Quare & Cic. *in Epiſt. ad Catonem lib. 15. Epiſt. 6. Lætus ſum*, inquit, *me laudari Hector apud Næuium opinor, abs te patre laudato viro: ea eſt enim profecto iucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt.* & *lib. 5. Epiſt. 12. Atque hoc præſtantius mihi fuerit, & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, ſi in tua ſcripta peruenero, quam in cæterorum, &c.* placet enim Hector ille Næuianus, qui non tantum ſe laudari lætatur, ſed addidit etiam à laudato viro. Et Achilles *Iliad. 1.* Neſtori ſuadenti, vt præmia & honores ab Agamemnone ſibi delatos ſuſciperet, reſpondet, à Ioue ſe præmia expetere, non ab Agamemnone inimico, & ignauo homine. Hac de re Pontanus *libr. 2. de magnanim. cap. 1.* Sic & *in Critone* Socrates monet, non cuiuſque reprehenſionem nos vereri debere, ſed eorum tantum, qui prudentia & ſapientia præſtent. Altera eſt ſententia; magnanimum ob honores non effuſe aut inſolenter lætari debere, ſed moderate: propterea quod honores non noui ipſi accidant aut alieni, ſed eos accipiat, quaſi ad ſe pertinentes, ſeu ſibi debitos οἰκείους. Non ſolemus autem lætari, niſi ſi quid inſperatum nobis accidat. Imo tam magno eſt animo magnanimus, vt honores quantumuis magnos, non ſatis tamen iuſtos & ſe dignos exiſtimet, omnia ſe ſuaque virtute inferiora eſſe putet, propterea quod nullum ſatis amplum perfectę virtutis reperiatur præmium, vt præclare hoc loco ait Ariſtoteles, & vere. Nam bona fortunæ, vt honor, & corporis, cum bonis animi, id eſt, virtute comparata ſordeſcant neceſſe eſt. Etſi autem ipſum quoque honorem ſummum licet per ſe tamen paruum iudicat magna-

 nimus,

nimus, non aſpernabitur tamẽ eum, ſed capiet potius, eo quod nullum maius præmium virtutis inter mortales extet: certe alioqui virtus ipſa ſibi eſt merces & præmium. Ipſa quidem virtus precium ſibi, inquit Claudianus. Cæterum & hunc locum reprehendit Viues *lib.6.de cauſ.corrupt.art.* quia non facile boni à malis internoſci poſſint, & fragile neceſſe ſit eſſe bonum, quod ab aliis dependeat, in aliena ſit manu.

ὁμοίως ἢ ἐ.] Vt honores, item ignominias moderate feret magnanimus, eo quod ſciat, ſibique ſit conſcius, iniuſte eas ſibi fieri, vtpote virtutibus excellenti.

οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ.] Hoc loco de altera parte materiæ, nempe de reliquis fortunæ bonis & malis: nam & in his aliqua ex parte cerni magnitudinem animi, quod hoc loco tradit Ariſtoteles verbo *μάλιστα*, tum aperte expreſſit *in libello de Virtutib.* vbi ait magnitudinem animi eſſe virtutem, quæ tum in honoribus & ignominiis, tum in proſpera & aduerſa fortuna conſiſtat: ita namq; ibi definit. Simili res tota hæc illuſtrari poteſt à corpore ad animum ſumpto. In corpore fere ſunt quatuor bona inſigniora, bona valetudo, habitudo ſeu *εὐεξία*, vires & pulchritudo. Sic animi bona quaſi valetudo eſt iuſtitia, habitudo eſt magnitudo animi, quæ & ipſa eſt forma ſeu *κόσμος*, eſt deniq; robur & firmitas, qua firmitate tam honores & ignominias, quam res proſperas & aduerſas moderate feramus; hoc ibi primum hoc loco magnanimũ in aliis rebus tam proſperis quam aduerſis, puta diuitiis, paupertate, potentia & opibus, imbecillitate, nobilitate & humilitate, moderatum & æquabilem ſe gerere debere, ideſt, ob res proſperas nõ debere inſoleſcere, ob contrarias non debere animo conſidere & frangi, qua de re pulcherrimus extat locus apud Cic. *lib.1.Offic. Omnino fortis, &c.* Vtitur autẽ Ariſt. argumento à minore, *οὐδὲ γὰρ περὶ τιμήν.* Eum quem neq; honores extollant, neq; ignominiæ frangant, quas iam conſtat eſſe maximi momenti res, non debere efferri rebus aliis proſperis, aut frangi aduerſis, vtpote multo minoribus & leuioribus. Sic enim accipiendum *ὅπως*, id eſt, *inſolenter & immoderate*, & *ὡς μέγιστον*, id eſt, *quam maximum*, vbi *ὡς* non valet *tanquam*, vt quidam putarunt, ſed *nihil* potius, aut eſt *αὐξητικόν*, vt Latinum *quam*, in his verbis, *quam maximus, quam doctiſſimus*. Ait igitur his verbis, *honorem eſſe maximũ quiddam.*

αἱ γὰρ δυναστεῖαι.] Ratio eſt, cur cæteris fortunæ bonis præſter honos, quod illa huius cauſa expetant, quod ex eo eſt perſpicuum,

quia

quia videre licet eos, qui ſibi magnas opes aut diuitias peperent, hoc propterea agere & quærere, vt propterea colantur, & honoribus afficiantur, ſed hac de re dictum eſt *ſup. lib. 1. cap. 5.*

διὸ ὑπερέχοντες.] De hac re *infra.*

δοκεῖ δὲ καὶ τὰ.] Etſi non magni facit magnanimus bona externa, videntur tamen, inquit Ariſtoteles, illi eſſe adiumento, & ipſam quoque animi magnitudinem augere, quin ornent, dubium non eſt: nam & dignitas & ſtatura magnifica ſunt: Turpes & exili ſtatura, quantumuis aloqui magni, contemni ſolent; vt Iuliano Imperatori multum detraxit exilitas corporis: Maximino magnam comparauit auctoritatem corporis magnitudo. Sic & opes & diuitiæ ornant & iuuant magnanimum. Qua de re Plutarchus *in principio vitæ Dionis.* Adiuuare ergo hæc externa bona oſtendit Ariſtoteles, quia ea ipſa aut iis præditi, honore affici ſoleant: ſi honorem adferunt: Ergo coniuncta magnanimo, augent illi honorem. Cur autem genus, opes, diuitiæ honorabilia ſint vulgo, hanc reddit rationem Ariſtoteles, quia *ἐν ὑπεροχῇ*, id eſt, quia his præditi, cæteris antecellere putantur: quicquid autem antecellit, id honore eſt dignum.

διὸ καὶ τὰ τοιαῦτα.] Complexio eſt de adiumento, quod magnanim⁹ capit ex bonis externis, nempe per ea augeri magnanimitatem, quod vt intelligatur, hoc in memoriã reuocandum eſt, honore & laude excitari homines ad præclare agendum: Gloriam, vt ait Poeta, calcar addere & ſtimulum ad recte faciendum. Itaque cum hæc bona gloriam coniunctam habeant, mirum non eſt, ſi & adiumentum ſeu calcar addant magnanimo. Quare & hoc ſubindicat Ariſtoteles, magnanimum hæc externa bona non prorſus aſpernari debere.

κατ' ἀλήθειαν δ'.] Pulchra ſententia: Tametſi ob externa bona multi colantur, tamen ſolam & vnicam virtutem honore eſſe dignam, etſi qui & virtute, & reliquis externis bonis eſt cumulatus, maiore honore dignus vulgo cenſetur *ἀξιοῦται.*

οἱ δ' ἄνευ ἀρετῆς.] Adiungit Ariſtotel. quid de his cenſendum ſit, qui licet improbi, externis tamen illis bonis affluant, & ait, hos honore eſſe indignos, quod iam eſt demonſtratum: non recte ſe magnis honoribus dignos iudicare, neque eſſe magnanimos, quod abſque virtute perfecta *παντελῶς*, illa, id eſt, nec magnanimus, neq; honore dignus cenſeri debet; eſſe denique ſuperbos & contemptores, petulãtes & maleficos, quod abſq;

virtute difficilimum ſit ferre ſecundam fortunam, quod ait Cato *apud Feſtum*. Idem teſtatur Ariſt. *lib. 2. Rhet.*

οὐ δυνάμενοι δὲ φέρειν.] Eoſdem, quia ferre res ſecundas moderate nequeunt, alios quidem contemnere & ridere; ipſos interea nugatoria agere, aut turpia, imitari denique magnanimum, cui tamen longe ſint diſſimiles. Imitantur quidē in contemnendis aliis & magnifice ſe gerendo, ſed diſcrepant, quia magnanimus contemnit iudicio & recte, illi ꝑperam & temere.

ὁ δὲ μεγαλόψυχος.] Iam aliquoties commemorauit Ariſtoteles, magnanimo nihil eſſe magnum, nihil ab eo magnifieri, omnia contemnere, & præ ſe parua ducere, eſſe καταφρονητικὸν, & recte hæc vna eſt inſignis magnifici nota. Quare & Cicero (qui ex Stoicorum ratione cum fortitudine magnitudinem animi confundit) inter fortitudinis partes & comites numerat deſpicientiam, *in partitionib. oratoriis*: *In rebus autem, &c.* Et *libro 2. Tuſculanarum*: *Quid fortitudini comitibuſque eius, &c.* Et hac de re latius *libr. 1. in Offic. & animi excellentia magnitudoque.*

οὐκ ἔστι δὲ μικροκίνδυνος.] Adhuc oſtendit, magnanimus quemadmodum in honore ſua propria materia & quaſi ſegete, deinde & in reliquis externis bonis cōparare ſe debeat. Docuit & magnanimum eſſe καταφρονητικὸν, nunc alias præterea eius notas commemorat, & primum quidem de fortitudine ſeu periculis, eum non eſſe μικροκίνδυνον, ſed μεγαλοκίνδυνον potius. Deinde in periculis ſe dignis, vitæ non eſſe amantem, neq; parcere. Prioris ratio, διὰ τὸ ὀλίγα, &c. quia pauca duntaxat curet magnanimus. Formula:

> *Qui multa curat, multa magni facit, pro multis quoq; adit pericula, ſiue eſt πυκνοκίνδυνος. Qui pauca pro paucis, eſt ὀλιγοκίνδυνος. Huius propoſitionis eſt ratio, quia quæ chara quis habet, pro iis periculū adire nō recuſat.*
>
> *Atqui magnanimus pauca curat, nihil fere illi eſt magnū: nam magna laude tantum digna, quæ pauca eſſe conſtat, ſequitur.*
>
> *Ergo non eſt πυκνοκίνδυνος, ſeu ὀλιγοκίνδυνος, & proinde μεγαλοκίνδυνος, non μικροκίνδυνος.*

Quare hunc locum, qui variat in multis libris, ita reſcribendum puto: οὐκ ἔστι δὲ πυκνοκίνδυνος διὰ τὸ, &c. Ita namq; poſtulat ſententia, vt iam explicauimus, & ita conſtanter habent libri manuſcripti, teſte Victorio, atq; ita ſine dubio legit Græ-

cus

eus Scholiaſtes, ſi diligentius explanatio eius perpendat. Nam verba eius à Typographo ſæpe ſunt deprauata. Reliquæ igitur ſcripturæ ſunt mendoſæ & ſpuriæ, & certe gloſſam ſapiunt. Poſterioris autem ratio, ὡς οὐκ ἄξιον, &c. quia vitam ſeu viuere πάντως, id eſt, etiam cum dedecore, turpiter fugiendo, indignum ſe eſſe iudicat. Ita namq; illud πάντως accipiẽdum puto, vt iungatur verbo ζῆν, non vero verbo ἀξιοῦν, vt vulgo. Neq; enim omnimodo indignam ſe vitam putat magnanimus, ſed vitam omnimodo, id eſt, quomodocunque viuere.

ὑπερόπται δὲ καὶ.] Magna eſt librorum varietas hoc in loco: Plærique ita ὑβρισταὶ καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχοντες, κακοὶ γίνονται, & ita quoque vetus tralatio: In aliis ἔχοντες κακοὶ γίνονται: In manuſcriptis quibuſdam καλοὶ κἀγαθοὶ γίνονται. Ex quibus perſpicuum eſt, quædam hic mendoſe eſſe inculcata, & ita legendum, καὶ ὑβρισταὶ γίνονται, inductis reliquis vt ſpuriis: atque ita habet & editio Florentina, & quidam libri ſcripti, & Argyropylus quoque ita reddidit.

καὶ οἷος εὖ ποιεῖν.] Nunc, quæ magnanimi in beneficentia ſint proprietates & officia, exponit. Primum eum eſſe οἷον εὖ ποιεῖν, id eſt, cum tali indole & ingenio, vt cupiat bene mereri de aliis, beneficia dare, accipere vero non tam libenter, ſed cum pudore potius, rubere & erubeſcere accipientem. Deinde in reddendo beneficio eſſe largum, ſeu cumulatiore menſura ſemper reddere, pterea meminiſſe quib. dederit beneficia, non meminiſſe vero, à quibus bene acceperit, & proinde libẽter audire, q̄ ipſe aliis præſtiterit, nõ libẽter quę ipſi alii. Poſtremo neminem rogare, aut certe vix & leuiter, ſed ipſum aliis prompte inſeruire. Quorum omnium hæc vna eſt ratio, quia beneficium dare præſtantioris & excellentioris ſit: inferioris & deterioris accipere beneficium. At conſtat magnanimum omnes antecellere cupere, nemini ſe velle obligare. Exempla huius rei in hiſtoriis extant multa, & inprimis prædicatur Scipio & Alexander Seuerus Imperator. Verum, quia beneficentiæ duo ſunt genera, pecuniæ & operæ; de hac potius iſta mihi accipienda videntur, propterea, quod illa ſit facilior, hæc lautior & ſplendidior, viroq; forti & claro dignior, inquit Cic. *lib.2. Offic.* Sunt tamen, qui tertium illud reprehendant, quia inde effici videatur, magnanimũ fore ingratũ & immemorẽ: deinde ſuorũ beneficiorũ oſtentatorẽ & exprobratorem. Verum ita ea ſunt accipienda, magnanimũ libẽter ſua meminiſſe, aliena nõ item,

non exprobrandi cauſa, neque oſtentandi, aut ſe venditandi (hæc enim vanitas eſt χαύνου, ventoſi.) Sed quia hac recordatione renouetur ſua ipſi excellentia, quod vnum ſtudet: ſic & ab aliis ſua, non aliorum ſibi præſtita beneficia, commemorari libenter audit, non quo ſit ingratus, aut immemor beneficii eſſe velit, quem modo diximus etiam cumulate reddere, quod acceperit, ſed quia ſua audiendo reficitur illi ſua excellentia: aliena audiendo ſua humilitas & imbecillitas. Confirmat hæc Ariſtoteles duobus exemplis ex Homero *Iliad. α.* vbi Thetis Iouem pro Achille filio deprecatura, non commemorat beneficia, quæ Ioui ipſa olim præſtiterit, quia Ioui vt magnanimo id odioſum futurum erat. Et à Lacedæmoniis ſumpto altero exemplo, quod ſcribit Calliſt. *libro primo Rerum Græcarum*, cum Thebani Duce Epaminonda in Laconicam inuaſiſſent, Athenas miſſa legatione, rogaſſe auxilia, & inter rogandum non ſua in Athenienſes, vt magnanimos, ſed Athenienſium potius in ſe beneficia commemoraſſe, vt & hoc loco ait Ariſtoteles, etſi id eſſe factum negat Xenophon *lib. 6. Rerum Græcarum.*

ἔσται γὰρ προσοφλήσει.] Sic fiet, vt qui beneficio ipſum prouocarit, remuneratione facta cumulatiore, vt ille, inquam, qui prouocarit, ὁ ὑπάρξας iam ſit debitor magnanimi ex creditore factus.

τὸ μηδενὸς δεῖσθαι.] Quia verbum δεῖσθαι valet & *egere* & *rogare*. Alii aliter accipiunt: puto tamen Scholiaſten Græcum ſecutus, rogare hic valere, cui notioni magis conuenit verbum ὑπηρετεῖν, quod non tam eſt contrarium egeſtati, quam operæ & auxilii implorationi.

καὶ πρὸς μὲν τοὺς.] Præmuniendum eſt, tria eſſe hominum genera; ſummos, medios & infimos, de quibus Ariſt. *lib. 4. Polit. ca. 11.* Aduerſus hos igitur quemadmodũ gerere ſe debeat magnanimus, h. l. explicatur. Et quidem aduerſus ſummos, viroſque principes, qui vel dignitate, aut copiis & genere excellant, magnitudine ſua & grauitate vti debere magnanimum. Aduerſus mediocres (& multo magis aduerſus infimos, aut certe hos contemnit plane) non item, ſed moderatum & facilem ſe præſtare debere. Duas adfert rationes, quia illud eſt difficile, hoc facile: Atqui in rebus difficilibus cernitur ſplendor virtutum: deinde maiorem habet dignitatem illud, quam hoc, quod ſimili confirmat ab eo, qui valentiſſimus cum imbecillo

becillo viribus certare velit, quod eſt ineptum & indignum. Illud tamen ita eſt accipiendum, non quo iactare etiam inter magnos ſe velit magnanimus, ſed vt dignitatem ſuam teneat, & ab iis ſuperari ſe non patiatur. Atqui hæc ſolet laudari, vt inſignis generoſitatis & magnanimitatis nota, certare cum æqualibus aut ſuperioribus, aduerſus humiliores modeſte ſe gerere. Quod & de Leone generoſiſſimo animali prædicat Plinius *libro octauo, capite decimoquinto: Leoni tantum ex feris clementia in ſupplices, proſtratis parcit, & in viros citius, quam in fœminas ſæuit, in infantes non niſi magna fame.* Ouidius:

Corpora magnanimum ſatis eſt proſtraſſe leonem.

Virgil. *lib.4. Æneid.*

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis. &c.

Hircius de bello Alexandrino de Cæſare, reddente Alexandrinis Regem ſuum Ptolomæum, cum quibus bellum gerebat, quia ſplendidius atq; honeſtius ſe contra Regem quam contra conuenarum & fugitiuorum manum bellum eſſe geſturum.

καὶ εἰς τὰ ἔντιμα.] Obſcurum eſt, quid velit Ariſtoteles hoc verbo τὰ ἔντιμα: alii reddunt res honoratas; alii loca honorata; vſus & mox eſt eodem verbo extremo capite, τοῖς ἐντίμοις, vbi ſine dubio res honorata valet. Explanatores de locis accipiunt in hanc ſententiam: Magnanimum ad loca honorata non acceſſurum, ne vltro appetere & quærere honorem videatur, quem potius delatum accipere deberet. Poteſt & de rebus accipi in hanc ſententiam: Magnanimum ad res honoratas, id eſt, ad honores nō acceſſurum vltro, ne quærere & affectare eos videatur: Neque etiam eo venturum hac de cauſa, ne ſi alii honores & priores potius ibi auferant, ipſe deterior videatur.

καὶ ἀργὸν εἶναι.] Eſſe ceſſatorem magnanimum, & cunctatorem, niſi vbi res magna aliqua, aut honor præclarus agatur. Nam & hoc grauitatis eſt, non impelli continuo omnibus de cauſis, etiam leuiſſimis, præſertim cum hoc proprium ſit magnanimi, res paucas ſuſcipere, eaſque præclaras & magnas, vt & *ſupra* eſt explicatum.

ἀναγκαῖον δὲ καὶ.] Adfert hoc loco inſignem magnanimi notam, eum omnia agere aperte, loqui aperte, nihil occulte aut ſimulanter: & primū quidē odiſſe & amare aperte: nā occultare ſeu celare eſt timidi, timorem arguit, à quo longiſſime abeſt,

magnanimus. Maior itaque & veritatis illi erit cura, quam opinionis. Cicero *lib.2. Officiorum*: *Vera autem & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud quod maxime natura ſequitur, in factis poſitū, non in gloria iudicat, principemq; ſe eſſe mauult, quam videri.* & *li.2. quod ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione, &c.* ſed vt facilime quales ſimus, tales eſſe videamur. Idem Dionem monet Plato *in Epiſtolis*. Itaque omnia aperte & aget & dicet magnanimus: nam hoc eſt eius proprium, qui alios contemnit, aut quid alii ſint exiſtimaturi, nō laborat. Supra autem dictum eſt, magnanimum eſſe contemptorem, quare & erit παῤῥησιαστικὸς, liber in loquendo, neq; aliud pectore clauſum, aliud ore promptum habebit, vt ait Saluſtius. Summa hæc eſt, magnanimum non inſidiis aut dolo, non ficte aut diſſimulanter, ſed vere, aperte omnia agere & loqui, etiam magna cūm libertate. Quod & Cicero iubet *lib.1. Offi. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt*. Itaq; viros fortes & magnanimos, eoſdem bonos & ſimplices, veritatis amicos, minimeque fallaces eſſe volumus. Et Ariſt. *in lib. de virtutib.* eos eſſe ait ſimplices. Sic apud Euripidem Achilles ſe ſimplicem eſſe ait, qualis & ab Hom. *Iliad.9.* deſcribitur. Talem & Achillis filium Neoptolemon deſcribit Sophocles *in Philoctete*. Talis & ab omnib. deſcribitur Alexander Magnus, cum pater eius Philippus contrario eſſet ingenio. Sic & Heluetii apud Cæſarem *li.1.* ſe ita à patribus ſuis didiciſſe, vt magis virtute, quam dolo contenderent, aut inſidiis niterentur. Videatur & Cicero *lib.1. Off. fere extrem.* vbi de ingeniorum varietate.

διὸ παῤῥησιαστικός.] Mire hic variant libri etiam ſcripti, teſte Victorio, & vetus quoque trālatio longe aliter habet, quam libri vulgati. Re diligenter perpenſa legendum puto, διὸ παῤῥησιαστικὸς καὶ ἀληθευτικός, cætera interiecta falſa mihi videntur, certe minime ſunt neceſſaria. Quare dicit Ariſt. liber eſt in loquendo, & verax; quales inprimis prædicantur apud veteres Cato, & Athenis Phocio, de quibus Plutarch. quod idem Cic. *in Epiſt. ad Patum lib.9.* de ſe gloriatur: vt enim olim arbitrabar eſſe meum libere loqui, &c.

πλὴν ὅσα μὴ δι᾽.] Exceptionem adiicit eius, quod dixerat, magnanimum eſſe veracem; extra quam ſi Ironia vtatur, quod eum facere aduerſus multitudinem, apud vulgus interdum diſſimulanter loqui, quod non ſatis idoneos exiſtimet, quib. omnia ſua cōſilia & facta aperiat; & eſt diſſimulatio quædam

dam quaſi contemptio, quam magnanimi propriam eſſe *ſupra* oſtendimus.

Ϗ πρὸς ἄλλον μὴ.] Alia nota, non poſſe eum viuere alterius arbitratu aut vultu, niſi forte amici. Nam id eſſet ſeruile, alterius viuere & regi imperio, quod oſtendit exemplo adulatorum, quales ſunt ſcurræ & paraſiti: quos conſtat ſe ad aliorum nutus & voluntates accommodare. Et plærosq; eſſe ſeruili ingenio ſeu θητικὸς, vt contra homines humiles & ſeruili ingenio plærumq; ad illa ſeruilia miniſteria abijcere ſe ſolent, adulatorum & paraſitorum. Indigne igitur fert alterius imperium, amici tamen monita ſequi non recuſat. Seruile autem eſſe ad alterius nutum viuere, cum per ſe eſt perſpicuum, tum explicat Ariſtoteles *libr. 1. Politic. cap. 3.* & ind.cat *l.br. 1. Metaphyſ.* vbi eam ſcientiam hac etiam re præſtantiſſimam eſſe ait, quod illa nulli, omnes aliæ ipſi pareant. Hæc Græci eleganter efferunt πρὸς ἄλλον ζῆν, ἄλλου εἶναι, & contra αὑτοῦ εἶναι, vt ijs locis Ariſtoteles, & *lib. 1. Rhetor.* ἐλευθέρων eſt, μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν, Latini, *ſuum eſſe, ſui eſſe mancipij, alterius nutus obſeruare.* Quare & Pontanus copioſe docet, magnanimum libertatis eſſe amantiſſimum, ſeruitutis impatientiſſimū. *lib. 1.* Hinc apud Hom. *li. 1. Iliad.* Agamemnoni Achilles ſibi imperanti ἄλλοισι, &c. de quo & Horatius *in arte poetica, Iura neget ſibi data.* Et Cic. *lib 1. offic. Difficile autem eſt, &c.*

οὐδὲ θαυμαστικὸς.] Alia Nota, non admirari ſeu non affici admiratione, non admiratur, inquit Ariſtoteles, neq; delitias, neq; comitatum multorum famulorum, neq; victorias. Idem & Cic. elegantiſſime *lib 1. offic. Omnino fortis, &c.* Ratio, quia nihil ei ſit magnum, id eſt, vt ait Cic. Ea, quæ eximia plæriſq; & præclara videntur, parua ducere, eaq; ratione ſtabili firmiterq; contemnere, fortis animi magniq; ducendum eſt. Itaq; magnanimi propria eſt ἀθαυμασία, quam & mirifice extollit Horat. *lib. 1. Epiſtolar. ad Numitium, Nil admirari, &c.*

οὐδὲ μνησίκακος.] Alia Nota, Iniurias eum facile obliuiſci. Quare neq; odium eius erit diuturnum, neq; vindictæ cupidus ſeu θυμοειδὴς, vt inquit *in libr. de virtutibus.* Ratio, cur facile obliuiſcatur iniurias, cur eas non meminerit, iſta hic redditur, quia cum nihil fere aliud, tum minime recordatur mala, ſed contemnit potius. Nihil quidem recordatur aliud, quia non eſt θαυμαστικὸς, ſed contemptor potius. At quæ miramur, ea recordari ſolemus: Mala autem multo minus, quia

conſcius ſibi ſit iniuria ea eſſe ſibi illata, & propterea ſuam exiſtimationem non lædere; contemnit igitur & proinde non meminit.

οὐδ᾽ ἀνθρωπολόγος.] Nunc docet, quemadmodum in ſermone ſe gerat magnanimus, & vno verbo ait, eum non eſſe ἀνθρωπολόγον, quod eſt verbum perrarū. Explicat autē ipſe Ariſtot. quid valeat, οὔτε γὰρ περὶ, &c id eſt, neq; de ſe, neq; de altero loquitur, id eſt, ſe non laudabit, alterum non vituperabit: nam vt ipſe laudetur, aut vituperetur alter, non curat, non putat magnanimus ſua intereſſe, ſi alter vituperetur aut male audiat; Eſt enim prorſus diſſimili ingenio : atq; illi, qui aliorum maledicta & reprehenſiones, ſuas laudes, alienas laudes, probra ſua eſſe putant, ſe quoq; nō laudat, ne exiſtat miles aliquis glorioſus. Quare hoc eſt ingenio magnanimus, vt neq; facile laudet quempiam aut vituperet, neq; ad laudandum neq; ad vituperandum ſit facilis: oſtendit tamen Plut. *in libell.* περὶ τ̃ ἐπαινεῖν ἑαυτὸν magnitudinē animi interdum elucere ex ſua laudatione. Videatur & Valerius Maximus *li.3. cap. penult. & vlt.*

οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν.] Ne quidem in inimicos maledicus erit magnanimus, extra quam, ob acceptam contumeliam, quod ipſum & Ariſtot. *in Polit. li.7. cap.7.* confirmat, vbi ait, magnanimos non eſſe natura aſperos, extra quam, in eos, qui iniuria ipſos afficiant. Recte quoque Pontanus magnanimum, ait, conuitijs accipere homines dedecoroſos aut turpes interdum, vt *Iliados* 2. Vlyſſes Therſitem.

καὶ περὶ ἀναγκαίων.] Alia eſt Nota, quā vulgo ita accipiunt, magnanimum de rebus ad vitam tuendam neceſſarijs & paruis (nam ad ornandam rebus magnis plærumq; eſt opus) de ijs igitur rebus, ſi forte ei deſit, non debere muliebriter conqueri, aut alios paſſim rogare, propterea, quod hæc illi factitent, qui toti in his rebus ſunt, omnemq; operam in re familiari conquirenda ponunt, vt vulgus & opifices: quod à magnifico eſt remotiſſimum, qui cum alia plæraq; , tum hæc in primis contempta habet.

καὶ οἷος κεκτῆσθαι.] Alia nota, Res eum elegantes & honeſtas, licet infructuoſas, vt hortos, tabulas, ſigna, equos, ſeruorum comitatum, &c. habere & poſſidere malle, quam res alias etiam fructuoſas, vt pecuniam, agros, pecudes, &c. cuius rei hanc adfert rationem, quia illud eius eſſe videatur, qui nulla re egeat, qualem magnanimum iam eſſe diximus.

καὶ

Digitized by Google

καὶ κίνησις δὲ βραδεῖα.] Alia nota, tardum eius eſſe inceſſum, grauem vocem, non acutã, ſtabilem deniq; & conſtantẽ orationem, non variam, nunc celerẽ, nunc tardam. De inceſſu & gradu hæc eſt ratio, quia pauca agenda ſuſcipit, nempe grauiora duntaxat, eaq; re properato illi non eſt opus. Nam qui multis rebus & negotijs diſtrahitur, eum neceſſe eſt eſſe *ἀνδιξοὸν*, huc illuc diſcurſare & volitare, vt omnia exequatur. Celerior vtique ingreſſus, aut leuitatem aut negotiorum multitudinem ſignificat, quæ duo conſtat à magnanimo eſſe ſeiuncta. De voce & de oratione hæc eſt ratio, quia nihil illi eſt magnum. Clamoſi ſunt; qui rebus aliquibus ſunt intenti, aut obtinere ſtudent; hinc iurgia & vocis contentiones & clamores; hinc & orationis varietas. Cæterum de inceſſu & de ſermone & voce, non magnanimi proprijs, ſed generatim omnibus conuenientibus videatur Cicero *libro 1. officior. Cauendum autem eſt, &c.* & Clemens Alexandrinus *libro 3. Pædagog. cap.11. Exemplum hac in re magnanimi Socrates, de cuius oris & vultus conſtantia omnes*: & Milo quoque, de quo Cicero *in Miloniana. Si vultum ſemper eundem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videbis, &c.* In rebus tamen gerendis, in bello maxime, & greſſus & vocis celeritatem adhibebit. Quare & Homerus ſuos Heroes plærumq; vocat *ποδώκεις*.

οὐ κακοὶ μὲν οὖν.] Hoc quidam plærique male. Vertendum ita: *mali autẽ ſeu flagitioſi, ne hi quoque videntur.* Exprimendum illud quoque: nam refert ſe ad liberalitatis & magnificentiæ extrema, quæ, vt *ſupra* oſtendit non eſſe flagitioſa; ita hic adiungit, magnitudinis animi quoque extrema non eſſe mala. Hoc igitur ait elatos aut abiectos non eſſe improbos, eſſe tamen vitioſos, non improbos aut malos, quia nemini noceant, non ſint malefici aut iniuſti, quod perſpicuum eſt eorum naturam conſideranti. Vitioſos tamen eſſe, & peccare oſtendit de abiecti animi quidem homine, quatuor rationibus. Primum, quia ſit iniuſtus, vtpote, qui quibus dignus ſit honoribus, ijs ſe ſpoliet. Deinde, quia hoc vitium efficit, vt qui eo laborat, vulgo habeatur pro improbo. Formula ſit:

Haberi pro improbo eſt inutile & malum.
At animi demiſſio hoc efficit.
Ergo eſt mala.

Propoſitio eſt perſpicua. Aſſumtionis h. eſt ratio, q̃a occultis vitijs

vitijs laborare putetur is, qui cum alioqui perſpiciatur dignus eſſe honoribus, ijs tamen quaſi ſibi male conſcius, ſe ipſe indignum iudicet. Cur enim alioqui indignum ſe iudicet rebus optimis, niſi inteſtinis quibuſdam malis laboret, propterea honos indicium eſt opinionis, de illius quem colimus virtute. Itaq; quem inhonoratum ſemper videmus, eum quoq; omnibus virtutibus orbatum putamus. Ex his perſpicuum eſt, demiſſionem animi hoc in ſe mali habere, vt adferat vulgo hanc opinionem, improbum eſſe eum, qui puſillo ſit animo. Quare & mala eſt & inutilis. Præterea videtur non ſe ſuaq; bona noſſe: nam ſi noſſet, ὠρέγετο γὰρ, &c. certe eas res, quibus ob ſua bona eſt dignus, expeteret, vtpote optimas, & ab optimo quoq; expeti ſolitas. Hac ergo ratione, quia non expetit, ſe ſuaq; bona non nouit. At hoc vitioſum eſt & turpe, vt præclare Plato *in Philebo*. Cic. *lib. 3. ad Q. Fratrem*, non ſolum dictum eſt ad arrogantiam minuendam, ſed & vt bona noſtra norimus. Poſtremo & hoc mali adfert hæc animi demiſſio, quod languere faciat animos, auocetq; à rebus præclare gerendis, ab honeſtis ſtudijs, à rebus externis honeſtioribus, à magiſtratibus, honoribus, dignitatibus, &c. Nam vt gloria incitat homines ad præclare faciendum (Ouidius:

> *Excitat auditor ſtudium laudataq; virtus*
> *Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.*

Lucretius: *Nec me animi fall. quam ſint abſ. ſed acri percuſſit Thirſo laudis ſpes magna meum cor.*) Ita gloriæ contemptus reuocat à rebus gerendis; quod perſpicuum eſt, eſſe reprehenſione dignissimum.

ἀλλὰ μᾶλλον ὀκνηροί.] Sic habent plæriq; libri editi, teſte Lambino & probante: perperam. Nam editio Florentina habet νοεροί; id eſt, *cogitabundi*, & ſic abſque controuerſia legit Græcus Scholiaſtes, νοεροί, inquit, δριμεῖς, *acres in cogitando*, & ἐπινοητικοί *conſultantes & cogitabundi*: & quod caput eſt, ita poſtulat ſententia. Occurrit namq; tacitæ quæſtioni Ariſtoteles: nam dicto, abiectum ſe non noſſe, quia effici hinc poſſe videbatur, eum quoq; eſſe ſtultum; huic occurrit, & negat hoc inde effici. Non nouit quidem ſe ipſe, inquit Ariſtoteles, ſed tamen propterea non eſt ſtultus, quemadmodum mox dicetur de elato: imo, inquit, eſt νοερός, id eſt, non plane incogitans vt elatus, ſed multa ſecum perpendens, & totus cogita-

Digitized by Google

cogitabundus, ſemper reputans, ſe hac aut illa laude & honore indignum. Elatus autem non tam eſt vitioſus quam abiectus: nam in huncilla quatuor, vt diximus, in illum duo tantum cadunt. Primum, quia ſibi plus tribuit, & proinde iniuſtus eſt. Tertium, quia ſe non nouit, & hoc tertium in elato ſolum explicat Ariſtoteles, aitq; propterea illum eſſe ſtultum, idq; externis ſignis illum declarare, nempe veſtitu inſolente. Deinde prædicatione ſui, ſuaſque virtutes extollendo. De veſtitu Exemplum eſt Luciani *in Nigrino*. Et in actis *de Herode*. De laudatione ſui innumerabilia ſunt exempla. Vt apud Virgilium *libro quinto*. Adiungit tandem inter hæc duo extrema comparationem: abiectionem animi magis aduerſari & inimicam eſſe magnitudini animi quam elationem, duabus rationibus, tum, quia demiſſio frequentior eſt, & in pluribus hominibus reperiatur: tum quia peior & deterior. Formula:

Extremorum quæ frequentiora, & quæ deteriora, ea mediis magis ſunt contraria. Explicatum eſt libro ſecundo cap. 8.

Atqui demiſſio animi eſt frequentior: (plures enim videas abiecti animi, ob paupertatem nimirum, & quia ad elationem pompa quadam ſit neceſſaria; homines autem plerumq; ſunt auari, vt capite proximo dictum eſt) & peior, vt modo oſtendimus.

Ergo & magnitudini animi magis eſt contraria. &c.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Ἔοικε δὲ καὶ περὶ ταύτην εἶναι ἀρετή τις.] Explicatur hoc capite breuiter, & altera in honore poſita virtus, nomine vacans. Qua de re *ſupra* diximus *in fine lib. 2.* Hoc autem potiſſimum agitur, vt doceat Ariſtoteles; An ſit; deinde de Nomine: poſtremo comparatio cum extremis & extremorum inter ſe adfertur.

ἐν τοῖς πρώτοις.] *lib. 2. cap. 7.*

ἢ δόξειεν παραπλησίως.] Declarat virtutem hanc comparatione liberalitatis. Nam huius ad magnitudinem animi eam eſſe rationem, quæ eſt liberalitatis ad magnificentiam: nempe vt liberalitas in rebus paruis ſeu pecunia; ita & hæc in paruo

paruo honore verſatur, in paruis vtraq; nos bene affectos reddit, à magnis vtraq; diſtincta.

ὥσπερ δὲ ἐν λήψει.] Vt medias affectiones: ita & extremas hic inter ſe comparat, extrema, inquam, huius virtutis cum extremis liberalitatis. Nam vt in ſumptione & largitione, quæ materia eſt liberalitatis, eſt & medium, & ſunt extrema, ita & in hac virtute. At hoc in primis confirmandum eſt, & caput quodammodo eſt huius capitis; nempe, an ſit virtus, an reperiatur hæc virtus, quod quidem docet vna ratione, quia extrema reperiuntur. Concluſio ſit iſta:

Vbi extrema, ibi & medium:
Hic, id eſt, in paruo honore, reperiuntur extrema.
Ergo & medium.

Propoſitio ibi, ἐν οἷς δ' ἐστιν ὑπερβολή, &c. Aſſumptio, ἔστι δὲ ἐν τιμῆς ὀρέξει, &c. Et iteratur, ὀρέγονται δὲ τιμῆς, &c. cuius hæc eſt ratio, quia videre licet, honorem expeti plus, quam oporteat, & interdum minus, id quod confirmat à laude. Nam vulgo eos vituperare ſolemus, qui plus, quam oporteat honorem expetant, eoſq; ambitioſos vocamus; contra & eos vituperamus, qui omnem plane honorem contemnant. Interdum quoque laudamus aliquem, vt fortem & virilem, qui omnem honorem non contemnat, ſed debitum expetat. Ex quibus perſpicuum eſt, quia nimium & parum vituperantur, certe ea eſſe, & proinde eſſe quoq; medium.

ἔστι δὲ ὅτε τ.] *Supra libr. 2. cap.* 8. dictum eſt, extremorum hanc eſſe naturam quorundam, vt interdum medij naturam ſibi induant. Quod accidit & in his affectionibus: nam & ambitioſus interdum laudari ſolet, quaſi ambitioſus hoc loco ſit medij inſtar. Laudari quoq; ſolet inambitioſus, quaſi moderatus & temperans. Sed hac de re mox extremo capite.

δῆλον δὲ ὅτι.] Hic de verbo φιλοτιμίας agit, redditq; rationem eius, quod modo dixerat, φιλότιμον interdum & laudari ſolitum. Nam hæc, inquit, eſt vis huius verbi, vt interdum de hoc dicatur, qui honorem expetat, vt oportet, interdum de eo qui plus quam oportet, quam huius verbi varietatem confirmat exemplo ſimilium verborum. Nam & reliqua apud Græcos iuncta ad verbum φίλος, id eſt, omnia φιλοτοιαῦτα vocabula fere ita bipartito accipi, vt φιλόπαις liberorum amans, dicitur & ille, qui vt oportet, & ille, qui nimium ſuos liberos amet. Plærumque tamen hæc verba nimium continent, non

medio-

Digitized by Google

mediocritatem ſeu vt oportet, vt φίλοτιμος latinum ambitionis vocabulum, vt Græcum φιλοτιμίας, ponitur quidem & illud in malam fere partem, interdum tamen in bonam, vt apud Cicer. *in Lælio de Scipione,* in quo, ait, maiorem fuiſſe ambitionem, vitam triſtiorem. Nam & ambire nihil eſt aliud, quam ſimpliciter aliquid expetere, vt ſæpiſſime apud Plautū.

ἐπὶ τὸ μᾶλλον.] Scilicet φέρομεν referimus nomen φιλοτίμου, ad id, quod magis quam vulgus, id eſt, tribuitur ijs, qui honorem magis expetant, quam vulgus, id eſt, qui expetant, vt oportet. Nam vulgus fere abiecti eſt animi, & minus quam oportet, honorem expetit, vt *ſupra cap. priore extremo,* dictum eſt: vbi diximus μικροψυχίαν communius eſſe & frequentius vitium quam χαυνότητα, quód idē de extremis huius quoq; virtutis dicendum eſt. Plures reperiri ἀφιλοτίμους, quam φιλοτίμους. Nam vt & Cicero *in offic.* monet; *nimia honoris cupiditas non niſi in rariſſima ingenia cadere ſolet.*

ἀνωνύμου δ᾽ οὔσης.] Hoc *ſupra* explicauimus *libr. 2. cap. 7.* Redditur autem ratio, quodammodo, cur φιλότιμος interdum laudetur, interdum vituperetur, cur & ἀφιλότιμος: quod cum nomine vacet medium, extrema inter ſe quodammodo contendant de medio, & vtrumq; ſtudeat, vocari eſſe medium ſeu laudari.

φαίνεται δ᾽ πρὸς.] Et hoc modo attigimus, mediocritatem horum extremorum, ſi cum his comparetur, videri vtrumque eſſe extremum, nunc hoc, nunc illud: Nam cum nimio, ambitione, videri id quod parum, nempe, ἀφιλοτιμίαν: cōtra cum hoc videri illud, eamq; eſſe ait omnium virtutum rationem, vt medium cum extremis comparatum induat faciem vtriuſque extremi, vt fortitudo cū audacia collata, videtur ignauia, cum ignauia videtur audacia. Liberalitas cum profuſione, videtur auaritia, cum hac videtur illa.

πρὸς ἀμφότερα δ᾽.] Id eſt, non tantum hoc aut illud extremū videtur medium, ſed etiam vtrumq; ſimul, nempe ſimul cum vtroq; collatum, vt temperantia cum vtroq; extremo collata, intemperantia & immanitate, videtur & hæc, & illa, diſſimili ratione.

ἀντικεῖσθαι δ᾽ ἐνταῦθα.] Modo attulit cōmune quiddā huic cum cæteris virtutib. Hic ſingulare huius virtutis quiddā affert, extrema, nō medio, vt in alijs virtutib. ſed inter ſe tantū contraria videri, idq; hac de cauſa accidere, quod mediū nomine vacet, q. cū

nullum

nullum medij ſit nomen, ne ipſum quidem etiam eſſe videatur, eaq; re nihil illi eſſe contrarium. Extrema igitur hic inter ſe pugnant, ambitio, & honoris omnis contemptus: vere tamen & medio repugnant hoc loco extrema, nempe ambitio & honoris contemptus moderato honoris ſtudio ſeu modeſtiæ, vt ita medium vocemus, &c.

CAPVT V.

COMMENTARII.

Πρᾳότης δ᾽ ἐστὶ μ.] Tres huius capitis partes conſtitui poſſunt: quarum priore de affectionum harum vocabulis agatur: altera explicentur ipſæ affectiones: poſtrema, cum inter eas collatio quædam, tum excuſatio minus accuratæ explicationis harum affectionum, contineatur.

ἀνωνύμου δ᾽ ὄντος.] Hic de verbis medij & extremorum explicat, allata initio breui virtutis deſcriptiuncula. Ait autem & extrema & medium vacare nomine, medium tamen vulgo dici conſueſſe πρᾳότητα ſeu lenitatem, nimium poſſe dici ὀργιλότητα, quod parum, *infra* monet eſſe quandam ἀοργησίαν, id eſt, omnis iræ vacuitatem. Quod vitium Cic. *Lentitudinem* vocat, vt *ſupra* explicauimus. Dicitur & græce ῥᾳθυμία & ἀθυμοσύνη. Nam proprie πρᾳότης de hoc medio dici non poteſt, eo quod medium poſtulat moderationem Iræ, id eſt, vt à nimia ira ſibi quis temperet, & tamen vbi oporteat, etiam iraſcatur: At πρᾷος græce, prius quidem, non autem poſterius valet. Nam πρᾷος proprie dicitur, qui ſedato eſt animo, non vero qui concitato, licet mediocriter, hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, πρᾳότητα propendere in id, quod parum, quod ſemper quietem poſtulat, & à concitatione animi ſiue vehementi, ſiue mediocri abhorret: ὀργιλότης autem & ipſa latius patet. Nam & procliuitatem ſeu δύναμιν ad iraſcendum ſignificat, quæ quidem eſt vſitatior huius verbi notio; proprie igitur ὀργιλότης eſt poteſtas, improprie habitus, vt hoc loco. Eadem eſt ratio Iracundiæ, quod parum & ipſo nomine vacat, vulgo tamen dici ſolet ἀοργησία aut ῥᾳθυμία, vt diximus, latine lentitudo. Sed de his *ſupra lib. 2. extremo.*

τὸ μὲν γὰρ πάθος.] Videtur eſſe ratio, cur nimium dici nō incōmode poſſit ὀργιλότης, nempe quia perturbatio, in qua moderanda, tanquā in materia verſantur hæ affectiones, ſit ὀργή, & ita

Digitized by Google

& ita hunc locum explicat Scholiaſtes Græcus. Hoc autem & aliud quoq; his verbis agit Ariſtot. nam & incipit iam explicare ipſas has affectiones, ſumpto initio ab ipſarum materia. Ait igitur materiam eſſe ὀργὴν ſeu iram, vnam illam quidē (nam aliarum virtutum quarundam bipartita eſt materia) ſed multa eſſe & varia, ex quibus exiſtat & oriatur, multa eſſe quæ iram concitent, & in his varietatibus moderandis, aut non moderandis, verſari & medium, & extrema.

ὁ μὲ ἐν ἐφ' οἷς.] Medium prius explicat, poſterius extrema; & quidē medium eſſe docet à laude. Nam laudari vulgo, qui, quibus de cauſis, quatenus, quibus hominibus, &c. prout recta præſcribit ratio, iraſcatur. Atq; hæc medij eſſe propria, hæc inquam rectæ rationis attributa, ex omnibus virtutibus, perſpicuum eſt. Formula:

Vbi laus, ibi & medium.
Hic laudatur, qui, quibus, &c. oporteat iraſcatur.
Ergo in ira eſt medium.

Et quidem hoc medium ait dici non incommode poſſe πρᾶον, tum, quia vulgo πρᾳότης laudari ſolet: tum quia πρᾶος is eſt, qui non temere ira perturbetur, ſed ſedato ſit animo, & rationi pareat.

ἁμαρτάνειν δὲ δοκεῖ.] Reddit rationem, cur non ſatis proprie medius iſte dicatur πρᾶος, quia non ſit τιμωρητικὸς, id eſt, ad vindicandum facilis, ſed potius συγγνωμονικὸς ad ignoſcendum, cum tamen medio vtrumq; adſit oportet, nempe, vt iraſcatur & puniat, & contra, vt non iraſcatur & ignoſcat, vt recta ſuadebit ratio.

ἡ δ' ἔλλειψις.] Quod parum, iam explicat, quod quidē eſſe ſeu reperiri oſtendit hac ratione, quia vituperari ſoleat, qui nunquam iraſcatur. Cur autem vituperetur hæc lentitudo, duas affert rationes, cum quia pro ſtultis habeantur, qui ita ſint ignaui, vt nullam rem ægre ferant, nulli iraſcantur, eoſq; inſulſos vocare ſolemus, & in quibus ne mica ſit ſalis: tum, quia ſeruili videantur Ingenio, vtpote ita timidi, vt neq; ſuam, neq; ſuorum iniuriam etiam apertam vlciſci ſtudeant vel auſint.

βούλεται γὰρ ὁ πρᾶος.] βούλεται, id eſt, eo eſt ingenio & natura. De qua huius verbi notione, *initio lib. 3.* eſt explicatum.

ἀνδραποδῶδες.] Diximus ſtultos videri & mancipia potius, quam ingenuos, qui ἀοργησίᾳ laborent. Quare *lib. 3. Eudem.*

cap. 3. Ariſtoteles hos ſemper vocat *ἀνδραποδώδεις*, & interdum *ἀνοήτους*.

ἡ δὲ ὑπερβολή.] Nunc de nimio, & quidem accuratius, quam de cæteris, quod vt prouulgatius & communius malum, diligentiore opus habeat pertractatione, vtpote & multiplex ob hanc frequentiam, & primum quidem generaliter, iracundum eſſe ait, in quem omnia illa attributa concurrant, nempe iraſci, quemadmodum, quibus de cauſis, quibus hominibus, quatenus non oporteat, celerius interdum diutius æquo, quæ tamen omnia in vnum eundemq; hominem cadere poſſe negat, propterea quod hoc malum tam multiplex & cumulatum, ſi in vnum concurreret, & ſeipſum interimeret, & foret intollerabile: Interimeret quidem, quia illum ipſum, in quo ineſſet, interimeret. Nam in quo hæc ſunt omnia, neq; ſecum, neq; cum aliis agere aut viuere poſſet: at ſublato ſubiecto tollitur & accidens. Itaque pars duntaxat huius mali in aliquem cadit. poteſt & alia adferri ratio. quod huius mali genera quædam inter ſe ſint contraria, vt cito iraſci ac deſinere, qua de re *infra.* At notum eſt in eundem contraria concurrere ſeu cadere non poſſe eodem tempore: Intollerabile autem ſit malum, cumulatum & vniuerſum, quia in perpetuis futurus ſit moleſtiis & doloribus, ſeu in furore potius. Nam & hæc quædam eſt iracundiæ ſpecies, furenter iraſci.

οἱ μὲν οὖν ὀργίλοι.] Iam ſpecies ſeu partes nimij explicat, quas hoc loco tres facit, *ἀκροχόλου, πικροῦ* & *χαλεποῦ*. In libello quoq; *de virtutibus & vitiis* tres commemorat *ὀργιλότητος* partes, *ἀκροχολίαν, πικρίαν* & *βαρυθυμίαν*. Sic enim ibi legendum ex Stobæo, non *μακροθυμίαν*, vt vulgo: Quod enim hic *χαλεπότητα*, id ibi vocat *βαρυθυμίαν*. Primum igitur genus eſt eorum, qui *ἀκρόχολοι* græce dicuntur, ex eo quod ad omnem occaſionem iraſcunt, ſiue quod ſint *ἄκροι*, id eſt, excellant in celeriter iraſcendo Qui & *ὀξύθυμοι* dicuntur, & communi nomine *ὀργίλοι*, vt hoc loco quorum hæc ſunt propria, ob quoduis dictum aut factum, etiam ob leuiſſimam contemptionem iraſci, vt ait Ariſtoteles *in libro de virtutibus*, celeriter quidem iraſci, ſed & cito deſinere. Cuius rei hæc adfertur hic ratio, quod iram non continent, ſed partim effundunt, non cælant, ſed prodrunt animum, excellunt, vt dixi celeritate, & proinde valde ſunt mutabiles ſeu mobiles, vt ait Ariſtoteles *eo libro*, quod quidem in his optimum eſſe hoc loco ait Ariſtoteles,

Digitized by Google

teles, & certe optimi quiq; fere hac ſpecie laborant, vt ad iraſcendum ſint faciles, ſed rurſus placabiles, vt Horatius de ſeipſo:

Iraſci facilis tamen vt placabilis eſſem.

Cicero *libro primo ad Atticum Epiſt. 16.* nam ſi ita ſtatueris & irritabiles animos eſſe optimorum ſæpe hominum, & eoſdem placabiles, & eſſe hanc agilitatem, vt ita dicam, mollitiamque naturæ plerumque bonitatem. De hac quoque parte accipi poteſt veteris Philoſophi dictum, ὀργὴν eſſe μανίαν ὀλιγοχρόνιον.

Ira furor breuis eſt. Horatius.

Alterum genus eſt eorum, qui πικροὶ dicuntur, latine acerbi aut amari, contrario fere ingenio atq; priores; nam hi ægre deſinunt iraſci: nam iram continent, non effundunt, vt priores, ſed tum demum deſinunt, cum velut effuſa aut reddita ira, nempe vindictam cõſecuti, gaudent & acquieſcunt. Nam vindicta pro dolore accepto, voluptatem illis adfert, & iram aufert; dum laborant, velut onere quodam premuntur. Id quod his accidit, quia cum ſint tectæ, & reconditæ naturæ, neq; aliis iram ſuam aperiant, fit vt aliorum ſuaſionibus aut conſiliis leuari aut minui ira non poſſit. Quare & ſibi & amiciſſimis valde ſunt moleſti. Diu autem iraſcuntur, quia cum premant ipſi iram, neque alijs eam aperiant, vt per ſe concoquatur, longo opus eſt tempore.

ἐν αὑτῷ δεῖ πέψαι.] Elegans eſt metaphora, πέπτειν τὴν ὀργὴν ſeu χολήν. Sic Homerus *prim. Iliad.* ἤέ περ γὰρ δεῖ χόλον.

χαλεποὺς δὲ λέγομεν.] Tertium eſt genus eorum, qui χαλεποὶ dicuntur, qui & ἄγριοι ab Ariſtotele *in Eudemiis libro tertio, capite tertio*, dicuntur, latine ab alijs dicuntur ſæui. & aſperi, ab aliis atroces, ab aliis infeſti & difficiles. Diximus & modo, græcè eos quoq; dici βαρυθύμους. Sunt hi omnium teterrimi, & ex duobus prioribus concreti. Nam vt priores, etiam leuiſſimis de cauſis concitantur, & vt ſecundi, diutius iram continent: neq; vlla ratione placari poſſunt, quam vindicta, & ſunt in conuictu odioſiſſimi, vt paulo infra commemorat Ariſtoteles. Hoc amplius, vt priores, etiam aperte iras gerunt teſte Schol. Græco, qui hac re potiſſimũ eos à ſecundis

diſcrepare ait, & hac quoque quod magis ſint vindictæ cupidi.

αὐδὲ τιμωρίας.] Scholiaſtes Græcus legit καὶ κολάσεως, & pro eodem ſeu ἐκ παραλλήλου hæc dúo poſita eſſe ait: monet tamen in quibuſdam libris ſcriptum reperiri ἢ κολάσεως, quo modo libri vulgati hodie fere habent, & affert inter hæc duo differentiam. Nam τιμωρίαν eſſe vindictam æquabilem; κόλασιν vero eſſe maiorem iniuria accepta. Verum cum hæc differentia falſa mihi eſſe videtur, tum ea non eſt opus: nam ἢ, vel ſæpe non eſt diſiunctiuum, ſed ἐξηγητικὸν, vt eleganter monuit Laertius *in Pandectis*. Itaq; retinendum eſt ἢ: nam & ita habent omnes libri etiam ſcripti, & vetus tralatio.

τῇ πρᾳότητι δ.] Comparat iam tandem affectiones inter ſe, & quidem vſitata illa comparatione, vtrum extremorum medio magis ſit contrarium. Ait igitur nimium ſeu iracundiam lenitati magis aduerſari, iiſdem rationibus, quibus hac in re ſemper vti ſolet. Primum, quia Iracundiæ malum ſit vſitatius & frequentius, in quo ſæpius peccent homines, quam in lentitudine. Nam ad vlciſcendum plus æquo homines natura magis eſſe propenſos, ſeu, vt loquitur Ariſtoteles, vlciſci & pœnam repetere, magis eſſe humanum. Id enim puto valere ἀνθρωπικώτερον γὰρ, vt & *ſupra lib. 3. cap. 11.* οὐ γὰρ ἔστιν ἀνθρωπική, &c. non vero vt Petrus Victorius hunc locum accepit *in lib. 1. Rhet. Ariſtotelis*, vbi de æquo bono, & hic quoq; reddidit Lambinus, quaſi dicat Ariſtoteles, vſitatius eſt hominibus, & frequentius in eo peccant. Nam puto his verbis priorum contineri rationem, vt iam explicauimus. At ex eorum ſententia non tam ratio, quam idem pene iteraretur. Altera ratio, quia iracundiæ grauius eſt & tetrius malum, quam lentitudinis. Nam cum lento viui poteſt, cum iracundis maxime ſæuioribus illis ſeu χαλεποῖς vix, aut ne vix quidem, inquit Ariſtoteles hoc loco, poteſt, & modo eſt explicatum.

ὃ δὲ καὶ ἐν τοῖς.] Adferre hæc videtur Ariſtoteles ad ſui excuſationem, cur quæ harum affectionum, maxime mediæ ſint notæ & proprietates, ſubtilius non explicarit, ſed generatim tantum attulerit, lenitatem eſſe mediocritatem, quæ iubeat, quemadmodum, quibus de cauſis, &c. iraſcendum ſit, quibus non ſit. Hoc igitur excuſat, difficile namque eſſe omnia ſingulatim & ſubtilius exponere, quas ob res, quibus hominibus, & quamdiu, quatenus, quomodo denique ſit ira-

Google

iraſcendum, vel non. Difficultatis affert ſignum ſeu argumentum & rationem: argumento namque eſſe ait, quod interdum eos qui modum deſerant, & quaſi lentos, vocare vulgo ſoleamus πρᾴους, lenes & manſuetos: contra vero iracundos & ſtomachantes item laudamus, vt viriles & fortes, & ad imperandum idoneos. Nam imperantibus ad pœnas ſumendas vtilis videtur eſſe ſtomachus & ira, vt *in Politic.* docet Plato. Quod quidem hac fit ratione, quia qui paulum à medio deflectant, ſiue ad nimium, ſiue ad parum, reprehendi temere non ſoleant. Ratio autem difficultatis ἐν γὰρ τοῖς καθ' ἕκαστα, eſt, quia hæc varia cum virtutum aliarum, tum huius & extremorum quoque attributa, verſantur in rebus ſingulis; & proinde non tam præceptis, & regulis communibus comprehendi, quam ſenſu & vſu quotidiano, diiudicari debent, vt *ſupra* aliquoties eſt explicatum maxime *libro ſecundo initio*, vbi dictum generatim, hæc politica ob ſingularum rerum varietatem eſſe explicanda, non ſubtiliter.

ἀλλὰ τό γε τοιοῦτον.] Quaſi diceret etſi ſingulatim ea attributa exponere eſt difficilius & obſcurius: illud tamen, inquit, perſpicuum eſt, ex affectionibus iſtis mediam eſſe laudabilem, qua verus iraſcendi modus contineatur: extremas eſſe reprehendendas, adhibita tamen diſtinctione, vt ſi perpaulum à medio deflectant, leuiter ſint reprehendendæ, imo vix reprehenſionem mereantur, vt modo dictum eſt, & explicatum, *ſupra libro ſecundo in fine.* Si longius, grauius, ſi longiſſime, grauiſſime. Ex his tandem & hoc efficitur, ſolam hanc mediam affectionem, refutatis extremis, amplectendam eſſe.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Ἐν δὲ ταῖς ὁμιλίαις.] Tres deinceps tribus capitibus explicat virtutes, quarum vſus, quia conſuetudine quotidiana, & in conuictu, tam in dictis quam in factis cernitur, vno communi vocabulo eleganter à Scholiaſte Græco ὁμιλητικαὶ dicuntur. Nam in hac re tanquam in materia omnes communicant & conſentiunt, vt & *ſupra libro ſecundo capite ſeptimo*, dictum eſt. Qua in re autem diſcrepent inter ſe, expli-

explicabitur *infra capite extremo octauo.* Nunc de ſingulis, & quidem hoc capite, item eam explicat, quæ proprio quidẽ vacat nomine, aſcito tamen & aduentitio non incommode dici poſſit amicitia. Et primum quidẽ de materia: deinde de vſu & factis, ſeu natura & indole. Ergo materiam huius virtutis & extremorum eſſe communionem dictorum & factorum vitæ quotidianæ, non tam docet, quam vt perſpicuum ponit Ariſtoteles. Quanquam ex ijs, quæ adiungit, οἱ μὲν ἄρεσκοι, &c. id quoque pateſcit. Nam tametſi ijs verbis hoc potiſſimum agit, vt oſtendat in hac materia eſſe & reperiri medium quoddam & extrema, quorum illud ſit laudabile, hoc reprehendendum: tamen & hoc adſignificat, quibus in rebus tanquam in materia tres iſtæ affectiones verſentur. Nimirum eſſe communionem dictorum & factorum vitæ, qua parte in ijs aut voluptas, aut moleſtia ſpectetur; ſiue breuius, voluptatem & moleſtiam ſermonum & factorum vitæ, eorumque grauium, non iocularium. Cum enim tres ſint affectiones ὁμιλητικῆς, quarum conuictus ſeu dicta & facta vitæ communis ſit materia: à reliquis duabus hæc disiungitur his duabus clauſulis, voluptate & moleſtia. Deinde eorumq; grauium non iocularium, vt & *infra* monet Ariſtoteles, ἔοικε μὲν εἶ, &c. & *cap. 8. in fin.* vt ex ijs, quæ ſequentur, planius intelligetur.

οἱ μὲν ἄρεσκοι.] Summatim igitur primum deſcribit extrema & medium: prius quidem illa vt notiora, vtpote nomẽ habentia, quo vacat medium. Sunt igitur in congreſſu nonnulli, qui omnia ad voluptatem aliorum loquantur & agant, laudent & probent omnia, nulla in re aduerſantes, quique ita ſe gerere opinentur, vt voluptatem omnibus, moleſtiam nemini adferant, in neminem dicto aut facto offendant. Contra reperiuntur alij, contrarijs plane moribus, qui nulla ad voluptatem loquantur, omnia aliorum dicta aut facta improbent aut vellicent, ægre omnia ferentes, quique nulli placere ſtudeant, omnibus aduerſi. Et illi quidem ἄρεσκοι blandi, hi δύσκολοι & δυσέριδες difficiles, moroſi, & duri dicuntur. Quos quidem habitus non laude, ſed reprehenſione dignos eſſe perſpicuum eſt, inquit Ariſtoteles; Moroſi certe iſti ab omnibus odio haberi & vituperari ſolent: blandi quoque illi, quia non tam rectum, quam quod alijs ſit iucundum ſpectent: mendoſi quoque ſunt, paulum profecto ab aſſentatoribus diſcrepan-

crepantes. Quare & hoc obſcurum non erit eam affectionem, quæ inter illa duo velut media ſit intenecta, eſſe & mediam & proinde laudabilem: hac enim præditus, ea, quæ & quemadmodum probare aut laudare oporteat, quæ non, probat & improbat. Quæ quidem affectio, etſi *ſupra libro ſecundo, & in Eudemiis libro tertio, & in Magn. libro primo*, appellatur amicitia: accuratius tamen hoc loco oſtendit, vacare nomine. Nam eſſe quidem huic cum amicitia ſimilitudinem, non tamen omnimodam. Nam ſimiles quidem, quod vt hac affectione præditus, ita & verus ſeu bonus amicus (id enim valet ἐπιεικῆ φίλον, non vt alij commodum & bonum) cum ſtudio tamen ſeu στοργῇ probat, quæ probanda; & improbat contraria: Diſſimiles tamen, quia amicitia eſt cum στοργῇ ſeu ſtudio & adiunctione animi & amore aduerſus eum, cuius facta probat aut improbat; hac autem præditus affectione, eſt abſque eo animi motu, ſeu abſque στοργῇ: nam non quo amet, ſed quia hoc habitu eſt præditus, ita ſe gerit. Quare non ſolum aduerſus amicos, ſed exteros quoq; & ignotos ita ſe geret. Amicitiam autem eſſe πάθος ſeu cum perturbatione *infra libro octauo*, explicabitur. Hanc autem affectionem eſſe habitum, non vero πάθος, cum ex eo eſt perſpicuum, quod tam aduerſus ignotos, quam notos eius eſt vſus: tum quia eſt virtus; quas conſtat eſſe habitus; non perturbationes *ſupra libro ſecundo, capite quarto*, & hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, τὸ τοιοῦτος εἶναι, &c. qui ita ſit affectus, ea affectione ſeu habitu præditus. Hac enim particula habitum ſignificare ſolet Ariſtoteles vt & *capite proximo*, ὅτι ἕξιν τοιοῦτος. Cæterum valde repugnat huic loco, quod Ariſtoteles *libro tertio Eudem. capite nono, in fine*, nominatim ait, hanc affectionem & duas proximas non eſſe virtutes, ſed potius procliuitates quaſdam, & proinde non eſſe habitus. Sed hac de re *infra cap. 8.* latius

πλὴν ἢ ἐν ἑκάστοις] Eſt quædam anthypophora; ne quis enim putet paſſim & abſq; diſcrimine omni huius affectionis vſum eſſe, quod videbatur ex prioribus, adiungit hanc veluti exceptionem: hac affectione præditum, tamen decori rationem habiturum, & quid cui debeatur perpenſurum: neque enim peræque de ignoto ſolliciti eſſe debemus, atq; de noto & familiari, neq; peræque in magiſtratum offendere, quam in priuatum, vt mox latius.

καθόλου μὲν οὖν εἴρηται.] Explicatum iam eſt ſummatim, quid ſit media hic affectio, quid extrema, qua ex re perſpicuũ eſt, & quibus in rebus ea verſentur, & eſſe & extrema, & medium, hoc quidem laudabile, illa non item: hoc vacare nomine, illa ſuum habere nomen. Deinde quæ huius mediæ affectionis cum amicitia ſit affinitas, quæ non.

ἀναφέρων δὲ πρὸς.] Iam explicat diligentius naturam harum affectionum, primum de media, poſterius de extremis. In media autem hæc duo capita notanda ſunt, primum, vt in voluptate & moleſtia congreſſionum ſe gerat vt oportet: deinde vt decori & officij rationem habeat: De priore, comitatis hanc eſſe vim & ingenium, vt potiſſimum ſtudeat placere, non offendere, id eſt, per ſe voluptatem ſequitur, ex euentu ſeu per conſequentias, per accidens moleſtiam. Qua ex re perſpicitur, blando cum comi magnam eſſe affinitatem, & alterum extremum, nempe moroſum, à medio longiſſime diſcrepare. Placere igitur maxime ſtudebit comis, ſed tamen & offendet, nempe cum videbit, vel ſibi eſſe turpe probare omnia, vel ipſi, quo cum agit, aut turpia, aut etiam moleſtiam poſterius allatura. Nam cum honeſti cauſa agat comis, & vtilitatis quoq; rationem habeat parem, vt ſi quid in præſentia turpitudinem contineat aut damnum, tam ſibi quam illi, quo cum agit, vel etiam poſterius turpitudinem, damnum aliquod & dolorem ea ſint allatura, vt inquam ea improbet, & leuiter potius ei, quo cum agit, aduerſetur & offendat, quam ſi vel turpitudinem & damnum, in omnibus illi morem gerendo vel ſibi aut illi adferat. Hunc igitur in modum, in offenſionibus & moleſtia afferenda, temperabit & geret ſe comis, alioqui ſemper placere ſtudebit. De poſteriore, rationem eum quoq; habere debere eorum, quibus cum agit. Neq; enim tam leuiter in magiſtratum quam in priuatum offendere debere: plus eſſe ſollicitus debet in cauſa amici quam ignoti, obſeruare demq; gradus illos ſocietatis humanæ debet, coniugum, liberorum, fratrum, conſobrinorum, & ſobrinorum, affinium, amicorum & ciuium, de quibus egregie Cic. *libr. 1. offic. Gradus autem plures ſunt, &c.* Et hæc quidem ſunt officia mediæ affectionis. Extremorum alter eſt *ἄρεσκος*, qui quidẽ eſt duorum generum, nam ſi nullius lucri cauſa omnibus placere ſtudet, proprie *ἄρεσκος* dicitur; ſi lucri cauſa, aſſentator. *ἄρεσκον* vere deſcripſit Terentius *in Andria, in initio.*

Sic vita erat, facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat, &c.

& *in Adelphis* de Mitione:

Clemens, placidus, nulli lædere os,
Arridere omnibus.

Alter extremus iam ſupra eſt explicatus, qualis apud Terentium deſcribitur Demea *in Adelph.*

Ego, inquit, ipſe, ille agreſtis, ſæuus,
Triſtis, parcus, truculentus, tenax, &c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Περὶ τὰ αὐτὰ δὲ σχεδὸν.] Conuictus virtutum alterum cum ſuis extremis hoc capite explicat, eadem via & ordine; primum ſummatim: deinde accuratius: primum de materia: deinde de factis.

περὶ τὰ αὐτὰ δὲ.] Hic de materia, & quidem eandem eſſe fere vtriuſque, tam huius, quam prioris materiam, conuictum ſeu ὁμιλίαν fere, inquam, & σχεδὸν, qua particula, inquit Scholiaſtes Græcus, indicat non eſſe prorſus eandem: nam priore iucunditatem, hac veritatem conuictus contineri. Quæ quidem differentia, etſi eſt vera, & paulo infra clarius exprimitur, & extremo capite clariſſime, quod & ſupra initio prioris capitis nos quoque attigimus: tamen haud ſcio, an ea particula ſignificetur, vt qua ſoleat Ariſtoteles (quod & alii) elegantiæ gratia duntaxat fere vti, qua de re *ſupra*.

ἡ τῆς ἀλαζονείας.] Virtus, de qua hoc capite, quia & ipſa nomine vacat, per extremorum alterum, vt notius, Arrogantiam, exprimitur ſeu deſcribitur: *Mediocritas*, inquit, *Arrogantiæ*, &c.

ἀνώνυμος δὲ καὶ αὕτη.] Proprie quidem & hæc virtus nomine vacat, etſi ſumpto & aſcito nomine Veritas quoque dici ſolet, quomodo eam vocat Ariſtotel. *in Eudem. in Magn. & ſupr. lib. 2. cap.* 7. nam eius hæc eſt virtus, qui in communi vita verum ſectatur, vt *infra* latius: alioqui veritas vſitatius ad ſcientias theoreticas, nō politicas & practicas referri ſolet. Omnino autem qui vulgo Græce dicitur αὐθέκαστος, huic medio conuenit: eo namque nomine vocitari ſolet, qui in verbis & factis ſit verax, & omnia, vt reuera ſe habent, gerit & profert, nihil augens

autextenuans; quod & indicat notatio eius verbi, quaſi cur quicquid ἕκαστον profertur, vt eſt ipſum αὐτὸ.

οὐ χεῖρον δὲ καὶ.] Hæc verba non ad hanc tantũ, ſed ad omne conuictus virtutes pertinent, quare & ait τὰς τοιαύτας, id eſt, μεσότητας, & poſtea quaſi de integro ſingulas explicaturus, it orditur, ἐν δὴ τῷ συζῆν. Adfert namque duas rationes, cur de hi tribus affectionibus explicandum ſibi putarit, quæ & ipſæ ra tiones non ſunt harum propriæ, ſed in aliis quoq; virtutib. lo cum habent: prior eſt, quia explicãdis ſingulis nihil prætermit tendo, melius cognoſcuntur ethica, aut ea quæ ad mores: quo quidẽ eſt horum librorum inſtitutum & ſcopus. Altera καὶ μεσότητας, quia virtutes facilius videmus, & aſſentiemur eſſe medio critates, ſi in ſingulis id verum eſſe doceatur, quod quidẽ mo nuit & ſupr. lib. 2. cap. 7. eſſe faciendum, neque iniutia hoc vr get Ariſt. vtpote nouum & ſuum decretum.

ἐν δὴ τῷ συζῆν.] Acturus quaſi de ſingulis, vt dixi, orditur d integro, ἐν δὴ τῷ, &c. verum quia de vna, quæ in iucunditat conuictus cernitur, iam eſt explicatum: hoc tantum monito pergit ad alias. De illa quidem, inquit, iam eſt explicatũ, nun de iis, qui verum aut falſum ſequuntur in dictis, factis, & diſſi mulationibus. Et primum quidem de extremis, vt notioribus poſterius de medio, ſed ſummatim, vt diximus. Ex quibus & hoc perſpicitur, quod ſupr. monui his verbis, non obſcure indi cari differentiam inter hanc & ſuperiorem, hanc in veritate, il lam in iucunditate eſſe poſitam.

δοκεῖ δ᾽ ὁ μὲν.] Ἀλαζὼν igitur ſeu glorioſus, cuius mediocri tas quæritur, is eſſe videtur, qui magna & præclara ſibi tribuit quæ tamen vel nulla habet, vel multo minora aut pauciora Contra ea Iron ſeu diſſimulator is videtur eſſe, qui quæ habe bona aut nouit, ea vel prorſus negat, vel extenuat, & minora ſ habere ait. Inter hos interiectus velut medius (quem diximu vocari αὐθέκαστον) & vita & oratione eſt verax, id eſt, quæ bon habet, aut quæ nouit, ea confitetur ſe habere & ſcire: non vere aut negat & diſſimulat, aut extennat, neque auget, & maior eſſe ſimulat. Atque hæc breuis eſt ea harum affectionum de ſcriptio.

ἐστὶ δὲ τούτων ἕκαστα.] Acceſſurus ad accuratiorem explicatio nem, quia & verum & falſum multifariam dici poteſt, vt con ſtet, qua de re hic agatur, prius id adhibita diſtinctione mo net. Ait igitur, eam eſſe naturam & vim rerum, in quibus ha

affectio

Digitized by Google

affectiones verſantur, quas diximus eſſe verum & falſum, vt etiam quoq; & rei alicuius & nullius cauſa fieri poſſit: Verbi gr. mentiuntur nonnulli aut metu, aut commodi, vel gloriæ cauſa adducti. Sunt alii aliqui, qui non propoſito aliquo præmio aut metu impulſi, ſed quia iis ſint moribus, tam peruerſo habitu, mentiri gaudeant. Sic & verum dicunt nonnulli, pœna compulſi, ſubacti, aut pactis, quibus vt pareant, ipſorum quoque interſit: alii vero nulla alia re, quam quia his ſunt moribus, tam bono præditi habitu, vt verum per ſe ament dicere. Hoc explicato diſcrimine ait Ariſtoteles húc pertinere non eos, qui vel metu, vel alia qua re impulſi, ſed qui ipſo habitu verum gaudeant dicere: nam alios ad alias virtutes pertinere, vt ad iuſtitiam, qui verum & fidem in pactis ſeruant.

ἕκαστος δ' οἷός ἐστι.] Et hoc ad ea, de quibus modo, pertinet: nempe pro habitu, quo quis eſt præditus, eſſe cuiuſque facta & orationem, niſi ſi commodi forte, aut alterius rei cauſa agat: nam verbo οἷος, vt & verbo τοιοῦτος, de quo *ſupra*, habitus ſignificatur.

καθ' αὑτὸ δέ.] Quia iam conſtat, de his agi, qui verum aut falſum propter ſe amant, adiungit: eum, qui verum ſequitur, medium, eſſe laudabilem: mendacium vero qui ſequuntur, extremum vtrunque reprehendendos. Huius rei hæc affertur ratio, quod verum propter ſe ſuaq; natura ſit honeſtum & laudabile; falſum contra prauum & vituperandum. Etſi autem extremi ambo reprehenſionē merentur, magis tamen glorioſum: rationem extremo capite reddemus.

περὶ ἑκατέρου δέ.] Id eſt, tam de verum, quam mendacium dicente; de illo tamen prius: nam hoc loco tandem accuratius explicare has tres affectiones aggreditur, vbi tamen multa, quæ *ſupr.* ſunt explicata, iterat.

οὐ γὰρ περὶ τοῦ.] Diſtinctionis ſupra allatæ vſum hic demum affert, interiectis illis de laude & de ordine. Qua de re, quia *ſupra* explicauimus, id ſolum hic monebimus, hæc verba, ἐν ταῖς ὁμολογίαις, & ὅσα, &c. eodem pertinere, id eſt, eum, qui in pactis, omnibuſque aliis ad iuſtitiam aut iniuriam pertinentibus, verum dicit aut mendacium, huc non pertinere, ſed alio: nam pacta ſeu ὁμολογίαι inprimis ad iuſtitiam pertinent.

δόξειε δ' ἂν ὁ τοιοῦτος.] Et hoc *ſupr*, docuit, mediū ſeu vera-

cem,

cem, virum eſſe bonum & laudabilem: hoc tamen loco alte-
ram adiungere videtur rationem, quæ tamen & ex ſuperior
quoque manat. Supra namque hanc attulit, quia verum per
laudabile ſequitur, falſum vt turpe aſpernatur. Hic vero, nan
cum ſit φιλαλήθης, veri ſtudioſus & amans (ſic & *in Eudem.* di-
citur, vt arrogans φιλοψευδὴς) & verum propter ſe, nullo ve
commodo vel honore adductus amet: certe multo magis id a-
mabit, cum vel commodum vel honos agetur. At hoc eſt vi
probi, cum alterius intererit, eum ſuo teſtimonio non lædere
ſed iuuare. Eſt igitur vir probus verax, cum, quia verum per
amat, tum, quia alios etiam iuuat. Et hoc eſt, quod maxim
in his verbis eſt notandum, veracem tam eſſe veri ſtudioſum
vt non ſolum, vbi interſit, ſed etiam vbi nil interſit, verum di-
cat. Nam videre licet nonnullos, qui in quotidiana vita ſæp
mentiri non vereantur, aut certe mendacium dicere, eo quo
neminem lædant, inquiunt. At hic noſter vero ipſo delectatur
vtpote veri dicendi habitu præditus. Ex habitus actionibus na
ſcitur voluptas, vt *ſupra* eſt explicatum. Hæc igitur ſunt reti-
nenda, vt medii huius propria, eum eſſe veri ſtudioſum, virum
probum & laudabilem, amare verum, etiam vbi nihil interſit
multo autem magis vbi intererit, vt ſi vel Reipublicæ vel ami-
ci vtilitas agetur, aut ſalus. Cur magis? quia duplici hic nomi-
ne peccaretur, & in hanc virtutem & in iuſtitiam, quia alterum
læderet ſuppreſſa veritate.

ἐπὶ τὸ ἔλαττον.] Alia medii nota: Eum, etſi medius dicitur
& quidem inter extrema illa interiectus, tamen ad id, quod pa-
rum, magis deflectere, quod & in aliis virtutibus accidit. Ra-
tio, ἐμμελέστερον γὰρ, quia modeſtius & elegantius videtur, no
omnia ſua licet vere prædicare, ſed leuiter interdum & mode-
ſte ea vel reticere, vel extenuare (quod εἴρωνος eſt proprium
nam omnis glorioſa ſuorum bonorum, etſi vera prædicatio
omne, inquam, nimium moleſtum eſt & odioſum. Ex his ig
tur & hoc elicitur, hunc medium vel ab arrogantia ſibi tempe-
rare debere, neque ſua vel oſtentare aut prædicare bona.

ὁ δὲ μείζω τῶν.] Hic de extremis, & prius de nimio, de qu
hoc primum; An arrogans ſit, aut dici debeat improbus. Su-
pra enim oſtendimus, quædam extrema vix eſſe vitia, vt pro
fuſionem, ſed leuia certe aut menda potius. De glorioſo igitu
ita diſtinguit: ſi nullius rei cauſa, improbum non eſſe; ſtolidu
namque potius & miles glorioſus, quam malus eſſe videtur, v

qu

Digitized by Google

qui neminem lædat: Eſſe tamen & mendoſum, neque omnis vitii expertem: nam alioqui mendacio, licet inani & nemini damnoſo non delectaretur. Sin alicuius rei cauſa, hic diſtinguendum rurſus: nam aut gloriæ & honoris, quales vere ſunt omnes glorioſi, & ne hunc quidem improbum eſſe, aut valde reprehendendum, vt qui & ipſe nemini noceat; aut quæſtus & pecuniæ cauſa, & hũc cæteris eſſe vitioſiorẽ & turpiorẽ, magiſque reprehendẽdum. Ex quibus perſpicuum eſt, tria poſſe conſtitui arrogantiæ genera: vnum, nullius rei cauſa: alterum gloriæ: tertium quæſtus cauſa: ex quibus poſtremum maxime ſit reprehendendum: medium proprie ſit glorioſi: etſi Græcus Scholiaſtes primum genus glorioſi eſſe dicit proprium, ſed huic repugnat ipſa Latini verbi vis & notatio, & hæc apud Ariſtotelem ὡς ὁ ἀλαζών.

οὐκ ἐν τῇ δυνάμει.} Hæc in Platonem dici mihi videntur, qui in Hippia maiore diſſerit, mendacem & verum eundem eſſe, quod & mendax verum dicere, & verus mendacium dicere poſſit. Atqui hoc falſum eſſe, oſtendit hoc loco Ariſtoteles, falſam eſſe illam concluſionem: nam hæc non ſpectari poteſtate ſeu δυνάμει, ſed potius proæreſi, & conſilio animi & voluntate. Nam, vt *ſupra* iam explicauimus, habitum requirimus, vitioſi ſunt habitus hæc extrema. At qui ex habitu quid agit, idem eſt cum eo, qui proæreſi, alius longe ab eo, qui poteſtate duntaxat, vt *ſupr. lib. 3. cap. 3*. Eandem Platonis concluſionem refellit & *lib. 4. Metaphyſ.* Formula ſit iſta:

Vbi habitus, ibi & proareſis, non δύναμις, vt ſupr. lib. 2. & 3. explicauimus.
At glorioſi eſt habitus.
Ergo & eius eſt proareſis, non δύναμις.

Confirmat exemplo mendacis: nam & hunc ſpectari non poteſtate, ſed voluntate ſeu proæreſi. Quod quidem non tam hoc loco docet Ariſtoteles, quam vt certum ſumit, niſi quis velit eius confirmationem latere in verbo χαίρων, hunc in modum: Mendax gaudet mendacio. Ergo eſt proæreſi. Ergo eſt habitu non facultate. Formula:

Qui delectatur ſeu gaudet actionibus, is habitu præditus eſt, qua de re ſupr. lib. 2.
Atqui mendax delectatur ipſo mendacio per ſe, nullo etiam propoſito præmio.
Ergo mendax eſt habitu, & proinde proareſi.

Et

Et hæc quidem clauſula de mendace propriè eſt in Platonem. Si ergo mendax eſt proæreſi. Ergo & glorioſus: nam cum mendace magnam affinitatem habet glorioſus. Imo glorioſus omnis eſt mendax, non contra, quod hoc loco ſignificat Ariſtoteles, mendacem eſſe proprie, qui per ſe falſum amet & dicat: glorioſum vero proprie, qui mentiatur nõ propter ſe, ſed vel gloria, vel quæſtus cauſa. Ex quo verum quoq; eſſe perſpicitur, quod modo diximus contra Scholiaſt. Græcum, non tam eſſe proprie glorioſum, qui propter ſe mendacium amet, quam qui propter aliũ, & maxime propter gloriã & ventũ ſeu fumum.

οἱ μὲ ἕνεκα δόξης.] Diximus modo, glorioſum cerni potiſs. duab. in rebus, in gloria & quæſtu, atq; ita arrogantiæ potiſs. duo eſſe genera, q̃ quidẽ h.l. iam accuratius explicat, quib. in reb. repe-riantur & hominib. Et primũ quidẽ gloriæ arrogantiã eſſe eorum, qui eas res ſibi arrogent, ob quas homines laudari vulgo aut beati prædicari ſolẽt: qualia ſunt bona corporis & fortunæ; pulchritudo, vires, nobilitas, diuitiæ, opes, & dignitates. Quæſtus autẽ arrogantia expetuntur ſeu arrogantur ea, quorũ hominib. neceſſario ſit vſus ſeu ἀπόλαυσις, quibus carere nequeãt, & quæ ea ſint natura, vt facile quis cælare ſuã inopiã aut imperitiam poſſit, facile quis latere, vt ne deprehendatur, nõ habere ea, quæ ſibi arroget; qualia fere ſunt bona animi, quæ vulgo vſum afferunt, vt diſciplinæ & ſcientiæ. Huius generis tres affert Ariſt. Diuinos, medicos, & ſapientes: propterea quod illa duo τὰ εἰρημένα, id eſt, vtilitas ſeu vſus & occultatio in his duob. inſint, vtiles hos eſſe, aut certe vulgo eorum magnũ eſſe vſum ſeu ἀπόλαυσιν, notum eſt. Latere autẽ ſeu occultari poſſe ignorantiam, & hoc perſpicuum eſt: multos namque videre licet, qui cum ſint imperitiſſimi, eas tamen artes ſibi vendicent, ſibi attribuant. Et ſane ſapienter hos tres commemorat Ariſt. quod olim quamplurimi id genus oſtentatores reperirentur, maxime pecuniæ faciendæ cauſa. De diuinis extat elegantiſſimum carmen Ennii apud Cic. *lib. 1. de Diuinat. Non vicanos haruſpices, non de circo Aſtrologos, &c. ſed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli, aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat, &c. quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt.* Sophocles quoque *in Antigone*, τὸ μαντικὸν φιλάργυρον πᾶν γένος. De Pharmacopolis multa extant teſtimonia. Videatur elegans locus *in Cluentiana* Cicer. de ſapientibus, quo nomine videtur intelligere Sophiſtas. Plurima extant apud Platonem,

Digitized by Google

tonem, qui duobus his Epithetis Sophiſtarum genus ornare ſolet, arrogantiæ, & auaritiæ, vel diuitiæ.

οἱ δ' εἴρωνες] Hic de eo, quod parum, id eſt, de diſſimulatoribus, de quibus hoc primum, eos haberi vulgo & videri humaniores, χαριέστερους, elegantioribus & politioribus moribus, vtpote qui non quæſtus cauſa, ſed modeſtiæ potius & oſtentationis fugiendæ, ſua extenuare iudicantur.

μάλιστα δὲ καὶ οὗτοι] Hic diſſimulatorum genera commemorat; vnum eorum eſſe, qui res magnas & glorioſas diſſimulent, vt magnas diuitias aut eruditionem: quo in genere Socratis Ironiam (de qua Plato) & reponit Ariſtoteles, qualis fuit & Aphricani Maioris Ironia. De qua Cicero *libro 4. Academ.* Quas autem res hic vocat ἔνδοξα, eaſdem *infr.* vocat τὰ μὴ λίαν ἐμποδὼν, id eſt, non omnibus obuias & notas, ſed magnas & raras. Et hos quidem propriè Irones ſeu diſſimulatores dici ſignificat, & ex his, qui hac arte & modo faciant, vt Socrates, humanos & elegantes haberi. Alterum genus eſt eorum, qui etiam res paruas, plebeias, vulgares, vt plebeiam doctrinam, aut diuitias exiguas, diſſimulant, quos ait vocati vulgo βαυκοπανούργους, eoſque contemni & rideri: quod quidem verbum Græcus Scholiaſtes deducit à βαυκὸν, quod idem valet, quod τρυφερὸς, ſeu μαλακὸς, valet quoque idem quod σεμνὸς, grauis, teſte Clitarcho Gloſſographo, atque ita βαυκοπανοῦργον, (quod ab Interpretibus Latinè reddi non debuit) eſſe eundem, quem σεμνοπανοῦργον, id eſt, qui grauitatem aſtute venetur, etiam in re leuiſſima. Huius generis exemplum affert à Lacedæmoniis; hoc tamen ante ſapienter monet, hoc genus Ironiæ interdum degenerare in ἀλαζονείαν, nempe cum nimis affectate ſe extenuat & ſua. Nam vt in præſtanti re excellere, ita & in infima re modum omnino ſuperate, nimium quiddã videtur, & proinde ἀλαζονικὸν, vtpote cuius proprium eſt nimium. Cuius generis erat veſtis Laconum viliſſima, qui tamen ea ſuperbiebant, de quibus Xenoph. *in lib. de Repub. Lacedæm.* In iis extat & apophthegma Diogenis apud Plutar. & multa dicteria veterum Comicorum, vt Platonis *in Legatis*, cuius verba hic adducit Scholiaſtes. Simili morbo laborabat ipſe Diogenes, de quo Ælianus *lib. 3.* Eodem pertinet hæc Hieronymi ſententia: *Sordida veſtes candidæ mentis indicia ſint, mundi contemptum probat vilior tunica, ſed ita ne tumeat animus, ne habitus & ſermo differant.*

αὐτ-

αὐτηκεῖας δ' ὁ ἀλαζών.] Comparatio extremorum cum me-dio, qua docet arrogantiam modeſtiæ magis aduerſari, qua Ironiam, ex duabus vſitatis hac in re rationibus affert vnam quod arrogantia diſſimulatione ſit peior: nam plærunque i iuſtitiam ſibi coniunctam habet arrogantia, plus æquo ſibi t buens. Præterea arrogans omnibus moleſtus & odioſus e ſolet, Iron potius humanus habetur, & iam dictum *ſupra* e modeſtum quodammodo deflectere ad Irona, cum quis, alium vel iuuet vel largiatur, bona ſua aut diuitias diſſim let. Quod & indicat Horatius in Epiſtola ad Claudium N ronem:

Sed timui mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus vni.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

οὔσης δὲ καὶ ἀναπαύσεως.] De tertia conuictus virtute, vrban tate, eiuſque extremis; de quorum materia primum: dein de vi propria & natura ſeu factis; leuiter quidem prius, accur tius poſtea differit.

οὔσης δὲ &c.] Explicat de materia, eam eſſe huius virtutis, i cum & ludum in congreſſu. Docet autem primum, eſſe mat riam: deinde in ea reperiri mediocritatem & extrema. E quidem, quia ea vitæ humanæ ſit conditio, vt quiete & relax tione opus habeat, quo in genere eſt ludus & iocus, ſeu παιδ Fit enim quietis cauſa, vt ait Ariſtot. *lib. 8. Politic. cap. 3.* nam Poeta inquit:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Eadem ratione vſus & Cic. eſt *lib. 1. Offic.* hac ipſa de re act rus: *Ludo autem & ioco, vti illo quidem licet, ſed ſicut ſomno quietibus cæteris.*

δοκεῖ &c ἐνταῦθα.] Hic iam docet huius materiæ mediocrit tem reperiri, nempe qua modus & ratio teneatur, quæ, quem admodum loqui & audire deceat, & apud quos. Nam & mu tum intereſt, inter quos quid loquare, aut à quibus audias: m ior eſt libertas inter familiares, quam ignotos; facilius fer ſcomma magni viri, quam leuis aut nugatoris: habenda den que eſt ratio perſonarum cum in loquendo, tum in audiend

Q

Quæ cum ita ſint, efficitur in ioco mediocritatem reperiri. Formula:

Vbi ea reperiuntur attributa, quæ, quemadmodum, apud quos, &c: ibi & mediocritas ſeu virtus.
Atqui in ioco oſtendimus ea reperiri attributa.
Ergo in eo eſt & mediocritas.

Extrema autem in eodem eſſe, apparet cum ex eadem formula, tum perſpicuum eſſe, nominatim hic adiungit Ariſtoteles, δῆλον δὲ, &c. maxime, inquam, elucere extrema, vel quia plæraque alia extrema magis in oculos incurrunt, vel quia iocus res eſt in vita vſitatiſſima, & ſcommata frequentiſſima.

οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ.] Hic iam breuiter explicat extrema & medium; vna aut altera horum proprietate allata, & maxime declaratis vocabulis. De nimio quidem; eſſe & dici eos βωμολόχους καὶ φορτικοὺς (qua de re mox) quorum hæ ſint notæ, vt omni in re riſum captent, plus ſtudeant ridicula dicere, quam honeſta aut decentia, non laborant, ne alium offendant, modo ridiculum proferant. Cur autem Græcis dicantur Scurræ βωμολόχοι, varia redditur ratio. Scholiaſtes Græcus βωμολόχους proprie ait eſſe aues, quæ cibi auidiſſimæ ſoleant etiam λοχᾶν τοῖς βωμοῖς, id eſt, inſidiari aris, captantes, ſi quid ex hoſtiis in iis reliquiarum remanſerit, vt hoc abligurant, & hinc dictos & Scurras hoc nomine, quaſi vt aues illæ vndique cibum, ita & Scurræ vndique captent riſum. Ex Suida hanc verbi rationem & originem elicio: βωμολόχους proprie eſſe, qui, dum victimæ immolantur, iis aſtant emendicantes particulam, vt dolo captantes, qui, quia de plebe & viles fere fuerint, hinc factum, vt omnes viliores & nullius rei homines dicantur βωμολόχοι, qui rurſus mendici hoſtiarum, quia blandis verbis, & riſum ſacrificanti mouentibus vterentur, vt facilius quid impetrarent. Hinc factum, vt quicunque ridiculis vterentur, id eſt, Scurræ dicerentur βωμολόχοι, & Cælius *lib. 10. cap. 6.* Dicuntur & φορτικοί, id eſt, vt puto, odioſi & inepti, moleſtique ἀπεχθεῖς, qua de re & *ſupra lib. 2. in fin.* De eo quod parum, eos eſſe, qui cum nihil ipſi afferant ridiculi, tum alios iocantes moleſte ferant, quos quidem vocari agreſtes & duros. de quibus & *ſupra*. Eleganter autem & feſtiue iocantes (quod medium eſſe perſpicuum eſt) appellari ait εὐτραπέλους, quaſi εὐτρόπους παρὰ τὸ εὖ, facile, & τρέπειν, flectere aut mouere, quaſi flexibiles Latine dicas. Cuius notationis affert rationem Ariſtoteles, apte, inquam, &

X efficа-

efficaciter, vrbanos græce dici εὐτραπέλους, dici, inquam, a m
tu, quod in morib. ſint eiuſmodi motus & flexiones, vt hic c
leriter ad feſtiuitatem moueatur, alius non item. Vt autem
motibus ſpectantur ſeu iudicantur corpora, morboſa ſint,
ſana, apta an contra, firma an imbecilla: ita & ex inferiorib
animi motibus, mores quoq; diiudicantur, vt hic ad ſales c
citetur facile, ille non item. Formula ſit iſta, cur, inquam, fac
ti recte à motu dicantur εὐτράπελοι:

In aliis omnibus ex motu ſpectantur mores, quod conf
mauit exemplo à motu corporum.

Ergo & in ioco mores ſpectandi ſunt à motu, & pr
inde recte hæc in ioco affectio à motu nomen h
bet.

ἐπιπολάζοντος δ.] Etiam nunc agit de verbo εὐτραπέλ
Scurras interdum quoque dici εὐτραπέλους, à medio transfe
ad extremum, quod & vno verbo monet *in Eudemiis libro*
capite ſeptimo in medio. Et ſæpe hoc verbo in malam partem v
ſolent, vt Apoſtolus Paulus *Epheſ. capite quinto*, iubet abſt
nere ab εὐτραπελίᾳ, id eſt, ſcurrili dicacitate. Cuius transl
tionis rationem adiungit Ariſtoteles multis verbis commu
nem, quod ex frequenti iocorum & dicacitatis vſu in odiu
ea venerit, atque ita verbum per ſe honeſtum male audire, &
malam verti partem, vt & Sophiſtę vocabulum *hoſtis* apud C
ceronem, id eſt, peregrinus.

τῇ μέσῃ δ' ἕξει.] Accuratius hoc loco de his affectionibu
& primum de mediocritate, ei propriam eſſe ἐπιδεξιότητα, de
teritatem: imo & ipſa dexteritas quoque appellari ſolet. Q
de re *ſupr. lib. 1.* oſtendimus:

Si dexter eſt vrbanus.

Ergo ſcienter vtitur hominibus & perſonis, locis & tem
poribus in iocando, ſciet quatenus ſit iocandum, ea d
cet & audiet ioca, quæ liberum deceant.

Nam eſt genus iocandi quoddam liberale & ingenuum: eſt
illiberale & flagitioſum, vt h.l. indicat Ariſt. & explicat copioſ
Cic. *lib. 1. Offic*, Inter quæ magna eſt differentia, quod alterum
ſit elegans, facetum, & viro polito & honeſto dignum: alterum
vero ſcurrile, turpe, flagitioſum, viro bono indignum. Quem
admodum & magna eſt differentia inter iocum eruditi & poli
ti hominis, & iocum indocti: quod cernere, inquit Ariſt. licet e
veteribus & nouis comœdiis, quæ vtræq; ioco quidem gaude
bant

Digitized by Google

bant, & referta eſſe ſolent, ſed illę ſcurrili & flagitioſo aperte, hæ elegantiore & tectiore. Nam licet & res turpes dicere non turpiter, inquit Cicero: quod eſt elegantiſſimum iocandi genus, *lib.2. de Orat.* De hac autem veterum Comœdiarum licentia & turpiloquentia, & Ariſt. *in lib. de Arte Poetica*, & Horatius *in eodem libro*. De diſcrimine autem alio veterum & nouarum Comœdiarum videatur Victorius *libro 9. cap. 20.* Sic & Platonicos olim turpia tecte; Stoicos aperte proferre, narrat Cic. *lib. 9. Epiſt. ad Paetum.*

πότερον ἂν τὸν.] Locus eſt obſcurior. Agit autem & quærit de vera vrbani nota ſeu ὅρω: an propria vrbani hæc ſit nota, quam modo attulimus, dicere quæ liberum deceant; an vero dare operam, ne quem offendat, aut etiam vt voluptatem adferat. Nam ex prioribus conſtat vtrumque, id eſt, & libero digna dicere, & alterum non temere offendere debere vrbanum. Videtur autem velle Ariſtoteles, priorem eius propriam eſſe notam: propterea quod poſterioris negotium ſit infinitum, & proinde artis expers: nam iucundi & moleſti infinita eſt varietas quod aliud alii ſit iucundum aut moleſtum, imo vni eidemque homini; interdum ea res nunc eſt iucunda, nunc moleſta. Quid ergo? Certe in hac poſteriore ita agendum monet Ariſtoteles *libro 3. Eudem. cap. 7.* hunc offenſionis ὅρον ſeu notam obſeruandum eſſe, vt non cuiuslibet ſpectetur offenſio, non quid huic aut illi placeat & diſpliceat, ſed quid vrbano & viro bono, vtpote cuius rectum ſit iudicium, vt *ſupr. lib.3.* probatur.

τοιαῦτα δὲ καὶ ἀκούσει.] Vt hoc intelligatur, ſciendum, duo eſſe vrbanitatis genera (teſte Ariſt. *in Eudem.*) alterum in dicendo, alterum in audiendo & ferendo, actiuum & paſſiuum quis barbare dicet. De priore iam explicatum, etſi & mox quædam; de poſteriore hic. Ait igitur, vrbanum & audire debere talia, id eſt, quæ libero ſint digna, id eſt, neq; nimis fœda, neq; iniurioſa: nam alterum intemperantiæ, alterum ignauiæ eſſet indicium, omnia aliorum in ſe dicta, etiam maledicentiſſima ferre. Id enim ſcurræ eſt potius, vt Iuuenal. *Satyr.5.*

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet.

Non minor eſt igitur virtus ferre dicteria, quam iacere, quo nomine laudantur Cæſar & Veſpaſianus Imperator, teſte Dionis Epitome.

ἃ γὰρ ὑπομένει.] Confirmat, eadem audienda, quæ dicenda. Nam eſſe quandā inter hæc duo reciprocationem; quæ enim ferendo audiat, eadem & dicet, & contra; ſeu, vt hic loquitur Ariſtoteles, faciet. Non tamen omnimodo, id eſt, non tamen ea, quæ audiet, eadem dicet omnia: audiet, ſcommata non dicet niſi cautiſſime. Nam ſcommata cõuitii quoddā ſunt genus: At conuitiari cum per ſe eſt turpe, tum legibus vetatur, vt in iure ſub Titul. *de iniuriis & de famoſis libellis.*

ὁ δὴ χαρίεις.] Quæri poterat: ſi vrbano ſcomma iacere liceat, quatenus? Reſpondet Ariſt. ipſum ſibi legem eſſe & modum præſcribere, ne in alias leges incurrat.

ὁ δὲ βωμολόχος.] Hic de extremis, & prius de nimio, eum ſuperari à ridiculo, id eſt, reſiſtere non poſſe, ſed quicquid occurrat ridiculi, id ſequi & proferre, imperare ſibi non poteſt, quin ridiculum ſemper dicat: eum quoq; neq; ſibi quidem ipſi neq; aliis parcere, dum modo ridiculum afferat, quòd & *ſupra*. Et Horatius de Menio Scurra *lib. 1. Epiſt.*

Impranſus ciuem qui non dinoſceret hoſte,
Quælibet in quemuis opprobria dicere ſæuus.

Quod & Cicero grauiter reprehendit *lib. 2. de Orat.* Et in ipſo Cicerone culpat Plutarchus *in eius vita*, & in Rege Macedoniæ Philippo Liuius. Eum denique turpia ſæpe dicere, eaque, quæ vere vrbanus fugiat, aut dicere, aut audire, vt flagitioſa nimis.

ὁ δ᾽ ἄγροικος.] De eo quod parum, ruſticum ſeu agreſtem ad hæc humana colloquia eſſe plane ineptum, & in vtrunq; vrbanitatis genus peccare: nam nihil ipſum afferre in medium, neque alium patienter ferre, quòd & *ſupr.* dictum eſt.

δοκεῖ δ᾽ ἡ.] Hoc dictum *ſupr. initio*, vitæ quandam relaxationem & quietem eſſe neceſſariam.

τρεῖς οὖν αἱ εἰρημέναι.] Explicatas iam virtutes inter ſe comparat: nam in eo conuenire, quod omnes in conuictu & verborum ac factorũ communicatione verſantur: differre autem in eo, quod ex iis vna, veritatem conuictus, veracitas ſeu candor [eſt medium] de qua priore capite: reliquæ duæ iucunditatem cõuictus ſpectent, quas inter duas tamen eſt differentia: nam vrbanitatem in voluptate ludicra & iocis; primam vero, id eſt, amicitiam in voluptate ſeria, quæque in aliis dictis & factis capitur, verſari. Sed de hac comparatione *ſupr.* quoque eſt explicatum *libr. 2. cap. 7.* Quæro, an hæ tres affectiones iam

expli-

Digitized by Google

explicatæ, ſint veræ virtutes: nam Ariſtoteles *in Mag. Mor. lib. 1. cap. 33. in fin.* dubitat: & *in Eudemiis libr. 3. capite 7. in fine* aperte negat, adiuncta ratione, quia ſint abſque προαιρέσεως: adiungit & hoc eſſe potius πάθη ſeu procliuitates maxime ad virtutem, eſſe naturales virtutes (de quibus *libro ſeptimo.*) non morales, atque ita aperte & ex diametro ſecum pugnat Ariſtoteles, conciliet, qui poteſt. Nam & in iiſdem libris ex prima harum affectionum amicitia ibi duas facit, amicitiam inter inimicitiam & aſſentationem mediam: & grauitatem σεμνότητα inter blandum ἄρεσκον, & aſperum medium, quem hic δύσκολον vocat: ſed hac de re alias. Stoici certe ἀπραγμοσύνην virtutem dicebant, teſte Cicerone *Epiſtola ſeptima, libro tertio, in fine.* Et Plutarchus *in libr. de Virtute Morali.* Nam Stoici examen quoddam virtutum faciebant, quod grauiter ibi reprehendit Plutarchus. Quæro; cum quatuor virtutes principes ponantur vulgo, ad quas referendæ ſint octo, hoc libro explicatæ? Reſpondeo, Ariſtoteli non probari eum virtutum numerum. Duodecim ponit Ariſtoteles, aut excluſa prudentia à moralibus, vndecim. Sed tamen liberalitas & magnificentia ad iuſtitiam à Cicerone & aliis refertur: magnitudo animi & modeſtia ad fortitudinem: lenitas ſeu clementia ad iuſtitiam *libro primo & ſecundo veter. Rhetoric. & in partit.* Amicitia, ſeu potius omnes ὁμιλητικαὶ item ad iuſtitiam, eo quod in congreſſu ſeu commerciis, quæ & iuſtitiæ eſt materia, verſentur. Amicitiam iuſtitiæ partem Cicero eſſe ait *in partit.* Veritas quoque *libro primo & ſecundo Vet. Rhetor.* etſi Ariſtoteles *in Eudem.* ad prudentiam accommodare videtur. Vrbanitas denique, quia neminem lædere ſtudet, quod proprium eſt iuſtitiæ, eodem referenda videtur, à Cicerone tamen *in Officiis* ad Temperantiam, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Περὶ δ' αἰδοῦς ὡς.] Explicat hoc capite de iis, quæ cum virtutibus cognationem quandam habeant, aut quia vel ſint mediocritates, aut rectam contineant rationem, aut aliquo modo ſint laudabilia: virtutes tamen proprie non ſint, ſed adiuuantia potius ſeu principia virtutum, vt ſunt perturbationes quædam, & virtutes naturales continentia, &c. de quibus hic breuiter monendum putauit Ariſtoteles, ne quis ea non iudi-

cio ita breuiter expoſita exiſtimaret. Nam cum verè non ſint virtutes, alio pertinent. Itaque de perturbationibus agitur *in Rhetor. lib. 2.* de virtutibus naturalibus, vt continentia, & his quidem libris, ſed poſt explicatas virtutes agitur *infra libro 7.* Itaque de vna verecundiæ perturbatione, vt quæ maximam cum virtute affinitatem habeat, & à pleriſq; virtus putetur, eius erroris detegendi cauſa, paulo accuratius agit. Dicitur hæc perturbatio Græcè αἰδὼς καὶ αἰσχύνη, Latinè verecundia & pudor, inter quæ tamen differentiam affert Schol. Græcus, pudorem eſſe ob mala iam perpetrata: verecundiam ob perpetrāda, id eſt, metū reprehenſionis ob perpetranda mala. Affert & alteram differentiā Franc. Patric. *lib. 7. de regno, cap. de verecundia,* pudorem non curare, quid quomodo agatur; nam eſſe poſt factum: Verecundiā hoc inprimis curare, vt omnia decenter & apte fiant. Verū vt aliis plæriſq; locis, ita & hîc iis differētiis non vtimur. Tria autem afferuntur potiſſimum hoc loco de verecundia: Primum, eam non eſſe virtutē. Ratio, quia non ſit habitus, ſed πάθος, perturbatio, quod docet duabus rationibus; primum à definitione, quia ab omnib. verecundia dicitur metus ignominiæ, vt apud Ariſt. *li. 2. Rhet.* & apud Plat. *Euthydem.* Si eſt metus, vt eſt: Ergo eſt πάθος: nam metus eſt πάθος. Deinde ab euentu: nam corpus afficit verecundia, pudore [rubore,] vt metus in periculis pallore. Metus igit̄ & pudor ſunt corporis, & corpus afficiunt. At hoc potius ad πάθη, quam ad habitus pertinet. Quæ corpus afficiunt ſeu mouent, ea potius ad πάθη, quam ad habitus pertinent: nam hæc propria eſt perturbationum conditio, vt corpus aliqua parte ſemper afficiant au mouēāt, eo quod ſint motiones appetitionis ſenſibilis. At ſenſus non eſt abſq; corporis partibus: Habitus autem longiſſime abſunt à motu, quietes potius ſunt quam motiones. Atqui pudor & metus corpus mouent, ille rubore, hic pallore. Ergo πάθη ſunt potius, quam habitus. Si πάθη, non vero habitus. Ergo nec virtutes. Obſeruandum diligenter, quod ait Ariſtot. τὸ περὶ τὰ δεινὰ φόβῳ, id eſt, *metus in rebus acerbis.* Adiunxit enim in rebus acerbis, quia non vnum ſit metus genus; nam & verecundia ipſa eſt motus, ſed non in rebus acerbis, ſed turpibus quos quidē duos motus in eo ſimiles eſſe ait, quod corpus afficiant. Ex his cōſtat, verecundiā nō eſſe virtutē, habere tamē cum ea affinitatem, quia mediocritas, de quo *ſup. lib. 2.* quia laudari ſolet, quia à peccato deterret. Quare & Ariſtot. *lib. 3. cap. 8.* in

prin-

princ. virtuti eam adiungit, non quidem vt virtutem, quod quidam putant, ſed vt cognatum. Et *in Eudem. libr. 3. cap. 7.* temperantiæ accommodat, vt & Cic. *in Offic.* qui tamen cum Stoicis virtutē eam eſſe putauit. Hac igitur ratione verecundia, quia non eſt habitus, ne virtus quidē eſt. Sunt & aliæ rationes, hic quidem nō expreſſæ, ſed ex iis, quæ dicentur, eliciendæ: primo, quia non eſt laudabilis in omnibus: ſecundo, quia virū bonum non deceat: tertio, quia per ſe non eſt bona, ſed cum adiunctione ſeu hypotheſi, quæ tres rationes mox confirmabuntur. Hoc igitur primum hic de verecundia. Alterū, eam non decere quamlibet ætatem, adoleſcentes duntaxat, non virum aut ſenes, quod & Plato *in Charmide* commemorat, etſi *lib. 5. de Rep.* eam & ſenibus attribuit, aduerſus quem hoc loco diſputare videtur Ariſt. Confirmat duab. rationib. Prima, quia omnes ita fieri debere iudicamus, vt qui peccarint adoleſcētes, erubeſcant, propterea quod cum hi cupiditatibus parentes: multa facile & quotidie peccent, hoc veluti freno eos reprimendos exiſtimamus: at in aliis, qui nō cupiditatibus, ſed iudicio & προαιρέσει peccant, non pudore: ſed grauiore medicina & pœna opus eſſe exiſtimamus. Deinde, quia adoleſcentes, non vero ſenes à verecundia laudare ſolemus, vt apud Terent. *Erubuit, ſalua res eſt.* Laudantur tamen & viri prudentes, ſed hoc ad temperantiam potius pertinet, & modeſtiam, non ad hanc verecundiam: pudor interdum, denique modeſtia, de quo hic non agitur. Tertium, eam non decere virum bonum, non eſſe viri boni, & proinde ne bonum quidem eſſe, neque per ſe laudabilem. Et hæc quoq; contra Platonem videntur dici, qui multis in locis verecundiam omnibus & ſummis effert laudibus, eaque & iuſtitia Reſp. totas contineri ait *lib. 1. de legib. & in Protag.* Ratio Ariſt. ἐπὶ γίνεται, &c. quia pudor ob mala, id eſt, comes eſt peccati, recte facti neminem pudet. At vir bonus ſemper recte facit. Formula:

Vbi pudor, ibi & peccatum.
Viri boni nullum eſt peccatum.
Ergo nec pudor.

Verum quia hæc paradoxa videntur, tribus, quæ his contradici poſſint, occurrit & diſſoluit.

εἰ δ' ἔστι τὰ μὲν.] Hic primæ occurrit contradictioni. Nam cum turpia partim ſint re & natura, partim opinione & inſtituto. Verbi gratia; Furtum, latrocinium, auaritia, & reli-

qua vitia, re & natura ſunt turpia: Inſtituto autem δόξῃ, νόμῳ, lege, opinione, more & conſuetudine turpia ſunt, cantare in foro; hac aut illa veſte vti contra humanitatem & conſuetudinem ciuilem, in motu, geſtu, oratione peccare, vt apud Græcos turpe erat mulieres virorum conuiuiis adhibere; Romæ non item, teſte Cic. 3. *Verr.* & Corn. Nepote *in præfat. libri de clar. Impp. Græc. Turpe erat Romæ ſaltare & pſallere, in Græcia honeſtum.* eodem Nepote teſte, & Saluſtio *initio Catilin.* & Cic. *lib. 3. Offic.* Cum igitur duo ſint turpitudinis genera: vnum natura: inſtituto ſeu δόξῃ alterum, ad poſterius duntaxat pertinere videtur verecundia, vt perſpicuum fit ex ipſa definitione, qua dicitur eſſe metus ἀδοξίας, quaſi metus iuſtæ reprehenſionis ob peccatum in ciuilem conſuetudinem. Quare & Cic. verecundiam ad poſterius hoc genus potiſſimum accommodat *lib. 1. Offic.* ibi: *Talis eſt igitur ordo actionis, &c.* & paulo *infra: nec quenquam hoc errore duci oportet.* Iam vero conſtat, virum bonum dici ratione prioris generis, nempe qui ab iis, quæ natura ſunt turpia, abſtineat. Vir bonus virtutum ratione, non morum ciuilium dicitur. Quare hoc tandem effici videtur, non ſequi:

Vir bonus eſt, & peccare non debet.
Ergo nec verecundari.

Nam prioris ratione generis id quidem verum eſt, ſed non poſterioris, propterea quod, vt iam dictum eſt, prioris duntaxat, non vero poſterioris ratione æſtimetur vir bonus. Reſpondet Ariſt. eandem eſſe rationem poſterioris, quæ ſit prioris, neutro in genere peccare debere virum bonum, quod & monet Cicero *lib. 1. Offic. nec quoq; hoc errore.* Quare ſi in neutro genere peccare debet vir bonus. Ergo nec pudore affici. Nam vbi non eſt peccatum, ibi nec pudor.

φαῦλου δὲ τὸ.] Eſt quædam velut amplificatio & exaggeratio eius, quod dixit, virũ bonum minime peccare debere; imo inquit, non tantum peccare non debet, ſed ne quidem viri boni, mali potius & improbi videtur, ita animo eſſe affectum & conſtitutum, vt ad male agendum ſit aptus. Virtutis enim habitus ita virum bonum afficit, & præditum bonitate reddit, vt peccare vix poſſit.

τὸ δ᾽ οὕτως ἔχειν.] Altera eſt contradictio: Laudabile videri, eo quem eſſe animo & voluntate ita affectum, vt ſi quid peccet, ſi quid turpiter admittat, eius ipſum pudeat, aut pudore afficien-

dum

dum ſe exiſtimet. Hæc inquam voluntas & cogitatio viri boni eſſe videtur, eiuſq; qui vitia deteſtetur, vt in quæ ſi incidat, erubeſcat. Et quidem hac ratione commoti alii, mirificis laudib⁹ extulerunt verecundiam, vt Cic. *in partit.* eam vocat omnium virtutum cuſtodem, vtpote dedecus fugientē, & laudem vere conſequētem. Quod ſi hæc voluntas & cogitatio eſt viri boni. Ergo & pudor. Reſpondet Ariſtot. hoc eſſe perabſurdū. Nam aut ſponte, aut inuitus turpiter, hac voluntate præditus, facit. Si ſponte, nō eſt vir bonus: neq; .n. is ſua ſponte turpia cōmittit. Si inuitus, iam pudere ipſum non debet: nam pudor eſt ob peccata, quæ quis inuite peccarit, eorum ipſum nō pudet, vt q̄ veniam aut miſericordiā mereantur. Non igitur pudor eſt viri boni: Itaq; abſurdū hoc ſequeretᷣ, aut virū bonū ſpōte peccare, aut pudorē eſſe etiā ob inuite facta, ꝙ vtrūq; ꝯſtat eſſe abſurdū.

εἰ δ' ἡ ἀναισχυντία.] Tertia contradictio, cuius hæc eſt ſumma: ſi impudētia malū eſt, vt eſt. Ergo pudor eſt bonū, & ꝓinde viri boni: nam contrariorum cōtraria eſt ratio, vt ſi ignauia eſt malum. Ergo fortitudo bonum. Ariſtot. negat conſequētiam: nam nō continuo ſeq. Si non affici pudore eſt malum, ſi mala facientem nō pudere, eſt reprehendendū, propterea contra laudabile eſſe, & præclarum mala facientem pudere. Rationem nō adiungit Ariſt. vtpote ex priorib. perſpicuā, nempe, ꝙ mala facere in virū bonum nunq̄ cadat, & ꝓinde nec pudere. Quod ſi in virū bonū nō cadit, vt certe nō cadere iam dixim⁹; non erit quoq; boni viri, nec bonū, & proinde neq; laudabile.

εἴη δ' ἂν ἡ αἰδώς.] Conſtat iam verecundiam non eſſe viri boni, & proinde nec bonum: ꝙ tamen ita accipiendum monet Ariſtot. vt per ſe ſuaq; vi non ſit bonum, cum adiunctione tamen ſeu ex hypotheſi, ſub conditione, vt loquuntur ICti, eſſe bonū, nempe ſi vir bonus peccet, pudore quoq; afficietur. Simpliciter igitur ſeu ἁπλῶς non eſt bonum, ſed ſi peccet. Bonum quidem, quia vir bonus peccans eo afficeretur: ſub conditione autē bonum, quia non niſi ſi peccet; quod quia rariſſime accidit, certe ſimpliciter negandum eſt, verecundiam eſſe bonum.

ἀλλά τις μικτή.] Continentia, inquit, proprie non eſt virtus, ſed mixtum quiddam ex perturbatione & virtute. Nam in continentia in incurrunt πάθη & recta ratio, quæ virtutis eſt propria & inter ſe confligunt. Qua de re *infra lib. 7. &c.*

FINIS LIBRI IV.

LIBER V.

ARGVMENTVM.

TRactatio eſt apud ICtos hoc titulo ſeu indice, de Iuſtitia & Iure, quomodo & hic liber inſcribi poterit, vt eius & ea duo ſint ſumma capita; quod & Ariſtoteles initio indicat, monetq;, ſe explicaturũ hoc libro de Iuſtitia & Iure. Subtilior partitio & libri ἀνάλυσις *ad ſua capita referetur. Cur .a. de iuſtitia prius, quã de iure diſſerat, ratio è ſuperioribus petenda eſt, vbi diximus Ariſtotelem hanc tenere rationẽ & methodum in explicãdis virtutibus, vt priore quidẽ loco de materia, ſeu habitu ipſo, deinde de factis explicet, quam conſuetudinem & hic tenuit. Nam primũ de habitu & iuſtitia, eiuſq; materia & forma quoq;, ſeu mediocritate: poſterius de iure, i. e. de factis ex habitu illo manantib. diſputat. Ius eſt factum, non relatum, vt putauit Philippus, qui & alia iuris verba multa, contractum, obligationem, Dominium ad Categoriam relationis retulit; perperam, cum vel ad actionẽ, vel ad qualitatem pertineat. Ius, inquam, nihil eſt aliud, quã iuſta actio ſeu factum ex iuſtitia, vt habitu ſuo manans, eiq; congruens; quomodo fortiter quid factum ex fortitudine manat: omne deniq; officium ſeu* κατόρθωμα*, & recte factum nihil eſt aliud, quam actio ex virtute manãs, eiq; conſentanea. Atq; hunc in modum accipiendum videtur, quod ICtus Vlpianus ius à iuſtitia appellatũ dicit, origine vtiq; rei, non verbi. Nam, vt facta omnia ex ſuis quaq; virtutibus oriuntur & deducuntur, ita & ius à iuſtitia: Aut hoc igitur ſpectare debuit Vlpianus. Nam Grammatica ratione, origine & notione iuſtitia à iure; Philoſophica .a. ius à iuſtitia deducitur, & hoc quidem bipartita notione cum alii, tum ſæpe vſi ſunt ICti, vt in verborum origine explicanda non tam nomen, quam rem ſpectent, qua ratione & teſtamenti notionem aduerſus* Gellium in

Nocti-

Noctibus Atticis *defendere ſoleo. Ad hunc autem librum iuuant hæc loca,* li.4. Eudem.c.1.li.1. magnor.moral.ca. 34. *Plato* in Critone & in Politica & aliis in locis. *Cicero* in offic. & fragmentis de Republ. *Plutarchus* in vitis, *maxime* in Ariſtide & Catone Vticenſi, *Stobæus* λόγῳ de iuſtitia, *Franciſcus Patricius* libr.7.de Republ. *præter explanatores, qui in hunc librum extant quamplurimi.*

CAPVT I.

DESCRIBITVR hic, ſed populariter & typo Iuſtitia & Iniuſtitia: deinde diuiditur, & altera ſpecies explicatur, nempe generalis iuſtitia. Nam hoc potiſſimum agitur, vt iuſtitiæ diuiſio reperiatur, eaq; reperta altera pars explicetur.

περὶ δὲ δικαιοσύνης.] Non tam monet Ariſtoteles his verbis, qua de re ſit acturus. Nam id modo, i. e. extremo cap. prioris libri monuerat: quam videndum eſſe, quib. in actionibus, tanquã in materia verſet᷑ res, de qua agitur & qualisnam ſit mediocritas. At .n. dicet aliquis: cur Ariſt. dicat περὶ ποίας πράξεις, quib. in actionib⁹ ſeu factis, cur inquam non potius dicat περὶ ποῖα πάθη, quib. in perturbationib. vt in quib. tanquã in materia verſari omnes virtutes, cum *ſupra* aliquoties explicauimus, tũ perſpicue cõmemorat ap. Stobæum Theages Pythagoric⁹, πάθη, inquit, ſunt materia virtutum. Hæc quæſtio, etſi *ſupra* aliquoties à nobis eſt perſtricta, & hic initio attingenda fuit, quod iuſtitia quiddam in virtutum materia habeat præcipui. Dicendum igitur, virtutes quidem omnes in perturbationibus moderandis, tanquam in materia cerni, ſed tamen & in factis, quod *ſupra* aliquoties iterauit Ariſt. facta & perturbationes eſſe virtutum materiam: quarum nonnullas in perturbationibus magis elucere, alias in factis. Nam fortitudinẽ & temperantiã in perturbationibus: illã in metu & dolore, hanc in libidine & voluptate: liberalitatẽ .v. & iuſtitiã in factis potius eſſe poſitas, illã in donãdo, hanc in ſuum cuiq; tribuendo. Quod vel ex eo apparet, quod fortem aut temperantẽ laudantes, illum dolori, hunc voluptati reſtitiſſe prædicamus: iuſtum vero aut liberalẽ, hunc à donando & benignitate, illum à non inferenda iniuria, ſuum vnicuiq; tribuendo laudare conſueuimus.

καὶ ποία μεσότης.] Et hac in re pcipuum qd habet hæc virt⁹ p̃ omnib. alijs: nam cæteras conſtat eſſe mediocritates inter duo

distincta

diſtincta vitia, nimium & parum; huius mediocritatis longe alia eſt ratio, vt *infra* explicabitur.

ἡ δὲ σκέψις.] In ſuperioribus vſus eſt concluſionibus probabilibus, non Apodicticis, vſus eſt non nimis exquiſita & ſubtili omnium rerum perſecutione: vſus denique eſt in explicandis virtutibus hac ratione, vt prius de habitu, poſterius ageret de factis. Hac igitur triplici ratione & via item in hac virtute explicanda, vſurum ſe monet Ariſtoteles. Sic enim accipiendum puto τὴν αὐτὴν μέθοδον.

ὁρῶμεν δὴ πάντας.] Eſt hæc particula ſeu verbum Ariſtoteli vſitatum de cōmuni ſenſu ſeu opinione, allaturo quid ex vulgi opinione, quod confirmatione nō egeat: vt *ſupra* initio *lib. 1.* ὁρῶμεν δὲ καὶ, &c. Et initio *Politic.* ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν. Adfert igitur hoc loco definitionem iuſtitiæ & iniuſtitiæ popularem, vt vulgi ſenſibus conſentaneam, ſeu deſcriptionem potius & typum. Iuſtitiam quidem vulgo cenſeri talem affectionem, qua præditus agat & velit iuſta: iniuſtitiam vero, qua præditus agat & velit iniuſta. Duas nāq; tantummodo proprietates harum affectionum hic exprimi puto, actionem & voluntatem, ſeu agere & velle iuſta, aut iniuſta: atq; illa, πρακτικοὶ τῶν δικαίων καὶ δικαιοπραγοῦσι pro eodem eſſe poſita, idem valere, quod perſpicuum vel ex eo, quod in deſcriptione iniuſtitiæ duo tantum illa commemorentur, facere & velle iniuſta. Alij tres proprietates hic exprimi putant, propenſionem ad iuſta agendum, ſeu potius aptitudinem in verbo πρακτικοὶ, actionem & voluntatem. Atque ita Thomas, eumq; ſecuti alij, & certe in veteri tranſlatione illud verbum πρακτικοὶ iteratur, etiam in deſcribenda iniuſtitia, hunc in modum. περὶ ἀδικίας ἀφ' ἧς πρακτικοί. Sed hæc ſcriptura conſenſu omnium librorum, & in primis autoritate *Eudem. li. 4. in princ.* vbi hæc ad verbum cōmemorantur, refellitur. Neq; .v. πρακτικὸς ſemper propenſus aut idoneus, aut aptus, vt alij aliter vertunt: ſed ſæpe valet idem ꝙ agens ſeu actor: vt apud Ariſt. *li. 1. Rhet.* Fortitudo, inquit, eſt, δι' ἣν πρακτικοὶ εἰσὶν τῶν καλῶν, i. e. *per quam res magnæ geruntur*, vt recte vertit Hermolaus: Sic & alia eiuſdem formæ ποιητικὸς, ἐνεργητικὸς. Itaq; hunc locum ita reddendum puto, qua præditi ſint agentes ſeu actores rerum iuſtarum, quaq; præditi agant & velint res iuſtas. Nam videtur Ariſtot. verbo δικαιοπραγεῖν apertius explicaſſe ꝙ dixerat πρακτικοὶ τῶν δικαίων. Sint igitur hæ duæ notæ, quib. iuſtitiam & iniuſtitiam vulgo circumſcribāt,

neq;

Digitized by Google

neq; id abſq; ratione. Nam de priore quidem, id eſt, actione, hæc eſt ratio, ꝙ aliæ quoq; omnes virtutes ab effectu ſeu officijs ſuis deſcribi conſuerint, vt temperantia dicitur virtus, quæ moderatur voluptatibus corporis; liberalitas, qua aliis largiamur noſtra; Fortitudo, qua res præclaras gerimus: ſic & iuſtitia, qua res iuſtas agimus. Altera nota maiorem habet difficultatē: qua tamen hoc velle videtur vulgus non eum continuo dicendum eſſe iuſtum, qui poſſit agere, aut etiam qui coactus aut temere agat: ſed eum potius, qui ita velit, & quodam cum iudicio, atq; propenſione iuſta agat. Itaq; iuſtitia, etiā ex vulgi opinione non eſt poteſtas, ſed voluntas potius & iudiciū, iuſte agendi, quo facit, quod Ariſtot. *li. 6. Topic.* ait, vbi hanc definitionem bonam eſſe negat, quia iuſtitia definiatur δύναμις ſeu poteſtas tribuendi ſuum cuiq;. Nam iuſtus, inquit, potius eſt προαιρούμενος ſeu volens tribuere, nō vero ὁ δυνάμενος. Qua de re & *ſupra li.* 4. vbi de arrogante & mendace nonnihil eſt dictū. Ex hac autē altera iuſtitiæ nota, arripiunt plæriq;, Ariſtotelem hac eſſe opinione, vt exiſtimarit, iuſtitiam in voluntate eſſe poſitam, cum aliæ virtutes ſint in appetitu, verumq; eſſe illi contendunt. Quæ quidē quæſtio cum ſit grauiſſima & perutilis, & huic loco accommodata, nō videtur à nobis prætereunda debere. ICti certe & in hac opinione eſſe videntur, qui iuſtitiam definiunt conſtantem & perpetuam voluntatem ſuum cuique tribuendi. Plutarchus quoq; *in Catone Vticenſi*, cur iuſtitia laudetur, iniuſtitia vituperetur præter omnes alias virtutes & vitioſitates, hāc affert rationem, ꝙ reliquæ multum à natura habeant adiumenti, iuſtitia & iniuſtitia in mera voluntate, motuq; hominis propriè ſint poſita, verbi gratia, prudētiam cenſent ingenii quoddam acumen, fortitudinem robur quoddam eſſe animi, & proinde alias virtutes nō cadere in omnes; iuſtitiæ. v. omnes poſſe eſſe participes, ſi velint. Vt igitur hæc q̄ſtio ex Ariſtotelis diſciplina explicetur: repetendum, ꝙ *ſupra lib.* 1. *c. vlt.* dictū eſt, virtutes omnes morales in ea parte animi poſitas eſſe, q̄ græce dicitur τὸ ὀρεκτικὸν, in qua ſint appetitus. Notū eſt. n. tria eſſe appetituum genera, ἐπιθυμίαν, cupiditatē, cupidinem, iram ſeu θυμὸν, & voluntatē: quas inter hanc eſſe differentiam, ꝙ illi duo tam in beluis, quā in homine, voluntas in ſolo reperiatur homine, eo quod ſit cū ratione & iudicio. Voluntas. n. nil eſt aliud q̄ appetitus cum ratione, ὄρεξις λογική: nō quo voluntas in ea ſit animi parte, cuius ꝓpria eſt ratio, ſed

quod

quod rationẽ tanq̃ ducem, & lumẽ ſibi quaſi p̃ferentẽ, ſequat: ꝙ ratio boni eſſe ſtatuerit, id ſequitur, & expetit hic appetitus voluntatis. Eſt igit᷑ voluntas in ea parte animi, quæ p ſe quidẽ rationis eſt expers, ei tamẽ tanq̃ parenti paret, & ſequitur tanq̃ ducem: in qua eadem parte, cum & omnes virtutes poſitas eſſe *ſup.* oſtenderit Ariſt. *li.1. c.vl.* efficit᷑ vt oẽs virtutes eodẽ concurrant; i.e. omnes in voluntatẽ poni dici poſſint, adeo vt nihil p̃cipui habeat iuſtitia. Quod q̃dẽ ita accipiendũ eſt, non quaſi virtutũ omnium cauſa princeps ſit voluntas (nam principẽ virtutum cauſam oſtendim᷒ eſſe vſum & facta *ſupra li. 2.*) ſed vt voluntas intelligat᷑, tanq̃ principium & initium virtutũ ſeu factorũ potius, ex q̃bus manent virtutes. Nam voluntatis verbũ h. loco cõmunius accipimus, vt ꝓ proæreſi. Notum eſt .n. ꝓæreſin vetius eſſe eum appetitũ cum ratione, vnde virtutes oriantur: voluntatem .a. ꝓprie ſumptã eſſe finium, non eorũ q̃ ad fines. Ex q̃b᷒ perſpicuum eſt, quomodo nõ iuſtitia tantũ, ſed virtutes omnes in voluntate cernantur. Perſpicuum quoq; eſt, iuſtitiam nõ eſſe voluntatẽ, ꝙ voluntas ſit δύναμις & poteſtas animæ, cum virtutes omnes ſint habitus. Non nego tamẽ ea, q̃ Plutarch. ſcribit eſſe vera, in virtutib᷒ quibuſdã plus poſſe naturam ſeu indolem, in alijs minus. Ad eundem fere modum & Plato *in Gorgia*, iuſtitiam deſcribit: Iuſtus, inquit, eſt, qui iuſta πράττει, & paulo *infra* iuſtũ eſſe, eſt βούλεσθαι πράττειν τὰ δίκαια.

οὐ γὰρ τὸν αὐτὸν.] Allata iuſtitiæ & iniuſtitiæ deſcriptione, pri᷒ affert tres Logicas p̃ceptiones [vt & ipſe Ariſt. ex his primam vocat *li.1. Top.*] q̃ ad diuiſionem accedat: cum ad reddendam rationem priorum deſcriptionũ, tum ad muniendã viam diuiſioni. Primus Canõ continet diſcrimẽ inter habitus & inter facultates & ſcientias: nam has eſſe contrariorũ, illas non item. De quo q̃dẽ p̃cepto agit Ariſt. *li. 9. Metaph.* & q̃rit hac ipſa de re *l.1. Top.* Agit hac de re, & q̃dem pulcherrime, initio vitæ Demetrij. De habitu exemplũ affert Ariſt. corporis quidẽ, bona valetudine ſeu ſanitate. Nam à ſanitate ꝓficiſci ea, q̃ ſunt ſana, aut, vt ita dicã, ſanas actiones, nõ vero contrarias: nam q bene valet, valenter ambulat, & vt qui bene valet, nõ .v. vt qui morbo laborat. Sic fortitudinis facta ſunt fortia, non temeraria aut ignaua. Sic & iuſtitiæ iuſta ſunt facta, nõ vero & iniuſta. Quare recte duas modo attulit deſcriptiones, alterã iuſtitiæ, iniuſtitiæ alteram. Alia eſt ratio facultatum & ſcientiarum. Facultatis nomẽ cum ſit multiplex: interdum .n. idem valet ꝙ ſcientia.

Quare

Digitized by Google

Quare & in his libris, *init. li. 1. & li. vl. in fi.* ſæpe coniunguntur hæc duo ἐξ ὑπαρχόντων. Interdū .v. certas duntaxat artes complectit͂, Dialecticam & Rhetoricā, vt eſt apud Ariſt. *li. 1. Rhet.* Interdum .v. vim quandam naturâ inſitam ſonat, q̃ vulgo potentiam vocant. Itaq; etſi tam varia huius verbi eſt notio, tamen vltimâ huc referenda mihi videt͂, propterea ꝙ Ariſtot. *in Analyt. prior. li. 1. c. 40.* nominatim & diſerte de hac poſtrema notione agat. Huius .a. poſtremæ cum duo rurſus ſint genera: altera cū ratione, altera abſq;, de illa duntaxat locū habet, ꝙ h. loco dicit͂, facultates eſſe cōtrariorū, quales ſunt ratio ſeu mēs & voluntas: illa nāq; & veri & falſi eſt, hæc boni & mali. Nam q̃ ratione vacāt, contrariorū non ſunt, neq; .n. reperit͂ δύναμις calidi & frigidi, alioqui efficeret͂, vt eadē & calefacere & frigefacere: neq; eadem eſt δύναμις ſalubris & peſtilentis. In artib⁹ vero & ſcientijs abſq; diſcrimine locum habet hoc p̄ceptum: Hinc à ICtis definitur Iuriſprudentia, iuſti & iniuſti ſcientia: à Galeno & Ariſt. *in Metaph.* Medicina ſalubrium, peſtilentium, & neutrorū. Sic Philoſophia prima explicat id, ꝙ eſt, & ꝙ non eſt. Logica veri & falſi eſt arbitra in concluſionibus, ſed non in rebus. Differentiæ ratio petenda eſt ex Ariſt. *eo libro Metaph. in princ.* De ſcientijs tamen ita accipi debet non quaſi earū actiones ſint cōtrariæ, ſed facultates & vis contemplandi. Putat & Plutarch. virtutes omnes eſſe contrariorū, ꝙ & ipſæ ſint vel maxime ſcientiæ, ſed hoc eſt Platonicum, non Ariſtotelicum: deinde nō abnuimus: virtutes quoq; eſſe contrariorū, vt ille accipere videtur, quaſi virtutes & vitia alterum ex altero cognoſcat͂, ꝙ mox explicabit͂. Alterum eſt præceptum logic. de notitia ſeu de cognoſcendis habitib⁹, πολλάκις μὲν οὖν γνωρίζε͂: ad quos cognoſcendos duas affert vias & rationes. Nam interdū contrariarum affectionum alterā cognoſci ex altera, interdum affectionē cognoſci ex reb. ipſi ſubiectis. Exemplum affert de corporis affectione Athletica, ſeu εὐεξία: hæc namq; ſi ſit cognita, cognoſcetur & contraria καχεξία: Sic cognita fortitudine cognoſcetur & ignauia, & contra. De ſubiectis .a. rebus idē affert exemplum, nempe ſi conſtet, quid ſit εὐεκτικόν, h. e. quib⁹ rebus comparet͂ & efficiatur εὐεξία, etiam de ipſa quid ſit cōſtabit, & contra. Sic de virtutib. ſi conſtet, quib⁹ illæ de rebus, nempe ex factis oriantur, innoteſcent & ipſæ, & cognita virtute, innoteſcit & eius cauſa ſeu facta. Tertium præceptum de homonymia, ſi duarum affectionum contrariarum vna dicatur

tur πλεοναχῶς ſeu multifariã, & ὁμωνύμως (ſic .n. Ariſt. efferre hæc ſolet hic duob. verbis πλεοναχῶς & ὁμωνύμως) plærũq; accidit, vt & altera dicatur multifariam. De quo præcepto copioſe Ariſt. *li.1. Top. in fi.* vt ſi nõ videre eſt animi & corporis. Ergo & videre. Sic ſentire, q̃a & animi pro percipere, & corporis quo & nõ ſentire ſeu ἀναισθησία. Eadẽ igitur ratio hatũ affectionũ iuſtitiæ & iniuſtitiæ, vt & cæterarum virtutum. Nam vt fortitudo partim eſt ciuilis, partim militaris: ita & ignauia.

ἀλλὰ διὰ τὸ σύνεγγυς εἶναι.] Affert diuiſionem homonymorum: eſſe nãq; alia, quorũ perſpicua ſit homonymia, & cognitu facilis: alia, quorum ſit occultior & obſcurior ὁμωνυμία, idq; hoc conſilio, vt explicet, vtro in genere ſit iuſtitia & iniuſtitia. De qua ὁμωνύμων partitione copioſius agit Ariſt. *li. 7. Phyſ. in fin. & li.2. Analyt. poſter. ca.15.* Prioris, a. generis ea eſſe indicat, (διὰ τὸ σύνεγγυς) quæ cognationem quandã inter ſe habeant, q̃ ſint propinqua & vicina. Poſterioris .a. generis, q̃ ſint cõtraria, i.e. quã longiſſime diſiuncta, neq; id abſq; ratione. Nam facilius internoſcas, q̃ longius ſint diſiuncta, nullãq; inter ſe affinitatẽ habeant, quam contraria, vt equum ab homine facilius, quã mulierem à viro. Prioris generis ſunt ea, q̃ dici ſolent cõparatione ſeu analogia homonyma, quæ deniq; ſimilitudinẽ quandã gerant, vt liberalitas & magnificẽtia, temperãtia & cõtinẽtia, bona animi & fortunæ. Poſterioris generis ſunt ea, quæ vulgo dici ſolent fortunæ homonyma, quorum nominis ſocietas ſit fortuita. Qua de re dictũ eſt & *ſupra li.1.c.6.* vt Corax de primo Rhetore & Deade; Anthropos, cũ de omnib. tum de quodã Olympionice, cuius *infra* meminit Ariſt. *li.7.* Exemplũ huius generis affert & Ariſtot. κλεὶς .n. & organõ eſt aperiendis ianuis, vt os paruũ ad iuguli & humeri cõmiſſuram. Omnia deniq; huius ſunt generis, q̃ facilime internoſci poſſint, vel ſenſim, vt q̃ inter nulla ſit cognatio. Atq; ita accipienda puto hæc verba, ἡ γὰρ διαφορὰ πολλή, quibus veluti viam aperit Ariſtot. & indicat, q̃ dicenda ſint diſiunctiſſima. Eſt .a. inquit, magna differentia ea, q̃ ex ſpecie, i.e. in his reb⁹ magna eſt differẽtia, longe diſiunctæ ſunt hæ res, q̃ vel de ſpecie ſeu facie & oculis internoſci poſſint: Nam τὸ γὰρ hic valet idẽ, quod ʒ, & idem accipio non pro ſpecie Dialectica, ſed Phyſica potius, aſpectu & oculis. Nam q̃ genere aut ſpecie cõiunguntur, ad prius genus pertinent, teſte Ariſt. *li.7. Phyſ in fi.* Et etiã *in Analyt.* Ex his trib. Dialecticis præceptionib⁹, prima quo pertineat, iam diximus.

Du-

Digitized by Google

Duæ poſteriores ad ea q̄ ſequuntur, pertinent: muniuit namq; viam iis, q̄ iam explicaturus eſt. Nam iuſtitiam explicabit de ſuo ɔtrario, quo pertinet altera p̄ceptio, & afferet duas iuſtitiæ & iniuſtitiæ notiones, atq; ita homonyma ea ſunt vocabula, & q̄ de prioris generis, ꝓpterea ꝙ difficilime duæ iuſtitiæ & iniuſtitiæ notiones internoſci poſſint, idq; hac de cauſa, quod altera ab altera minimũ ſit diiuncta, vt mox clarius perſpicietur.

εἰλήφθω δὴ ὁ.] Hic igitur accedit ad iuſtitiæ diuiſionem, nominis tamen potius quā rei, ex qua tamen & rei diuiſio elucefcit. Et primùm quidē de iniuſtitia, ſeu iniuſto, propterea quod vitia vt frequētiora, plærumq; ſunt notiora: quo cognito facile cognoſcetur alterũ eius contrariũ. [vſus ſecundæ p̄ceptionis.]

δοκεῖ δὴ, τε παράνομος.] Duas igitur partes ſeu genera iniuſtitiæ affert: nam iniuſtum cenſeri & eum, qui leges violet, & eum qui ſit iniquus & πλεονέκτης. Quas partes ſumit Ariſtoteles ex communi hominum opinione. Nam vulgo qui vel legibus non paret, vel aliena appetit, & potiora ſemper ſibi vendicat, iniuſtus dici ſolet. Quare alia confirmatione hic nō vtitur Ariſtoteles. Poſterius membrum duob. quidem effert verbis, idem tamē ſonantibus: nam qui eſt πλεονέκτης, idem eſt & iniquus, & contra. Poſterius tamen Ariſtot. omiſſo πλεονέκτης vocabulo, altero ad ſuas diſputationes oportuniore, vtet ſemp.

ἐπεὶ δὲ καὶ πλεονέκτης.] Hoc loco iam accuratius explicare incipit duas illas iniuſtitiæ partes, maxime quib. in reb⁹, tanquā in materia verſentur, ex qua diſputatione cognoſcetur, quæ iuſtitiæ & iniuſtitiæ ſit materia. Et primum quidem de pleonexia ſeu Pleonecte. Oſtendit igit̃ iniuſtitiam verſari in bonis fortunę: ea eſſe tanquā materiam iniuſtitiæ; & proinde & iuſtitiæ, hac ratione, quia in iis verſetur pleonexia. Formula ſit iſta:

Vbi pleonexia, ibi & iniuſtitia. Nam conſtat iam illam huius eſſe partem ex communi hominum ſenſu. At enim pleonexia in bonis fortunæ cernitur. Ergo & iniuſtitia.

Aſſumptionem explicat hoc loco Ariſtot. non confirmat, propterea quod ex vi verbi ipſius id ſit notum. Nam tametſi πλεονέκτης, i. e. q omnia ſemper vult ſuperiora habere, Cicero (cui par latinum verbum non extat, & quod alii reddunt pluris auidus, mihi barbarum videtur) interdum de omnibus bonis etiam animi, & in bonam partē, vt ſi quis alium ſuperet ſcientia aut virtute: plærumq; tamē de bonis fortunæ & in malam partē dici ſolet. Huius generis maxima bona ſunt honos, diuitiæ

tiæ & opes. πλεονέκτης igitur eſt, qui in his plus q̃ æquitas & ratio poſtulet, ſibi arrogat. Nam qui alium ſuperare ſcientia aut arte aliqua contendit, proprie πλεονέκτης non dicitur. Itaq; in his fortunæ dũtaxat bonis, vt πλεονεξία, ita & iniuſtitia cernit˜.

ἃ ἐστὶ μὲν ἁπλῶς.] Ariſtoteles non ignarus omnis mali finem eſſe πλεονεξίαν, interijcit h. loco pulcherrimam admonitionẽ de vero bonorum fortuitorũ vſu ſeu potius expetitione ſeu deſiderio. Ait .a. primum, ea ſimpliciter quidem & abſolutę eſſe bona, ſed nõ huic aut illi ſemper. Nam ratione quidem communis vocabuli & generis ſunt bona: quia tamen propterea ijs vti licet, fit, vt non omnibus peræque ſint bona: nam vt *ſupra li.1.c.3.* dictum eſt, multis iam exitium attulerunt diuitiæ, innumerabilibus honores & imperia. Contra .v. fortunæ mala, ſimpliciter quidem ſunt mala, multis tamen ærumnæ & paupertas bono fuit. Hac iam allata bonorum conditione ſeu nota ac proprietate, adiungit monitionem, homines eá quidẽ à Dijs optare ſolitos, & maxime perſequi, grauiter tamen ea in re peccare: debere potius eos optare, vt quæ ſimpliciter ſunt bona & ipſis ſint bona, atque hæc, quæ ipſis ſint bona ſumere & perſequi, id eſt, cum optẽt hæc bona, quæ mala reddi poſſunt, aut ipſis pnitioſa, ſi viri ſint boni, hoc potius optare eos debere, vt ſi illa & ipſis ſint bona, ijs tribuantur, ſi mala, non tribuantur. Quod idem monet Ariſtot. *li 7 Metaph. in princ.*

ὁ δ᾽ ἄδικος οὐκ.] Quia fit interdum, vt in his rebus fortuitis ſumat˜, non ꝙ plus, ſed ꝙ minus, nempe ꝙ minus ſit malum. πλεονέκτης .a. is ꝓprie eſt, non qui minus, ſed qui plus ſumit: quæri poterat, ecquid hæc minoris, vt ita dicam, ſumptio huc pertineat: & ait, & hanc eſſe πλεονεξίαν quandam. Cõcludatur in formulam: *Eorum quæ bona, eſt πλεονεξία. At minus malũ eſt quodammodo bonum. Ergo & minoris mali eſt πλεονεξία.*

De ꝓpoſitione iam dictũ eſt. Aſſumptio h. lo. explicatur, & *infra c. 3. in fi.* vbi & ratio affert˜, cur minus malũ boni locum obtineat, eo ꝙ ſit expetendum. Quæ .a. expetenda, eadẽ ſunt bona: minora .a mala expetenda eſſe, cum per ſe clarum eſt, tum oſtendit & ꝓuerbio, de quo ap. Cic. *li.3. offic. Minima de malis*: & alterum: melius eſt vni malo obnoxium eſſe, quam duobus, de quo Eraſmus *chil. 4. cent. 2. prouerb. 36.*

ἔστι δ᾽ ὁ αὐτὸς τοῦτο γρ.] Diximus paulo s̃ alteram iniuſtitiæ partem duob. verbis inſigniri ab Ariſtot πλεονέκτης & iniqui: quorum explicato altero, hic adiungit de iniquo. Eſt .a. inquit, *Iniquus*, qui plus boni aut minus mali ſibi ſumit, etſi de pleo-

Digitized by Google

recte dubitari poterat, quod iam explicauimus: omnimodo tamē & abſq; dubio eſt iniquus. Hoc nãq; verbũ latius patet, & tam minus malum, q̃ plus boni cõtinet. Sunt qui inducant hæc verba, τοῦτο γὰρ περιέχει καὶ κοινόν. Et certe haud ſcio, an non rectius abeſſe poſſint, & hic inculcata ex ijs, quæ ſequuntur. Quia tamen non mala eſt eorum ſententia, & in omnibus libris etiam ſcriptis, in veteri tralatione, & quod caput eſt in ipſo Scholiaſte Græco reperiuntur, non auſim inducere.

καὶ παράνομος.] Quod modo de iniquo, idem de παρανόμῳ h. loco adiungit, nempe abſq; dubio παράνομον dici poſſe, qui & plus boni & minus mali ſumit, eo q; & huius verbi vis latiſſime pateat, & omnia iniuſtitiæ genera complectatur. Verba autem iſta ἡ παρανομία, ἤτοι ἡ ἀνισότης, certiſſime ſunt ſpuria, & explanationem ſapiant [ſumpta ex margine] verbi τοῦτο ſupple παράνομος, vt recte vidit Muretus.

ἐπεὶ δὲ ὁ παράνομος.] Adhuc alteram iniuſtitiæ formam explicauit, eam cerni in bonis fortunæ, & his nominib. inſigniri, πλεονεξία, ἀνισότης, & etiã παρανομία. Verum de hac forma *infra* cap. ⸿x. & toto libro copioſius. Hoc loco de altera iniuſtitiæ forma diſputare incipit, q̃ vocat vere παρανομίαν. Xenophon *li. 4. de dictis & factis Socratis* ἀνομίαν. Quidam eam vocant legũ inobedientiam latine, & huic contrariam obedientiam, ſed non ſatis latine: Fortaſſe lego congruentiam hanc iuſtitiæ formam melius appelles. Eſt autem ea affectio, qua ſpditus aut obtemperat, aut non obtemperat legib. Oſtendit a. Ariſt. h. loco primum, omnia q̃ legibus definiantur, legitima ſeu νόμιμα, omnia inq̃ hæc eſſe iuſta, duabus rationibus, cum quia νόμιμος ſeu qui legib. paret, ſit iuſtus: nam qui nõ paret, certe eſt iniuſtus: tum, quia (τά τε γὰρ ὡρισμένα) q̃ νομοθετικὴ ſcientia ſeu facultas, quæ pars eſt Politicæ, præſcribit, q̃ quidē conſtat poſita ea eſſe quæ dicuntur legitima, iuſta etiam ab omnibus dici ſolent: *Quicquid inquam legibus definitur, iuſtum dicitur. At illa legitima legibus ſunt comprehenſa. Ergo & iuſta.*

Recte tamen adiungit πῶς, & *infra* ἕνα τρόπον, ſeu vno quodam modo, ſubindicans, legitima proprie non eſſe iuſta, ſed quodam modo, & communi iuſtitiæ notione. Nam cum legibus contineantur virtutum omnia facta: certe fortitudinis facta proprie dicenda ſunt fortia, non iuſta. Eademq; eſt in alijs virtutibus ratio; quæ, quia ſocietatem ciuilem vniuerſæ continent ac tuentur, quæ partes ſunt iuſtitiæ, non incommode

ad hunc modũ earum facta iuſta quoq; dici poſſunt. An.a.vera ſit propoſitio; ea q̃ legib.definiunt̃, omnia eſſe iuſta, in cõtrouerſiam vocari poteſt. Cic.certe *li.2. de ll. & 3.de Rep.* ap. Auguſtinũ *li.de ciuitate Dei cap.21.* id negat,& vult nulla dicenda iuſta,etſi legib⁹ cõprehenſa,niſi q̃ iuri ſint & æquitati cõſentanea:imo, ne quidẽ leges appellandæ,q̃ ſint pernitioſæ, q̃q; nõ tueant̃ ſocietatẽ communẽ, vt neq; præcepta Medicinæ, q̃ ab imperitis dant̃. Verũ Ariſt. aliter exiſtimat, etiam malas leges eſſe leges *infra* hoc cap. χεῖρον δ' ὁ ἀπεσχεδιασμένος: earum quoq; dicta & iuſta eſſe,aut dicenda iuſta *infra c. 9.* Nam eam Ciceronis diſputationẽ, magis Philoſophiæ & Iuri naturæ, q̃ ciuili & cõmuni ſenſui eſſe conſentaneam. Ex his iam perſpicuũ eſt, iuſtitiam eſſe quandã legum obſeruantiam: iniuſtitiam legum violationem, παρανομίαν ϗ ἀνομίαν. Quare & B.Ioan. *Epiſt 1. c.3. Peccatum*,inquit,*eſt ἀνομία*,nẽpe peccati nomẽ intelligens hanc iniuſtitiã communẽ. Et quidẽ paſſim in libris ſacris iuſtitia lege definiri ſolet.nihil aliud eſſe *Iuſtitiam*, quam legis à Moyſe præſcriptæ obſeruantiã,vt initio *Epiſt. ad Roman.* Atq; hunc in modũ iuſti & iuſtitiæ vocabulum pro bono & vniuerſa virtute,omnib. fere in locis ſacræ ſcripturæ accipi debet. Nã & vulgus ita fere loqui ſolet. Quare & Ariſtides olim ab hac cõmuni iuſtitia iuſti cognomẽ accepit,de quo Plutarch. *in eius vita.* Quod .a. iuſtitia hæc ſit legum obſeruantia, præclare explicat Plato *in Critone*,& Xenoph. *li.4.* Ariſtototeles quoq; *li. 1.Rhet.* virtutum genera deſcribit hunc fere in modum: ***Fortitudo eſt periculorum ſuſceptio ex legum præſcripto.***

οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι.] Paulatim & acute delabit̃ Ariſtot. ad materiã huius iuſtitiæ explicandã, quã, quia iam conſtat in legib. eſſe poſitã; pergit explorare, q̃ legũ ſint partes, quã lõge & late pateant. Ait igitur, leges de reb⁹ omnib. agere, q̃ ad communẽ vtilitatem pertineant,ſiue omnium, i.e. in populari Repub. ſiue optimis in Ariſtocratia, ſiue deniq; ijs, qui imperium teneãt,aut ex virtute,vt in regno,aut alio aliquo modo,i.e. ob diuitias & nobilitatẽ, vt in tyrãnide & oligarchia, qua de re Ariſt. *li.4.Polit. & infra li.8.* Hæc .n. maximè ſpectant leges, vt vtilitatẽ publ. conſeruent. Qua de re videat̃ definitio iuſtitiæ, [*Iuſtitia eſt affectio cõmuni vtilitati ſeruata, ſuũ cuiq; tribuens*] videatur & Cic. *in orat. pro Cæcin. & li. 3. de Rep.* eo loco apud Auguſt. Plato *li.1. & 2. de Rep.* ICti *in tit de Iuſt. & Iur.* Hoc .a. verbo publicæ vtilitatis continent̃ omnia virtutum præſcripta

&

Digitized by Google

& legũ. Quare quicquid virtutib. præcipitur, & legib. definiri ſolet. Et h.e. quod mox ait Ariſt. legib⁹ contineri, fortitudinis, tẽperantiæ, &c. facta. Ad hunc quoq; modũ intelligendum eſt ICtorum, illud, *Tria eſſe iuris pcepta: honeſte viuere, alterum nõ lædere, ſuum cuiq; tribuere.* Quod ſi accipias de iuſtitia & iure ſingulari, falſum videri poſſit: Neq; .n. vitæ honeſtatẽ ſed ſuã cuique tributionem eã præſcribit. Honeſtum igitur viuere ad cõmunem hanc iuſtitiam & ius pertinet, quo modo & Cic. *de 12. Tab. li. 1. de orat.* Ex his .n. & dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, iuſtus, atq; honeſtus labor, honoribus, præmiis atq; ſplendore decoratur: vitia autem hominum atq; fraudes, damnis, ignominiis, &c. Ex his perſpicuum eſt, late patere materiam huius virtutis, nempe quam late pateant leges, & proinde quam late omnes virtutes.

ὥς τε ἕνα μὲ τρόπον.] Iterat quod *ſupra* legitima eſſe iuſta, ſed aliis verbis. Nam pro legitima hic efficientia & conſeruantia beatitudinis: q̃ cum partes ſint legũ, fit vt beatitudinis conſervantia idem valeant quod legitima. Quod autem legibus pariatur & conſeruetur Societas cõmunis, beatitudo Reip. eiuſq; partes, nempe, omnia ad beatitudinẽ neceſſaria, diuitiæ, opes, & reliqua bona tam animi quã externa, præclare explicat Cic. *pro Cæcin. Mihi credite,* inquit, *maior hæreditas venit vnicuique veſtrũ à iure & legib quam ab iis, à quib. illa bona relicta ſunt.*

τὰ μὲ κελεύων.] Duæ ſunt omnium legum principes partes, *κελεύειν* & *ἀπαγορεύειν.* Nam vt Cic. eleganter *li. 2. de legibus. Lex,* inquit, *eſt ratio apta, ad iubendum & ad vetandum.* & aliis verbis: *Idonea ad imperandum & ad defendendum.*

αὕτη μὲ οὖν ἡ.] De ſuperiorib⁹ iam conſtat eſſe iuſtitiam quãdam vniuerſam ſeu generalem, & quib. illa in reb. cernat̃, quã longe lateq; pateat: eſſe deniq; quandã legũ obſeruantiam, & proinde virtutes omnes in ſe complecti. Et h.e. quod initio hic agit, perſpici poſſe è ſuperiorib. eam eſſe virtutem perfectã: & quidẽ reliquo h. cap hæc explicat de iuſtitia hac generali, quẽadmodum perfecta cenſenda ſit hæc virtus Deinde affert inſignem eius laudem: præterea foras eam ſpectare, ſeu ad alium: vſum cæterarum virtutũ in hac eſſe poſitã, eſſe bonum alienũ, eſſe virtutem præſtantiſſimã: poſtremo cõparat eam cum virtute in genere ſumptam. Et primum quidẽ, Eſſe quidem virtutem perfectam, non ſimpliciter & abſolute, ſed comparate. Nam vt *ſupra li. 1.* docuimus *c. 7. in fi.* virtutis perfectæ appella-

 tio

rio attribuit trib⁹, fortitudini, virtuti in genere, q̄ omnes ſub ſe ſpecies complectatur, & iuſtitiæ generali. Ex quibus duobus poſterioribus, virtus quidem in genere ſumpta eſt virtus perfecta abſolute; Iuſtitia vero generalis comparate. Nam illa in ſe, hæc in vſu ad alium ſpectatur, vt infra oſtendetur.

€ οὔθ' ἕσπερος οὔθ'.] Senarius eſt poetæ alicuius, quē Ariſt. ad laudem iuſtitiæ accommodat, eam & Lucifero & Heſpero (quas conſtat eſſe pulcherrimas ſtellas) eſſe pulchriorem. Cic. quoq; *li. 3. offic.* eam virtutum omnium reginā vocat, & apud Athenæum *lib. 12.* ex veteri poeta iuſtitiæ q̄dam pulcherrima afferuntur elogia, eius χρύσεον eſſe πρόσωπον, & alibi χρύσεον ὄμμα, adeo quidem, inquit, vt apud quoſdam aræ & res ſacræ ibi fiant. Et notum eſt, Deam à veteribus habitam eſſe.

€ παροιμιαζόμενοί φαμεν.] Maxime h. agit Ariſt, vt oſtēdat, hanc iuſtitiam virtutē eſſe pfectam. Id quod h. lo. etiam ꝓuerbio confirmat, ſeu verſiculo Theognidis, vulgo vſitato, cuius meminit & Iamblicus ap. Stobæum λόγῳ θ. *de iuſtitia*, vbi iuſtitiam vocat omnium virtutum συναγωγὴν.

€ τελεία μάλιστα ἀρετή.] Duas videtur p̄terea rationes afferre, q b. doceat hanc eſſe pfectā virtutē: prior eſt, quia virtutū omniū vſus ineſt & debet̃ iuſtitiæ. Nam virtutū vſus eſt cū alijs, pfectio eſt in ipſis, in qb⁹ eſt virtus. At vſus cū alijs & cōmercium, vti inq̄ alijs, ꝓprium eſt iuſtitiæ. Itaq; & virtutū facta omniū, quia ad alios explicant̃, in quib. factis earū vſus cōſiſtit: fit, inq̄, hac ratione, vt virtutū vſus iuſtitiæ debeat̃, q̄ rationem & *infra* cap. ꝓx. in fi. cōmemorat. Quæ q̄dē vt eximia iuſtitiæ nota obſeruatu eſt digniſſima. Hac igit̃ ratione pſpicit̃, eam eſſe pfectā virtutē, vt in qua omniū virtutū ſit vſ⁹: nō v. habit⁹.

τελεία δ' ἐστίν.] Altera eſt ratio, q̄a vti ea liceat nō in ſe tantū, ſed erga alium quoq; q̄ quia difficilius, eo & p̄ſtantius & perfectius. Formula ſit iſta: *Quibus vti liceat non in ſe, non ſecū duntaxat, ſed in alios, ea perfectiora cenſentur. At iuſtitia vſus maxime eſt in alium. Ergo perfecta videtur virtus.* Propoſitionis ratio ſubindicat̃ infra τοῦτο γὰρ ἔργον χαλεπόν, id eſt, quia difficilius eſt alijs bene vti, aduerſus alios bene ſe gerere, q̄ ſeipſum ſolum bene comparare. Ratio .a. ꝓpoſitionis ea eſt, q̄ diximus; quia difficilius vti alijs, q̄ ſe ſolo; q̄ oſtendit Ariſt. πολλοὶ γὰρ ἐν μὲν τοῖς οἰκείοις, multos namq; videas inquit, qui in rebus domeſticis non male ſe gerant: q tamē in conuictu valde ſunt inepti, & ad omnē ſocietatem duri, qualis ille apud Terent. Demea.

mea. Oſtendit idem Ariſtot. prouerbiali quodā dicto Biantis aut Solonis, vt alij, *Magiſtratu virū declarari.* Quod q dē dictū eſt celeberrimū, cuius mentionē fecit aliquoties Theophraſt⁹, teſte Schol. Græco & Plutarch. *in vita Ciceronis in fin. & in pceptis ciuilib.* Sophocles quoq; *in Antigone*, vbi, *diffi ile eſt*, inqt, *animū cuiuſq; cognoſcere, q magiſtratus nunq geſſerit.* Nā magiſtratus virū declarat, i.e. tum demū cognoſcitur q̄ pſtans quis ſit, q̄ etiā ſit improb⁹, cū ad Remp. quis acceſſerit. Nam in vita priuata cum latere multa poſſint, tum nō occurrunt difficultates magnæ. Ex his igitur conſtat, difficile eſſe vti alijs. Ergo & præclarum & perfectum. Nam certe perfectius eſt, & ſe bene comparare, & alijs bene vti, q̄ altero duntaxat eſſe præditum.

διὰ δὲ τὸ αὐτὸ.] Eadem ratione oſtendit iuſtitiam eſſe bonū alienum, nempe, quia eius vſus ad alium ſpectet, alij deſeruiat iuſtitia, ὅτι πρὸς ἕτερόν ἐστιν. Nam vtilitates affert ſocietati communi, Reip. aut principi. Quare & Cic. *li. 3. de Repub. Iuſtitia foras ſpectat, & proiecta tota eſt.* Et *eodem lib.* quæ præter cæteras totam ſe ad alienas vtilitates porrigit atq; explicat.

κάκιστος μὲν οὖν.] Antitheſi quadā docet, iuſtitia virtutē eſſe pſtantiſſimā, eaq; pditum virū, eſſe optimū, nempe, peſſimum qdem eſſe & deterrimū, q nō ſatis habeat, ſe ipſe male comparare, ſeu cui ſatis nō ſit vitijs inquinatū eſſe, ſed alijs pterea noceat, in alios ſit maleficus: contra .v. optimū eſſe, qui cum ipſe virtute ſit ornatus, tum alijs vt proſit, det operam. Adiungit rationem, cur iuſtus ſit vir optimus, quia difficile ſit etiam alijs pdeſſe, & h. eſt, q ait, τοῦτο γὰρ ἔργον, vbi ſine dubio inducendum eſt verbum χαλεπὸν, vt ſpurium & ἐξηγητικὸν τοῦ ἔργου, quod valere χαλεπὸν, elegante phraſi oſtendimus *ſupra.*

τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετή.] Comparat h loco iuſtitiam generalē cum virtute: eſſe q dē eandē, re, ſeu, vt vulgo loquūr, ſubiecto, non tamē ratione λόγῳ, ſeu τῷ εἶναι. Id .n. valet τῷ εἶναι h. loco, vt & alias ſæpe, non eſſentia, vt quidā vertunt. Re igit. hæ duæ affectiones ſunt eædem, natura earum eſt eadem: actio eſt diſſimilis. Nam virtus eſt habitus, id eſt, habentis perfectio, & ratione perfectionis definit. Iuſtitia .v. actionis diſſimilitudinē affert, actionem ſpectat, foras pminet, diciturq; nō perfectionis ratione, ſed vſus ad alium, quemadmodū in Phyſicis mens Theoretica & practica re & ſubiecto eſt eadem, vſu & actione diſcrepat. Et hæc huius loci eſt ſententia, varie q dē reddita, ita tamē reddendi: eſt q dē eadem ſc. re, ratione tamen nō eadem,

CAPVT II.

COMMENTARII.

Ζητοῦμεν δέ γε τὴν ἐν μέρει.] Explicata generali iuſtitia, pergit ad eam, q̃ tanquã pars illi ſit ſubiecta, propterea quod conſiliũ Ariſtoteli omne in hoc libro ſit hanc potiſſ. explicare: hanc inquit h. loco & in Magnis, q̃rimus. Nam tota hæc tractatio eſt ſingularum virtutum. Nam de vniuerſa, cui reſpõdet generalis iuſtitia, initio, i. e. *li.* 2. & 3. dictũ eſt. Itaq; h. loco de ſingulari iuſtitia diſputaturus, primũ exquirit, an ſit, deinde, q̃ & qualis.

ἔστι γάρ τις ὥς φαμεν.] Puto & in his verbis argumẽtum latere à communi ſenſu ductum, quo doceatur eſſe iuſtitiam aliquã ſingularem, maxime, in his verbis, *ὥς φαμεν*, quæ valent, non vt vulgo reddunt, dicimus, ſed vt vulgo dicitur & exiſtimatur, *ὥς φαμεν*. Docere igitur videtur, quia vulgo exiſtiment & nominent quandam iuſtitiam, ex eo eſſe quoq; quandam.

σημεῖον δ' ὅτι.] Hoc loco potiſſimum affert argumenta, eaq; tria. Primum eſt obſcurius, *κατὰ μὲν γὰρ τὰς*, &c. Eiuſmodi, quia ſingulorum vitiorum facta ſunt iniuſta quidem, nõ tamen Pleonectica. Quod vt intelligatur, repetendum eſt, facta iniuſta duo eſſe, Pleonectica & Paranomica. Hæc ſit formula:

Si vna duntaxat, eaq; communis eſſet iniuſtitia, quæ eadem eſt cum vitio: efficeretur ergo, vt iniuſtitiæ facta illa duo, ſingulis iniuſtitiæ ſeu vitij partibus attribuerentur. Nam vt genus, ita & generis attributa ſeu conſequentia ſingulis formis conueniunt & attribuuntur. At hoc falſum. Ergo & illud.

Falſum hoc eſſe, i. e. duo illa iniuſtitiæ facta nõ attribui ſingulis vitii partib. inductione declarat Ariſt. attribui quidẽ alterũ paranomiæ, ſed nõ pleonécticũ, verbi gratia, Ignauiter quid agentẽ, vt ſcutum abiicientem ob ignauiam: maledicentẽ alii ob moroſitatem, aſperitatẽ, nemini opitulantẽ, ob auaritiam: hos omnes dici quidẽ iniuſtos, nẽpe ob alterũ iniuſtitiæ factũ, quia ſint *παράνομοι* & legib. non pareant, nõ tamen *πλεονέκτας*. Sic amplius & vice verſa pleonectes quis eſſe poteſt, vt tamen neq; ſit ignauus, neq; auarꝰ, neq; alio vllo vitio, aut certe nõ omni coopertꝰ. Quare cũ duo hæc iniuſtitiæ facta ſæpe nõ concurrant, ſit vt duplex quoq; naſcat̃ iuſtitia, altera cõmunis õib. vitiis, reſpõdẽs paranomiæ: altera ſingularis, ꝓpria pleonexiæ.

ἔτι εἰ ὁ μὲν τοῦ κερδαίνειν.] Altera ratio, cõparatione adulterorũ duorũ explicat̃. Ponantur duo, quorũ alter pecunia impulſus cõmittat adulteriũ, alioquin non cõmiſſurus: alter, vt cõmittat

tat, etiã pecuniã inſuper addat, vt fit, & damnũ faciat: hic vt ſola libidine impulſus dicet̃ intẽperans, ille nõ item; vterq; facit quidẽ iniuſte communi & paranomica iniuſtitia: alter tamen proprie intemperans, alter iniuſtus, quia hic ob lucrũ, ille ob libidinẽ. Quare cum diſſimili ratione hi ſint iniuſti, alter, quia contra leges, alter, quia ob lucrum: fit, vt duo ſint ponenda iniuſtitiæ genera, alterum παράνομον, alterum πλεονεκτικόν,

ἔτι περὶ μὲν τἆλλα.] Tertium eſt argumentum, non tam rei, quam nominis & verbi, id eſt, hoc argumento docet Ariſt. poſtquam de re ſingulari huius iniuſtitiæ conſtat, eius nomen nullum eſſe proprium ſed commune. Et quidem hunc in modum, exemplo cæterorm vitiorum, iniuriarum potius:

Iniuriæ, inquit, *cæteræ ſuum quæque nomen habere ſolent, ad ſuum quæque vitium referri. Atqui iniuriæ pleonecticæ ſuum nullum eſt nomen, ad nullum peculiare refertur vitium. Ergo communi gaudet nomine*: & proinde, iniuſtitia quædam eſt communis, quædam ſingularis.

Siue, vt cõplectitur Ariſt. Ergo fit, vt cõmunis quædã ſit iniuſtitia, quæ propriæ & ſingulari ſit ſynonyma, id eſt, fit, vt vtriuſq; idem ſit nomen. παραστάτην vocabulum militare, qui proximi ſunt in acie. Latine efferre non poſſumus.

συνώνυμος.] Mirum videatur, cur, cum ſupra communem & ſingularem iniuſtitiam vocarit Homonymas, nunc dicat Synonymas: quæ inter magna eſt differentia. Verum id diſſimili ratione accidit: nam quia in genere conueniunt, quia eadem vtriuſque eſt ratio & definitio (quod proprium eſt ſynonymorum) nempe quod vtraq; ad alium referatur; hactenus recte dici poſſunt ſynonymæ: qua vero in diuerſis rebus, communis in iis omnibus, in quibus lex, ſingularis in bonis fortunæ duntaxat, cernuntur: hactenus recte dicuntur ὁμώνυμαι, vtpote non plane eædem, re & materia diſcrepantes,

σωτηρίαν.] Vocat σωτηρίαν, omnia ad vitam tuendam neceſſaria, q̃ huius verbi notio, vt rarior, obſeruatu eſt digniſſima.

ἢ εἴ τινι ἔχοι.] Laborat Ariſtoteles, vt vno verbo materiam iniuſtitiæ ſingularis complectatur; quod eſt perdifficile, propterea quod multæ eius ſint partes. Poſſet quidem vno verbo dici bona fortunæ, ſed vtendum eſt vocabulo communi; Ariſt. vocat lucrum & damnum, neq; id proprie: nam hæc eius potius ſunt adiuncta quædam.

ὅτι μὲν οὖν εἰσί.] Explicato, an ſit, iam pergit explicare, quæ ſit

iniuſtitia, de qua agitur, ſingularis. Hæc enim duo τὶς & ὁπῶ-
τις Ariſtoteli plærunque ſunt ἐκ παραλλήλου, id eſt, pro eoder
ponuntur. Et primum quidē hanc cum communi etiam com-
parat, repetit quoq; nonnulla, q̄ ſup. ſunt explicata de cōmun

τὴν ὅλην ἀρετήν.] Fortaſſe τὸ ἀρετὴν inducendū: nā intellig-
tur δικαιοσύνην, quare & in Scholiaſte Græco non reperitur.

διώρισται.] Repetito, quod ſup. explicatum eſt, iniuſtum par-
tim eſſe παράνομον, partim iniquum; iuſtum vero partim leg-
timum, partim æquum: adiungit vtriuſq; iniuſtitiæ compara-
tionem, proinde & iuſtitiæ. Nam in paranomo cernit genera-
lem, in altero ſingularem: quæ inter hæc ſit differentia, quod i-
la paranomica ſit tanquā totum, hæc partis loco: nam παράνο-
μον complectitur iniquitatem tanquam partem: omne namq
iniquum eſt παράνομον, id eſt, quicquid contra æquitatem,
dem eſt contrarium legibus, ſed non contra, non quicquid le-
gibus eſt contrarium, idem continuo eſt iniquum. Verbi gra-
Scutum abiicere eſt παράνομον, non tamen iniquum.

ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον.] Magna eſt hic ſcripturæ varietas; editi ta-
men libri plæriq; conſentiunt, ſed vetus tralatio inter hæc ver-
ba ὅλον & τὸ μὲν γὰρ πλέον, habuit interiecta hæc omnia verba
τὸ μὲν γὰρ ἄνισον πᾶν, παράνομον: τὸ δὲ παράνομον οὐχ ἅπαν ἄνισον
Quod probat Dionyſius Lambinus, Argyropylus, Aretinus
& Anonymus quidam peruulgatam ſcripturam reddiderunt
At Perionius illa veteris tralationis interiecta expreſſit, indu-
ctis his noſtris. In Eudemiis nihil eſt varietatis aliud, quan
initio: ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον, καὶ παράνομον, καὶ τὸ πλέον, &c. Scholia-
ſtes Græcus vulgatam ſcripturam tuetur, quæ ſine dubio men-
doſa eſt, cum propter varietatem veteris tralationis, & Eudem
tum propter ſententiam. Neque enim comparat Ariſtotele
plus cum iniquo, vt partem cum toto, ſed comparat iniquum
cum παρανόμῳ, vt partem cum toto, in hunc modum: I
paranomo, inquit, cernitur communis iniuſtitia: Iniquum au-
tem, quæ eſt altera iniuſti pars, non idem valet, quod parano-
mon: ſed longe ea duo inter ſe diſcrepant, & quidem vt pars
toto: omne namque iniquum eſt paranomon, ſed non contra
vt iam explicauimus. Itaq; vel ſic eſt legendum cum Perionio
quia aūt iniquū nō eſt idē, ſed aliud, tanquā pars totius (omn
namq; iniquū eſt παράνομον, nō vero omne παράνομον eſt ini-
quum) efficitur καὶ τὸ ἄδικον, καὶ ἡ ἀδικία, i. vt iniuſtum & iniuſti-
tia, vtraq; non ſit eadem, ſed inter ſe diſſimilis, altera quidē pa-
tis lo

Digitized by Google

tis loco, altera tanquam totum: vel meo quidē iudicio, rectius omnia hæc ſunt inducenda, & legendum, ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον οὐ ταὐτὸν, ἀλλ' ἕτερον, ὡς μέρος πρὸς ὅλον: καὶ τὸ ἄδικον, id eſt, *quia autem iniquum non idem, ſed aliud, vt pars ad totum: certe & iniuſtum & iniquum, non erunt eadem.* Atq; ita ſcribendum indicant hæc verba ἕτερον & μέρος, quæ ſubindicant de vno tantum agi, nempe de iniquo: & proinde alterum, nempe παράνομον non fuiſſe exprimendum. Illa autem τὸ μὲν γὰρ πλέον; aut, vt alii ſupponunt, τὸ μὲν γὰρ παράνομον; aut, vt alii hæc duo coniungentes, clamant ipſa ex interpretatione manaſſe, & hic interiecta, dum alius aliud explicat, & affert, quemadmodum intelligendum ſit, quod Ariſtotel. dixerat, harum iniuſtitiarum eandem eſſe rationem, quam partis ad totum. Ad eundem modum in hac ipſa re peccatum fuit *ſupr. in medio cap. 1.* ibi, ἔστι δ' αὐτὸς. Verum de hac differentia videatur inſignis diſputatio Chriſtophori Hennii *libro 3. de principiis iuris*: An hæ duæ affectiones altera partis, altera totius: an vero altera ſpeciei, altera generis locum obtineat.

ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν ὅλην.] Perfecta cōparatione monet de iuſtitia & iure, q̄ partiū ſint loco, agendū ſibi eſſe: de altero genere eſſe prætermittendū, quia non ſit huius loci, vt *initio huius cap.* oſtendimus: q̄ tamen, iuſtitiā dico generalē & ius ei cōgruens, priuſquā omittat, breuiter ea, q̄ *ſup.* ſunt explicata, repetēs, affert tam iuſtitiæ, quā iuris definitionē de ſuperiorib. manātem. Et quidē iuſtitiā nil eſſe aliud, quam vniuerſæ virtutis, aduerſus alios, vſum, quod *ſupr.* eſt explicatum: vbi quod prætermiſimus, nunc monendū eſt, Ariſt. hac quoq; in re à Platone longe diſſentire. Plato namq; *lib. 4. de Rep.* iuſtitiam generalē plane cum virtute perfecta confundit, & Pythagoricos imitatus (qui multa de numeris & muſicis ad philoſophicas diſputationes transferre ſunt ſoliti) ait eſſe nihil aliud, quam animi partium rationis, iræ & libidinis, harmoniam & concentum: ad ipſum interiorem hominem refert iuſtitiæ vim & ad eius perfectionem. Ariſt. autem, iuſtitiam omnem alio ſpectare ait: hominis perfectionem virtuti perfectæ attribuit, & hac in re virtutem à iuſtitia generali differre: quod illa hominē perficiat, altera ad alterius vſum ſe cōuertat, & foras ſpectet, cum illa intra hominem tantum conſiſtat: & rectius quidē, ſenſuiq; communi conuenientius: vulgo namq; de iuſtitia omnes ſic exiſtimant, eſſe eam virtutem, cuius vis omnis in ſocietate & alterius vſu verſetur.

καὶ τὸ

καὶ τὸ δίκαιον ϛ.] Hic de iuris definitione, quod quidem ius non definit ipſe, monet tamen, quemadmodũ ſit definiẽdum, idque perſpicuum eſſe: nam cum ius, vt & iuſtitia illa, cernatur in legitimis, id eſt, in iis, quæ legibus præſcribuntur: legitima autem ſint omnia virtutum officia: efficitur, vt ius nil ſit aliud quam virtutum officia. Legibus autem contineri virtutum officia, id eſt, τὰ νόμιμα eſſe τὰ πρακτέα, ſeu quæ aguntur ab vniuerſa virtute, etſi *ſupra* iam docuit, hic tamen diſtincte explicat. Lex enim, inquit, iubet, quæ ſingulis virtutibus ſunt conſentanea, & vetat, quæ vitiis.

τὰ δὲ ποιητικὰ τῆς ὅλης.] Scholiaſtes Græcus ait, hæc eſſe ἐξηγητικὰ, ſeu afferre explicationem eius, quod dixerat, τὰ νόμιμα eſſe virtutum officia. Mihi alio videtur ſpectare Ariſt. & afferre potius diſtinctionem τῶν νομίμων, id eſt, legitimarum: vt intelligatur, de quibus hic locus ſit accipiendus. Quod vt intelligatur, commemorat & duo παιδείας genera, alterum publicæ, alterum priuatæ. Publica παιδεία eſt ea, quæ legibus continetur. Verbi gr. cum in genere vetantur adulteria, cædes, & alia delicta, ad omne vitii genus pertinentia, quo genere παιδείας communis ſocietas & Reip. vinculum continetur; eoq; omnes ſunt vſi, quorum aliqua fuerit Reſp. Alterum eſt genus παιδείας καθ' ἕκαστον, quo ſingulæ hominum ætates & ſinguli homines informantur: vt cum officia præſcribuntur adoleſcentib. viris, ſenib. Quod quidẽ genus etſi vtiliſſimũ, etiã ad τὸ κοινὸν [commune vocat Cic. *lib. 1. de Rep.*] à multis tamen Rebuſp. abfuit, à multis legum ſcriptorib. fuit prętermiſſum. Qua de re cõ queritur Ariſt, *l. 10. in fi.* ita & *in Polit. l. 7. & 8.* & Plato *multis in locis, & in lib. de legib.* cui quidem tanti fuit hæc poſterior παιδεία, vt in ea totos fere decem *de Republica* libros conſumpſerit, & aliquot *de legibus*. Et nominatim *lib. 4. de Republica*, præclarius eſſe ait, in hac elaborare legum ſcriptores potius, quam in rerum forenſium & iudiciorũ deſcriptione: in quibus deſcribendis & ſubtiliter explicandis qui multam ponunt operam, eos ait deſipere, & tanquam hydræ capita velle amputare. Quo tamen in genere tota ars ciuilis verſatur. De hac autem παιδείας diſtinctione *infr. lib. vlt. c. vlt.* copioſius agit Ariſt. & expreſſit eam Plato *lib. 5. de Republica. in principio.* Idem *libro ſeptimo de legibus*, rationem afferre videtur, cur plæriq; legum ſcriptores poſteriorem prętermiſerint, quod videatur minuta & non ſatis ſplendida conſectari de puerorum & ſingulorũ hominũ inſtitutioni-

tationibus. Ad hanc poſteriorem παιδείαν pertinent hi libri *de Moribus*, quibus ad virtutes homines ſinguli informantur, quibus redduntur viri boni. His explicatis & præmunitis, videamus, quid dicat Ariſt. Ait igitur, legitima ſeu νόμιμα, quæ cauſæ ſint efficientes, omnium virtutum eſſe ea, quæ cõmuni illa παιδεία continentur. Quod notũ erat omnibus, legib. ad Reip. ſtatum pertinentib. cõmuni παιδεία cõprehenſis, impelli homines etiã ad virtutes, eſſe illa ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς, ſeu illa νόμιμα efficientia virtutis, quod *infra* oſtendit latius *libro 10. cap. vlt.* & *ſupra* nos ex Cicerone *libro 1. de Orat.* Nam de παιδεία priuata & ſingulorum, id eſt, de legibus hac comprehenſis, de νομίμοις huius παιδείας non ſunt intelligenda, quæ hactenus de νομίμοις ſunt dicta; nam tametſi vel maxime hæc poſterioris παιδείας νόμιμα virtutis ſint efficientia: tamen vulgo hæc non habita fuerunt νόμιμα, neque à legum ſcriptoribus agnita; &, vt hoc loco ait Ariſt. dubitari & quæri poteſt, an hæc poſterior παιδεία ad Politicam & legũ ſcriptores pertineat. Cur ita, quæſo? Rationem adiungit Ariſtot. eo quod Politicæ officium eſt, reddere bonos ciues, quod fit priore παιδεία, legibus vtiq; ad ciuitatis ſtatum pertinentibus: non vero reddere bonos ciues, quod ad poſteriorem pertinet: ſiue, vt paucis verbis reddit ratione Ariſt. quia non idem fortaſſe eſt vir bonus, & bonus ciuis, non ad eandem pertinent facultatem. Itaq; quod ait Ariſt. poſterius hac de re ſe explicaturum, intelligendum eſt, *li. 10. c. vlt.* vbi docet Ariſt. Politicæ officium eſſe, explicare non tantum priorem, ſed & poſteriorem παιδείαν. De ratione autem, nempe an vir bonus & bonus ciuis ſint idem, explicat alio loco Ariſtoteles *libr. 3. de Republ.* vbi docet, in ſola Ariſtocratica & optima Republica eundem eſſe virum bonum & bonum ciuem. In cæteris, quantopere hi inter ſe diſcrepent, indicauit & Cic. *in Epiſtola ad Lentulum*: *Ego*, inquit, *cum ipſa quaſi Republica ſum collocutus, vt mihi tam multa pro ſe perpeſſo atque perfuncto concederet, vt eum quem bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum virum eſſe pateretur.* [Neque enim in eodem ſtrato verſatur ſcientia, in quo virtus.

τῆς δὲ κατὰ μέρος.] Hic tandem accedit ſerio ad explicandam ſingularem iuſtitiam, & ius ei congruens. Vtitur autem diuiſionis organo, ad eorum naturam inueſtigãdam, propterea quod non vna earum ſit ratio, neq; in iiſdem plane verſentur rebus. Et primũ quidẽ de materia: poſtea de forma ſeu mediocritate:

critate: primũ quoq; de habitu: poſtea de factis ſeu iure & iniuria. Facit igitur bipartitã iuſtitiã: Alteram, q̃ in diuiſione, quam vocat διανεμητικὴν: alteram, quæ in correctione, quam vocat ἐπανορθωτικὴν, & διορθωτικὴν, cernatur. Illius materiam duabus in rebus potiſſimum conſiſtere, vt in honorib. quales ſunt magiſtratus & dignitates, victus publicus, ſigna coronæ, & id genus alia honorum genera. Et in re, ſeu χρήμασι, quo in genere eſt pecunia, agri, vineæ, &c. Vel horum duorum generum vna eſt conditio, quod debeant eſſe publica & communia vtraque ſeu κοινά. Neq; enim hic agitur de præmiis priuatorum inter ſe, aut de bonis priuatorum diuidendis, ad quæ pertinet alterum huius iuſtitiæ genus. Alteri generi iuſtitiæ materiam tribuit vno nomine comprehenſam συναλλάγματος. De quo verbo, quia eius cognitio tam huic iuſtitiæ parti, id eſt, ſpeciei, quam Iureconſulto, cuius & hæc eſt materia, plurimum conducit, & quia multiplex eſt eius notio: paulo diligentius agamus. Et quidem origo vocabuli ſuadere videtur, vt de iis dicatur rebus ſeu negotiis, quibus homines dando & accipiendo facultates inter ſe permutent, quod fit penſionibus, mutuationibus, &c. Nam παρὰ τὸ ἀλλάξαι, à permutando, ex quo συναλλαγεῖν, res cum aliquo contrahere. Huic geminum eſt ſymbolæon, & priore vſitatius. Iureconſulti cõtractus vocabulo exprimunt, quo tamen Cic. nunquam eſt vſus, qui pactũ & pactionẽ, & ſæpe res cõtrahendas dicit. Et hæc quidem vera & propria huius verbi eſt notio, cum ob notationẽ & originẽ, tum quia plæriq; ita eo ſint vſi. At enim Ariſt. latius eo eſt vſus: neq; enim contractus duntaxat, ſed delicta & ſcelera, omnia deniq; ciuilia negotia, teſtamenta, nuptias, meo quidem iudicio eo eſt cõplexus. Quæ tamen tam late patens huius verbi notio, haud ſcio, an apud vllũ præterea ſcriptorẽ reperiat̃. Ad eundẽ modũ & ſymbolæon latius trãſtulit. Nam quæ hoc loco vocat συναλλάγματα ἑκούσια, ea *lib. 9. cap. 1.* vocat συμβόλαια ἑκούσια, atque huic tam late patenti notioni, quod reſpondeat Latinum vocabulum difficile eſt reddere. Videntur tamẽ Iureconſulti contractus vocabulum eo interdum porrigere: nam & contrahere fraudem, & delictum dicunt, & Triphoninus *in l. ſi rerum. D. de re iud. Ex malo*, inquit, *contractu ſeu delicto.* Eſt & tertia huius verbi notio anguſtior prioribus, & Iuri ciuili propria: Vocant enim Iureconſulti συνάλλαγμα, negotium, ex quo actio ciuilis naſcat̃. quare pacta proprie dicta carere dicunt̃ συναλλάγματι.

λάγματι. Contractus dicuntur habere συνάλλαγμα, vt affert Vlpianus ex Ariſtone ICto, *in l. iuris gentium ff. de pact.* Eſt & quarta notio item ICtis tantummodo nota, anguſta quoque, qua nō omnes cōtractus, ſed certos duntaxat, ex quib. vtrinq; naſcatur obligatio, qualis venditio, emptio, locatio, complectantur. Mutuum igitur, commodatum, & ſtipulatio non ſunt συναλλάγματα, vt ex quibus vtrinq; non naſcatur obligatio. Ita Vlpianus ex Labeone ICto *l. 16. apud Labeonem. ff. de verb. ſig.* [qui vendit, obligatus eſt vt tradat: Loco domū, equū, teneor tradere tibi domū, &c. tu contra perſoluere mercedem, vtrinq; naſcitur obligatio; in aliis; in mutuo, &c. petis *100.* coronatos mutuo, es obligatus, vt reddas, ego tibi non ſum obligatus: Stipulatio, promiſi *100.* coronatos, ego ſum obligatus ad perſoluendum, tu mihi non es obligatus: contractus ex quib. vtrinq; obligationes, vocant ICti συναλλάγματα, cæteros non. Vere autem & proprie συνάλλαγμα eſt omne negotium, quo nos inuicem commutamus facultates.] Ex his perſpicuum eſt, quatuor eſſe huius verbi notiones, vnam latiſſime patentem, cæteras anguſtiores, aliam alia: Propriam autem eius notionem eſſe primam, quâ ciuilia omnia rerum contrahendarum negotia comprehendantur: hanc omnib. ſcriptorib. eſſe vſitatam, illam Ariſtoteli duntaxat: cæteras duas ICtis. Ex his quoq; perſpicuum eſt, quā late pateat iuſtitiæ huius materia, & q̄ ea ſit, quæ quidem eadem eſt iuris ciuilis. Quod ICti enim tribus verbis, perſonarum, rerum & actionum, id vno συναλλάγματος vocabulo complectitur h. l. Ariſt. [Actiones omnes ciuiles vel ſunt publicæ, vel priuatæ. Publicæ illæ, verb. gr. ſi legem ferat magiſtratus, conſtituatur magiſtratus, bellū geratur, honorariū decernatur. Priuatæ illæ, quæ cernuntur inter ciues: In publicis Politica cernitur, verſatur legiſlatio; In priuatis ius ciuile cernitur: contractus & quædā alia negotia, quæ hoc vocabulo contractus contineri non poſſunt, vtpote tutela, nuptiæ, teſtamēta, ſeruitutes; præterea ſunt delicta, ſcelera ſiue peccata. Hæ ſunt actiones priuatæ, in quib. tanquā in ꝓpria materia verſat̃ I.C.]

τὸ δὲ συναλλαγμάτων.] Emendatricē iuſtitiā partitur à materia: nam duas eius eſſe partes, vt hęc materia eſt duplex. συναλλάγματα namq; eſſe partim voluntaria, partim non voluntaria: nam cum pacta aut actiones partim ſint voluntariæ, partim non: merito & συναλλάγματα item ſunt partienda, vt quæ priuatæ ſint actiones. Voluntaria συναλλάγματα

eſſe

eſſe ait, quorum principium ſit voluntariũ: recte: nam ex principio, vt ſumma rei cuiuslibet cauſa, res ſpectari ſolet, atque ita licet poſterius, hæc *συναλλάγματα* fiant neceſſaria, nihilominus recte voluntaria ſunt dicẽda. Quemadmodũ *ſup. l. 3.* virtutes & vitia docuimus eſſe voluntaria, quia principiũ eorũ ſit voluntariũ: nam habitu iam conſtituto, non amplius eſſe voluntaria. Et hoc eſt, quod ICti toties inculcant, contractuum principia inſpicienda, voluntatis eſſe contrahere, neceſſitatis contractum expetere, *l. ſi quid initio. C. de oblig. & act. l. in commodato. § ſicut. D. commodat.* Et Lucian. *in Abdicato: Voluntatis,* inquit, *eſt adire arbitrum, neceſſitatis, arbitris, ſeu ſententia arbitri dicta, ſtare, &c.* Dicuntur igitur voluntaria de principio: nam & *ſup. lib. 3 initio* definiuimus voluntaria ſeu ſponte facta, quorum principium in nobis ipſis ſit noſtraque poteſtate poſitum. Huius generis ſunt emptio, venditio, mutuum; commodatum, depoſitum, pignus, locatio, ſponſio, & alia cõtractuum genera. Huius generis quoque pono teſtamenta, donationes, nuptias, traditionem, poſſeſſionem, dominium, &c.

τῶν δ' ἀκουσίων.] Alterum *συναλλαγμάτων* genus, quæ vocat non voluntaria, & quorum principium in noſtra non ſit poteſtate, eaq; facit bipartita, partim clandeſtina & occulta, partim vi facta: Hac ratione, quia *ſupra* docuimus *lib. 3. initio*, ἑκούσιον aliud in ſcientia, aliud eſſe vi adhibita. Et hæc quidem ἀκούσια ſunt non eius ratione, qui ea ſuſcipit, ſed eius potius, in quem aguntur, qui vel ignorans, vel vi coactus violetur. Occulta ſunt, furtum, adulterium, veneficium, lenocinium & perductio: id namque valet *προαγωγεία*, ſeu potius perductio. Nam perperam Interpretes: Lenonum duo ſunt genera: alii ſcortorum & volentium, alii etiam inuitatum & honeſtiorum. Hoc proprio nomine Græci *προαγωγοὺς*, Latini perductores vocant, non vt plærique etiam volunt productores. Cicero 3. *Verrina & 7. Abduxit*, inquit, *eum de foro, non vt ipſe prædicat, perduxit.* Aſconius *in 3. Verrinam.* & elegantiſſime Plaut. *in Moſtell.* Tertullianus *in Apologet.* [*πρὸ* præpoſitio non ſemper id, quod *pro* latine valet, ſed interdum *per*; cõtra rationem enim ſæpe vtimur conſuetudine.] Huius quoq; generis eſt actio ſerui corrupti, ſeu delictum, vt Iuteconſulti vocant, *δουλαπατείαν* Ariſt. vocat. Eorum quæ vi, ſunt rapina, membrorum debilitatio, aut mutilatio, maledicta, contumeliæ, vincula, mors, ſeruitus, & *αἰκία*, pulſatio, aut verberatio. Tria namque iniuriæ

faciunt

ſaciunt genera; vnum, quæ pulſatione corpus, alterum, quæ aures conuitio, tertium, quæ turpitudine vitam commaculet; [inquit Cornificius *ad Herennium*] id eſt, vt Græce Libanius *in Orat. contra Midiam*, αἰκία διὰ πληγῶν, per plagas, verbera, κακηγορία διὰ λόγων. Tertia ὕβρις communi nomine, & quidem omnium rariſſima. Eſt & oratio Lyſiæ περὶ αἰκίας.

QVÆSTIONES.] Quæro, cur iuſtitiæ ſingularis duo duntaxat ſint genera, & cur iſta, cur deniq; his nominibus? præſertim cum Ariſt. *in lib. de virtutib.* tria faciat iniuſtitiæ genera, ἀσέβειαν, impietatē, πλεονεξίαν & ὕβριν, petulantiam: qua quis alterum mera petulantia, nullo licet commodo propoſito lædit. Præterea Cic. *in Offic. lib. 1. de Fin. lib. 2. artis Rhetor. & in partit. Orat.* Cornificius quoq; *ad Heren. lib 3. in princ.* multas afferunt iuſtitiæ partes & officia, religionem, pietatē, gratiam, obſeruantiam, veritatem, liberalitatem, bonitatem, comitatem, fidem, lenitatem, & amicitiam. Et Plato *in Dialogo* περὶ ὁσίου, *& in Protagora*, ſanctitatem ſeu ὁσιότητα. Quæ omnia vt intelligantur, ſciendum & repetendum, Ariſtotelem his libris explicare Politicam, & quæ ad eam pertineant, quæ non pertineant, prætermittere. Iam vero, quia ſupra oſtendimus, iuſtitiam ſingularem verſari in bonis fortunæ: ea autem ſint vel publica, vel priuata: hinc exiſtit bimembris iuſtitia, quarum altera in rebus publicis, altera in priuatis verſetur. Rerum autem publicarum, quia nullum eſt commercium ſeu ἀλλαγὴ, ſeu permutatio, ſed potius donatio duntaxat & diuiſio: fit, vt quæ in rebus illis cernitur iuſtitia, merito dicta ſit διανεμητικὴ, qua præmia & pœnæ pro dignitate tribuantur; alia eſt rerum priuatarum ratio, quæ variis commerciis & perturbationibus in alios transferri ſolent: Quare & harum iuſtitia in Synallagmatis cerni dicitur, in quibus propter priuatorum infinitas fraudes, & ipſarum quoque rerum varietatem infinitam, quia ſæpe peccatur, & multæ deprauationes exiſtunt: fit, vt quæ eas fraudes corrigat & emendet iuſtitia, recte dicatur ἐπανορθωτικὴ ſeu διορθωτικὴ. Hæc igitur eſt cauſa, cur duo tantum iuſtitiæ huius ſint genera, cur iſta, & cur his nominibus. Cur autem omnes illæ iuſtitiæ partes & officia, quæ ex Cicerone & aliis attulimus, huc non pertineant, modo diximus, nempe, quod proprie ea non ſint Politica, non ſint ciuilia, ſed potius naturalia, & ex naturali ratione manantia. Qua de re infra dicetur latius, vbi explicabit Ariſtoteles expreſſe, de

quo iure & iuſtitia hoc loco agatur. Eſt & altera ratio ſeu cauſa huius bimembris diuiſionis, quia diſſimilis ſit ratio comparationis & *ἀναλογίας*, in vna alia, quam in alia, hoc eſt, quia in quibuſdam rebus ſola rerum ſpectetur æquatio: in aliis etiam perſonarum ratio habeatur, &c.

CAPVT III.

COMMENTARII.

ἐπεὶ δ' ὅ, τε ἄδικος ἄνισος.] Explicata materia, & huius ratione, non formæ, vt illi putarunt, allata diuiſione: accedit ad formam, nempe ad mediocritatem, eamque explicat tribus ipſis totis capitibus proximis. Vtitur autem iuſti potius quam iuſtitiæ vocabulo, vt opportuniore ad mediocritatem explicandam. Quod quidem hac de re admonuit, quód nonnulli hanc diſputationem de forma perperam partiatur, quaſi primum de iuſto, poſterius agatur de iuſtitia *infr. cap. 5. in fin.* *ἡ δὲ δικαιοσύνη μεσότης ἐστιν*, &c. Perperam, inquam, eo namq; loco nihil aliud quam comparat mediocritatem huius virtutis cum aliis, iam ante explicatam: nam ex coniugatorum natura quæ iuſti, eadem & iuſtitiæ eſt ratio. Et perſpicuè *in Magnis* interdum iuſti, interdum iuſtitiæ vtitur vocabulis. Partiamur igitur hanc diſputationem in duas partes, quarum priore communiter, poſteriore ſingulatim de mediocritate explicetur. Communiter quidem iuſtitiam eſſe mediocritatem, & qualis ea ſit: poſtea ea ſingulis iuſtitiæ generibus accommodat, refutata & Pythagoricorum de talione ſententia. Hoc igitur capite communia, & de altero iuſtitiæ genere, quod in diuiſione, explicat

ἐπεὶ δ' ὅ τε ἄδικος.] His verbis duo docet Ariſt. iuſtum eſſe medium, & eſſe æquale: q̃ verba tamen, vt perturbatiora (nam quod primum ſignificat, docere ſe velle, iuſtum eſſe mediũ, id poſterius tandem explicat & concludit) ita obſcuriora. adhibita analyſi tamen, explanemus hunc in modũ. Eſſe igitur æquale, docet partim ratione, partim autoritate. Ratio eſt à contrariorum natura, quia iniuſtum eſt inæquale. Formula:

Si iniuſtum inæquale.

Ergo iuſtum æquale. quomodo & *ſup.* item concluſit *c. 1.* Iniuſtum autem eſſe inæquale, declarat adiunctis & expreſſis inæqualis partibus, quæ ſunt plus & minus, quæ cum in iniuſto reperiantur (plus enim boni, minus mali capit iniuſtus) efficitur

Digitized by Google

citur iniuſtum eſſe inæquale. Autoritas ὅπερ ϗ ἄνευ λόγου, à communi hominum ſenſu & opinione: vt nulla, inquit, reddatur ratio, ex qua conſtet iuſtum eſſe æquale: vel ex vſu communi & opinione hominum id confirmari poteſt. Vulgo namq; quod æquale, idem vocant iuſtum, & contra. Indicio ſit vel ſermo Latinus & Germanicus, vbi iuſtitiæ & iniuſtitiæ nomen & verbum æquitatis tribui ſolet. Ex his iam alterum concludi poteſt, iuſtum quoque eſſe medium, hac formula:

Quod æquale, idem medium.
Sed iuſtum eſt æquale.
Ergo medium.

Ratio propoſitionis hæc eſt, quia æquale inter plus & minus tanquã extrema duo ſit interiectũ & intermedium. Ex his iam concludamus, iuſtũ eſſe mediũ quoddã, idq; æquale. Quia autem de æqualitate, vtpote iuſti medio, multus hic erit ſermo: Videamus de ipſo verbo primũ, deinde confirmemus veterum teſtimoniis, verũ eſſe, quod hic Ariſt. oſtendit, iuſtitiæ vim omnem poſitam eſſe in æqualitate. Apud Græcos ἰσότητος eius vocabuli ſimplex, apud Latinos æquitatis vocabuli, tres reperiuntur notiones. Prima & genuina notione, æquitas idem valet quod æqualitas. Hinc Cic. *l. 1. Off.* æquitatẽ, ait, iuſtitię maxime eſſe propriã, i. æqualitatem. Altera idem valet, quod ipſa iuſtitia, vt Cic. *in Top. Ius ciuile* inquit, *eſt æquitas conſtituta iis, qui eiuſdẽ ſunt ciuitatis, &c.* Tertia cæteris vſitatior eſt, quæ Græcis dicitur ἐπιείκεια, quæ & æquum, & bonum latine ſolet dici. De prima hoc loco agitur: quam cum iuſtitia magnam habere affinitatem, huius iuſtitiæ vim in eo omnem eſſe poſitam, oſtendit præclare Plato *lib. 5. & 6. de legibus*. Et vt *in Phædro* eam vocat *amicitiæ matrem*: Ita & Ariſtoteles *lib. 8. Ethicorum* eam vocat *communem iuris & amicitiæ parentem*. Cicero quoque *lib. 1. Offic. Difficile*, inquit, *eſt, cum omnibus imperare concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maxime propria*. Et Seneca, *Æqualitas*, inquit, *prima pars eſt æquitatis*

ἐπεὶ δὲ τὸ ἴσον.] Poſtquã oſtendit, iuſtũ eſſe mediũ & eſſe æquale: hic tandẽ propius accedit, eo vt oſtendat, quale ſit medium. Nam tametſi videri poſſit id iam docuiſſe, vbi oſtendit eſſe æquale, non plene tamen & perfecte etiam hoc docuit. Neque enim in ſimplici æqualitate poſitum eſt iuſtum, ſed, vt ita dicam, in comparata, quam ἀναλογίαν ſeu proportionem vocamus. Simpliciter æqualia ſunt bina, duo, aut tria: comparate

rio attribuit trib⁹, fortitudini, virtuti in genere, q̃ omnes ſub ſ ſpecies complectatur, & iuſtitiæ generali. Ex quibus duobu poſterioribus, virtus quidem in genere ſumpta eſt virtus per fecta abſolute; Iuſtitia vero generalis comparate. Nam illa i ſe, hæc in vſu ad alium ſpectatur, vt infra oſtendetur.

ἐ οὔθ' ἕσπερος οὔθ'.] Senarius eſt poetæ alicuius, quē Ariſ ad laudem iuſtitiæ accommodat, eam & Lucifero & Heſper (quas conſtat eſſe pulcherrimas ſtellas) eſſe pulchriorem. Ci quoq; *li. 3. offic.* eam virtutum omnium reginā vocat, & apu Athenæum *lib. 12.* ex veteri poeta iuſtitiæ q̃dam pulcherrim afferuntur elogia, eius χρύσεον eſſe πρόσωπον, & alibi χρύσε ὄμμα, adeo quidem, inquit, vt apud quoſdam aræ & res ſacr ibi fiant. Et notum eſt, Deam à veteribus habitam eſſe.

ἐ παροιμιαζόμενοι φαμέν.] Maxime h. agit Ariſt, vt oſtē da hanc iuſtitiam virtutē eſſe pfectam. Id quod h. lo. etiam ꝓue bio confirmat, ſeu verſiculo Theognidis, vulgo vſitato, cuiu meminit & Iamblicus ap. Stobæum λόγῳ 6. *de iuſtitia*, vbi iu ſtitiam vocat omnium virtutum συναγωγήν.

ἐ τελεία μάλιστα ἀρετή.] Duas videtur pterea rationes affe re, q̃b⁹ doceat hanc eſſe pfectā virtutē: prior eſt, quia virtutū o mniū vſus ineſt & debet̃ iuſtitiæ. Nam virtutū vſus eſt cū alij pfectio eſt in ipſis, in qb⁹ eſt virtus. At vſus cū alijs & cōme cium, vti inq̃ alijs, ꝓprium eſt iuſtitiæ. Itaq; & virtutū facta o mniū, quia ad alios explicant̃, in quib. factis earū vſus cōſiſtu ſit, inq̃, hac ratione, vt virtutū vſus iuſtitiæ debeat̃, q̃ rationen & *infra* cap. ꝓx. in fi. cōmemorat. Quæ q̃dē vt eximia iuſtiti nota obſeruatu eſt digniſſima. Hac igit̃ ratione pſpicit̃, ea eſſe pfectā virtutē, vt in qua omniū virtutū ſit vſ⁹: nō v. habit

τελεία δ' ἐστίν.] Altera eſt ratio, q̃a vti ea liceat nō in ſe tanti ſed erga alium quoq; ꝙ quia difficilius, eo & pſtantius & perf ctius. Formula ſit iſta: *Quibus vti liceat non in ſe, non ſecū du taxat, ſed in alios, ea perfectiora cenſentur. At iuſtitiæ vſus m. xime eſt in alium. Ergo perfecta videtur virtus.* Propoſition ratio ſubindicat̃ infra τοῦτο γὰρ ἔργον χαλεπόν, id eſt, quia diffic lius eſt alijs bene vti, aduerſus alios bene ſe gerere, q̃ ſeipſu ſolum bene comparare. Ratio .a. ꝓpoſitionis ea eſt, q̃ diximu quia difficilius vti alijs, q̃ ſe ſolo; ꝙ oſtendit Ariſt. πολλοὶ γὰρ ἐν τοῖς οἰκείοις, multos namq; videas inquit, qui in rebus do meſticis non male ſe gerant: q̃ tamē in conuictu valde ſunt i. epti, & ad omnē ſocietatem duri, qualis ille apud Terent. D

me

mea. Oſtendit idem Ariſtot. prouerbiali quodã dicto Biantis aut Solonis, vt alij, *Magiſtratu virũ declarari*. Quod q dẽ dictũ eſt celeberrimũ, cuius mentionẽ fecit aliquoties Theophraſtꝰ, teſte Schol. Græco & Plutarch. *in vita Ciceronis in fin. & in pceptis ciuilib.* Sophocles quoq; *in Antigone*, vbi, *diffi ile eſt*, inqt, *animũ cuiuſq; cognoſcere, q magiſtratus nunq̃ geſſerit.* Nã magiſtratus virũ declarat, i.e. tum demũ cognoſcitur q̃ pſtans quis ſit, q̃ etiã ſit improbꝰ, cũ ad Remp. quis acceſſerit. Nam in vita priuata cum latere multa poſſint, tum nõ occurrunt difficultates magnæ. Ex his igitur conſtat, difficile eſſe vti alijs. Ergo & præclarum & perfectum. Nam certe perfectius eſt, & ſe bene comparare, & alijs bene vti, q̃ altero duntaxat eſſe præditum.

διὰ δὲ τὸ αὐτὸ.] Eadem ratione oſtendit iuſtitiam eſſe bonũ alienum, nempe, quia eius vſus ad alium ſpectet, alij deſeruiat iuſtitia, ὅτι πρὸς ἕτερόν ἐστιν. Nam vtilitates affert ſocietati communi, Reip. aut principi. Quare & Cic. *li. 3. de Repub. Iuſtitia foras ſpectat, & proiecta tota eſt.* Et eodem lib. quæ præter cæteras totam ſe ad alienas vtilitates porrigit atq; explicat.

κάκιστος μὲν οὖν ὁ.] Antitheſi quadã docet, iuſtitia virtutẽ eſſe pſtantiſſimã, eaq; pditum virũ, eſſe optimũ, nempe, peſſimum qdem eſſe & deterrimũ, q nõ ſatis habeat, ſe ipſe male comparare, ſeu cui ſatis nõ ſit vitijs inquinatũ eſſe, ſed alijs ptereã noceat, in alios ſit maleficus: contra .v. optimũ eſſe, qui cum ipſe virtute ſit ornatus, tum alijs vt proſit, det operam. Adiungit rationem, cur iuſtus ſit vir optimus, quia difficile ſit etiam alijs pdeſſe, & h. eſt, qđ ait, τοῦτο γὰρ ἔργον, vbi ſine dubio inducendum eſt verbum χαλεπὸν, vt ſpurium & ἐξηγητικὸν τοῦ ἔργου, quod valere χαλεπὸν, elegante phraſi oſtendimus *ſupra*.

τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετή.] Comparat h loco iuſtitiam generalẽ cum virtute: eſſe q dẽ eandẽ, re, ſeu, vt vulgo loquũtᷣ, ſubiecto, non tamẽ ratione λόγῳ, ſeu τῷ εἶναι. Id .n. valet τῷ εἶναι h. loco, vt & alias ſæpe, non eſſentia, vt quidã vertunt. Re igitᷣ hæ duæ affectiones ſunt eædem, natura earum eſt eadem: actio eſt diſſimilis. Nam virtus eſt habitus, id eſt, habentis perfectio, & ratione perfectionis definitᷣ. Iuſtitia .v. actionis diſſimilitudinẽ affert, actionem ſpectat, foras pminet, diciturq; nõ perfectionis ratione, ſed vſus ad alium, quemadmodũ in Phyſicis mens Theoretica & practica re & ſubiecto eſt eadem, vſu & actione diſcrepat. Et hæc huius loci eſt ſententia, varie q dẽ redditᷣ, ita tamẽ reddendi: eſt q dẽ eadem ſc. re, ratione tamen nõ eadem.

CAPVT II.

COMMENTARII.

Ζητοῦμεν δέ γε τὴν ἐν μέρει.] Explicata generali iuſtitia, pergit ad eam, q̃ tanquã pars illi ſit ſubiecta, propterea quod conſiliũ Ariſtoteli omne in hoc libro ſit hanc potiſſ. explicare: hanc inquit h. loco & in Magnis, q̃rimus. Nam tota hæc tractatio eſt ſingularum virtutum. Nam de vniuerſa; cui reſpõdet generalis iuſtitia, initio, i. e. *li.* 2. *&* 3. dictũ eſt. Itaq; h. loco de ſingulari iuſtitia diſputaturus, primũ exquirit, an ſit, deinde, q̃ & qualis.

ἔστι γάρ τις ὥς φαμεν.] Puto & in his verbis argumẽtum latere, à communi ſenſu ductum, quo doceatur eſſe iuſtitiam aliquã ſingularem, maxime, in his verbis, *ὥς φαμεν*, quæ valent, non vt vulgo reddunt, dicimus, ſed vt vulgo dicitur & exiſtimatur, *ὥς φαμεν*. Docere igitur videtur, quia vulgo exiſtiment & nominent quandam iuſtitiam, ex eo eſſe quoq; quandam.

σημεῖον δ' ὅτι.] Hoc loco potiſſimum affert argumenta, eaq; tria. Primum eſt obſcurius, *κατὰ μὲν γὰρ τὰς*, &c. Eiuſmodi, quia ſingulorum vitiorum facta ſunt iniuſta quidem, nõ tamen Pleonectica. Quod vt intelligatur, repetendum eſt, facta iniuſta duo eſſe, Pleonectica & Paranomica. Hæc ſit formula:

Si vna duntaxat, eaq; communis eſſet iniuſtitia, quæ eadem eſt cum vitio: efficeretur ergo, vt iniuſtitiæ facta illa duo, ſingulis iniuſtitiæ ſeu vitij partibus attribuerentur. Nam vt genus, ita & generis attributa ſeu conſequentia ſingulis formis conueniunt & attribuuntur. At hoc falſum. Ergo & illud.

Falſum hoc eſſe, i. e. duo illa iniuſtitiæ facta nõ attribui ſingulis vitii partib. inductione declarat Ariſt. attribui quidẽ alterũ paranomiæ, ſed nõ pleonecticũ, verbi gratia, Ignauiter quid agentẽ, vt ſcutum abiicientem ob ignauiam: maledicentẽ alii ob moroſitatem, aſperitatẽ, nemini opitulantẽ, ob auaritiam: hos omnes dici quidẽ iniuſtos, nẽpe ob alterũ iniuſtitiæ factũ, quia ſint *παράνομοι* & legib. non pareant, nõ tamen *πλεονέκτας*. Sic amplius & vice verſa pleonectes quis eſſe poteſt, vt tamen neq; ſit ignauus, neq; auar⁹, neq; alio vllo vitio, aut certe nõ omni coopert⁹. Quare cũ duo hæc iniuſtitiæ facta ſæpe nõ concurrant; fit vt duplex quoq; naſcat᷑ iuſtitia, altera cõmunis õib. vitiis, reſpõdẽs paranomiæ: altera ſingularis, ꝓpria pleonexiæ.

ἔτι εἰ ὁ μὲν τοῦ κερδαίνειν.] Altera ratio, cõparatione adulterorũ duorũ explicat᷑. Ponantur duo, quorũ alter pecunia impulſus, cõmittat adulteriũ, alioquin non cõmiſſurus: alter, vt cõmittat,

Digitized by Google

tat, etiã pecuniã inſup et addat, vt fit, & damnũ faciat: hic vt ſola libidine impulſus dicet̃ intẽperans, ille nõ item; vterq; facit quidẽ iniuſte communi & paranomica iniuſtitia: alter tamen proprie intemperans, alter iniuſtus, quia hic ob lucrũ, ille ob libidinẽ. Quare cum diſſimili ratione hi ſint iniuſti, alter, quia contra leges, alter, quia ob lucrum: fit, vt duo ſint ponenda iniuſtitiæ genera, alterum παράνομον, alterum πλεονεκτικόν,

ἔτι περὶ μὲν τἆλλα.] Tertium eſt argumentum, non tam rei, quam nominis & verbi, id eſt, hoc argumento docet Ariſt. poſtquam de re ſingulari huius iniuſtitiæ conſtat, eius nomen nullum eſſe proprium ſed commune. Et quidem hunc in modum, exemplo cæterorm vitiorum, iniuriarum potius:

Iniuriæ, inquit, *cæteræ ſuum quæque nomen habere ſolent, ad ſuum quæque vitium referri. Atqui iniuria pleonectica ſuum nullum eſt nomen, ad nullum peculiare refertur vitium. Ergo communi gaudet nomine*: & proinde, iniuſtitia quædam eſt communis, quædam ſingularis.

Siue, vt cõplectitur Ariſt. Ergo fit, vt cõmunis quædã ſit iniuſtitia, quæ propriæ & ſingulari ſit ſynonyma, id eſt, fit, vt vtriuſq; idem ſit nomen. παραστάτην vocabulum militare, qui proximi ſunt in acie. Latine efferre non poſſumus.

συνώνυμος.] Mirum videatur, cur, cum ſupra communem & ſingularem iniuſtitiam vocarit Homonymas, nunc dicat Synonymas: quæ inter magna eſt differentia. Verum id diſſimili ratione accidit: nam quia in genere conueniunt, quia eadem vtriuſque eſt ratio & definitio (quod proprium eſt ſynonymorum) nempe quod vtraq; ad alium referatur: hactenus recte dici poſſunt ſynonymæ: quia vero in diuerſis rebus, communis in iis omnibus, in quibus lex, ſingularis in bonis fortunæ duntaxat, cernuntur: hactenus recte dicuntur ὁμώνυμαι, vtpote non plane eædem, re & materia diſcrepantes.

σωτηρίαν.] Vocat σωτηρίαν, omnia ad vitam tuendam neceſſaria, quæ huius verbi notio, vt rarior, obſeruatu eſt digniſſima.

ἢ εἴ τινι ἔχοι.] Laborat Ariſtoteles, vt vno verbo materiam iniuſtitiæ ſingularis complectatur; quod eſt perdifficile, propterea quod multæ eius ſint partes. Poſſet quidem vno verbo dici bona fortunæ, ſed vtendum eſt vocabulo communi; Ariſt. vocat lucrum & damnum, neq; id proprie: nam hæc eius potius ſunt adiuncta quædam.

ὅτι μὲν οὖν εἰσί.] Explicato, an ſit, iam pergit explicare, quæ ſit

iniuſtitia, de qua agitur, ſingularis. Hæc enim duo τὶς & ὁποία τις Ariſtoteli plærunque ſunt ἐν παραλλήλῳ, id eſt, pro eodem ponuntur. Et primum quidē hanc cum communi etiam comparat, repetit quoq; nonnulla, q̄ ſup. ſunt explicata de cōmuni.

τὴν ὅλην ἀρετήν.] Fortaſſe τὸ ἀρετὴν inducendū: nā intelligitur δικαιοσύνην, quare & in Scholiaſte Græco non reperitur.

διώρισται.] Repetito, quod ſup. explicatum eſt, iniuſtum partim eſſe παράνομον, partim iniquum; iuſtum vero partim legitimum, partim æquum: adiungit vtriuſq; iniuſtitiæ comparationem, proinde & iuſtitiæ. Nam in paranomo cernit generalem, in altero ſingularem: quæ inter hæc ſit differentia, quod illa paranomica ſit tanquā totum, hæc partis loco: nam παράνομον complectitur iniquitatem tanquam partem: omne namq; iniquum eſt παράνομον, id eſt, quicquid contra æquitatem, idem eſt contrarium legibus, ſed non contra, non quicquid legibus eſt contrarium, idem continuo eſt iniquum. Verbi grat. Scutum abiicere eſt παράνομον, non tamen iniquum.

ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον.] Magna eſt hic ſcripturæ varietas; editi tamen libri plæriq; conſentiunt, ſed vetus tralatio inter hæc verba ὅλον & τὸ μὲν γὰρ πλέον, habuit interiecta hæc omnia verba: τὸ μὲν γὰρ ἄνισον πᾶν, παράνομον: τὸ δὲ παράνομον οὐχ ἅπαν ἄνισον. Quod probat Dionyſius Lambinus, Argyropylus, Aretinus, & Anonymus quidam peruulgatam ſcripturam reddiderunt: At Perionius illa veteris tralationis interiecta expreſſit, inductis his noſtris. In Eudemiis nihil eſt varietatis aliud, quam initio: ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον, καὶ παράνομον, καὶ τὸ πλέον, &c. Scholiaſtes Græcus vulgatam ſcripturam tuetur, quæ ſine dubio mendoſa eſt, cum propter varietatem veteris tralationis, & Eudem. tum propter ſententiam. Neque enim comparat Ariſtoteles plus cum iniquo, vt partem cum toto, ſed comparat iniquum cum παρανόμῳ, vt partem cum toto, in hunc modum: In paranomo, inquit, cernitur communis iniuſtitia: Iniquum autem, quæ eſt altera iniuſti pars, non idem valet, quod paranomon: ſed longe ea duo inter ſe diſcrepant, & quidem vt pars à toto: omne namque iniquum eſt paranomon, ſed non contra, vt iam explicauimus. Itaq; vel ſic eſt legendum cum Perionio: quia aūt iniquū nō eſt idē, ſed aliud, tanquā pars totius (omne namq; iniquū eſt παράνομον, nō vero omne παράνομον eſt iniquum) efficitur καὶ τὸ ἄδικον, καὶ ἡ ἀδικία, i. vt iniuſtum & iniuſtitia, vtraq; non ſit eadem, ſed inter ſe diſſimilis, altera quidē partis lo-

tis loco, altera tanquam totum: vel meo quidē iudicio, rectius omnia hæc ſunt inducenda, & legendum, ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον οὐ ταὐτὸν; ἀλλ' ἕτερον, ὡς μέρος πρὸς ὅλον: καὶ τὸ ἄδικον, id eſt, *quia autem iniquum non idem, ſed aliud, vt pars ad totum: certe & iniuſtum & iniquum, non erunt eadem.* Atq; ita ſcribendum indicant hæc verba ἕτερον & μέρος, quæ ſubindicant de vno tantum agi, nempe de iniquo: & proinde alterum, nempe παράνομον non fuiſſe exprimendum. Illa autem τὸ μὲν γὰρ πλέον; aut, vt alii ſupponunt, τὸ μὲν γὰρ παράνομον; aut, vt alii hæc duo coniungentes, clamant ipſa ex interpretatione manaſſe, & hic interiecta, dum alius aliud explicat, & affert, quemadmodum intelligendum ſit, quod Ariſtotel. dixerat, harum iniuſtitiarum eandem eſſe rationem, quam partis ad totum. Ad eundem modum in hac ipſa re peccatum fuit *ſupr. in medio cap. 1.* ibi, ἔστι δ' αὐτὸς. Verum de hac differentia videatur inſignis diſputatio Chriſtophori Hennii *libro 5. de principiis iuris*: An hæ duæ affectiones altera partis, altera totius: an vero altera ſpeciei, altera generis locum obtineat.

ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν ὅλην.] Perfecta cōparatione monet de iuſtitia & iure, q̄ partiū ſint loco, agendū ſibi eſſe: de altero genere eſſe prætermittendū, quia non ſit huius loci, vt *initio huius cap.* oſtendimus: q̄ tamen, iuſtitiā dico generalē & ius ei cōgruens, priuſquā omittat, breuiter ea, q̄ *ſup.* ſunt explicata, repetēs, affert tam iuſtitiæ, quā iuris definitionē de ſuperiorib. manātem. Et quidē iuſtitiā nil eſſe aliud, quam vniuerſæ virtutis, aduerſus alios, vſum, quod *ſupr.* eſt explicatum: vbi quod p̄termiſimus, nunc monendū eſt, Ariſt. hac quoq; in re à Platone longe diſſentire. Plato namq; *lib. 4. de Rep.* iuſtitiam generalē plane cum virtute perfecta confundit, & Pythagoricos imitatus (qui multa de numeris & muſicis ad philoſophicas diſputationes transferre ſunt ſoliti) ait eſſe nihil aliud, quam animi partium rationis, iræ & libidinis, harmoniam & concentum: ad ipſum interiorem hominem refert iuſtitiæ vim & ad eius perfectionem. Ariſt. autem, iuſtitiam omnem alio ſpectare ait: hominis perfectionem virtuti perfectæ attribuit, & hac in re virtutem à iuſtitia generali differre: quod illa hominē p̄ficiat, altera ad alterius vſum ſe cōuertat, & foras ſpectet, cum illa intra hominem tantum conſiſtat: & rectius quidē, ſenſuiq; communi conuenientius: vulgo namq; de iuſtitia omnes ſic exiſtimant, eſſe eam virtutem, cuius vis omnis in ſocietate & alterius vſu verſetur.

καὶ τὸ

καὶ τὸ δίκαιον δ.] Hic de iuris definitione, quod quidem ius non definit ipſe, monet tamen, quemadmodũ ſit definiẽdum, idque perſpicuum eſſe: nam cum ius, vt & iuſtitia illa, cernatur in legitimis, id eſt, in iis, quæ legibus præſcribuntur: legitima autem ſint omnia virtutum officia: efficitur, vt ius nil ſit aliud quam virtutum officia. Legibus autem contineri virtutum officia, id eſt, τὰ νόμιμα eſſe τὰ πραττόμενα, ſeu quæ aguntur ab vniuerſa virtute, etſi *ſupra* iam docuit, hic tamen diſtincte explicat: Lex enim, inquit, iubet, quæ ſingulis virtutibus ſunt conſentanea, & vetat, quæ vitiis.

τὰ δὲ ποιητικὰ τῆς ὅλης.] Scholiaſtes Græcus ait, hæc eſſe ἐξηγητικά, ſeu afferre explicationem eius, quod dixerat, τὰ νόμιμα eſſe virtutum officia. Mihi alio videtur ſpectare Ariſt. & afferre potius diſtinctionem τῶν νομίμων, id eſt, legitimarum: vt intelligatur, de quibus hic locus ſit accipiendus. Quod vt intelligatur, commemorat & duo παιδείας genera, alterum publicæ, alterum priuatæ. Publica παιδεία eſt ea, quæ legibus continetur. Verbi gr. cum in genere vetantur adulteria, cædes, & alia delicta, ad omne vitii genus pertinentia, quo genere παιδείας communis ſocietas & Reip. vinculum continetur: eoq; omnes ſunt vſi, quorum aliqua fuerit Reſp. Alterum eſt genus παιδείας καθ' ἕκαστον, quo ſingulæ hominum ætates & ſinguli homines informantur: vt cum officia præſcribuntur adoleſcentib. viris, ſenib. Quod quidẽ genus etſi vtiliſſimũ, etiã ad τὸ κοινὸν [commune vocat Cic. *lib. 1. de Rep.*] à multis tamen Rebuſp. abfuit, à multis legum ſcriptorib. fuit prętermiſſum. Qua de re cõquerit Ariſt. *l. 10. in fi.* ita & *in Polit. l. 7. & 8.* & Plato *multis in locis, & in lib. de legib.* cui quidem tanti fuit hæc poſterior παιδεία, vt in ea totos fere decem *de Republica* libros conſumpſerit, & aliquot *de legibus*. Et nominatim *lib. 4. de Republica*, præclarius eſſe ait, in hac elaborare legum ſcriptores potius, quam in rerum forenſium & iudiciorũ deſcriptione: in quibus deſcribendis & ſubtiliter explicandis qui multam ponunt operam, eos ait deſipere, & tanquam hydræ capita velle amputare. Quo tamen in genere tota ars ciuilis verſatur. De hac autem παιδείας diſtinctione *infr. lib. vlt. c. vlt.* copioſius agit Ariſt. & expreſſit eam Plato *lib. 5. de Republica. in principio.* Idem *libro ſeptimo de legibus*, rationem afferre videtur, cur plæriq; legum ſcriptores poſteriorem prętermiſerint, quod videatur minuta & non ſatis ſplendida conſectari de puerorum & ſingulorũ hominũ inſti-

tutioni-

tutionibus. Ad hanc poſteriorem παιδείαν pertinent hi libri *de Moribus*, quibus ad virtutes homines ſinguli informantur, quibus redduntur viri boni. His explicatis & præmunitis, videamus, quid dicat Ariſt. Ait igitur, legitima ſeu νόμιμα, quæ cauſæ ſint efficientes, omnium virtutum eſſe ea, quæ comuni illa παιδεία continentur. Quod notũ erat omnibus, legib. ad Reip. ſtatum pertinentib. cõmuni παιδεία cõprehenſis, impelli homines etiã ad virtutes, eſſe illa ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς, ſeu illa νόμιμα efficientiã virtutis, quod *infra* oſtendit latius *libro 10. cap. vlt.* & *ſupra* nos ex Cicerone *libro 1. de Orat.* Nam de παιδεία priuata & ſingulorum, id eſt, de legibus hac comprehenſis, de νομίμοις huius παιδείας non ſunt intelligenda, quæ hactenus de νομίμοις ſunt dicta; nam tametſi vel maxime hæc poſterioris παιδείας νόμιμα virtutis ſint efficientia: tamen vulgo hæc non habita fuerunt νόμιμα, neque à legum ſcriptoribus agnita; &, vt hoc loco ait Ariſt. dubitari & quæri poteſt, an hæc poſterior παιδεία ad Politicam & legũ ſcriptores pertineat. Cur ita, quæſo? Rationem adiungit Ariſtot. eo quod Politicæ officium eſt, reddere bonos ciues, quod fit priore παιδεία, legibus vtiq; ad ciuitatis ſtatum pertinentibus: non vero reddere bonos ciues, quod ad poſteriorem pertinet: ſiue, vt paucis verbis reddit ratiõẽ Ariſt. quia non idem fortaſſe eſt vir bonus, & bonus ciuis, non ad eandem pertinent facultatem. Itaq; quod ait Ariſt. poſterius hac de re ſe explicaturum, intelligendum eſt, *li. 10. c. vlt.* vbi docet Ariſt. Politicæ officium eſſe, explicare non tantum priorem, ſed & poſteriorem παιδείαν. De ratione autem, nempe an vir bonus & bonus ciuis ſint idem, explicat alio loco Ariſtoteles *libr. 3. de Republ.* vbi docet, in ſola Ariſtocratica & optima Republica eundem eſſe virum bonum & bonum ciuem. In cæteris, quantopere hi inter ſe diſcrepent, indicauit & Cic. *in Epiſtola ad Lentulum*: *Ego*, inquit, *cum ipſa quaſi Republica ſum collocutus, vt mihi tam multa pro ſe perpeſſo atque perfuncto concederet, vt eum quem bonum ciuem ſemper habuiſſet, bonum virum eſſe pateretur.* [Neque enim in eodem ſtrato verſatur ſcientia, in quo virtus.

τῆς δὲ κατὰ μέρος.] Hic tandem accedit ſerio ad explicandam ſingularem iuſtitiam, & ius ei congruens. Vtitur autem diuiſionis organo, ad eorum naturam inueſtigãdam, propterea quod non vna earum ſit ratio, neq; in iiſdem plane verſentur rebus. Et primũ quidẽ de materia: poſtea de forma ſeu medio-

critate:

critate: primũ quoq; de habitu: poſtea de factis ſeu iure & iniuria. Facit igitur bipartitã iuſtitiã: Alteram, q̃ in diuiſione, quam vocat διανεμητικὴν: alteram, quæ in correctione, quam vocat ἐπανορθωτικὴν, & διορθωτικὴν, cernatur. Illius materiam duabus in rebus potiſſimum conſiſtere, vt in honorib. quales ſunt magiſtratus & dignitates, victus publicus, ſigna coronæ, & id genus alia honorum genera. Et in re, ſeu χρήμασι, quo in genere eſt pecunia, agri, vineæ, &c. Vel horum duorum generum vna eſt conditio, quod debeant eſſe publica & communia vtraque ſeu κοινά. Neq; enim hic agitur de præmiis priuatorum inter ſe, aut de bonis priuatorum diuidendis, ad quæ pertinet alterum huius iuſtitiæ genus. Alteri generi iuſtitiæ materiam tribuit vno nomine comprehenſam συναλλάγματος. De quo verbo, quia eius cognitio tam huic iuſtitiæ parti, id eſt, ſpeciei, quam Iureconſulto, cuius & hæc eſt materia, plurimum conducit, & quia multiplex eſt eius notio: paulo diligentius agamus. Et quidem origo vocabuli ſuadere videtur, vt de iis dicatur rebus ſeu negotiis, quibus homines dando & accipiendo facultates inter ſe permutent, quod fit penſionibus, mutuationibus, &c. Nam παρὰ τὸ ἀλλάξαι, à permutando, ex quo συναλλάγειν, res cum aliquo contrahere. Huic geminum eſt ſymbolæon, & priore vſitatius. Iureconſulti cõtractus vocabulo exprimunt, quo tamen Cic. nunquam eſt vſus, qui pactũ & pactionẽ, & ſæpe res cõtrahendas dicit. Et hæc quidem vera & propria huius verbi eſt notio, cum ob notationẽ & originẽ, tum quia plæriq; ita eo ſint vſi. At enim Ariſt. latius eo eſt vſus: neq; enim contractus duntaxat, ſed delicta & ſcelera, omnia deniq; ciuilia negotia, teſtamenta, nuptias, meo quidem iudicio eo eſt cõplexus. Quæ tamen tam late patens huius verbi notio, haud ſcio, an apud vllũ præterea ſcriptorẽ reperiat᷑. Ad eundẽ modũ & ſymbolæon latius trãſtulit. Nam quæ hoc loco vocat συναλλάγματα ἑκούσια, ea *lib. 9. cap. 1.* vocat συμβόλαια ἑκούσια, atque huic tam late patenti notioni, quod reſpondeat Latinum vocabulum difficile eſt reddere. Videntur tamẽ Iureconſulti contractus vocabulum eo interdum porrigere: nam & contrahere fraudem, & delictum dicunt, & Triphoninus *in l. ſi rerum. D. de re ind. Ex malo,* inquit, *contractu ſeu delicto.* Eſt & tertia huius verbi notio anguſtior prioribus, & Iuri ciuili propria: Vocant enim Iureconſulti συνάλλαγμα, negotium, ex quo actio ciuilis naſcat᷑. quare pacta proprie dicta carere dicunt᷑ συναλλάγματι.

Digitized by Google

λάγμασι. Contractus dicuntur habere συναλλάγματα, vt affert Vlpianus ex Ariſtone ICto, *in l. iuris gentium ff. de pact.* Eſt & quarta notio item ICtis tantummodo nota, anguſta quoque, qua nō omnes cōtractus, ſed certos duntaxat, ex quib. vtrinq; naſcatur obligatio, qualis venditio, emptio, locatio, complectantur. Mutuum igitur, commodatum, & ſtipulatio non ſunt συναλλάγματα, vt ex quibus vtrinq; non naſcatur obligatio. Ita Vlpianus ex Labeone ICto *l. 16. apud Labeonem. ff. de verb. ſig.* [qui vendit, obligatus eſt vt tradat: Loco domū, equū, teneor tradere tibi domū, &c. tu contra perſoluere mercedem, vtrinq; naſcitur obligatio; in aliis; in mutuo, &c. petis *100.* coronatos mutuo, es obligatus, vt reddas, ego tibi non ſum obligatus: Stipulatio, promiſi *100.* coronatos, ego ſum obligatus ad perſoluendum, tu mihi non es obligatus: contractus ex quib. vtrinq; obligationes, vocant ICti συναλλάγματα, cæteros non. Vere autem & proprie συνάλλαγμα eſt omne negotium, quo nos inuicem commutamus facultates.] Ex his perſpicuum eſt, quatuor eſſe huius verbi notiones, vnam latiſſime patentem, cæteras anguſtiores, aliam alia: Propriam autem eius notionem eſſe primam, qua ciuilia omnia rerum contrahendarum negotia comprehendantur: hanc omnib. ſcriptorib. eſſe vſitatam, illam Ariſtoteli duntaxat: cæteras duas ICtis. Ex his quoq; perſpicuum eſt, quā late pateat iuſtitiæ huius materia, & q̄ ea ſit, quæ quidem eadem eſt Iuris ciuilis. Quod ICti enim tribus verbis, perſonarum, rerum & actionum, id vno συναλλάγματος vocabulo complectitur h. l. Ariſt. [Actiones omnes ciuiles vel ſunt publicæ, vel priuatæ. Publicæ illæ, verb. gr. ſi legem ferat magiſtratus, conſtituatur magiſtratus, bellū geratur, honorariū decernatur. Priuatæ illæ, quæ cernuntur inter ciues: In publicis Politica cernitur, verſatur legiſlatio; In priuatis ius ciuile cernitur: contractus & quædā alia negotia, quæ hoc vocabulo contractus contineri non poſſunt, vtpote tutela, nuptiæ, teſtamēta, ſeruitutes; præterea ſunt delicta, ſcelera ſiue peccata. Hæ ſunt actiones priuatę, in quib. tanquā in ꝓpria materia verſat I.C.]

τὸ γὰρ συναλλαγμάτων.] Emendatricē iuſtitiā partitur à materia: nam duas eius eſſe partes, vt hęc materia eſt duplex. συναλλάγματα nāmq; eſſe partim voluntaria, partim non voluntaria: nam cum pacta aut actiones partim ſunt voluntariæ, partim non: merito & συναλλάγματα item ſunt partienda, vt quæ priuatæ ſint actiones. Voluntaria συναλλάγματα, eſſe

eſſe ait, quorum principium ſit voluntariũ: recte:nam ex principio, vt ſumma rei cuiuslibet cauſa, res ſpectari ſolet, atque ita licet poſterius, hæc συναλλάγματα fiant neceſſaria, nihilominus recte voluntaria ſunt dicẽda. Quemadmodũ *ſup. l. 3.* virtutes & vitia docuimus eſſe voluntaria, quia principiũ eorũ ſit voluntariũ: nam habitu iam conſtituto, non amplius eſſe voluntaria. Et hoc eſt, quod ICti toties inculcant, contractuum principia inſpicienda, voluntatis eſſe contrahere, neceſſitatis contractum expetere, *l. ſi quid initio. C. de oblig. & act. l. in commodato. § ſicut. D. commodat.* Et Lucian. *in Abdicato: Voluntatis, inquit, eſt adire arbitrum, neceſſitatis, arbitris, ſeu ſententia arbitri dicta, ſtare, &c.* Dicuntur igitur voluntaria de principio: nam & *ſup. lib 3 initio* definiuimus voluntaria ſeu ſponte facta, quorum principium in nobis ipſis ſit noſtraque poteſtate poſitum. Huius generis ſunt emptio, venditio, mutuum, commodatum, depoſitum, pignus, locatio, ſponſio, & alia cõtractuum genera. Huius generis quoque pono teſtamenta, donationes, nuptias, traditionem, poſſeſſionem, dominium, &c.

τῶν δ' ἀκουσίων.] Alterum συναλλαγμάτων genus, quæ vocat non voluntaria, & quorum principium in noſtra non ſit poteſtate, eaq; facit bipartita, partim clandeſtina & occulta, partim vi facta: Hac ratione, quia *ſupra* docuimus *lib. 3. initio*, ἑκούσιον aliud in ſcientia, aliud eſſe vi adhibita. Et hæc quidem ἀκούσια ſunt non eius ratione, qui ea ſuſcipit, ſed eius potius, in quem aguntur, qui vel ignorans, vel vi coactus violetur. Occulta ſunt, furtum, adulterium, veneficium, lenocinium & perductio: id namque valet προαγωγεία, ſeu potius perductio. Nam perperam Interpretes: Lenonum duo ſunt genera: alii ſcortorum & volentium, alii etiam inuitatum & honeſtiorum. Hoc proprio nomine Græci προαγωγοὺς, Latini perductores vocant, non vt plærique etiam volunt productores. Cicero 3. *Verrina & 7. Abduxit,* inquit, *eum de foro, non vt ipſe prædicat, perduxit.* Aſconius *in 3. Verrinam.* & elegantiſſime Plaut. *in Moſtell.* Tertullianus *in Apologet.* [πρὸ præpoſitio non ſemper id, quod *pro* latine valet, ſed interdum *per*; cõtra rationem enim ſæpe vtimur conſuetudine.] Huius quoq; generis eſt actio ſerui corrupti, ſeu delictum, vt Iureconſulti vocant, δουλαπατείαν Ariſt. vocat. Eorum quæ vi, ſunt rapina, membrorum debilitatio, aut mutilatio, maledicta, contumeliæ, vincula, mors, ſeruitus, & αἰκία, pulſatio, aut verberatio. Tria namque iniuriæ faciunt.

Digitized by Google

faciunt genera; vnum, quæ pulſatione corpus, alterum, quæ aures conuitio, tertium, quæ turpitudine vitam commaculet; [inquit Cornificius *ad Herennium*] id eſt, vt Græce Libanius *in Orat. contra Midiam*, αἰκία διὰ πληγῶν, per plagas, verbera, κακηγορία διὰ λόγων. Tertia ὕβρις communi nomine, & quidem omnium rariſſima. Eſt & oratio Lyſiæ περὶ αἰκίας.

QVÆSTIONES.] Quæro, cur iuſtitiæ ſingularis duo duntaxat ſint genera, & cur iſta, cur deniq; his nominibus? præſertim cum Ariſt. *in lib. de virtutib.* tria faciat iniuſtitiæ genera, ἀσέβειαν, impietatẽ, πλεονεξίαν & ὕβριν, petulantiam: qua quis alterum mera petulantia, nullo licet commodo propoſito lædit. Præterea Cic. *in Offic. lib. 5. de Fin. lib. 2. artis Rhetor. & in partit. Orat.* Cornificius quoq; *ad Heren. lib 3. in princ.* multas afferunt iuſtitiæ partes & officia, religionem, pietatẽ, gratiam, obſeruantiam, veritatem, liberalitatem, bonitatem, comitatem, fidem, lenitatem, & amicitiam. Et Plato *in Dialogo* περὶ *ὁσίου, & in Protagora*, ſanctitatem ſeu ὁσιότητα. Quæ omnia vt intelligantur, ſciendum & repetendum, Ariſtotelem his libris explicare Politicam, & quæ ad eam pertineant, quæ non pertineant, prætermittere. Iam vero, quia ſupra oſtendimus, iuſtitiam ſingularem verſari in bonis fortunæ: ea autem ſint vel publica, vel priuata: hinc exiſtit bimembris iuſtitia, quarum altera in rebus publicis, altera in priuatis verſetur. Rerum autem publicarum, quia nullum eſt commercium ſeu ἀλλαγὴ, ſeu permutatio, ſed potius donatio duntaxat & diuiſio: fit, vt quæ in rebus illis cernitur iuſtitia, merito dicta ſit διανεμητικὴ qua præmia & pœnæ pro dignitate tribuantur; alia eſt rerum priuatarum ratio, quæ variis commerciis & perturbationibus in alios transferri ſolent: Quare & harum iuſtitia in Synallagmatis cerni dicitur, in quibus propter priuatorum infinitas fraudes, & ipſarum quoque rerum varietatem infinitam, quia ſæpe peccatur, & multæ deprauationes exiſtunt: fit, vt quæ eas fraudes corrigat & emendet iuſtitia, recte dicatur ἐπανορθωτικὴ ſeu διορθωτικὴ. Hæc igitur eſt cauſa, cur duo tantum iuſtitiæ huius ſint genera, cur iſta, & cur his nominibus. Cur autem omnes illæ iuſtitiæ partes & officia, quæ ex Cicerone & aliis attulimus, huc non pertineant; modo diximus, nempe, quod proprie ea non ſint Politica, non ſint ciuilia, ſed potius naturalia, & ex naturali ratione manantia. Qua de re infra dicetur latius, vbi explicabit Ariſtoteles expreſſe, de

quo iure & iuſtitia hoc loco agatur. Eſt & altera ratio ſeu cauſa huius bimembris diuiſionis, quia diſſimilis ſit ratio comparationis & *ἀναλογίας*, in vna alia, quam in alia, hoc eſt, quia in quibuſdam rebus ſola rerum ſpectetur æquatio: in aliis etiam perſonarum ratio habeatur, &c.

CAPVT III.

COMMENTARII.

ἐπεὶ δ' ὅ, τε ἄδικος ἄνισος.] Explicata materia, & huius ratione; non formæ, vt illi putarunt, allata diuiſione: accedit ad formam, nempe ad mediocritatem, eamque explicat tribus ipſis totis capitibus proximis. Vtitur autem iuſti potius quam iuſtitiæ vocabulo, vt oportuniore ad mediocritatem explicandam. Quod quidem hac de re admonuit, quod nonnulli hanc diſputationem de forma perperam partiātur, quaſi primum de iuſto, poſterius agatur de iuſtitia *infr. cap. 5. in fin.* *ἡ δὲ δικαιοσύνη μεσότης ἐστιν*, &c. Perperam, inquam, eo namq; loco nihil aliud quam comparat mediocritatem huius virtutis cum aliis, iam ante explicatam: nam ex coniugatorum natura quæ iuſti, eadem & iuſtitiæ eſt ratio. Et perſpicuè *in Magnis* interdum iuſti, interdum iuſtitiæ vtitur vocabulis. Partiamur igitur hanc diſputationem in duas partes, quarum priore communiter, poſteriore ſingulatim de mediocritatē explicetur. Communiter quidem iuſtitiam eſſe mediocritatem, & qualis ea ſit: poſtea ea ſingulis iuſtitiæ generibus accommodat, refutata & Pythagoricorum de talione ſententia. Hoc igitur capite communia, & de altero iuſtitiæ genere, quod in diuiſione, explicat.

ἐπεὶ δ' ὅ τ' ἄδικος.] His verbis duo docet Ariſt. iuſtum eſſe medium, & eſſe æquale: q̄ verba tamen, vt perturbatiora (nam quod primum ſignificat, docere ſe velle, iuſtum eſſe medū, id poſterius tandem explicat & concludit) ita obſcuriora. adhibita analyſi tamen, explanemus hunc in modū. Eſſe igitur æquale, docet partim ratione, partim autoritate. Ratio eſt à contrariorum natura, quia iniuſtum eſt inæquale. Formula:

Si iniuſtum inæquale.

Ergo iuſtum æquale. quomodo & *ſup.* item concluſit *c. 1.* Iniuſtum autem eſſe inæquale, declarat adiunctis & expreſſis inæqualis partibus, quæ ſunt plus & minus, quæ cum in iniuſto reperiantur (plus enim boni, minus mali capit iniuſtus) efficitur

citur

titur iniuſtum eſſe inæquale. Autoritas ὁμοῦ καὶ αὐτῶν, à communi hominum ſenſu & opinione: vt nulla, inquit, reddatur ratio, ex qua conſtet iuſtum eſſe æquale: vel ex vſu communi & opinione hominum id confirmari poteſt. Vulgo namq; quod æquale, idem vocant iuſtum, & contra. Indicio ſit vel ſermo Latinus & Germanicus, vbi iuſtitiæ & iniuſtitiæ nomen & verbum æquitatis tribui ſolet. Ex his iam alterum concludi poteſt, iuſtum quoque eſſe medium, hac formula:

Quod æquale, idem medium.
Sed iuſtum eſt æquale.
Ergo medium.

Ratio propoſitionis hæc eſt, quia æquale inter plus & minus tanquã extrema duo ſit interiectũ & intermedium. Ex his iam concludamus, iuſtũ eſſe mediũ quoddã, idq; æquale. Quia autem de æqualitate, vtpote iuſti medio, multus hic erit ſermo: Videamus de ipſo verbo primũ, deinde confirmemus veterum teſtimoniis, verũ eſſe, quod hic Ariſt. oſtendit, iuſtitiæ vim omnem poſitam eſſe in æqualitate. Apud Græcos ἰσότητος eius vocabuli ſimplex, apud Latinos æquitatis vocabuli, tres reperiuntur notiones. Prima & genuina notione, æquitas idem valet quod æqualitas. Hinc Cic. *l. 1. Off.* æquitatẽ, ait, iuſtitię maxime eſſe propriã, i. æqualitatem. Altera idem valet, quod ipſa iuſtitia, vt Cic. *in Top. Ius ciuile*, inquit, *eſt æquitas conſtituta iis, qui eiuſdẽ ſunt ciuitatis, &c.* Tertia cæteris vſitatior eſt, quæ Græcis dicitur ἐπιείκεια, quæ & æquum, & bonum latine ſolet dici. De prima hoc loco agitur: quam cum iuſtitia magnam habere affinitatem, huius iuſtitiæ vim in eo omnem eſſe poſitam, oſtendit præclare Plato *lib. 5. & 6. de legibus*. Et vt *in Phædro* eam vocat *amicitiæ matrem*: Ita & Ariſtoteles *lib. 8. Ethicorum* eam vocat *communem iuris & amicitiæ parentem*. Cicero quoque *lib. 1. Offic. Difficile*, inquit, *eſt, cum omnibus imperare concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maxime propria*. Et Seneca, *Æqualitas*, inquit, *prima pars eſt æquitatis*

ἐστι δὲ τὸ ἴσον.] Poſtquã oſtendit, iuſtũ eſſe mediũ & eſſe æquale: hic tandẽ propius accedit, eo vt oſtendat, quale ſit medium. Nam tametſi videri poſſit id iam docuiſſe, vbi oſtendit eſſe æquale, non plene tamen & perfecte etiam hoc docuit. Neque enim in ſimplici æqualitate poſitum eſt iuſtum, ſed, vt ita dicam, in comparata, quam ἀναλογίαν ſeu proportionem vocamus. Simpliciter æqualia ſunt bina, duo, aut tria: comparate

vero cum bis bina æquantur. Duabus igitur rationib. iuſtũ eſſe *ἀνάλογον* oſtẽdit: prior quidẽ eſt iſta; quia iuſtũ in 4. minimum terminis reperitur, rationẽ aliquã inter ſe habentib. Formula:

Quæ in quatuor terminis rationem inter ſe habentib. conſiſtunt, ea ſunt ἀνάλογα.

At iuſtum in eiuſmodi terminis conſiſtit.

Ergo eſt ἀνάλογον.

Propoſitio prætermittitur hoc quidẽ loco, paulo tamẽ *infra* ſatis exprimit˜ aut ſignificatur, vbi *ἀναλογίας* definitio affertur, eamq; in 4. minimũ terminis cõſiſtere, vt ibi latius. Et alioqui ex Mathematica ẽt pueris tum nota, certũ eſt. Quare in aſſumptione laborat Ariſt. vt verum eſſe doceat, iuſtum in 4. terminis reperiri. Affert hanc rationem, quia ſit & æquale & iuſtum. Nam æquale in 2. eſſe terminis, item & iuſtum. De æquali expreſſit Ariſt. de iuſto non ita. Nam ex prioribus hoc notum eſt, iuſtum eſſe bonum alienum, & ad alios ſemper referri. Si relatum: Ergo in duobus; qua eadem ratione & æquale docetur:

Quæ relata, ſunt in duobus omnia.

At iuſtum eſt relatum: at æquale eſt relatum.

Ergo & iuſtum in duobus, & æquale in duobus.

Itaq; cum iuſtum ſui natura ſit in duobus & quatuor: præterea ſit æquale, quod itẽ eſt in duobus, efficitur, vt iuſtũ ſit in duob. quod docendũ fuit. Adiungit deinde Ariſt, quæ ſint hæc 4. & oſtẽdit eſſe perſonas duas, & res duas, ita inter ſe affectas, vt plus & minus, oſtendit hunc in modum: Iuſtum conſtat eſſe & medium & æquale. Iam qua mediũ, eſt inter duo extrema, nempe plus & minus; qua æquale, eſt ratione duarum rerum inæqualium; qua iuſtũ, ratione perſonarũ: nam iuſtitia homines reſpicit, æqualitas ipſam rem potius & affectionem illã æquabilem. Et hæc bina, iuſti quidem Ariſt. vocat *οἷς*: æqualis *ἐν οἷς*: *οἷς*, id eſt, quib. perſonis, *ἐν οἷς*, i. in quibus rebus. Quæ inter duo bina vt vera naſcatur iuſtitia, oportet æqualitatẽ quandã eſſe: nam niſi ſit æqualitas, rixæ & ſeditiones oriantur neceſſe eſt. Et hoc eſt, quod ait, *καὶ ἡ αὐτὴ ἔσται ἰσότης*, id eſt, eadem, inquit, erit æqualitas, quib. & in quibus, id eſt, ratio haberi debet tam perſonarum, quam rerum, vt res, ita & perſonæ inter ſe affectæ eſſe & cõparari debent, ſiue, vt ait Ariſt. *ὡς γὰρ ἐκεῖνα ἔχει, οὕτω κἀκεῖνα*, ſic puto legendũ, inductis, *τὰ ἐν οἷς*, & altero, *ἔχει*. Puto quoq; inducendum verbum *τὰ πράγματα*, ibi, *καὶ ἐν οἷς τὰ πράγματα δύο*: nam poſtquam ibi *ἀνάγκη ἄρα* complexionem intuliſſet, iuſtum

iuſtum in quatuor minimum verſari, breuiter ea quatuor repetit: nam quibus iuſtum (nempe perſonis) duo ſunt: & in quibus (rebus ſcilicet) item duo.

εἰ γὰρ μὴ ἴσοι, οὐκ ἴσα.] Hoceſt, ſi perſonæ non ſint æquales, certe neque res quoque æquales obtinere debebunt: nam vbi ſecus fit, inquit, ibi pugnæ & rixæ, ſeu expoſtulationes exiſtũt, quod ſumpſit, vt totam hanc fere diſputationem, ex Platone *lib. 6. de legibus.* & præclare quoque Iſocrates *in Areopagitico* idem oſtendit, magnas turbas & ſeditiones exoriri, niſi hæc ſeruetur æqualitas. Plutarchus quoque *in libello* περὶ φιλαδελφίας, Solonem grauiter reprehendit, qui neglecta æqualitate recta, Rempublicam Athenienſium ſeditionibus & motibus impleuit.

ἔτι ἐκ τοῦ κατ' ἀξίαν.] Altera eſt ratio, qua iuſtum docet eſſe ἀνάλογον, quia iuſtum eſt κατ' ἀξίαν ſeu *pro dignitate.* Formula:

Quod κατ' ἀξίαν, eſt ἀνάλογον.
At iuſtum eſt κατ' ἀξίαν.
Ergo ἀνάλογον.

Et hic prætermiſſa eſt maior. Aſſumptio, τὸ γὰρ δίκαιον ἐν ταῖς διανομαῖς: Ex quibus verbis perſpicitur hanc rationem non eſſe communem, ſed iuſtitiæ διανεμητικῆς, in diſtributione poſitæ propriam: nam hæc proprie eſt ea, quæ dicitur κατ' ἀξίαν, quæ ſuum cuique tribuit pro dignitate. In hac dignitatis habetur ratio, in altera meræ æqualitatis. Etſi vulgo iuſtitiam definire ſolent etiam generaliter, quæ ſuum cuique tribuat pro dignitate, ſeu κατ' ἀξίαν, vt ab ipſo Ariſtotele *in lib. de Virtutib.* & à Cicerone multis in locis, ſed improprie: nam ἀξία perſonas potiſſimum reſpicit, quarum in ἐπανορθωτικῇ nulla habetur ratio, vt *infra* oſtendetur.

τὴν μέντοι ἀξίαν.] Interiicit hoc loco Ariſt. dignitatem apud alios aliam eſſe: nam in populari reipublicæ forma dignitatem cerni poſitam eſſe in libertate. Atq; ita in hac Repub. non virtutis aut diuitiarum, ſed vnius libertatis habetur ratio in tribuendis honoribus: adeo vt tantum Therſitæ modo libero, quantum Vlyſſi in Democratia ſit tribuendum. Quod quidem grauiſſime reprehendit Iſocrates *ad Nicoclem.* Idem reprehendit Plutarchus *in eo libello* περὶ φιλαδελφίας. In oligarchia vero dignitas ex diuitiis aut genere (ſic enim legendum pro οἱ δὲ, ἢ δὲ, autem, aut certe ita intelligendum) nam diuitiæ, aut generis nobilitas, proprie ſunt oligarchiæ notæ (oligarchia factio

à Cicerone vocatur) indicatur. Et hoc grauiſſime reprehendunt Ariſt. *libr. 4. Polit.* & Iſocrates *eo loco*. In ariſtocratia denique, vt & in Regno (teſte Iſocrate *eo loco*) dignitas omnis in virtute eſt poſita, quod ipſum Iſocrates eleganter *eo loco*, & elegantiſſime *in Areopagitico*.

ἔστιν ἄρα τὸ δίκαιον.] Hæc eſt complexio. Præter duas autem, quas hic affert rationes, commemorat & tertiam *libr. 1. Magn. cap. 23.* quia ἀνάλογον continet vincula Reipubl. vtpote ſuum cuiq; pro dignitate tribuendo. Formula:

Ἀνάλογον continet Rempublicam.
Idem facit & iuſtitia.
Ergo iuſtum eſt ἀνάλογον.

Ita quidem Ariſt. ſed non abſq; παραλογισμῷ: nam affirmans eſt cōcluſio in 2. figura, niſi dicamus, eum hac ratione demonſtrare voluiſſe ſimilitudinem duntaxat quandam inter ἀνάλογον & iuſtum, quod vtroque conſeruetur Reſpublica.

τὸ γὰρ ἀνάλογον.] Occurrit tacitæ quæſtioni: Poterat namq; contradici, ἀναλογίαν locum habere in numeris Mathematicis, non vero in rebus & factis. Reſpōdet Ariſt. & in his eam locum habere, non tam per ſe; i. ratione rerū & factorū, q̃ ex euentu, i. ratione numeri, qui rebus inhæret. Nam, inquit, ἀναλογία nō tantū eſt in numero monadico, ſed & in non monadico, & rebus inhærente. Duo ſunt numeri genera: vnū propriū, Monadicum hic, *& in Metaphyſ. li. 13.* & Mathematicum ibidem vocat Ariſt. vtpote à rebus & corporibus ſeiunctum, qualia ſunt omnia Mathematicorum principia, τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως, vt vnum, duo, tres, &c Alterum numeri genus non proprii, quem hoc loco vocat ὅρον ἀριθμὸν, qui rebus inhæret, vt cœtus, grex, Eccleſia, duo homines, &c. De priore numero eiuſque ἀναλογία Mathematici; De poſteriore Phyſici, Politici & cæteri agunt. In vtroque autem reperiri ἀναλογίαν docet hac ratione Ariſt. quia ἀναλογία eſt rationis ſimilitudo ἰσότης καὶ ὁμοιότης. Formula:

Vbi ἰσότης, ibi ἀναλογία.
At in vtroque numero reperitur ἰσότης.
Ergo & ἀναλογία.

De Monadico conſtat: de altero *ſupra initio huius cap.* demonſtrauim⁹. Propoſit. ex ipſa definitione ἀναλογίας eſt certa, quam & hoc loco affert Ariſt. & *lib. 5.* Euclides, qui tamen in hoc differt ab Ariſt. quod extrema tria, Ariſt. ponat quatuor, ſed hac de re mox.

ἡ μὲν

Digitized by Google

ἢ μᾶλλον διῃρημένη.] Adiungit continuo rationem Ariſtotel. cur quatuor extrema eſſe dixerit: nam cum duo ſint *ἀναλογίας* genera, quarum altera deiuncta, altera vocatur continens: hæc certè in tribus duntaxat extremis conſiſtere videtur: nam continentem vocant, cuius vnum ſit commune extremum; Deiunctam, cuius nullum, vt 2. 4. 8. quæ ſi ita conferantur, vt 2. ad 4. ita 4. ad 8. quatuor commune eſt extremum, vtpote vtriuſq; rationi cõmune. Atq; ita hui⁹ tria duntaxat exprimunt extrema. Reſpondet Ariſt. Deiunctæ 4. eſſe extrema, rem eſſe perſpicuam, vt 2. ad 4. ita 6. ad 12, quam *ἀναλογίαν* vocant deiunctam, vt cuius nullum audiatur cõmune extremum. Continentis autem, etſi re ipſa duntaxat ſunt tria, tamen poteſtate ſunt quatuor: nam commune iterandũ eſt, & duorum eſt loco.

ἔστι δὲ καὶ τὸ δίκαιον.] Singulatim h.l. explicaturus duo illa iuſtitiæ genera, quarũ altera in tribuendis honoribus, altera in contractibus verſatur, repetit breuiter initio, quod *ſupr.* docuit, iuſtum cerni in quatuor extremis, & quæ inter eadem ſit ratio & ſimilitudo, ratione perſonarũ & rerum, *οἷς τε καὶ ἅ.* Quæ diſputatio vt intelligatur, præmuniendum eſt, duo eſſe *ἀναλογίας* genera (& ea partitione in deiunctam & continentem etiam vtemur) alteram Arithmeticam, alteram Geometricã. In illa ratio quantitatis: in illa qualitatis conſideratur, i. in illa interuallum & excellentia numeri, in hac ratio ſeu rationis comparatio ſpectatur, vt Arithmetica eſt inter 2. 3. & 4. quæ inter ſe ſuperant vno. Sic igitur hæc comparari ſolent, vt 2. à tribus: ita 3. à 4. ſeparatur, nempe Monade vna. Summa igitur diſputationis huius eſt, vt doceat *ἀναλογίαν* iuſtitiæ tribuentis eſſe Geometricã, cuius rei hic eſt vſus, quod hoc confirmato perſpicue cernatur, quomodo honores & bona publica rectius tribui & diuidi debeant, nempe habita ratione dignitatis, id eſt, tam ratione habita rerum, quàm perſonarum. Docet autem hunc in modum:

Vbi eadem eſt totius ad totum, quæ partis ad partem, ratio, ibi eſt proportio Geometrica.
At in iuſtitia tribuente illud.
Ergo & hoc.

Propoſitio exprimitur paulo *infr.* *καλοῦσι δὲ τὴν τοιαύτην ἀναλογίαν γεωμετρικήν*, quam confirmat Mathematicorum auctoritate. Aſſumptionem multis verbis exponit, & quidem initio, *ἔστι δὲ καὶ τὸ δίκαιον*: nam & veteres aſſumptionem propoſitioni anteponere ſolent, vbi & vna explicatur, quid

ſibi velit id, quod in propoſitione attulim⁹ de ratione totius ad totũ, & partis ad partē. Docet nāq; ea in aſſumtione, i. in iuſtitia hæc reperiri. Vt autem ratio hæc totius ad totum, &c. intelligatur, repetendum ex Geometricis, quatuor illa extrema partim dici ἡγούμενα, id eſt, antecedentia, partim ἑπόμενα, ſeu conſequentia, vt Ariſtoteles Α. ad Β. ita Γ. ad Δ. vbi α. & γ. ſunt antecedentia, cætera conſequentia. Repetendum quoque eſt ex *libr. 5. Elementorum Euclidis, definitione 12. & 14.* cum rationum varia ſint genera, vnam eſſe rationem, quæ dicatur ὁ ἐν λόγῳ, directa ratio, ſumpto antecedente cum ſuo conſequente, vt in priore ἀναλογίᾳ allata. Eſt & altera ratio, quæ ἐναλλὰξ ab Euclide, & hic ab Ariſt. dicitur, latine, alterna ſeu permutata ratio, ſumpto antecedente cum vno conſequente, & altero antecedente cum altero conſequēte, vt in priore ἀναλογίᾳ, quæ eſt ratio, τοῦ α. ad γ. eadem eſt τοῦ β. ad δ. aut in numeris 12. 6. 8. 4. quæ eſt ratio τῶν 12. ad 8. eadē eſt τῶν 6. ad 4. Eſt præterea quæ dicitur σύνθεσις λόγων, rationum copulatio, de qua Euclid. *definit. 14. l. 5.* cum antecedens cum ſuo antecedente, & conſequens cum ſuo conſequēte copulant̃, vt ex 12. & 6. efficiuntur 18. ex 8. cum 4. 12. His præmunitis nunc videamus, ꝙ ait Ariſt. reperiri in iuſtitia tribuente eandē rationē totius ad totũ, i. copulatarũ rationũ, de qua re modo diximus, q̃ eſt partis ad partem, ſeu antecedentis ad conſequens. Primũ igitur ex prioribus repetit, in iuſto tribuente 4. eſſe extrema, duas perſonas & res, & inter hæc 4. eſſe rationem quandā: nam vt *ſupr.* dictum eſt, dignitatis hic habetur ratio, ꝙ ſine ſimilitudine quadā & comparatione rerũ & perſonarũ inter ſe fieri nequit. Itaq; vt more geometrico perſonas & res diſtribuamus, erit in his, quod apud Geometras, vt α. ad β. ita γ. ad δ. vt 12. ad 6. ita 8. ad 4. vt Aiax ad Vlyſſem, ita arma Achillis ad arma deteriora. Iam vero vbi hæc directa reperitur ratio, ibi & permutata ſeu ὁ ἐναλλὰξ λόγος, teſte Euclide *lib. 7. propoſ. 12.* vt quia in prioribus numeris reperitur directa, in iiſdem erit & permutata, hunc in modum: vt quæ eſt ratio τοῦ α. ad γ. eadem erit τοῦ β. ad δ. quæ τῶν 12. ad 8. eadem τῶν 6. ad 4. Atq; ita in iuſto quoq; comparandis perſonis & rebus inter ſe: q̃ eſt ratio Aiacis ad arma Achillis, eadem eſt Vlyſſis ad arma deteriora. Poſtremo, ſi permutata; Ergo & vniuerſa ſeu copulata, i. vt partes inter ſe comparãtur ſeparate, ita & coniuncte, ſeu τὰ ὅλα ad τὰ ὅλα, vt in prioribus numeris, quemadmodũ τῶν 12. ad 8. & τῶν 6. ad 4. quæ eſt ratio ſeſquialtera,

Digitized by Google

tera,ita & totius ſeu partium coniunctarũ, nempe 12. & 8. id e. viginti,& 6. cum 4. i.e. decem, erit ratio dupla. Sic vt Aiax cum armis Achillis coniuncte reſpõdebit Vlyſſi cum armis deterioribus, quemadmodũ ipſe Aiax cum ſua re, & etiam cum ipſo Vlyſſe:& cõtra Vlyſſes cum ſua re,& cum Aiace comparabat᷑. Atq; hæc copulatio rerum cum perſonis, ꝓprium eſt diſtributionis Diſtributio nihil agit aliud,q̃ vt rem cum perſona copulet, hanc det illi, illam alteri. Quare ſi copulatio hæc repetit᷑ in Diſtributione, q̃ copulatio ꝓpria eſt Geometricæ ἀναλογίας: efficit᷑ vt & in hac iuſtitia ſtatuenda ſit Geometrica ἀναλογία. Nam in Arithmetica certe illæ permutatæ rationes & copulationes locum nõ habent, pſertim cum ne ipſa quidem vlla ratio in ἀναλογίᾳ ſeu ꝓportione ꝓprie locum habeat, quare nec ꝓportio proprie dici ſolet; & his ipſis libris Ariſtoteles iuſtitiam tribuentẽ, nempe ex ꝓportione, alterã ex æqualitate nominare ſolet. Ex his pſpicuum eſt, veram eſſe ꝓpoſitionẽ, qua diximꝰ, Vbi Ratio inter extrema directa, & ꝓinde pmutata partium inter ſe, totius deniq; cum toto reperit᷑, ibi eſſe Geometricam ꝓportionem, ꝓpterea ꝙ in Arithmetica omnia illa non reperiantur vſquequaq;. Perſpicuum quoq; eſt verã eſſe aſſumtionem, qua diximus, ea omnia reperiri vſquequaq; in iuſto, propterea quod quæ pſonarum, eadem & rerũ ſit habenda ratio ac diſtinctio, & copulatio partiũ diſtributionis maxime ſit ꝓpria.

ὁ μέσον τὸ δίκαιον.] Interſerit hoc loco Ariſtoteles, & elicit ex eo, quod modo dixit, hoc iuſtum conſiſtere in ἀναλογίᾳ, elicit inquã iſtud. Ergo eſſe & mediũ. Quod quidem *ſupra* quoque oſtenderat hac ratione, quia æquale, Ergo mediũ. Hic tamẽ alteram adiungit rationẽ priori certe ſimilẽ, quia ἀνάλογον,

Quod ἀνάλογον, eſt medium.

At iuſtum eſt ἀνάλογον.

Ergo medium.

Locus autem iſte valde mendoſus mihi videt᷑ in his verbis, τὸ δίκαιον τοῦτ' ἐστι, cum quia magna eſt in libris varietas, etiam in veteri tralatione, tum quia quæ repetitur in quibuſdam libris ſcriptura, nullum cõmodum habet ſenſum: quæ in alijs, non neceſſarium & ἀπροσδιόνυσον fere, ſine dubio inculcatum. Legendum igitur καὶ μέσον: τὸ γὰρ ἀνάλογον μέσον, τὸ δὲ δίκαιον ἀνάλογον, inductis reliquis, quæ ex interpretatione irrepſerunt.

ἔστι δὲ ἡ συνεχής.] Quia duo ſunt ἀναλογίας genera: hoc amplius docet h. loco Ariſtoteles, iuſtum nõ tantum conſiſtere in

Geometrica ἀναλογία, ſed etiam in deiuncta, non vero in cor tinente. Ratione hac vtitur, quia non idem numero eſt ex tremum cui, & quod. Formula:

Vbi nullum eſt commune extremum, ibi continens non eſt pro portio, ſed deiuncta At hic (in iuſto diſtribuente) nullum e. commune extremum. Ergo non eſt continens proportio.

Propoſitio perſpicua eſt, vel ex ſola continentis definitio ne, ꝙ ab Ariſtotele in κατηγορίᾳ quantitatis dicitur eſſe, cui partes cõmuni quodam extremo contineantur, vt linea, & Notum quoq; id eſt ex definitione proportionum deiunctæ continentis. Aſſumtionis mihi hæc videtur ratio; at hic nul. eſt commune extremum, quia in iuſto duæ perſonæ & duæ plane diſiunctæ requiruntur: adeo vt ex vna re & vna perſon non poſſit vnum aliquod copulari.

ὅπερ καὶ ἐπὶ τ.] Quaſi dicat plus & minus, quæ iniuſti ſu partes, non tantum in iniuſto, aut iniuſtitia, & habitu, ſed e iam in rebus ipſis & factis reperiuntur. Nam qui iniuriam f cit alteri, plus, qui accipit, minus habet boni; & contra ſ pe accidit, vt qui iniuriam faciat, minus nempe mali: qui a cipit plus, plus habeat. Nam vt & *ſupra* docuimus *cap. 1.* m nus malum: vtpote ratione maioris mali expetendum locu boni obtinere videtur.

τὸ μὲν οὖν ἴσ.] Huius iuris vſus vt melius perſpiciatur, ope pretium erit loca aliquot veterum ſcriptorũ & exempla affe re. Iſocrates *in Areopagitico* laudans p̄claram veterum Ath nienſium Remp. inter ea q̃ ad ſtatum ciuitatis felicem redde dum & conſeruandũ pertinent, hoc vnũ ait plurimũ valuiſſe, cum duo ſint æqualitatis genera, quorũ alterum omnib. eac alterum pro dignitate ſua cuiq; tribuat: Athenienſes ſapient priore repudiata equalitate, q̃ nullum inter bonos & improb faciat diſcrimẽ, alteram ſint amplexi, q̃ pro ſuo quemq; me to, p̄mijs & pœnis afficiat, & qua magiſtratus & honores, n p̄miſcue omnibus, ſed optimo cuiq; & aptiſſimo in ſuo cu genere deferant. Sapienter inq̃: nam ad principũ & magiſt tuum mores, ciues fere ſe comparare cõſueſſe. Idem Iſocra *ad Nicoclem*, quo loco docet, quib⁹ reb⁹ Regnum Oligarch & Democratiæ præſtet, & hanc de æqualitate, vt inſigniore notam commemorat: nam in regno plurimum tribui optim cuiq; primas partes, ſecundas p̄ximo, tertias & quartas al deinceps: cõtra in his omnia omnib. eſſe æqualia, ꝙ qdẽ c

ὁ ἀνά

Digitized by Google

δίκαιον & grauiſſimum, improbos & bonos iiſdē afficere honoribus & pmijs: Æquiſſimum vero, vt κατ' ἀξίαν quiſq; honores capiat. Plato .a. li. 6. de legib. item duo hæc æqualitatis genera commemorat Arithmeticæ & Geometricæ Sed hanc eſſe veriſſimam, atq; diuinam, & q̄ homini vix innoteſcat, ſoli ppe Deo ſit nota. Quantulacunq; tamē homini eius ſit notitia, hac vna Reſpublicas, domos, & omnes cœt⁹ cōtineri. Qua ex re, quantæ ſint huius vtilitates pſpici poſſe, cuius has affert pprietates, vt pſtantiori maiora, inferiori minora, ſuum denìq; cuiq; κατ' ἀξίαν tribuat. Quod niſi fiat, & æqualia tribuantur etiam inæqualibus, grauiſſimas exiſtere ſeditiones ac rixas & pugnas. Alterius æqualitatis vſum reperiri aut in rogandis ſorte magiſtratibus, quia in ſorte nō iudicium & æſtimatio dignitatis, ſed fortuna dominet. Et hac æqualitate vſum quoq; eſſe Deum ipſum in moliendo mundo, ſcribit in Gorgia, vt huius omnes partes admirabili ordine ſint deſcriptæ. Ordo .a. nullus abſque hac æqualitate eſſe poteſt. Quare & adiungit eo loco, hominem quoq; ipſum, vt μικρόκοσμον hac æqualitate conſtare, dum partes animi ordinem inter ſe ſeruant, imperet ratio, pareant ira & cupiditas, atq; ita iuſtitia & temperantia, id eſt, virtutum concentus & harmonia in homine exiſtat. Ariſtoteles de iiſdem æqualib. nō in hoc tantum loco, ſed & ſupra li. 2. c. 6. & infra li. 8. & li. 3. Polit. pclare diſputat. Et hac qdem adhibita diſtinctione æqualitatū, diſſolui poterit, q̄ ſæpe occurrit qſtio, in Republ. cui deferendū ſit munus aliquod, monet Ariſt. in Polit. tria eſſe neceſſaria in eo, cui munus aliquod ſit deferendum, vt ſit idoneus, vt ſit vir bonus, vt ſit amans patriæ [h.e. eius loci, vbi defertur] Quod idem monet li. 2. Rhet. initio. Iam accidit ſæpe, vt illa tria in vno non reperiant. Verbi gratia reperitur ſæpe Dux belli peritiſſimus, ſed improb. tamē. Quid fiet? ppendetur natura rei, & cōparabitur cū perſona: vt ſi res ea ſit, q̄ poſtulet magis peritiam, q̄ probitatem, præferatur peritus probo, licet improb⁹, ſed imperito: & cōtra, vt in bello peritus Dux licet improbus præferat imperito quantūuis pbo. Contra, in quæſtura & pecunia vir pbus præferendus eſt, quantūuis magno Arithmetico & verſipelli. [omnes ſocietates fiunt nō ſolū vt viuamus, ſed vt etiam cum voluptate quadam & bene & beate viuamus] Plutarchus libro ſecundo, ſympoſιακῶν capite vltimo, in vtramque partem diſputat, vtrum præſtet in menſa ſuam cuique partem apponere more

vete-

veterum ſcil. tempore Homeri: an ex vna lance veſci more ſu
ætatis & maiorũ, ſcil. parentum, Ciceronis: Prius docet m
liorem eſſe ſuæ ætatis conſuetudinem, argumento vſus Ge
metricæ proportionis. Nam abſurdum eſſe æqualem porti
nem diſſimilibus magnitudine & cibi auiditate hominibus ap
ponere: tanquam ſi quis velit medicus omnibus ægrotantibu
medicamenta eodem modo, & menſura præbere. Poſteri
tamen magis probat Homericam conſuetudinem, vt æqual
tati magis cõſentaneam [Menſa Homerica plærũq; eſuriens
Idem *in lib. de amore fraterno*, diſputans, quatenus fratres bo
na inter ſe communicare debeant, ſuadet quidem, vt qua
fieri poſſit, ea inter ipſos ſint æqualia, & alter nihil æquale ſu
eſſe dicat: ſed in Republica aliam æqualitatem eſſe ſeruan
dam, Geometricam, non vt Solo exiſtimauit, Arithmetican
ſeditionum parentem. Et huc pertinet diſputatio de bonoru
communione: quam quidem olim Plato in commentitia ſu
Politia ex Arithmetica proportione inſtituendã putauit, im
tatus Lycurgum Spartanum. Sed grauiter ab Ariſtotele *lib.*
& à Lactantio *lib. 3.* reprehenditur, maxime quod in Rerum
pub. deſcriptione adhibenda ſit non Arithmetica, ſed Geom
metrica proportio. Errant igitur & Anabaptiſtæ: nam quo
olim Chriſtiani (teſte Luca *in Actis*, & Tertulliano *in Apol*
getico, & Luciano *in Peregrino*, vbi nebulo ridet Chriſtiano
nominat Chriſtum furciferum) bona communicarent, hoc a
liberalem & voluntariam in tenues, & ad vſus Eccleſiæ nece
ſarios largitionem, non ad vniuerſi patrimonij confuſioner
pertinebat. Quæri poteſt, an Cicero *in offic.* hanc iuſtitiæ pa
titionem nuſquam attingat. Exiſtimat quidem ita Antoniu
Contius *li. 1. ſucciſiuarum lectionum*. Quod verum non puto
niſi ſi eo loco, vbi de liberalitate (quam partem facit iuſtitia
gradus beneficentiæ ſeruandos monet. Sed hoc alienum eſt a
Ariſtotelica doctrina, vt mox oſtendetur. Egit fortaſſe de iu
ſtitia *διανεμητικῇ*, *in lib. de Repub.* vt quæ in Rebuſpubl. id eſ
honoribus, &c. verſetur. *In officijs* de altero duntaxat Iuſtiti
genere agit, quod perſpicuum fit ex diſputatione *lib. 3. de frau*
dibus & mendacijs contrahentium. Attingit & hanc tribuent
iuſtitiam ſeu æqualitatem Geometricam Apoſtolus Paulus
Corinth. 8. vbi monet Eccleſias, vt pro facultatibus altera iuue
alterã, *ſeruata*, inquit, *æqualitate*. Exempla æqualitatis Geo
metricæ in hiſtorijs extant innumerabilia, in primis laudatu

Iph

Iphicrates à Polieno *lib. 1. Stratagem.* qui prædam & dona militaria diligentiſſime inter milites & Tribunos ſit diſtributus, id eſt, cum ſummo delectu. Contra vituperatur C. Marius (teſte Plutarch. *in li. Apophthegm. Romanor.*) qui ciuibus Romanis æquarit honore Phauarinos milites, quod in prælio aduerſus Cimbros fortiſſime ſe geſſerint. Videatur & Apologus ille de Venatione Leonis, apri, equi, aſini, vulpis. Cæterum in hac tractatione de æqualitatibus duplex eſt differentia inter Ariſtotelem & alios. Prior eſt, ꝙ alij æqualitates, Ariſtot. vocat *ἀναλογίας*: quæ inter hæc eſt differentia, quæ inter ſpeciem & genus. Nam *ἀναλογία* omnis eſt æqualitas, ſed non contra. Hinc quoq; id manat, quod alij tribuant æqualitati & analogiæ Arithmeticæ, quod Ariſtoteles Geometricæ, vt Iſocrates æqualitatem Democratiæ aliam facit ab ea, quæ eſt regni, *in oratione ad Nicoclem.* Ariſtot. *ſupra & li. 3. Polit.* eandem eſſe ait, genere, non tamen ſpecie, propterea ꝙ dignitas Democratiæ in libertate, regni in virtute ſit poſita. Poſterior eſt differentia, ꝙ Ariſtoteles, quia de Politica agit, materiam huius iuſtitiæ facit anguſtiorem, nempe honores & facultates publicas: illi latiorem, & quidem latiſſime patentem. Nam & ad omnes priuatorum actiones accommodant, etiam ad diuinas, vt Plato ad molitionem mundi: ad omnes deniq; res, in quib. ordo & deſcriptio aliqua ſeruanda ſit, vt ad obſeruantiam, quæ alia Deo, alia parentibus, magiſtratibus, &c. debeatur, quo ea graduum diſtinctio Ciceroniana *libr. 1. offic. Optime autem, &c.* pertinet. *Sed*, inquit, *ſi contentio & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendū ſit officij, principes ſunt patria, parentes, &c.* Ad victum & cultum, vt alius ſit ſplendor publici, quam priuati, quod Cic. monet præclare *in Miloniana, alius huius quam illius ordinis cultus & veſtis.* Ad CONSESSVM & CONGRESSVM, vt potiori princeps detur locus, vt in conſilijs, vt nup Tridenti inter Reges Philippum & Galliarum. In CONVIVIIS, qua de re elegantiſſimus extat locus apud Plutarchum *in ſympoſiacis l. 1. c. 2. & 3.* [Pauli Æmilij dictum: *Eiuſdem eſt bene inſtruere aciem & bene inſtruere conuiuium.* Plato, inter familiarem, æqualem, non ſeruandus ordo, ſed ſi parentes, magiſtratus, natu maiores.] In THEATRIS, qua de re lex fuit Roſcia apud Romanos, de qua cum alij, tum Dio *lib. 42.* In SERMONIBVS & DISPVTATIONIBVS, vt cum quibus, & ad quos ſpectetur, qua de re Cic. *li. 1. offic. in fin.* vbi de decoro. Ad hoc de-

tiiq;

niq; accõmodant, vt quiſq; ſuo munere bene fungat̃, & in
ſe contineat, Spartam ſuam, ꝙ dicitur, ornet, alterius offic
temperet: ne, cui non ſit aptus, ſe immiſceat, ꝙ πολυπραγμ
οσύνης eſt vitij huic iuſtitiæ contrarij, etſi Plato *in Charmide*
temperãtiæ id attribuit. Summa, tã late patet alijs hæc iuſtiti
vt õis rerum & priuatarũ & publicarũ deſcriptio hac dirigatu
Quod q̃dẽ verum eſſe videt̃, ſed ab Ariſtotelico ſcopo alien
q iuſtitiã q̃rit non tam naturalẽ, ad q̃ deſcriptiones illæ tã p
blicæ quam priuatæ ptinent, vtpote ex naturali ratione p
fectæ, quam ciuilem & politicam explicandam ſuſcepe
quod *infra* monebit. Philippus *in Epitome* omnia confund
ſic uti omnes non ſententiam videntes Ariſtotelis.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Τὸ δ' λοιπὸν ἐν τῷ διορθωτικόν.] Explicatur altera iuris pars,
in corrigendo, & primum quidem repetit, quibus in rebus v
ſetur: deinde explicat comparate quidem primum, deinde
paratim. Hoc .a. potiſſimũ agit, vt oſtendat, an, quæ, & qua
ſit in hoc iure mediocritas, per quem & quomodo obtinen
τοῦτο δ' τὸ δίκαιον.] Expoſito qua de re h. cap. agatur, nem
de altero iuris genere, ꝙ emendationis dicitur; & quib. illud
rebus cernat̃, nempe in ſynallagmatis: his inquã breuiter
poſitis, q̃ *ſupra* vberius ſunt explicata, explicaturus deinde, d
ferentiã primo loco affert huius & prioris. Alia, inquit, eſt h
iuris ſpecies, alia prioris: ſpecie ſeu genere int̃ ſe ſunt diſtinct
Adiungit rationẽ, quia prius in Geometrica ꝓportione, hoc
Arithmetica ſpectet̃. Et hæc fuit altera huius diuiſionis rat
quã *ſupra cap. 2. in fi.* attulimus, q̃ hic non obſcure ſubindic
videt̃. Subindicat & alteram differẽtiam, ꝙ prius in reb co
munib. & publicis, hoc in priuatis tanquã in materia ſua v
ſet̃. Verum de priore differentia potiſſimũ elaborat. Ait igi
ius diuiſionis ſpectari ex Geometrica ꝓportione. Nam fac
tatum publicarũ, in quib. ius hoc cernit̃, diſtributionem fi
ea ratione ſemp, quã inter ſe habẽt, τὰ εἰσενεχθέντα, i.e. ad v
bum collata, ſeu vt poſteriores loquunt̃, illata: q̃ ſunt meri
officia, operæ aut virtus: prout ſunt merita aut virtus, ita di
duntur facultates publicæ aut honores. Verum vir ꝓbus i
probo, ciuis peregrino in honoribus capiendis præfertur: T
bunus militi in capiendo ſtipendio. Id namq; ſonat, τὰ εἰσ
εχθέν

τηλη: nam ꝓprie tributum conferre valet. Hoc loco aliquid afferre in vtilitatem publicã, vt merita aut virtutẽ. Eadẽ eſt & iniuſti diuiſionis ratio: vt ſi neq; officij, neq; virtutis habeatur ratio, aut vllius dignitatis, æquentur tribuni & milites ſtipendio, aut etiam omnes milites inter ſe (qua de re extat inſignis locus apud Tacitũ *in vita Tiberij*,& apud Sueton.*in eodẽ*) aut improbi ꝓbis in honorib capiendis,peccatur aduerſus ꝓportionẽ Geometricã: iniuſtũ, inquam, fit *ἀνάλογον*. Alia eſt iuris emendationis ratio, q́ in *ἀναλογία* ſeu proportione Arithmetica cernitur,eſſe quidẽ & iſtud æquale (vt omne ius eſſe *ſupra* oſtendimus) ſed ex proportione Arithmetica.Huius cum hæc ſit ratio,vt nullam ſpectet rationum æqualitatẽ aut inæqualitatẽ (q́ proprium eſt Geometricæ) ſed vnam duntaxat æqualitatẽ exceſſus, vt *2.4 6* q̃ inter, idem eſt exceſſus: nam binario inter ſe ſuperãt & ſuperant͂: ſed non eadẽ eſt ratio, nã inter *2.*& *4.*eſt dupla.& inter *4* & *6.*eſt ſeſq altera: efficit͂ vt q́ in hac proportione verſat͂ ius, meram quoq; ꝓſequat͂ æqualitatem, eam'q; ad viuum reſecet,nulla rationũ ſimilitudinis,i.e.*ἀναλογίας*,habita ratione,ſed cõparatis tantũmodo inter ſe exceſſib. lucri & damni, vt mox dicetur. Adiungit rationem Ariſtoteles, quia in hoc iure non perſonarum, ſed rerum duntaxat, habetur ratio, & fit comparatio. Formula:

Vbi non perſonarum ſed rerum ſpectantur momenta, ibi non Geometrica ſed Arithmetica proportio locum habet: propterea, quod in rebus tantum conſideratur exceſſus: in perſonis vna cum rebus comparatis etiam rationum ſimilitudo & diſſimilitudo.

Atqui in hoc iure rerum duntaxat momenta ſpectantur.

Ergo in eo locũ habet non Geometrica ſed arithmet. proportio.

Aſſumptionem exemplo declarat Ariſtoteles: Nam in contractu ſi alter alterum fraudarit, hoc tantum quæritur quanta ſit captio & defraudatio, non vero an ſit vir bonus fraudator, an improbus. Sic non quæritur, an adulter ſit vir bonus, an improbus, ſed an adulterium commiſerit, de facto & re non de perſona ſit quæſtio. Lex, inquit Ariſtoteles, ſolius detrimenti differentiam perquirit: perſonas eodem loco habet,pro ijſdem vtitur. Facit .a. mentionem legis h lo. q́ rationes contractuũ legib.vt iure ciuili cõprehendant͂, quaten⁹ fieri poteſt. Ex his ꝓſpicit͂, q̃ inter hæc duo iura ſit diſſimilitudo: deinde in iure emendationis, de quo hic agitur,non perſonarum, ſed rerum duntaxat detrimenti aut iniuriæ haberi rationem.

Recte

Recte igitur Cyrum puerũ cæcidit præceptor, qui Geometri
proportione in hoc genere vſus ſit. Narrat namq; Xenoph
li. 1. παιδείας, Cyrum, cum duos vidiſſet pueros, alterum lõg
rem, alterum breuiorẽ, & hunc lõgiore amictum tunica, illu
breuiore: tanq̃ arbitrum tunicas permutaſſe, quod diceret long
rem longiori, & breuiorem breuiori conuenire. Sed hæc *α*
λογία, & conuenientia non habet locum, inquit Xenopho
in bonis & poſſeſſionibus priuatorum. Extat & hac de re lo
pulcherrimus apud Gellium *lib. 14. cap. 2.*

εἰ ὁ μὲ ἀδικεῖ.] Hæc verba, *ἀδικία* & *βλάβος* ſeu *βλάβη*
riſtoteli de eadem re dicuntur, id eſt, de damno aut detrimen
in rebus externis. Platoni *ἀδικία* de animo, *βλάβος* de exter
corporis, aut fortunæ. Quare ſæpe apud Platonem Socra
virum bonum ab improbis poſſe quidem *βλάπτεσθαι*, bona
vitam illi eripi; ſed non *ἀδικεῖσθαι*, id eſt, probitatem & virtu
non poſſe auferri. Verum hæc diſtinctio Platonis vſu impr
batur, quem ſequitur Ariſtoteles. Nam & latine damnum
iuria datum dicunt ICti.

ὥστε τὸ ἄδικον.] Obſcura eſt connexio horum verborũ cu
priorib. Verum duo hic implicite agit Ariſtot. primum, vt
gem, (de qua modo) ita & legis miniſtrum iudicem in h i
nõ perſonas, ſed rerũ ſpectare momenta & differẽtias. Dein
viam munit ad vberiorem de mediocritate huius iuris diſpu
tionem, in qua totum h. caput conſumitur. Viam ita munit,
iniuſtum declaret eſſe inæquale: iuſtum vero æquale. Quod
prius attinet, monet iudicem, legem imitatum, damnum &
crum inter ſe comparare, de his duob. agere. Quod ad alte
modum indicat, quo vtatur iudex in his duob. adminiſtrãd
Nam cum iniuſtum ſit inæquale, ipſe ad æqualitatẽ eius par
perducere nititur. Oſtendit exemplo percutientis & percuſſi,
terficientis & interfecti. Inter quos inæqualitatẽ eſſe, inter p
cutientẽ & interficientem, cui actio, & percuſſum & interfec
cui perpeſſio hic tribuitur, nemini eſt dubium Itaq; iudex dam
afficiendo percutientem, eidẽq; lucrũ detrahẽdo, q̃ fuerat in
illos inæqualitatẽ ad æqualitatẽ perducere nititur. Ne quis .a. n
retur, cur damni & lucri vocabula tribuat percuſſioni aut cæ
adiungit continuo de vocabulis damni & lucri diſtinctione
Nam tametſi proprie quibuſdã ita videatur hæc verba pertine
magis ad iniuriam facultatibus, q̃ corpori illatã: tamẽ non
cõmode, & de hac poſteriore dici poſſe monet, eo nẽpe tẽpo

po

Digitized by Google

poſtquam iniuria à iudice dimenſa, i. e. æſtimata fuerit. Quod .n. ICti ſcribunt corpora hominũ liberorũ eſſe inæſtimabilia; verum quidẽ ſubtiliter acceptũ exiſtimari debet: large tamen accipiendo æſtimationem, aliquo modo etiam corpora æſtimari poſſunt, id eſt, corpori illata iniuria æſtimari poteſt, quod cernere licet in legibus maiorum noſtrorum *in lib. de legib.* Alemannicis, Longobardicis, Francicis, &c & *in Speculo Saxonico*, vbi digitus, articulus, auris, &c. vulnus profundum, latum, &c. æſtimantur certa pecuniæ ſumma. Verum de nominibus his, vt & de iudice, eiq; vſitato medium in hoc iure ſecandi & litigantibus tribuendi modo, *infra* dicetur copioſius. Satis ſit hoc loco monuiſſe, cum de iudice inæqualitatem æquante, tum de vocabulis, ex quibus perſpicitur, vt iniuſtum, inæquale, ita & iuſtum eſſe æquale.

ὥς τε τὸ μὲ πλεῖον.] Concludit, qui vere illi eſt ſcopus, hoc ait, ius hoc eſſe medium, idq; inter damnum & lucrum: Duabus rationibus; prior iam eſt expoſita, quia eſt æquale, & quidem damni & lucri, vt modo expoſuimus. Cuius rationis concluſionem hoc loco tandem adfert Ariſtoteles, & quidem, quod rariſſime facit, integram, hunc in modum:

Quod inter plus & minus æquale, idem eſt mediũ. Atqui ius iſtud emendationis inter plus & minus eſt æquale. E. eſt medium.

Propoſitio, ὥς τε τὸ μὲ πλεῖον, &c. per ſe nota. Aſſumptio, τὸ κέρδος καὶ ἡ ζημία. Complexio, ὥς τε τὸ μὲ ἐπανορθωτικὸν, &c. In aſſumptione explicanda Ariſtoteles immoratur, vt declaret, quodnam ſit plus & min⁹, cuius æquale ſit hoc iuſtũ. Sic .n. eadẽ opera explicat, quorũ idem ſit medium. Nam æquale eſſe iuſtum iam conſtat: quorum .a. ſit æquale nõ item. Ait igitur iuris plus & minus eſſe lucrum & damnum. Nam lucrum pluris habere rationem, damnum minoris, ſed ἐναντίως ſeu contrarie. Nam in bonis lucrum quidem pluris habere rationem, damnũ minoris; ſed in malis lucrũ habere minoris, damnũ pluris rationẽ. Qui plus mali, damnum; qui minus, lucrũ ſentire videt᷑: contra fit in bonis, qua de re *ſupra ca. t.* Itaq; complexionem hanc infert Ariſtoteles ius emendationis nihil eſſe aliud, quam damni & lucri mediocritatem, quæ huius ſyllogiſmi quidem eſt complexio, & tamen etiam iuris huius definitio. Eſt enim mediocritas damni & lucri.

διὸ καὶ ὅταν.] Alteram hic exponit rationem, quia iudex eſt medium quiddam, quod confirmat ex eo, quia Græci iudices

vocent etiam μεσιδίους, aut vt alij legunt, μεσοδίκους, quaſi mediarios dicas. Formula ſit iſta:

Iudex eſt iuris miniſter. Nam qui ius quærunt, & obtinere cupiunt, ad iudicem confugiunt. At iudex eſt medium quiddam, vt iam docuimus. Ergo & ius erit medium quiddam.

Ratio conſequentiæ eſt iſta, quam iam attulimus, quia iudex nihil eſt aliud, quam iuris executor, miniſter & Interpres, ius animatum quoddam.

τὸ δ᾽ ἐπὶ τ᾽ δικαςὴν.] Ex hoc loco & alijs, quibus mentio fit iudicis, notandum eſt, huius iuris quod in contractibus, miniſtrum eſſe iudicem, vt in priore magiſtratus imperium, vtpote Rerumpub. ita in iſto opera eſt iudicis, vt rerum priuatarum, & ICti: vterque in iure priuato verſatur. Nam hanc eſſe inter magiſtratum & iudicem differentiam, cum explicant ICti, tum Ariſtoteles quoq; in Politicis. Magiſtratus enim publicæ: Iudex & ICtus priuatæ ſunt perſonæ.

ὁ γὰρ δικαςής.] Elegans eſt dictum Ariſtotelis, iudicem eſſe tanquam ius animatum. Sic & Cic. *lib. 3. de legib.* vereq; dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem; legem autem mutum magiſtratũ. Etſi magiſtratus legum proprie ſunt miniſtri: Iudices vt & ICti Interpp. inquit Cic. *in orat. pro Cluentio.* Sic & ICtus ſub *tit. de Iuſt. & Iure.* prætorem vocat viuam iuris ciuilis vocem.

μεσιδίους.] Rarum eſt vocabulum. quo tamen & *li. 4. Polit. initio* eſt vſus. Variant quidẽ editiones: nam partim μεσοδίκους, partim μεσιδίους habẽt. Verũ hanc ſcripturam veriorẽ puto, vt quæ cõſtantius reperiatur, non h.l tantũ, ſed etiã *in Polit. & Eud. li. 4.*

ὁ δ᾽ δικαςὴς ἐπανισοῖ.] Poſtquam docuit eſſe quandam in hoc iure mediocritatem; deinde quænam ea ſit, nempe ex Arithmetica proportione, & inter damnum & lucrũ poſita, præterea quis eius mediocritatis ſit adminiſter, nempe iudex; tandem h.lo. modum affert, quo iudex in mediocritate reddenda vti debeat, quo nos eam aſſequamur, quẽadmodũ docet, aut ſimili ſumto, primũ à linea vna, deinde à tribus Ad hunc igitur modum iudicem ſe gerere debere in aſſequẽda hac mediocritate, tanquam ſi lineæ partes inæquales ſit æquaturus. Nam hac in re ita ſe gerere, vt quo longior pars alterã breuiorẽ ſuperat, id illi detractũ, huic adijciat; atq; ita partes prius inæqualiter ſectæ lineæ inæquales ad æqualitatem perducat. Ad eundem modum in iure, quod lucrum habebit alter cum alterius damno, id illi detractum huic addet.

ὅταν

Digitized by Google

ὅταν δὲ δίχα.] Rationes affert, cur ad hunc modũ æquare iudex debeat: & cur exẽplo lineæ vtat̃. Ratio ergo prioris hæc eſt, qa ius ſit mediũ, & ꝓinde quoq; æquale, h. e. vt ius q s aſſequatur, ꝙ mediũ ſit, i. e. æquale aſſequat̃ oportet. Atq ſi tota linea æqualiter ſecet̃, omnes ius ſe ſuũ obtinere dicũt, ſi æquali portionẽ auferant: ſuũ ſe quiſq; habere ait, ſi toto aliquo ſectionis inæquabilẽ auferat partẽ. Itaq; cum ius & æquale, & medium concurrãt: recte diximus partẽ, qua vna lineæ pars alterã ſuperat, illi detractam, huic adijciendam eſſe, & ita inter ſe æquandas has lineæ partes, tanquam ſi ab initio tota eſſet diuiſa.

κατὰ τὴν ἀριθμητικήν.] Nam & huius eſt proprium, vt in linea modo diximus, tantum ſpectare præſtantiam, id eſt, quo res vna alteram ſuperat. Itaque quanto medium ſuperatur ab eo, qui plus ſibi ſumit, alium vel defraudando, [vt in contractu] vel iniuria afficiendo [vt in delicto] tanto medium ſuperat eum ipſum, qui defraudatus aut læſus eſt, vt in numeris 2. 4. 6. medius 4. quanto ſuperatur à *6.* nempe duobus, tantò ſuperat ſuum inferiorem binarium.

διὰ τοῦτο καὶ.] Hic redditur ratio, cur hoc ſimili vtatur, cur ita cum lineæ ſectione comparet ius, propterea quod apud Græcos *δίκαιον* à diuiſione nomen habeat; non mirum igitur comparari lineæ ſectioni ius à ſecando deductum. Plato *in Cratylo* aliam affert huius verbi notionem: putat namq; *δίκαιον* dictum quaſi *διαϊόν*, quaſi διὰ per *ἰὸν* iens, quaſi ꝑ omnia means, inquit, Plato ex Anaxagoræ ſententia; vel quia *διὰ αἴτιον*, quaſi omnium rerum ſit cauſa. Nam τὸ κ. *δίκαιον* interiectum, poſtea melioris ſoni ſeu euphoniæ cauſa factum. Ius apud Romanos à iuſtitia deducunt ICti non recte, vt puto; nam vt à peritus, peritia, ita & à iuſto iuſtitia potius deducenda fuit. Puto ius deductũ à iuſto per Apocopen: Nam & ſæpe iuſtum ꝓ iure, & Græcis ius & iuſtũ vno dicitur *δίκαιον* nomine.

ἐπὰν γὰρ δύο ἴσων.] Hoc loco eundẽ modum aſſequendæ mediocritatis; ſed vberius & trium lineatũ ſimilitudine explicat. Sumantur, inquit, duæ res inter ſe æquales; verbi gratia, duæ menſæ quaternorum pedum. Si vnam pede deminuas, aut hunc alteri adijcis aut non: ſi adijcis, ſuperabit hæc illam duob: pedib9, & medium ipſum, i. e. æquale, ꝙ diximus eſſe quatuor pedum, ſuperabit vno. Si non adijcis, iam illam ſuperabit vno duntaxat pede: medium quoque eandem ſuperabit pede, vt quæ trium duntaxat ſit pedum, vno deminuto. Nam medio

tanquam Canone & menſura ad dimetiendam menſarũ magnitudinem,aut paruitatem vti debemus:quo cognito medio, facile ſic videbimus,quid vni deſit, alteri ſuperſit. Nam hoc eſt auferendum,& illi,cui deſit,attribuendum.

τοῦ μέσου ἄρα.] Id eſt, linea,cui pars alterius minoris additur, ſuperabit mediam vna parte; media vero minorem quoque ſuperabit vna parte, & hæc quidem media, ſiue maiori pars minoris addatur, ſiue non: illa vero maior mediam tum demũ ſuperabit vna parte, cum minoris pars illi fuerit addita.

τοῦτο ἄρα γνωριοῦμεν.] Id eſt, μέσῳ, ꝙ diximus normã & regulã, à quo quantum diſcedit᷉, tantũ capit᷉ damni aut lucri, & auget᷉ nimium & parum: vt ſi domus digna quadringentis (ꝙ iuſtũ pretium eſt mediũ & norma) quo minoris aut pluris veneat, eo magis aut minus à medio receditur, & hoc medio cognito, facile ſciet᷉, ſi minoris veneat domus, quantũ venditori ſit addendũ: ſi pluris, quantũ detrahendũ & emtori reddendũ.

ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ τῶν.] Obſcurus eſt locus Vulgo ita accipiunt: quæ adhuc ſunt dicta, de æqualitate huius iuſtitiæ, h. lo. confirmari exemplis cæterarũ artium. Nam & in his idem ſeruari, i. e. vt in hoc iure inter contrahentes q̃dam eſt æqualitas & ꝓportio tanq̃ inter agentem & patientem. Item in alijs artibus fieri, vt viciſſitudo q̃dam ſit & æquabilitas agentis & patientis inter ſe, vt ea huius ſit quantitas & qualitas, q̃ illius, vt corpori paruo minor cibus conſumendus præbeat᷉, id eſt, inter cibum conſumendum, qui patientis locũ tenet, & calorẽ hominis ſit q̃dam ꝓportio, q̃ ꝓportio niſi ſeruetur, fore, vt non conſiſtant & pereant artes, vt nimio calore abſumit᷉ corpus, lumine hebetãtur oculi. Verum puto hæc verba vſq; ad ἐλήλυθε δὲ, &c. perperam ex capite ꝓximo hic inculcata, & ꝓinde inducenda: cum propter repetitionẽ ꝓximis locis Ariſtoteli vſitatam, tum maxime ꝙ illic bene, hic male congruant. Docuit .n. hactenus, iuſtum eſſe, vbi ꝙ vni ſupereſt, alteri detractũ, rurſus illi detractũ, huic reddit᷉, vt in lineis. Idem, inquit, eſt & in alijs artibus, q̃ niſi ſit q̃dã ꝓportio patientis & agentis, pereant neceſſe eſt. Quo huc de cauſa interitꝰ artiũ, aut quo de ꝓportione agẽtis & patiẽtis? q̃ omnia in ꝓx. cap. optimẽ conueniunt, vt ibi explicabimus.

ἐλήλυθε δὲ τὰ ὀνόματα.] Hic rurſus de vocabulis extremorum huius medij, de dam. & lucro, de quib. & *ſupra* hoc monuit, ea non contractib. tantũ voluntarijs, ſed etiam neceſſarijs accommodari poſſe. Hic oſtendit, ꝓprię quidem locum ea habere in

volun-

Digitized by Google

voluntarijs, & inde ortum ſeu originem habere; ex commercijs inq̃ & voluntaria inter homines permutatione, vt in emẽdo & vendendo, qui plus habeat, q̃ ad ſe pertineat, lucrari, qui minus, in damno eſſe dicit᷑. Idem eſt in alijs contractib locando, conducendo, cõmodando, mutuando, &c. & h. e. ꝙ ait, ἐν ὅσοις ἄλλοις, i. e. idem & in alijs contractibus, in quib. tandemcunq; lex dederit ἄδειαν licentiam ſeu liberalitatem. Quam inquies? lucrandi & damno afficiendi ſeu fraudãdi & circumueniendi. Atq; ita vno verbo Ariſt. tangit locũ iuris ciuilis hunc; contrahentib. licere naturaliter inter ſe circumſcribere. Emtor namq;, vt q̃ minimo emere, atq; ita venditor quàm maximo ſtudet vendere, atq; ita inter ſe circumſcribere. Poſt multas cõtentiones venditore remittẽte, & emptore addente, ad certum pretium tandẽ recurritur, inquit Imperator *in l. 8. C. de reſcind. vendit. l. in cauſa. 2. ff. de minorib.* Hæc ſtudia inter ſe circumſcribendi iure ciuili non improbantur aut lege, vt prudenter adijcit Ariſtoteles. Nam rationi naturali & philoſophiæ repugnant, vt præclariſſime diſputat Cic. *lib 3. offic.*

ὅταν δὲ μήτε πλέον.] Conſtat iam lucrum eſſe, vbi plus, & damnum vbi minus, quam vere ſit ſuum quis obtineat. At vero vbi inquit hoc loco, neq; plus neq; minus, tum demum ſuum ſe obtinere aiunt, neq; in lucro neq; in damno eſſe.

ἀλλὰ αὐτὰ δι᾽.] Obſcura ſunt verba & mira varietate ab Interpretibus reddita, mihi ſunt valde ſuſpecta, cum quia non ſunt neceſſaria, tum quia cõtinent phraſin fere inauditam. Sonant ad verbũ: ſed ipſa ꝑ ipſa fiunt, id eſt, quando ꝑ id, ꝙ quis alij contrahẽdo dat, tantundẽ accipit, atq; ita per idem fit idẽ, id eſt, neq; plus neq; minus, ꝙ modo dixerat, & ſatis meo iudicio fuerat: dum vero ſe ſuum quiſq; obtinere ait.

ὥστε κέρδους τινός.] Et hic pobſcurus eſt loc⁹, varieq; reddit⁹ & explanat⁹. Quidã ita accipiunt, quaſi de cõtractib. duntaxat neceſſarijs agat, & hoc dicat Ariſt. iuſtum damni & lucri eſſe mediũ in cõtractib. neceſſarijs; ꝓpterea ꝙ mediũ reperiat᷑ in hoc iuſto & in his cõtractibus, quo & prius & poſterius æquale fiat, i. e. ꝙ ante iniuriã acceptã quis habuerit, idem & poſt, iudicis officio recipiat. Verũ repugnat ipſis [Schegkij & Amerbacchij ſentẽtia hæc eſt. D. Philippus aliã habet, ſed eſt falſiſſ.] & oratio & ſententia Nam τὸ παρὰ perſpicue pertinet ad κέρδους ἐκ ζημίας. Complexio eſt potius ſeu concluſio totius de iure emendãte diſputationis, ſeu eius iuris definitio, ꝙ nihil ſit aliud

 quam

quam mediocritas lucri & damni, q̃ quidẽ conſtat eſſe ꝑter voluntatẽ noſtrã. Mediocritatis .a. h. eſt officiũ; *τὸ ἰσονέχειν*, &c. i.e mediocritatis eſt officiũ ea, q̃ vel ꝑ damnum vel lucrũ facta fuerint inæqualia, æquare & efficere, vt ꝙ quis ante habuerat, ante inq̃ celebratũ contractũ, idẽ illi officio iudicis poſtea reſtituat. Quæro, an vera ſit hæc tota Ariſt. diſputatio, & diſtinctio iuris. Nam attẽtius conſideranti videbitur locũ habere in Diorthotico etiã Geometrica ꝓportio, & cõtra in Dianemitico Arithmetica. Nã vt illi non tantũ eſt accipiendũ ꝓmij, q parũ, atq; illi q multũ eſt merit⁹: ita q domũ vendit, q̃ 100. aureis valeat, nõ tantũ pretij accipere aut petere debet, q̃ is qui domũ vendat, q̃ 1000. valeat aureis. Contra vt preciũ neq; maius neq; minus eſſe debet, q̃ merx: ita nec maius aut min⁹ debet eſſe pmiũ, q̃ ſit meritũ aut virt⁹. Qua de re extat Ciceronis epiſtola ad Brutũ. *Nec debet eſſe pœna maior q̃ culpa, &c.* Certe ſi naturæ rationẽ & ius ſequamur, hac Ariſtotel. diſtinctione vix vtemur. Verũ q̃a in contractib. licet circũſcribere inter ſe, nõ poteſt ea retineri æqualitas ptij cum merce, q̃ honoris cũ merito aut virtute: ꝓpterea etiã ex ſenſu cõmuni pſpicit̃, in honorib⁹ Geometrica, in contractib. Arithmeticã ꝓportionem eſſe ſpectandã. Nã nemo vnq̃ in contractib. q̃rit, hic an ille ſit dignior, huius an illius maiora ſint merita, ſed hoc ſolũ, an cõtraxerit, an deliquerit, nulla pſonæ habita ratione. At in honoribus q̃ri ſolet, qs ſit, q honore ſit afficiend⁹, vir prob⁹ an improb⁹, conſtans an leuis, celebris an obſcur⁹, &c. At inquies, etiam pſona conſiderat̃ interdũ in ijs, q̃ ad ius emẽdationis ptinent. In eodẽ nãq; delicto alia pœna ſeru⁹, alia liber, alia plebeius, alia nobilis affici ſolet, teſte ICto *in l. aut facta. ff. de pœnis,* & Prudẽtio *in vita Laurentij martyris.* Aliter item punit̃, q magiſtratum, q̃ qui priuatũ pulſauerit: aliter q in loco publ. & ſacro, q̃ q in priuato aut ꝓphano. Qua de re extat oratio Demoſthenis cõtra Midian. Reſpondeo de priore; ea partim extra ius politicũ eſſe vt cum de ſeruo & libero agit̃: nam ius polit. inter ciues locũ habet, de quo hic agit̃; partim vt de pœna plebei & nobilis cõtra ius naturale, neq; etiam in politico, ꝙ ex naturali manat, temere eſſe admittendum. De poſteriore facilis eſt, ratio: nam vt ſi maior ſit merx, maius quoq; debet eſſe pretiũ, ita ſi maior ſit culpa [quæ ſeptem modis augetur, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, &c. *d. l. aut facta.*] æquum eſt vt maior quoq; ſit pœna: vt merci pretium, ita culpæ pœna debet eſſe æ-[illegible], &c.

CAPVT

CAPVT V.

COMMENTARII.

Δοκεῖ δέ τισι καὶ τὸ.] Et hoc caput ad tractationem de iure emendationis pertinet, quod hic explicat diligentius refellendo Pythagoreorum ſententiam, quia ius emendationis non ἀναλογίᾳ Arithmetica, ſed æqualitate talionis definiunt. Hoc igitur potiſſimũ agit, vt hac ſententia refutata, confirmet ſuam de ἀναλογίᾳ ſententiam. Poſtremo capite affert comparationem mediocritatis iuſtitiæ, cum ea quæ in alijs reperitur virtutibus. Hæc autem de talione ſententia etiam Moſi & Decemviris probata fuit. videatur Gellius *li. 20 ca. 1. Nonnulla autem in ipſis legibus nec conſiſtere, &c.* Et ſane videtur niti naturali quadam ratione, hac nempe, vt ꝙ quis alteri fecerit, idem patiatur. *Quæ obſecro,* inquit ICtus Cæcilius apud Gellium, *iſta eſt acerbitas, ſi idem fiat in te, quod tute in alio feceris.* Eadem quoq; ſententia in Rhadamanto, cuius iuſtitia ab omnib prædicatur, probata fuit. Qua autoritate Pythagorici ſuam de talione ſententiam probare ſolent, vt h. lo. monuit Ariſtoteles, vbi verſiculum affert, εἴκε πάθοι. Qui à Scholiaſte Græco tribuitur Heſiodo, cuius tamen in operibus, quæ quidem hodie extant, non reperitur. Eſt & altera ratio, qua talio confirmari poſſit, ꝙ Reſpublicæ mutuis dationib. & acceptionib⁹, & officiorum viciſſitudine contineantur, teſte Ariſt. *hoc capite, & li. 2. Polit. c. 1.* vbi huius loci aperte meminit [vt, inquit, in Ethicis *ſupra* diximus.] Vocabulum ἀντιπεπονθὸς, vt ἀναλογίας item eſt Geometricũ. Nam apud Geometras magnitudines explicantur, quæ ab illis dicuntur ὅμοια ἀντιπεπονθότα. Vtitur & verbis ἀνταποδόσεως & ἀντιδόσεως Ariſtoteles, & verbis ἀντιπάσχειν & ἀντιποιεῖν: Latine vero dicitur Talio, & ab alijs mutua perpeſſio. Gellius quoq; dicit retaliare.

ἁπλῶς δίκαιον.] Ariſtoteles talionem non negat eſſe ius, ſed ſimpliciter eſſe ius, id eſt, eſſe quidem ius, ſed cum adiunctione æqualitatis analogicæ. Nam ius ſimpliciter & abſolute in ἀναλογίᾳ, non vero in ſola talione conſiſtere.

ἀλλὰ τὸ δ᾽ ἀντιπεπονθὸς.] Verba ſunt obſcura, maxime ꝙ ad ordinẽ & totius loci contextũ. Quare nonnulli hæc verba reijciunt poſt verbũ ἀνίσου. Nam his verbis Ariſtotel. ſentẽtiæ Pythagoreorũ rephenſiones inſtituit. Cũ tamẽ ibi, καί τοι οὐκ ἐοῖκεν, &c. Pythagoreor. ſentẽtiæ cõfirmatio afferatur, q̃ certe cõmodius ante reprehenſionẽ collocari debuerat. Nã ab autoritate

Rhadamanti ſuam illi ſententiam confirmabant. In quibuſdã libris Baſilienſibus interiecta ſunt hæc verba [Baſilienſes libri mendoſi: non intelligentes .n. autoris ſententiam correctores addunt, lege ſic, vel ſic: venit deinde alius corrector alias addẽs lectiones varias] τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει, οὔτ' ἐπὶ τὸ νόμιμον, οὔτ' ἐπὶ τὸ πολιτικόν. πολιτικὸν δὲ λέγω τὸ δὲ κοινωνικόν, τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει, &c. Verũ hæc eſſe parẽdenimena apparet ex libris omnib. cum veterib. tum manuſcriptis, tum editis & ex veteri translatione. Vitus Amerbach. idem ſenſit. Aut interiecta illa, aut hæc eſſe inducenda, ita tamẽ, vt initio horum verborum: τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει legatur, τοῦτ' ἔστι τὸ ἀντιπεπονθός. Ex quib⁹ perſpicit, multis hunc locum de mendo eſſe ſuſpectum. Et certe cum ob ordinem, de quo modo diximus tum ob ſententiam mihi quoq; ſuſpectus eſt. Nam hoc ait Ariſtot. errare Pythagoricos propterea ꝙ talio accommodari non poſſit, neq; ad ius diuiſionis, neq; ad ius emẽdationis. Et proinde nõ eſt ius ſimpliciter, cum in ijs duobus totum ius cernat᷑. ſcil. in diuiſione & emẽdatione. De emendatione dubitari grauiter poteſt: eaq; re toto h. cap. hoc agit Ariſtot. vt oſtendat talionem non admitti ſimpliciter in ijs rebus, in quib. ius emendationis verſatur: de diuiſione nullum eſt verbum. Nam abſurdum ſit in diuiſionibus talionis facere mentionem, vt vir probus ad magiſtratus producatur, cur improbus non item: Talionem omnes enim ſemper referunt ad ciues obligatos inter ſe: Et proinde quod ait, οὔτ' ἐπὶ τὸ διανεμητικόν, non ſatis conuenire videtur, nihil tamen temere mutandum. Sententiæ, quam attulimus, concluſio ſit iſta;

Si talio neq; diuiſionis, neq; emendationis iuri accommodari poteſt. Ergo talio [per ſe conſiderata] *non eſt ius.*

Rationem conſequentiæ diximus, quia præter illa duo nullum ius reperiatur. At neq; diuiſionis neq; emendationis iuri eam conuenire: De diuiſione quidem nihil affert Ariſtoteles: Credo in ea de talione nunq̃ agitur; de emendatione toto oſtẽdit capite. [Theologus quidam in Gallia ex varia verbi ſignificatione, *Facite* voluit probare cœnam domini eſſe ſacrificium, id eſt, oblationem pro viuis & mortuis. *Facite*, inquit, *ſignificat ſacrificate apud veteres, &c.* Argumentatur à latina verſione, ſed in græco eſt ποιεῖτε, quod non eſt ὁμώνυμον apud Græcos, ſicut apud Latinos *facite*.

πολλαχοῦ γὰρ διαφωνεῖ.] Hic verius rep̃hẽdere inſtituit Ariſt. Pythago-

thagoreorũ ſententiã duob. primũ argumentis: nam & tertiũ poſterius adiicit: & quartũ modo attulim⁹. Prius igitur eſt à ſigno, quia ſi magiſtratus quẽ percuſſerit, nõ debere eũ continuo rurſus percuti. Aut ſi quis magiſtratum pulſarit, nõ ſatis erit, ſi rurſus percutiatur, ſed pœna etiã affici debet. Sic ſi liber ſeruum percuſſerit, nõ ſtatim hic illum rurſus percutere debet. Neq; ſit iuſtum, ſi quis alii oculum effoderit, ipſi cõtra vnum duntaxat effodi, cum grauius puniri debeat, qui prior læſerit. Et apud Ariſtophan. imperite filius patrẽ, à quo ſit percuſſus, contra percutere vult. Iniquũ quoq; ſit, qui cõuitiatus ſit alicui intra priuatos parietes, idem referri conuitium in theatro aut conſeſſu publico. Quã de re videatur ICtus *in l. aut prætor. §. atrocem. ff. de iniur. & in d. l. aut facta*. Et hoc eſt, quod aiunt ICti, *ex facto ius oriri.*, i. pro factorũ ſeu circumſtantiarũ & attributorũ varietate ius & iniuriam diſcerni, *l. ſi ex plagis. §. in diuo. ff. ad leg. Aquil.* Alterum eſt argumentum in his verbis: καὶ τὸ ἀκούσιον, quia non ſit æquum; quæ, inquam, per imprudentiam illata ſit iniuria, eam conſulto reddere. De qua iniuriæ diſſimilitudine *infra* copioſe explicat Ariſtoteles. Quo argumento vſus eſt & Phauorin. Philoſophus aduerſus talionem: *Quod ſi membrum*, inquit, *alter imprudens ruperit; quod enim per imprudentiam factum eſt, retaliari per imprudentiã debet, idq; fortuito.* ICtus de fortitudine conſultus apud A. Gellium eo loco, vbi affert & quintũ argũm. à δυνατῷ, quia ſcil. talionis ea ſit natura, vt quibuſdam rebus plane adhiberi non poſſit ad viuum & exacte.

ἀλλ᾽ ἐν μὲν ταῖς κοινωνίαις.] Reprehenſa Pythagoricorum ſententia, ſuam hoc loco de talione exponere incipit, quæ huius ad ius ſit ratio, quæ talioni cum iure ſit cognatio, aut etiam diſſimilitudo. Et ſumma quidem diſputationis & ſententiæ hæc eſt, quam & *ſupra* attulimus: Talionem eſſe quidem ius, & in rebus contrahendis neceſſariam; non tamen abſolute, ſimpliciter & vere ius dici poſſe. Nam ad iuris conſtitutionem duo eſſe neceſſaria, talionem & ἀναλογίαν. Primum igitur de talione, poſterius de Analogia explicat.

τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ.] Hic oſtendit, talionẽ eſſe neceſſariam hac ratione, quia mutuis dationibus & exceptionib. contineantur Reſpub. quod abſq; officiorum & operarum, & rerum contrahendarum viciſſitudine, vno verbo abſq; cõmerciis nulla conſiſtat Reſpub. quod & Ariſt. *lib. 2. Polit. cap. 1.* ex hoc loco repetit: τὸ ἀντιπεπονθὸς, inquit, σώζει τὰς πόλεις. & Cicero *libro 1.*

Offic. initio, vbi de iuſtitia: *in hoc debemus naturam ducem ſequi.* Et *lib. 3.* pulcherrime, vbi de formula diiudicandorum vtilium & honeſtorũ: Nemini quidquam ſui commodi cauſa eſſe detrahendum. Hanc rationem Ariſt. confirmat partim dilemmate, partim ſigno. Dilemma eſt: aut beneficio, aut maleficio quis eſt affectus: ſi hoc reponere non licet, ſcil. maleficium, ſeruitus erit, ciuitati maxime contraria: ſi nec illud, iam ingrati animi vitium, quod apud Xenoph. Socrates dicit eſſe puram iniuriam, vel meram iniuſtitiam, quæ ciuitati eſt inimiciſſima. Signum ſumit à conſtitutione templi Gratiarum [omnia vulgaria & trita accommodat Ariſtoteles ad graues philoſophicas diſputationes] nam moris fuiſſe apud Græcos templa Gratiarum conſtituere non locis remotis, aut deſertis, ſed celebribus, & toti ciuitati expoſitis, qualia ſunt Forum, Emporium [locus in vrbe, in quo res venales] Circus, &c. [vbi habentur ludi] Quare & Pauſanias Spartæ, Orchumenis in Bœotia, & Olympiæ Gratiarum templa in foro collocata commemorat. De hoc more templorum conſtituendorum videatur Vitruuius *libro 1 cap 2 & vltim.* [Palladis in arcibus, ſummiſq; editis locis. Virgilius *lib. 3. Ioui item.* Venus, inquit Vitruuius, Mars & Vulcanus extra vrbes; ne aſſueſcant intemperantiæ: concordiam ament: ne graſſetur ignis, & depopuletur vrbes. Mercurius in foro, Hercules ad theatra, ad ludos] Rationem collocandi templa Gratiarum hanc affert Ariſt. quod cuperent, vt illa templa omnibus occurrant, ita & ciues inter ſe dando & reddendo occurrere, cuperet eſſe ἀντίδοσιν, ἀνταπόδοσιν, μετάδοσιν, mutuam rerum & operarum viciſſitudinem, quod hac Reſpublicas contineri exiſtimarent.

ποιεῖ δὲ τὴν ἀντίδοσιν.] Nunc de analogia, de qua, priuſquam confirmet eam eſſe neceſſariam & talioni coniungendã, rationem & σχῆμα ipſum affert. Ait igitur cõmodiſſime, ἀναλογίαν copulatione per diametrũ facta, temperari & accõmodari poſſe. Verbi gr. ſit Architectus A. Sutor B. Domus Γ. Calceus Δ. quæ iam ſi ἀναλογικῶς permutare quis velit, diametro eſt vtẽdum, hoc eſt, Architecto attribuẽdus calceus, & ſutori domus: alterum ab altero permixtim ſuum opus accipere oportet, vt fiat permutatio [non confirmat argumentis, an permutatione hæc debeat ἀναλογίᾳ fieri, ſed rationem permutãdi. In permutationibus quatuor, duæ perſonæ, res duæ: permutatio ita fit, vt vnus accipiat opus alterius, ſic fiet σχῆμα diametrale.]

τοῦ σκυτέως

Digitized by Google

τῦ ἐκείνε ἔργε.] In Eudemiis eſt τῦ ἐκείνε ἔργον, quæ conſecutio [σύνταξις, conſtructio vulgo] melius congruit verbo λαμβάνειν.

ἐὰν ἐν πρῶτον.] Hic iam oſtendit, non ſatis eſſe talionem, i. ſimplicem rerum & operarũ viciſſitudinẽ, ſed hoc amplius, neceſſariam eſſe analogicã æqualitatẽ. Atq; adeo in rebus permutandis hũc eſſe ſeruandũ ordinẽ, vt prius æqualitas, poſtea adhibeat talio. Cõfirmat hac ratione, quia, cũ res, quarũ eſt permutatio, ſint inæquales tã quantitate quã qualitate [ſc. numero, magnitudine aut bonitate] hæ niſi æquent [i. ad æqualitatem reuocentur] non erit permutatio, & proinde nec rerum cõmunicatio, neq; hominũ inter ſe ſocietas, neq; deniq; Reſp. Res aũt, quatũ eſt permutatio, eſſe inæquales exẽplo omnium artiũ oſtendit Ariſt. Nam Reſpub. ſeu ciuitates non conſiſtere ex iiſdem, ſed plane diſſimilibus & ſpecie differentibus artibus & artificibus, à quibus perſpicue res quoque fiant ſpecie differentes, & proinde inæquales: verb. gr. ciuitas non conſiſtit ex vno opificum genere, ſed ex variis. Rurſus non fit permutatio de iiſdem rebus Nam medici duo, aut ſutores duo inter ſe non permutant, ſed medicus cum ſutore, ſutor cum agricola. Quo quidem argumento [quod rebus diſſimilibus conſiſtat ciuitas & etiam permutatione] vſus eſt & Ariſt. aduerſus Platonem *lib. 3. Polit. cap. 1.* Et hoc eſt, quod ait, ὀ γὸ ἐκ δύο ἰατρῶν, &c. nempe, ex inæqualibus cum perſonis, tum rebus conſiſtere ciuitates, & ciuium permutationes: nam prioribus verbis, ἡ δὲ πόσπ, &c. hoc duntaxat docuit, vt in his duabus artibus, ſutoris & fabri lignarii, ita & in aliis artibus, Medici, ſartoris, &c. neceſſariam eſſe æqualitatem analogicam, vt eadem ſit quantitas & qualitas actionis & perpeſſionis. His namque verbis & ſimilitudine actionis & perpeſſionis vtitur Ariſtoteles, quia τὸ ἀντιπεπονθὸς perpeſſionem ſonat mutuam, id eſt, duobus verbis actionem & perpeſſionem. Itaque quanta erit actio & qualis, id eſt, quam bona, tanta debet eſſe & perpeſſio: ad ſummam, debet eſſe inter ea æqualitas analogica. Ex quibus perſpicitur, quàm commode hæc verba hoc loco ab Ariſtot. ſint collocata, quam incõmode priori capite inculcata.

κατ' ἀναλογίαν, κὴ μὴ κατ'.] Sic habent omnes libri, & vetus translatio: Schol. tamen Græcus videtur nõ habuiſſe μὴ. Sic. n. ait, talionem eſſe quidẽ ius, ſed κατ' ἀναλογίαν ἢ τὴν ἰσότης ἰσότητα: nam & paulo *infra* dicit, τὸ κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἴσον, & aloqui

alioqui non bene conueniret prioribus, quod hic dicitur: *ſupra* namq; dictũ eſt, in contractib. locũ habere ἀναλογίαν arithmeticam, nõ geometricã: quod hic negare videatur; ſi verbũ ἀναλογίας de geometrica, vt fere ſolet, maxime comparatum cum æqualitate, vt h. l. ſub qua æqualitate tum intelligi debet Arithmetica, accipias de ptoportione Geometrica. Certè ἀναλογίας verbũ in hoc cap. varie accipi, monet & Vitus Amerbach. & *infr.* εἰς σχῆμα δ' ἀναλογίας, de Geometrica duntaxat accipiendum putat: non recte, vt *infr.* oſtendã. Quid ergo dicendum? non videtur quidem mala ea Scholiaſtis ſcriptura; quia tamen librorũ conſenſus repugnat, dicamus Ariſt. analogias vocabulo generatim vſum, eiuſq; cõtratium poſuiſſe vocabulũ æqualitatis, vt qui hic non ſpectarit differentiã illã Geometricę & Arithmeticæ proportionum, ſed hoc tantummodo docere velit: Talionẽ eſſe quidẽ ius, ſed proportione, non vero ex æqualitate, i. obſeruatis perſonarũ & rerũ attributis [circumſtãtiis vulgo dicitur] An ſit magiſtratus, an in loco publico, an ſponte, an eadem ſit quantitas & qualitas: quæ attributa obſeruat ἀναλογία, contemnit æqualitas, contemnit & talio, vt q̃ merã ſpectet & requirat æqualitatem in omnes partes, vt filius reueretur patrem, vinum nouum reddatur pro veteri. Quare analogia eſt etiam æqualitas, ſed analogica, iuri conſuetudo eſt neceſſaria, ponderatis, non numeratis rebus & perſonis. Atque ita duplex erit æqualitas, altera κατ' ἀναλογίαν, quæ propria eſt abſoluti & veri iuris: altera κατ' ἀριθμὸν [vbi non conſiderantur, ſed numerantur res] quæ hic dicitur æqualitas, & talionis eſt propria.

ἔσται τὸ λεγόμενον.] Scilicet κοινωνία, quod indicãt verba proxima, οὐκ ἴσον, οὐδὲ συμμένει. Sententia totius loci hæc eſt; Si prius æqualitas, deinde fiat talio, erit quod dicitur, id eſt, fiet communicatio, & ſocietas continebitur, contrahentur res inter ciues: ſin aliter, diſſipabitur ſocietas, non conſiſtet ciuitas, nemo volet contrahere.

διὸ πάντα συμβλητά.] Adhuc docuit mera talione non definiri ius abſolutum & merum, ſed neceſſariam præterea eſſe analogiam in rebus cõtrahendis. Ex quo effici oſtẽdit Ariſtoteles, eaſdem res debere eſſe comparabiles ſeu συμβλητὰς, aliquo ſaltem modo πῶς, ſi non per ſe, ſaltem ex euentu, ſeu per accidens. Formula ſit iſta:

Si rerum contrahendarum eſt proportio [neceſſaria eſt analogia] Ergo & comparabiles eas eſſe oportet.

Primum

Digitized by Google

Primum ex prioribus eſt verum.

Ergo & ſecundum.

Nam id perſpicuum eſt, apud Geometras non poſſe eſſe ἀναλογίαν, niſi inter συμβλητοὺς, apud Euclid. *lib. 5. in princ.* An autem res contrahendæ per ſe, an ex euentu ſint comparabiles, explicat *infr.* Ariſt. τῇ μὲν οὖν ἀληθείᾳ.

ἐφ' ὃ τὸ νόμισμ'.] Quia ea eſt rerum contrahendarum natura, vt per ſe non poſſint comparari, vt *infr.* explicabitur, & tamen neceſſaria ſit συμμετρία ſeu comparatio: reperiendum fuit medium quoddam, quo veluti canone & menſura res alioqui diſſimiles inter ſe comparari poſſint. Repertus eſt igitur nummus ad hanc rem oportuniſſimus. Formula ſit iſta:

Si comparabiles ſunt res contrahendæ. Ergo menſura & medio opus eſt.

Verum primum. Ergo & ſecundum.

Nam res omnes inæquales, quales ſunt res contrahendæ fere, ad communem quandam menſuram redigi & æquari debent. Hęc igitur eſt vera nummorū origo, vt rebus contrahendis per ſe inæquabilibus æqualitatē inducat. Nummus itaq; in ἀναλογίᾳ rerum contrahendarum eſt μέσον. Sic enim legendum, ita namq; habent libri omnes, & etiam vetus translatio, & Græcus Scholiaſt. Recte, nam Ariſt. verbis Geometrarum vtitur, apud quos in omni ἀναλογίᾳ duo ſunt ἄκρα, extrema, & vnum μέσον medium. Quod medium eſt tamē & ipſum μέτρον, vt quod extrema & eorum inæqualitatem metiatur. Quare & nummus erit medium, erit & μέτρον, menſura. Et hic quidem dicitur μέσον *infra hoc cap. & lib. 9. initio* dicitur μέτρον.

πάντα γὰρ μετρεῖ.] Rationem affert, qua doceat, nummum eſſe medium, & quale medium, quia metiatur omnia, & proinde extrema quoque. Formula ſit iſta:

Quod extrema ſeu τὰ ἄκρα metitur, id eſt medium. Eſt enim hæc medii proprietas inſignis & nota, menſuram eſſe & regulam ſeu normam extremorum.

At nummus metitur extrema; metitur enim enim omnia æſtimando. Ergo nummus eſt medium.

Metitur vtique extrema, nimium & parum, quo alterum superat alterum & ſuperatur. Verbi gr. in exemplo priore, quod calcei pro domo ſint permutandi. Eſt igitur nummus medium, non quidem abſolutum, vt 4. inter 2. & 6. ſed analogicum, & πῶς, hoc eſt, menſurale medium.

δεῖ τοι-

δεῖ τοίνυν ὅπως.] Inculcat, quod *ſupra* expoſuimus, extrema æquari inter ſe debere, alioqui nullam fore rerum permutationem, nullam communicationem. Verbi gr. Sutor cum fabro; & domus cum calceo, hoc eſt, vt quæ ſit ratio fabri ad ſutorem, eadem domus ad calceum, id eſt, quo ſuperatur ſutor à fabro, eodem & calceus à domo, & proinde ad permutationẽ faciendam tot calcei ſint conſtituendi, quot reſpondeant domo: nam alioqui non erit permutatio: ſi hoc, inquit, non fiat, id eſt, ſi tot non ſumantur calcei, qui domui ſint æquales.

τοῦτο δ᾽ εἰ μὴ ἴσα.] Id eſt, niſi ſi hoc æquare ſiue æquatio calceorum cum domo fiat, non erit hoc, id eſt, non erit permutatio. Ad ſummam, niſi extrema inter ſe æquentur, non erit permutatio.

δεῖ ἄρα ἑνί.] Redit ad menſuram rerum contrahendarum, quam ſupra oſtendimus eſſe neceſſariam hac ratione, quia æqualitate analogica ſit opus, æquari res oporteat. Et hoc argumentum rurſus ſubindicat, *δεῖ ἄρα*, &c. cæterum duplicem hoc loco menſuram facit, indigentiam & nummum. Nam indigentiam vere & natura eſſe menſuram: nummum vero ſucceſſiue & hominum inſtituto, non natura. De priore hac ratione confirmat, quia abſque illa nulla ſit futura rerum permutatio. Formula ſit iſta:

> *Quo ſine permutatio fieri nequit, id medium eſſe videtur: nam permutationem niſi medio quodam non fieri, ſupr. oſtendimus. Ergo quo fit permutatio, id erit medium.*
> *At indigentia fit permutatione.*
> *Ergo eſt medium.*

Aſſumptionem explicat Ariſt. quod omnia tanquam cõmuni vinculo indigentia contineant^r: Si enim, inquit, homines nihil indigeant, aut non ſimiliter, i. non hac re, quã tu forte habes, ſi ego non indigeam, cum tu egeas mea. Si igitur aut nihil aut non ſimiliter egeam, non mutua ſit indigẽtia, aut etiam nulla, non erit permutatio. Quod argumentum & *infr.* repetit, vbi exemplum affert, vt ſi ego frumento egeam, quod tu habeas: tu meo vino tamen non egeas, eſt inæqualis. Confirmari poteſt & hac ratione [ſc. indigentiam eſſe mediũ verè] quia permutatio fuerit ante nummũ ab hominib. introductũ, cum permutatio ab ipſa natura ſit ortà, neceſſitatis explendæ cauſà. Ante nummum igit^r nullũ permutationis mediũ aliud reperiri poteſt, quã indigẽtia, eaq; nunquã mutari poteſt, aut certe tolli: ſemp enim homi-

homines alter alteri⁹ opere & re egẽt. Cõfirmari põt & hac ratione, quã prætermiſit Ariſt. quia ꝙ ad permutationẽ & cõmunicationẽ attinet, res ab vſu ſpectẽtur & iudicẽtur, nõ vero natura. Nam alioqui cũ res animatæ pſtent inanimis, pluris eſſet mus quã margarita, inquit Thom. Cęterũ Plato *li.2. de legib.* & Ariſt *li.6. Polit.* aliter diſputant de indigentia, nempe eam non tam eſſe medium & menſurã rerum communicandarũ, quam principium ſocietatis humanæ & Reiump. nam ciuitates conſtitutas eſſe, vt quod mihi deſit, ab altero ſuppeditetur, à me, quod illi. [Homines ſunt neceſſarii ad conſtituendam ciuitatem. Non ſolum ex agricolis conſtituitur, ſed etiam calceolariis, ſartoribus, & ita progreditur Plato, vt doceat, omnia opificia ad conſtituendam ciuitatem neceſſaria, vt oſtendat Reipublicarum principium eſſe indigentiam, ad explendam illam neceſſitatem in rebus humanis neceſſarii ſunt magiſtratus, qui præſint venditionibus, locationibus & aliis rebus.]

οἷον δ' ὑπάλλαγμα.] Alterum eſt mediũ ſeu menſura, nummus quẽ eleganter vocat *ὑπάλλαγμα*, ſeu vt Scholiaſtes Græcus *ἀντάλλαγμα τῆς χρείας*, quem indigentiæ ceu vſus loco ſucceſſiſſe ait: nam ſæpe alter re alterius non eget: quare rei loco neceſſarius fuit nummus, vt infra Ariſtoteles, *ὑπὲρ δὲ τῆς μελλούσης*. Præterea hunc nummum non natura, ſed inſtituto & hominum pacto introductum *κατὰ συνθήκην, νόμῳ, θέσει, ἢ φύσει* aut *ἀληθείᾳ*: de qua phraſi *ſupr. lib. 1. cap. 3.* Differt igitur nummus ab indigentia duobus modis, quod hæc primo & vere ſeu natura, ille ſucceſſiue & hominum inſtituto ſit medium rerum permutandarum.

καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα.] Nummum eſſe non natura, ſed inſtituto, ſeu *κατὰ συνθήκην*, confirmat à verbi notatione: nam *νόμισμα* à *νόμῳ* deducit: dictum, inquam, *νόμισμα*, non quaſi natura, ſed quaſi *νόμῳ* & inſtituto, hominumq; pacto valeat, & in horum ſit poteſtate, eius æſtimationem mutare, aut prorſus abrogare: qua de re *infr.* Eſt igitur nummus rerum permutandarum norma non natura, vt vſus & indigentia, ſed *κατὰ συνθήκην*, ſeu, vt *infr.* vocat, *ἐξ ὑποθέσεως*.

εἰς σχῆμα δ' ἀναλογίας.] Locus eſt perobſcur⁹, cũ ob ſcripturę, tum ob interpretũ varietatẽ, & diſſonantes explanationes, quibus nos prætermiſſis, ꝙ veriſſima nobis videat~ huius loci ſententia, exponemus. Prius tamen de verbis, vnde omnis illa explanationũ varietas & error extitit. Primũ igitur *ἀναλογίας* vocabu-

cabulum, non vt Schol. Græco, Vito Amerbachio, Figlucio, aliis, videtur de Geometrica, ſed de Arithmetica proportione accipi debet: nam in hac tractatione nullus eſt vſus Geometricæ ꝓportionis, eaq; de re nulla quoq; eius facta eſt, vt fieri debuit, mentio. Alterum eſt, ſcribendũ eſſe *ἀναλογίας*, ſcil. ἢ, inducto ἢ, quod in quibuſdã editionibus, et Florẽtina reperitur, omnium emendatiſſima. Abeſt.n. à libris manuſcriptis à veteri tralatione Argyropyli, & à Græco Schol. Dionyſius Lambin. vtramq; ſcripturam admitti poſſe exiſtimat: perperam; repugnante ſententia, & negationẽ nõ admittente, vt mox dicetur. Iac. Schegkius mirifice hic ſe torſit, non emẽdauit textum. Poſtremo magna eſt difficultas in verbo ὑπεροχάς, quò plærique in errorem ſunt deducti: nam ὑπεροχὴ, vt & ὑπερβολὴ plærunq; alterum valet extremum, quod Latine nimium dicitur. Itaq; & h.l. plærıq; omnes accipiunt. Verum reperi iis verbis vtrumque extremum, nimium & parum interdum comprehendi. Sic enim Galen. *lib. 1. de valet. tuen. βέλτιον ὂν: melius eſt*, inquit, *vitare ἑκατέρας ὑπερβολὰς, denſitatem puta & raritatem nimiã corporis.* Et Ariſt. *in Eudem. l. 7.* vbi amicitiæ tria genera eſſe ait; vel καθ' ὑπεροχὴν, vel κατ' ἰσότητα. Et *in Polit. l. 4. cap. 2.* eodem prorſus modo, vt hoc loco, εἰ δὲ μὴ ἀμφοτέρας τὰς ὑπερβολάς. Atq; ita hoc loco accipiendum, quod & vidit Græcus Schol. non recte tamen *ἀναλογίας* vocabulo accepto, locũ totum perperã explicauit. Vt igitur ad ſententiã veniam⁹, nihil hic noui affert Ariſt. nam ꝙ iam aliquoties, ꝑmutationib. neceſſariã eſſe æqualitatẽ analogicã, id h.l. repetit, ſed aliis verbis: *Oportet*, inquit, *deducere tam perſonas quã res in ſchema & figurã analogiæ, cum contrahent, & inter ſe permutare volent*, i. vt iuſta ſit permutatio, analogica æqualitas ꝓcedat neceſſe eſt. Schema analogiæ huius modo attulit, ὥστε ὡς γεωργὸς, vt quod agricola ad ſutorem, id huius opus ad illius, hoc eſt; cum agricola operis ſui ratione ſutori præſtet, vt inquã eius opus præſtat operi huius: Si iuſta facienda erit permutatio, æquari illa inter ſe prius debebunt: vt ſi modius frumenti duobus valeat aureis, par calceorum vno, hoc eſt, opus agricolæ ſutoris operi duplo præſtet: ad permutationem iuſte faciendam, pro modio frumenti duo ocrearum paria agricolæ reddenda erunt. Quod niſi hoc fiat, id eſt, niſi æqualitas analogica antecedat, ſequetur, vt vtramque ὑπεροχὴν, ſeu præſtantiam alterutrum habeat extremum. ὑπεροχὴ valet, vt dixi, nimium & parum. Iam veró niſi ea fiat æqualitas,

Digitized by Google

litas, hoc eſt, ſi agricolæ vnum duntaxat par calceorum, & ſutori integer modius attribuatur: fiet, vt agricola, quod eſt alterum extremum, duas habeat præſtantias, id eſt, nimium & parū: Nam diximus agricolam ratione operis ſutori præſtare. Habet igitur hanc vnam præſtantiam, nimirum ratione operis ad perſonam; habebit & alteram ratione ſolius operis, nempe id quod parum: contra fit in ſutore. Clarius loqui potuiſſet Ariſtoteles hunc in modum, niſi fiat æqualitas priuſquam permutetur, alter habebit nimium, alter parum ratione ſolius operis, & rerum ipſarum.

ἀλλ' ὅταν ἔχωσι.] Quaſi dicat, quia non præcedente æqualitate, alter habiturus eſt nimium, alter parum, & proinde iniqua & iniuſta futura ſit permutatio. Adiungit contra fore, hoc eſt, ęquales & ad permutandum aptos, ſi ſuum quiſq; habeat, hoc eſt, ad æqualitatem analogicam redigantur. Nam poſſe redigi adiumento nummi, iam ſupra oſtendimus, & hoc eſt, quod ait, *ὅτι αὕτη ἡ ἰσότης.*

ὅτι δὲ ἡ χρεία.] Redit ad normas rerum permutandarum, vſum ſeu indigentiam & nummum; & prius quidem de indigentia, ea vt vno aliquo, ſcilicet communi menſura & vinculo contineri rerum cōmercia, quod & ſupra explicauimus.

δέονταί τι.] In Eudemiis & quibuſdam editionibus veteris tralationis legitur *ἢ δέονταί τι*, rectius fortaſſe, & priori præcepto accommodatius: Si non indigeant, inquit, vel neuter, vel alter, non permutant, verbi gratia, ſi quod alter habet puta vinum, eo alter non egeat: cæterum hæc verba *δόντες σίτου ἐξαγωγήν* puto prorſus aliena & inducenda: neq; enim ſunt neceſſaria, & nullo modo accommodari poſſunt. Quo enim illud *δόντες*, quo numero ambo contrahentes comprehendi videntur, cum tamen de altero duntaxat agere debuerat, nam de altero, cui vinum attribuit, iam dixerat, hic de altero, cui frumentum debuit attribui.

ὑπὲρ δὲ τῆς μελλούσης.] Verba ſunt perobſcura: hoc tamen ſatis clare perſpicitur, Ariſtotelem explicata iam indigentia, hic de nummo agere: conſtat & hoc, oſtendere eum his verbis, quādo numo maxime ſit opus. Ait igitur, ad futura commercia numum in primis eſſe neceſſarium: cōmercia autem fiunt, vt cum vterq; tu mea, ego tua re opus habeo, eaſq; inter nos permutamus, atq; ita hic numo non ita eſt vſus. Aut futura ſunt commercia, verbi gratia, habeo ego vinū, tu fru-

mentum; eges tu quidem vino meo, ſed frumento ego tuo non egeo: quid fiet? dabo quidem ego vinum tibi meum, at tu frumentum non dabis, vt quo non egeam, ſed eius loco pecuniam, vt ſi aliquando egere cœpero, tum à te vinum allata & reddita tibi pecunia accipere poſſim. Ad hoc igitur ſi egere cœpero, id eſt, ad futurum hoc commercium, vtilis eſt numus, & quidem tanquam ſponſor mihi à te pro vino meo datus: nam vt ſponſorem accipere ſolemus hac de cauſa, vt per ipſum nobis caueatur, ad rem noſtram aliquando recuperandam: ita & numum pro vino à te accipio, quo tanquam ſponſore mihi caueatur ad frumentum tuum, ſi quando eo egere cœpero, illo tibi reddito, tanquam recuperandum pro vino meo tibi dato. Nam oportet ſane, inquit Ariſtot. licere ei qui numum poſtea affert capere, id eſt, in hoc exemplo frumentũ accipere: & hæc quidem huius loci eſt ſententia, quæ cum ſit anguſtior, vtpote, qua numus iubeatur reddi illi duntaxat, cui olim vinum tuum dederis: eadem tamen eſt ratio, etiamſi alii numum non poſtea afferas, & pro eo frumentum aut aliam quam rem ab alio permutes. Nam hæc vis eſt pecuniæ, maxime his aureis nunc vere temporibus, vt eam qui afferat, quacunque tandem re opus habeat, auferre poſſit. Ad ſummam, vſus numi potiſſimum cernitur, vbi non mutua eſt contrahentium indigentia, vbi tu re mea egeas, ego tua non item, inquit Iuriſc. Vlpianus *in l. 1. ff. de contrah. empt.* nam vbi mutua & æqualis eſt indigentia, & vtrinque res reperitur numo non ita eſt opus permutatione, vtrique conſuli poteſt. Verum quia rerum quarundam ea eſt natura, vt ex aliis regionibus importari & contra ad alios exportari debeant, cum his abundemus, illas deſideremus, & hac quoq; de cauſa neceſſarius eſt numus, vt qui facile exportari poſſit, qui ſit εὐβάστακτος, vt ait Ariſtot. *lib. 1. Polit c. 6.* ad faciliorem ſcilicet rerum permutationem, quam cauſam late ibi explicat Ariſtot. Triplex eſt igitur vſus numi: primus, vt ſit menſura omnium rerum permutandarum, vt ſuccurrat permutationibus, vbi mutua non eſt indigentia; poſtremo vt iiſdem ſuccurrat, vbi res difficulter aut importari aut exportari poſſint.

ὅτι ἔσται] Hoc eſt, quia aliquando accidet, vt egeat; ſi eguerit; ἐὰν δεηθῇ, malim tamen hanc clauſulam abeſſe.

πάσχει μὲν οὖν.] Occurrit tacitæ quæſtioni, nam quia dictum eſt, af-

eſt, afferenti numũ rem continuo reddendam, contradici poterat. Quid enim ſi numi æſtimatio interea decreuerit, vt ſæpe fit, an ſtatim afferenti numum res erit reddenda. Reſpondet Ariſtoteles accidere quidem interdum numo idem quod indigentiæ, id eſt, vt quemadmodum non eadem ſemper eſt illa, ita nec huius eadem ſemper ſit æſtimatio (vt Romæ denarius decem primum aſſibus, poſtea 16. valuit; tempore belli Punici ſecundi, teſte Plinio) conſtantiorem tamen eſſe numi æſtimationem, non tam variare & mutare, quam vel indigentiam, vel quod eodem recidit, res ipſas, quarum pretia ſunt incertiſſima, pro locis & temporibus, vt inquit Caius Iuriſconſ. *in l. 3. ff. de eo quod certo loco. Scimus*, inquit, *quam varia ſint pretia rerum per ſingulas ciuitates, regioneſq́; maxime vini, olei, frumenti, &c. pecuniarum quoque licet videatur vna & eadem poteſtas vbiq; eſſe, aliis tamen locis alia eſt.* Auaritia enim principum mutantur numi, quod iniquiſſimum, & iniuſtiſſimum.

ὥσπερ μέσον.] Ex veteribus libris cum tralatione ſcribendum hoc loco μέτρον, de quo ſupra diximus.

τῇ μὲν οὖν ἀληθείᾳ.] Hoc vſus ſorite ſeu gradatione, non eſſe hominum inter ſe ſocietatem, niſi ſint commercia ſeu rerum permutatio; hanc autem eſſe non poſſe niſi ſit æqualitas, & hanc rurſus non eſſe, niſi ſit συμμετρία rerum permutandarum (neq; enim eſt æqualitas inter res, quæ nullo modo comparari poſſunt) συμμετρίαν autem fieri æſtimatione, & hanc numo. Hac igitur vſus gradatione, & ſymmetriæ facta ſæpius mentione, hoc loco diligentius explicat, an rerum permutandarum vlla poſſit eſſe συμμετρία; an res illæ ſint comparabiles σύμμετρα & συμβλητά. Contradici namq; poterat, non eſſe eas ſymmetras, vt quæ inter nulla ſit ſimilitudo ſæpe numero, vt frumentum cum equis, cum ſymmetræ debeant eſſe ὁμογενεῖς eiuſdem generis, eodem participantes genere, vt numero ſingali numeri, magnitudine figuræ ſingulæ. Reſpondet Ariſtot. vere quidem & ἀληθείᾳ res permutandas non eſſe ſymmetras, vtpote ἀνομοιογενεῖς diſſimilimas, ad vſum tamen ſatis fieri poſſe σύμμετρα. Res igitur hæ proprie non ſunt ſymmetræ, quia tantum ratione vſus, qui in permutationibus potiſſimum ſpectatur: non natura rerum, ſymmetræ aliquatenus eſſe poſſunt. Si, vt in figuris magnitudo, ita in his rebus indigentia ſeu vſus & numus tanquam commu-

nis menſura adhibeatur : hac inquam ratione non incommode ſymmetræ dici poſſunt.

ἓν δὴ τι δεῖ εἶναι.] Quaſi dicat, quia ſymmetria eſt neceſſaria. Ergo cum vinum quiddam eſſe oportet, id eſt, *μέτρον* ſeu menſuram communem, puta numum, qua æſtimatione facta, tanquam communi menſura, vt in figuris, ita & hic fiat *συμμέτρια*.

οἰκία ἐφ᾽ ἧς.] Exemplum affert de ſymmetria & communi menſura: ſumantur decem minæ; nam in nûmo conſtitui menſuram, iam dictum eſt. Sumantur & duæ res permutandæ, domus & lectus, vt illa quidem quinque æſtimetur minis, hic vna. Ex qua æſtimatione perſpicitur, quænam ſit ratio domus ad lectum, ratione decem minarum ſeu communis menſuræ. Nam cum domus decem minarum ſit quinta pars, lectus decima: efficietur vt in permutando pro vna domo quinque reddantur lecti, & certe quod tantundem valeat.

ὅτι δ᾽ οὕτως.] Aſpergit de permutationis antiquitate, eam ante numum inuentum in vſu fuiſſe. Idem eleganter exponit Paulus Iuriſconſ. vbi originem emptionum à permutatione deducit, & ipſe Ariſtoteles *in Polit. lib. 1. cap 6.* Tacitus quoq; Germanos inferiores permutatione vſos eſſe ſcribit; nam Rheno proximos, propter commercia cum Gallis & Romanis numo etiam cœpiſſe vti.

τί μὲν οὖν τὸ ἄδικον.] Alteram hic huius capitis partem conſtituimus de comparatione huius virtutis cum aliis. Quia autem tria hic fere ſunt nomina, δικαιοσύνη, δίκαιον, δικαιοπραγία; de his ordine & ſingulatim hoc loco, quemadmodũ ſint mediocritates, explicat. De iuſto quidem & iniuſto ſatis eſt explicatum in prioribus, ex quibus & hoc perſpicuum eſſe ait Ariſtot. δικαιοπραγίαν ſeu iuſtam actionem, mediũ quoq; eſſe inter iniuſte facere, & iniuſte pati, ſeu inter iniuſtam actionẽ, ſeu perpeſſionem, propterea quod hac minus, illa plus exprimatur & ſignificetur, qui enim iniuriam accipit, minus habere cenſetur, qui fecit, plus æquo. Arqui inter plus & minus, quod eſt interiectum medium, iuſtum eſt, vt ſupra explicauimus. Formula:

Si iuſtum eſt inter plus & minus, vt ſupra diximus. Ergo & iuſta actio, ex natura coniugatorum

Plus autem & minus eſt iniuſte facere & pati.

Ergo

Ergo iuſta actio media erit inter factam & acceptam iniuriam.

ἡ δὲ δικαιοσύνη.] Dictum eſt de iuſto & de iuſta actione; nunc de iuſtitia, & hic primum inſtituitur comparatio: ait igitur & hanc eſſe quidem mediocritatem, ſed aliter atq; cæteras virtutes, propterea quod illæ inter duo diſtinctis nominibus extrema ſeu vitia ſint interiectæ, vt fortitudo inter audaciam & ignauiam, liberalitas inter auaritiam & profuſionem, hæc non item. nam huius extrema non duobus diſtinctis nominibus, ſed vno communi iniuſtitiæ contineri: vt enim iuſtitia ad medium, ita iniuſtitia ad vtraq; extrema plus & minus pertinet. Et hæc mihi huius loci videtur eſſe ſententia. nam, quod quædam editiones ex Græco, ni fallor, ſcholiaſte poſt verba μέσου ἐστὶ, habeant interiecta, τῶν ἴσων ἴσου, repugnat melioribus editionibus, libris veteribus, & tralationi veteri, neq; eſt neceſſarium, quod non agatur hoc loco, quale ſit medium iuſtitia, an ex æqualitate, nec ne, ſed quæ huius ſit ratio cum cæteris virtutibus collata. Itaque quod idem ſcholiaſtes verbo μέσου intelligit ποιητικὴν (ſic enim ait, effectrix eſt medii iuſtitia. Ergo eſt μεσότης mediocritas, etſi res eſt vera, tamen huic loco non congruit. Hoc namq; ait Ariſtot. iuſtitiam eſſe mediocritatem, quia medii, hoc eſt, quia in medio cernatur, vt iniuſtitia in extremis.

καὶ ἡ μὲν δικαιοσύνη.] Totus hic locus vſq; ad verba δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, in proximo capite, ordine ſatis eſt perturbatus. Quare factum eſt, vt mendoſiſſime capita hic ſecuerint, vt poſtea docebitur: videtur tamen hac facta ἀναλύσει, ita explicatus totus. Nam poſtquam expoſuit iuſtitiam eſſe mediocritatem, iniuſtitiæ contineri extrema: pergit hoc loco & medium & extrema accuratius explicare, allata iuſtitiæ & iniuſtitiæ deſcriptione, quæ recte ſcholiaſtes ὑπογραφὴν, deſcriptionem vocat. Iuſtitia igitur eſt affectio, qua iuſtus dicatur agere iuſte, idq; conſulto, & tribuere æquale ex proportione, cum ſibi aduerſus alium, tum alteri aduerſus alterum, cuius definitionis duas partes, idq; conſulto, & tribuere, &c. hic explicat, ſed de conſilio poſterius; cæterum tribuendi verbum, etſi parti iuſtitiæ ſupra eſt attributum, hoc tamen loco commune eſt omni iuſtitiæ, etiam quæ in contractibus. Quare & hoc nomine ſolet vere iuſtitia definiri, virtus quæ ſuum cuique tribuat. Ait igitur Ariſtot. virum iuſtum in tribuendo

non ita verſatum, vt ſiue ipſi negotium ſit cum altero, ſiue inter alios ipſe tanquam arbiter conſtituatur, ad iuſtam diuiſionem faciendam: non ita, inquam, vt vel ſibi de rebus bonis plus æquo, de malis minus tribuat, vel ex duobus ſociis, vni item plus boni, & minus mali quam alteri tribuat. ſed potius ita, vt ſiue in ſuo, ſiue in alieno negotio, æqualitatem analogicam ſectetur, cui plus debeatur, plus, cui minus, tribuat & minus. Contra vero iniuſtitia, τῦ ἀδίκυ, id eſt, iniuſtitia eſt affectio, qua præditus dicitur πρακτικὸς τῦ ἀδίκυ, id eſt, iniuſtitia nihil aliud eſt, quam nimium & parum, in bono & malo, contra æquitatem analogicam. Et huius definitionis quoq; duæ ſunt partes nimium, parum, & contra proportionem. Et quidem nimium & parum iniuſtitiam eſſe oſtendit, quia nimium ſibi & parum ſumat iniuſtus. Boni quidem nimium, mali parum in ſuo negotio, in perpetuum, & ad eundem ſemper modum: in alieno vero negotio iniuſtus tribuit quidem ſemper nimium, & parum, ſed non ad eundem modum, neq; in eadem cauſa. verbi gratia: ſint duo virtute pares: Socrates ad tribuendos illis honores delectus, ſi eſt iniuſtus, alteri maiorem debito, alteri minorem tribuit. Et hoc quidem ſemper, id eſt, ſemper plus vni quam alteri tribuet, ſed tamen ſi idem exemplum poſtea occurret, iniuſtus ſæpe ita ſe geret, vt cum primo maiorem honorem, prius ſecundo minorem æquo tribuerit, in eadem cauſa & virtutis æqualitate poſterius ſecundo maiorem primo tribuant minorem. Et hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, τὸ μὲν ὅλον ὁμοίως vniuerſe ſimiliter, id eſt, ſi ſpectes nimium & parum, generaliter & perpetuo ea ſectabitur iniuſtus tam in ſuo, quam in alieno negotio. τὸ δὲ παρὰ τὸ ἀνάλογον, ratione autem analogiæ, id eſt, ſi ſpectes perſonarum & rerum dignitatem, ſeu, cui plus, & cui debeatur minus: hic variat iniuſtus (non enim ſemper eodem modo agit) & prout occaſio ſe dederit aut ſibi viſum fuerit in eadem cauſa nunc plus huic, nunc minus attribuit.

τῦ δὲ ἀδικήματος.] Quia modo dixerat plus & minus duo eſſe extrema iuſtitiæ, & illud quidē in capiendo plus boni aut minus mali, hoc in capiendo plus mali & minus boni conſiſtere: hoc loco de iniuſta actione, de qua & paulo ſupra, item explicat, qua in re eius plus & minus, & ait plus quidem in facienda iniuria, minus in accipienda verſari. Nam quod ſupra explica-

Digitized by Google

explicauimus, qui alium iniuria afficit in lucro: qui afficitur in damno eſſe cenſetur.

καθόλου.] Vniuerſe de toto genere generaliter, non ſingulatim ſeu καθ' ἕκαστα, explicaſſe ſe ait de Iuſtitia & iure ſubtiliter & ſingulatim maxima minima perſequendo, ſed vniuerſe, quando & de aliis virtutibus ſupra explicauit, etſi paulo ſubtilius. Nam Philoſophi eſt officium, communia & generalia præcepta virtutum explicare: ſingularia ad legum ſcriptores, & de iuſtitia ad iudices & Iuriſconſultos pertinent, (hinc vides innumerabilem multitudinem legum) propterea quod hæc præceptis vix contineri poſſint vt innumerabilia, & quotidie variantia rerum, perſonarum, &c. attributionibus.

ἐπεὶ δ' ἔστιν ἀδικοῦντα.] Videtur hic alteram definitionis iuſtitiæ particulam de conſilio explicare, de quo tamen infra copioſiſſime *cap. 8.* Nam cum vulgo etiam ſit notum poſſe quem iniuſte quid facere, qui tamen non continuo ſit aut dicatur iniuſtus, exquirit hoc loco, qua re maxime iniuſtus cognoſci poſſit; Anne factis, & quibus, an alia aliqua re. Et ait factis cognoſci non poſſe, propterea quod facta, à quocunque tandem fiant, ſuo ſemper in genere ſint facta. verbi gratia, cædes tam à puero quam à viro, tam à furioſo quam à ſano facta, peræque eſt cædes: non minus eſt adulterium cum ignota, quam cum nota muliere commiſſum. Itaque conſilio diiudicabitur iniuſtus alter ab altero, adulter ab adultero: quod alter habitu, voluntate & conſilio (qui vere eſt iniuſtus, de quo infra *cap. 8.*) alter perturbatione, cupiditate, ignorantia aut furore peccarit, qui proprie iniuſtus dici non ſolet.

ἢ οὕτω μὲν οὐδὲν.] Anne ſic quidem nihil intererit, hoc eſt, vt iniuſtus quis vere ſit atque dicatur, nihil intererit, nihil referet, qualia ſint ἀδικήματα ipſæ iniuriæ: nam vt ſupra explicauimus, vere iniuſtum non tam ex facto, quam ex conſilio & προαιρέσει, ſeu voluntate iudicamus, maxime philoſophi, qui προαίρεσιν vt magiſtratus & leges facta ipſa ſpectare potiſſimum ſolent: teſte Ariſtotele *lib. 7. Eudem. Ciuilis*, inquit, *amicitia ex facto, moralis ex conſilio diiudicatur.* Sic boni ſunt, vel practico habitu boni, vel tantum facto, philoſophice nemo dicitur bonus, niſi qui habitu bonus eſt.

πῶς μὲν οὖν ἔχει.] Vel hæc verba argumento ſint idoneo, per-

peram hic ſecta eſſe capita, totamq; ſuperiorem diſputationem ad iuſtitiæ & iuris definitionem, & huius cum talione comparationem pertinere. Quare & M. Antonius Muretus hæc verba tranſtulit ad initiũ huius capitis ſeu ad finem proximi. De iuſtitia igitur & iure ſatis ſit dictum vniuerſe, & quæ ſit huius cum talione ſimilitudo aut diſſimilitudo; non recte tamen: nam cum libris omnibus etiam veteribus repugnat hæc mutatio, tum ad loci *ἀνάλυσιν* non ſatis eſt accommodata, quod ex magnis moralibus dilucide perſpicitur, vbi explanata iuſtitiæ & talionis ratione: ſtatim adiungit de iuris partitione, vt & hoc loco Ariſtoteles poſt hæc verba, de quibus agimus, &c.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν.] Iam abſoluta definitione ad partitionem iuris accedit, & primum quidem de nominis partitione. Iuris namque vocabulum eſſe multiplex & homonymon, eaque de re diligenter videndum, de quo iure in hac diſputatione agatur, inquit ipſe Ariſtoteles *in magnis moralib. lib. 1. cap. 34.* Ait igitur totam hanc tractationem accipiendam eſſe de iure abſoluto & ſimpliciter dicto, quod idem dicitur politicum aut ciuile. Sciendum autem Politici vocabulum latius patere apud Græcos, quam ciuile apud Latinos. Id quod Cicero quodam loco indicat, vbi ſignificat ad Politici nomen Latine reddendum vix accommodatum ſe reperire vocabulum: nam cum hoc ex Græcis afferret in homine eſſe quiddam politicum, populare, inquit, aut ciuile Latine dicamus. Politicum igitur vocant Græci, id quod ciuibus ſeu potius hominibus ſocietate quadam inter ſe deuinctis, eſt commune; ciuile vocant Latini, quod ſuæ cuiuſque proprium eſt ciuitatis, verbi gratia, vendere, emere, &c. politica dicuntur Græcis, ciuilia Latinis non item. Ciuilis Romæ eſt toga; pallium Græcis, Rheno Germanis, noſtra veſtis vetus.

τοῦτο δ' ἐστὶ.] Hic iuris politici deſcriptionem quandam affert ab iis, in quibus reperiatur, quorum ſit proprium: eſſe igitur ait eorum, qui ſocietate quadam inter ſe ſint deuincti ad rerum neceſſariarũ ſuppeditationem, qui ſint liberi & æquales, aut proportione aut numero. Ex quibus verbis cõplecti

ſolet

ſolet vno verbo Politicum ius eſſe inter eos, qui eadem ciuitate & legibus vtantur. Quod autem ait πρὸς τὸ εἶναι αὐτάρκειαν, ad rerum neceſſariarum ſuppeditationem, ſupra eſt explicatum: vbi oſtendimus ciuitatum originem ab indigentia, & ad res inter ſe communicandas extitiſſe. Recte quoq; ἐλευθέρων, nam vt inter ſeruos nulla eſt ciuitas, ita nec ius, inquit Ariſtoteles infra *lib.8. cap 10.* Recte & hoc ἴσων, nam id maxime iuris eſt proprium, ius æqualitate maxime conſtitutum, adeo vt inter quos etiam ſit communis libertas, ſi tamen non ſit æqualitas, nullum vere ſit ius, vt inter patrem & filiū, maritum & vxorem, de quibus infra. Iam æqualitas, quia eſt bipartita aut proportionis, aut numeri, vt ſupra *cap. 4.* diximus. Proportionis quidem ſeu dignitatis in Ariſtocratia & regno, numeri in populo (populari ſcilicet Reipub. Democratia) recte adiunxit, ἢ κατὰ ἀναλογίαν, &c. Dicimus igitur politicum ius non ſolum in populo, ſed etiam in optimatibus & regno repetiri, etſi ſæpius politici vocabulum anguſtiſſime popularis ciuitatis formæ attribui ſolet.

μὴ ἔστι τοῦτο.] Id eſt, libertatis & æqualitatis communio, inter quoſnam illud non eſt, inter eos non eſt ius politicum, ſed ius ſecundum quid, non abſolute ius, vt dicitur.

ἔστι γὰρ δίκαιον.] Hic rationem affert & vnum duntaxat argumentum, quo doceat ius vere & politicum, inter eos duntaxat eſſe, quibus communio ſit libertatis, & æqualitatis. Eſt hæc ratio, quia ius inter eos proprie eſt, quos inter lex. Formula ſit iſta:

Quibus eſt legum communio, inter hos proprie eſt ius.
Atqui inter libertate & æqualitate quadam pares, & ciuitatis communionem habentes, eſt lex.
Ergo inter hos & ius vere erit.

Quod argumentum & infra iterat in fine capitis κατὰ νόμον γὰρ ἦν, &c. Quo ipſo & Cic. vſus eſt *lib. 1 de legib.* Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius ea quæ & in homine, & in Deo, prima homini cum Deo cōmunis ſocietas rationis; inter quos autem ratio, inter eoſdē etiam recta ratio, & communio eſt: quæ (recta ſcilicet ratio) cum ſit lex, lege quoque conciliati homines cum diis putandi. Inter quos porro eſt communio legis, inter eos & communio iuris eſt. Propoſitio ſatis per ſe eſt nota, propterea quod iuſtum id proprie ab omnibus dici ſoleat, quod legibus eſt conſentaneum, quod eſt

legitimum, quod legibus definitur, eaq; re Ariſtot. *in magnis moral.* Ius Politicum, quod vere ius eſſe hic dicitur, vocat νομικόν. Cic. quoq; *in 1. lib. de legib.* eadem vtitur propoſitione. *Inter quos*, inquit, *communio eſt legis, inter eos communio iuris eſt.* & eodem libro poſtea: *quibus lex eſt data*, inquit, *iis ius quoque.* Ergo inter quos eſt lex, inter eoſdem eſt & ius. Aſſumptionis rationem hanc affert Ariſtoteles, quia lex inter eos ſit, inter quos iniuſtitia: concludatur hunc in modum. Formula:

In quibus iniuſtitia, inter hos & lex.
Atqui inter liberos & æquales eſt iniuſtitia.
Ergo inter eoſdem & lex.

Propoſitionis, id eſt, rationis prioris ſyllogiſmi hanc rurſus affert rationem Ariſtoteles perobſcuram, ἡ γὰρ δίκη, &c. quia dica, id eſt, iudicia, (vulgo proceſſum, cauſarum actionem dicam vocant. Id namq; valet hoc loco, δίκη, vt & alias, qua de re tamen mire laborat Perionius in obſeruationibus in Politica) eſt diſceptatio ſeu diiudicatio iuris & iniuriæ, id eſt, quia iudiciis cognoſcitur de iure & iniuria, ius diſcernitur ab iniuria. Ratio igitur, cur lex in his ſit, in quibus iniuſtitia, eſt hæc, quia iudiciis ius ab iniuria diſcernitur, quæ ratio obſcurior alioqui, planiſſima erit, ſi meminerimus, iudicia eſſe legum vſum & executionem. quare cum iuſtitia in iure & iniuria diſcernendis verſentur, quod omnibus eſt notum: cõficitur, quod volumus, legem quoq; in iiſdem verſari; maxime tamen in iniuſtitia, vt inquit Ariſtot. Nam ad eam reprimendam & coercendam, ſeu, vt vulgo dicitur, ad malos mores emendandos leges ferri ſolent. Itaq; in quibus eſt iniuſtitia, ibi & lex; atq; ita vera eſt alterius ſyllogiſmi propoſitio. Aſſumptio autem in liberis & æqualibus eſſe iniuſtitiam, perſpicuum fit ex iis, quæ paulo infra affert Ariſtoteles de patrio iure, quia iniuſtitia locum non habet in ſeipſum, ſed in alium, nemo ſeipſum iniuria afficit, qua de re infra latius *cap. 9. & 11.* Non eſt igitur iniuſtitia aduerſus liberos, ſeruos, aut vxores, vt qui ſint velut partes noſtræ, vt mox dicetur; ſi enim aduerſus hos, neceſſario efficitur, vt aduerſus alios, qui pari nobiſcum fruantur iure. Vera eſt igitur aſſumptio, iniuſtitiam aduerſus eos eſſe, inter quos ſit libertas & æqualitas. Ad ſummam, perſpicitur, iniuſtitiam aduerſus liberos & æquales eſſe, & proinde legem, & deniq; ius ipſum quod cõfirmandum fuit.

fuit. Affert & alterum argumentum Ariſtot. *in Magnis*, quo doceat, ius Politicum vere ius eſſe & abſolute & proprie, quia iuris propria ſit æqualitas. Formula ſit iſta:

Ciues inter quos eſt Politia, & à quibus Politicum ius nomen habet, pari libertate & iure fruuntur.

Atqui iuris quoq; eſt æqualitas propria, vt ciuium.

Ergo ius ciuium ſeu Politicum vere eſt ius,

Sed hoc argumentum cum priore concurrit.

ἐν οἷς δὲ ἀδικία.] Diximus modo iniuſtitiam eſſe inter eos, qui ſint libertate & aliis rebus æquales, quod oſtendimus ab iniuſte factis, quæ inter illos duptaxat locum habeant, non inter parentes & liberos, &c. Et hoc eſt, quod ait Ariſtot. inter eos eſſe iniuſte facere, inter quos ſit iniuſtitia. Verum progreditur vlterius de iniuſte factis, vt legum vtilitatem & neceſſitatem, & magiſtratuum cum legibus ſimilitudinẽ oſtendat. Ait igitur, in quibus ſit iniuſtitia, in iis & iniuſte facere locum habere, ſed non contra, id eſt, iniuſtos omnes iniuſta facere, non omnes tamen, qui iniuſta faciant, eſſe iniuſtos; cuius rei (diſcriminis ſcilicet eius) rationem paulo ſupra attulimus. Quid auem ſit iniuſta facere, adiungit Ariſtot. licet ſupra ſæpius explicatum; nempe plus ſibi ſumere boni & minus mali.

διὸ οὐκ ἐῶμεν ἄρχειν.] Præclarus hic eſt locus de legum & magiſtratuum imperio, vtrum plus legibus an magiſtratibus in Republ. ſit committendum; & ait leges potius imperare debere, propterea quod lex ſit ratio, & vt Cic. ait, recta ratio, quæ & propterea iuſtitiam perpetuo ſectetur, neq; cupiditatibus deprauetur, non huic plus tribuat, illi minus iuſto, & quam recta poſtulet ratio. Magiſtratus autem ſæpe plus ſibi boni arroget, atque ita tyrannus fiat. nam verus magiſtratus quia iuris eſt miniſter & cuſtos, vt ait hoc loco Ariſtoteles, & Iuriſconſultus *in l. nam & ipſum ius, ff. de iuſtitia & iure.* Et Plato pulcherrime *lib. 4. de legib.* nam, inquit, vbi lex dominatur, magiſtratus ſubeſt, vel ſubſeruit legibus, ibi plane eſt Reſpubl æquitatem quoque perſequitur, neq; plus boni ſibi vindicabit, ἢ μὴ κατ' ἀνάλογον, id eſt, niſi proportione, niſi ſit dignus, qui plus boni accipiat. Quocirca cum verus magiſtratus legibus parens, non ſuum ſequatur commodum, ſed aliis potius laboret, vt iuſtum cuiq; tribuat; recte quoq; vulgo dicta eſt iuſtitia bonum alienum, qua de re ſupra: ne tamen fruſtra laboret magiſtratus, ꝑ quæſtu aut lucro honores

à Repub.

à Repub. capit, quibus ſi non contentus eſt, & bona etiam aliorum corripit, Tyrannus exiſtit. Et hunc igitur locum, leges in ciuitatibus dominari, magiſtratus iiſdem, & ciues magiſtratibus ſeruire ac parere debere, præclare tractat & Plato *lib. 4. & 9 de legib.* & Ariſtoteles *in Politicis, & init lib. 1. Rhet.* vbi aduerſus Platonem diſputat, iudicibus perpauca eſſe cómittenda, omnia quoad fieri poteſt, legibus potius eſſe complectenda. Et *in Polit.* pulchre beluam imperare velle eos ait, qui non leges, ſed homines & magiſtratus in Rep. ſummum imperium tenere iubeant. Quare pulcherrime Imperatores Seuerus & Antonius, *licet*, inquiunt, *legibus ſoluti ſumus, tamen legibus viuimus, §. vlt. Inſtitut. quib. mod. teſtament. infirmentur.*

τὸ δὲ δεσποτικὸν.] Hic iam ſingulatim de iure dominico, & pattio, & vxorio, de quo etſi ex priore cognoſci poſſit, quid ſtatuendum ſit, vere ne ſit ius, an ſimilitudine tantum quadam: clarioris tamen explanationis cauſa & de hoc ſingulatim explicandum putauit. Videbat vulgo ius quoddam inter parentes & liberos, &c. vocari; nam & quæ liberi parentibus debent, obſeruantiam, pietatem, & mutua alimenta; & quæ contra parentes liberis, educationem & defenſionem: Ius vulgo vocare ſolent, & in iuris ciuilis libris, ius naturale dici ſolet. Sic Athenis, qui liberos arte aliqua inſtituere neglexiſſet, ius erat filio parentem poſtea egentem non alere. Sic pater filios exhæredare, abdicare, vendere, proſtituere, occidere non temere poteſt. Filius parentem in ius vocare, vxorem iniuſſu parentis ducere, &c. non poteſt. Sic Imperator ſub *tit. inſtitut. de his qui ſui vel alieni iuris. nullis*, inquit, *hominibus, qui ſub imperio noſtro ſunt, licet ſine cauſa legibus cognita, in ſeruos ſuos ſupra modum ſæuire.* Maritus rei familiari augendæ operam dare, magiſtratum gerere; bellum adminiſtrare: vxorem domi, liberos enutrire; ancillas & inſtrumentum domeſticum polite & diſponere debet. Hæc igitur mutua inter has perſonas & diſtincta officia, Iura quoque vulgo dici ſolent, cuius rei non ignarus Ariſtoteles ait, iuris quidem vmbram & ſimilitudinem ibi eſſe, verum ius non item: ſiue vt ipſe loquitur, ea iura Politico quidem eſſe ſimilia, non tamen eſſe eadem; ſimilia quidem hac re eſſe videntur, quia omnia ſint aduerſus alium, alio ſimilia referuntur, quod iuris omnis & iuſtitiæ eſt proprium. Cur autem non ſint eadem, explicat

hoc

hoc loco Ariſtoteles, & hanc affert rationem, quia Politicum eſt inter eos, inter quos eſt iniuſtitia & lex: hæc autem iura ſunt inter eos, inter quos nec eſt iniuſtitia, nec lex. De iniuſtitia fit hæc formula:

In quibus non eſt iniuſtitia, inter hos nō eſt ius Politicum,
& proinde non verum, id ſupra explicauimus.
At inter patrem & filium, &c. non eſt iniuſtitia.
Ergo, nec ius Politicum, aut verum.

Aſſumptionem confirmat ab iniuſte factis, id eſt, ab iniuria, maleficio & fraude: hac, inquam ratione, quia nemo ſeipſe iniuria afficiat, vt infra explicabitur latius *cap. vlt.* & proinde nec filium, nec ſeruum, vtpote qui ſint tanquam partes parentum & dominorum. Quo loco obſeruatione dignum eſt, quod ait Ariſtoteles, liberos parentum eſſe tanquam membra: quod & Iuriſconſulti identidem vſurpant, filium & patrem eſſe quodammodo eandem perſonam, vocem filii eſſe tanquam vocem patris, *§. et vero, inſtit. de inutil ſtipul.* nempe, inquit Ariſtoteles, quam diu maneat ſub patris imperio & poteſtate; quam diu ſuam & propriam non conſtituerit familiam, quod idem vſurpant Iuriſconſulti, qui filium emancipatum pro patrefamilias habere ſolent: [Iuriſconſulti omnes homines partiuntur in filiumfamilias, & patremfamilias. Patremfamilias vocant, qui non eſt ſub poteſtate patris, puerum etiam annum habentem, propterea quod ipſe iam ſit princeps & caput ſuæ familiæ, neque habeat patrem:] Et hoc eſt, quod ait, ἕως ἂν ᾖ πηλίκον, vbi ſcribendum καὶ χωρισθῇ inducta negatione, quæ & à veteri tralatione & *à Magno* abeſt, *lib. 1. cap. 34.* (quam diu, inquit, πηλίκον, id eſt, quam diu erit quantulus, id eſt, non perueniet ad ſuam ætatem, ὥσπερ μέρος αὐτοῦ, eſt tanquam eius pars, id eſt, quam diu non eſt ſeparatus, eſt μέρος.) Quod idem & infra iterat Ariſtoteles *lib. 8. cap. 12.* Seruus non eſt ille quidem domini pars, vt filius (neque enim libero cum ſeruo eſt ſocietas.) Mendoſiſſime quidam hæc confundunt. Non eſt vlla ſocietas cum ſeruo, & proinde nullum ius, nulla ſocietas domino cum ſeruo. Simile; ſicut nulla participatio impii cum Chriſto, ſic nec libero cum ſeruo vlla ſocietas, ſed libero cum libero: Quia tamen eſt domini res, & ſeruus totus eſt domini, quantuſcunque eſt, vt *in Polit lib. 1 initio*, ea re fit, vt ſeruus à domino alius vix eſſe videatur. Inter dominum enim & ſeruum non eſt ius propriū, quia nulla

nulla iniuſtitia inter eos. Inter quos enim eſt iniuſtitia, inter eos neceſſe eſt eſſe iniuriam. Sed iniuria inter eos non eſt. nemo ſe ipſe iniuria afficit. Dominus & filius eadem cenſentur propter poſſeſſionem perſona. Et ſic cum non iniuſtitia inter eos, non proprie quoque ius.

κατὰ νόμον ᾧ ἦν.] Hic de lege. Docet namque à lege ſumpto argumento, verum ius inter eas perſonas non reperiri. Formula ſit iſta:

Inter quos nulla eſt legis communio, neque Iuris quoque eſt

At inter illas perſonas nulla eſt proprie dicta lex.

Ergo nec ius.

De propoſitione ſupra eſt dictum. Aſſumptionem per ſe claram, explanat tamen hunc in modum, quod inter has perſonas nulla ſit viciſſitudo parendi & imperandi: quæ certe inter eos eſt, inter quos eſt lex. nam inter ciues cum alia, tum viciſſitudo parendi & imperandi reperitur, omnia vere ſunt communia. At pater ſemper in domo imperat, vt & dominus, filius & ſeruus parent, nunquam viciſſim res commeat. [Romæ *in Saturnalibus* olim imperabant ſerui in vna cœna, domini debebant illis inſeruire.] Hac igitur ratione, quod leges proprie neque imperii viciſſitudo inter has perſonas locum habeant, Ius quoq; proprie locum habere nequit. Qua ratione & infra Ariſtoteles *lib. 8 cap. 9.* oſtendit nullum eſſe ius inter ſeruum & dominum, quia nihil inter eos ſit commune. De marito & vxore poſtremo loco explicat quidem, eſſe quidem ius inter iſtos Politico magis affine, quam ſit patrium aut Dominicum, propterea quod poſterior hæc ratio in his locum non habeat, id eſt, quia imperii viciſſitudo ſeu participatio potius inter maritum & vxorem reperiatur: Sunt namque nonnulla, in quibus maritus imperium, & in quibus vxor habere debeat. Quod niſi fiat, id eſt, ſi vel maritus omnia pro ſua libidine, vel vxor forte locuples & epiclera adminiſtrare concupiſcat, Tyrannis exiſtet domeſtica, inquit Ariſtoteles pulcherrime in hanc ſententiam *lib. 8. cap. 10.* Diſcrepare tamen, & aliud eſſe à Politico, propterea quod vt œconomia differt à Politia, ſeu Republ. ita & ius œconomicum. (Sic enim hic anguſtius ius vxorium vocat) aliud eſt à Politico. De differentia Politiæ & œconomiæ infra *lib. 1. Polit.* neque ea eſt æqualitas imperandi inter virum & vxorem, quæ eſt inter ciues

ues[principatus enim ſemper mariti, etiamſi quędam viciſſitudines] vt autem magna eſt liberorum cum parentibus coniunctio, ita & mariti cum vxore non eſt minor, teſtibus etiam libris factis. Ergo non eſt ius proprium, vbi tanta coniunctio non eſt.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

τοῦ δὲ πολιτικοῦ.] Tria fere hoc capite explicantur. Primum iuris Politici partitio: deinde, an ius aliquod ſit naturale: poſtremo de factis iuſtis & iniuſtis, & eorum cum iure ipſo & iniuria diſcrimine.

τοῦ δὲ πολιτικοῦ.] De hac Ariſtotelica iuris partitione, qua ius politicum partim ait eſſe natura, partim lege [hoc eſt, partim naturale, partim legitimum] an vera, & qua in re cum Iuriſconſultis & aliis Philoſophis diſcrepet aut conſentiat, extremo capite nos ſeparatim explicabimus: Nunc partes eius videamus.

φυσικὸν μὲν τὸ] Iuris eſt naturalis deſcriptio, cuius duas affert notas, alteram loci, alteram cauſæ efficientis ſeu iudicii. nam iuris naturæ hoc eſſe proprium, vt omnibus in locis eandem vim & poteſtatem habeat, quod idem pulcherrime Cic. *lib. 3. de Repub.* apud Lactantium *lib. 6. cap. 8.* de lege naturæ [Aurei illi Ciceronis libri interciderunt] nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, ſub qua loci nota & altera temporis comprehendi poteſt, quod ius naturæ ſit perpetuum, vt pulcherrime Sophocles *in Oedipo Tyranno* & Imperator *in § vlt. inſtitut. de iure natur. gent. & ciuil.* Ad hanc loci notam pertinet & hæc nota, qua dicatur ius naturæ omnibus etiam beluis eſſe commune à Iuriſconſultis. Altera nota, οὐ τῷ δοκεῖν, quod ius naturæ ſua vi & per ſe valeat, non vero quia ita hic aut ille ſtatuat, non ex opinione, ſed ex veritate valeat. Veritas naturalis iuris eſt propria, vt & omnis naturæ: opinio iuris legitimi, teſte Ariſtotele *lib. 1. reprehenſionum Sophiſticarum* aperte *cap. vlt. in fin.* vbi legem ait eſſe δόξαν, vt & Plato *in Minoe*, δόξα τῆς πόλεως. Et Cic. *lib. 2. Rhet. veteris in fin.* Natura ius eſt, quod non opinio genuit, ſed innata vis inſeruit, & quidem *legis* verbum apud Græcos νόμος hinc deducere videtur Ariſtoteles *lib. 1. Magn. cap. de iuſtitia*

in me-

in medio, παρὰ τὸ νομίζειν, ab exiſtimatione & opinione. Et Plato *in Minoe*, etſi idem *lib. 12. de legibus*, νόμον dictum ait quaſi νοῦν. Nam vt inquit Cic. *in legib.* mens ciuitatis eſt poſita. plærique tamen νόμον παρὰ τὸ νέμειν, à ſuum cuique tribuendo dictum putant, teſte Cic. *lib. 1. de legib.* Vbi latinum legis vocabulum à dilectu deducit. Ratio autem vtriuſque notæ ſeu proprietatis hæc mihi videtur eſſe: de priore quidē, quia id naturæ omnis eſt proprium, omnibus in locis ſuam vim eandemque tenere, vt eleganter Ariſtoteles *in problemat. ſection 15.* De altera, quia plane ſunt contraria, natura quid eſſe & opinione, vt *eo loco Elenchorum* Ariſtoteles.

νομικὸν δὲ ὃ.] Hic iuris legitimi deſcriptionem affert, cuius duas cōmemorat notas; alteram à vi & poteſtate, alteram à cauſa efficiente. Nam iuris legitimi hāc eſſe vim & naturam, vt priuſquam decreto ſanciatur, ſit ἀδιάφορον indifferens, id eſt, nullam vim habeat, ſeruari poſſit, aut non poſſit. Verbi gratia, in veſtibus poſſum pileum qualemcunque velim gerere, eſt ἀδιάφορον: ſi conſtituatur lex, ne quis holoſerico vtatur, poſt conſtitutionem non eſt ἀδιάφορον: ea, quæ hanc habent naturam, vt antequam ſanciantur, ſint licita, ſunt legitima. Deinde ius hoc per ſe ſuâque vi non valet, id eſt, naturam non habet parentem, ſed hominem, & hoc eſt, quod ait, θῶνται. nam θέσει & νόμῳ vt & πράξει idem valent: Sic ponere leges Græci, Latini ferre, λυτρόω redimo captiuum; λύτρον pretium redemptionis vocant.

οἷον τὸ μνᾶς λυτροῦσθαι.] Herodotus *in Erato*, & Thucydides *lib. 5* ſcribunt lege fuiſſe Lacedæmone ad redimendos captiuos conſtitutas duas Minas.

ἢ τὸ αἶγα θύειν.] Muretus *lib. 8. variarum lectionum cap. 13.* (quem probat Lambinus) ſcribendum exiſtimat, ἢ τὸ αἶγα δεῖ θύειν, ἀλλὰ μὴ πρόβατα, inducto δύο, ſeu potius ex eo facto Διί, id eſt, Ioui: & in priorem partem traducto, quod Ariſtoteles ad Afrorum inſtitutum hic videatur alludere, quos ſcribit Herodotus *in Euterpe*, hunc habuiſſe honorem, vt Ioui non ouibus, ſed capra rem diuinam facerent, quæ emendatio confirmari quoque videtur infra *lib 8. cap 10.* vbi nominatim Iouis fit mentio. Mihi tamen nihil videtur immutandum his de cauſis; Primum, quia repugnat omnium librorum conſenſus: deinde vt fateamur eo alluſiſſe Ariſtotelem, non propterea tamen efficitur eodem prorſus modo inſtitutum illud

illud ſuæ diſputationi accommodare voluiſſe. nam hoc non agit Ariſtot. cui quid ſit immolandum, ſed potius quid ſit immolandum, cur hoc potius quam illud. Præterea repugnat ea emendatio toti diſputationi: Ariſtot. namque duas facit legitimi iuris partes, communem vnam, alteram ſingularem. Commune eſt, quod non in Titium aut Seium, ſeu in hunc vel in illum hominẽ valet, ſed in omnes, verbi gratia, ne quis gerat arma, & de hoc agit hic Ariſtot. eoque pertinent exempla de redemptione & re diuina [id eſt, immolatione] ſingulare eſt, quod vel in certũ hominem conſtitutum, & priuilegiũ vocant Romani, exemplum affert de Braſida, Ariſtot. [inſignis Lacedæmoniorum Imperator] vel in certam rem & negotium, Pſephiſmata vocant Græci. Ex his perſpicuum eſſe puto, cur nihil temere hic ſit mutandum. nam τὸ δύο, quod fortaſſe quibuſdam ſuſpectum ſit, expreſſit Ariſtoteles propter τὸ αἶγα, quaſi diceret, vna ne capra, an duæ ſint immolandæ oues.

ἔτι ὅσα ἐπὶ τῶν.] Diximus iuris legitimi partitionem quandam hoc loco ſubindicari, quo alterum ſit commune, alterum ſingulare; quemadmodum & Iuriſconſulti ius partiri ſolent, *in fin. Tit. 2. Inſtit. de iure natur gent. & ciuil l. ſingularia, ff. de legib.* Commune ius vocant, quod in omnes ciues conſtituitur, huius generis ſunt omnia fere, quæ in libris Iuriſcõſultorum explicantur. Singularis iuris exemplum affert Ariſtoteles de Braſida, vt de certo homine nam huic prætori Lacedæmoniorum fortiſſimo (cum & Achilli eum comparat Plato *in Sympoſio*) ob præclara in Spartam merita, inconſulto dum hoſtes perſequitur interfecto, diuini honores tributi fuerunt, teſte Thucydide *lib. 5.* Sic & Ciceroni togato decreta fuit ſupplicatio, nouo exemplo & ſingulari: Imperatoribus & belli ducibus ſolent decerni ſupplicationes, ſic Ciceroni etiam togato. Huius generis ſunt omnia, quæ Iuriſconſulti vocant Priuilegia, [quicquid enim fiebat in certam perſonam, erat priuilegium, quod non concedebatur, niſi ſolenniter congregato populo vniuerſo] huius generis ſunt, quæ Græci vocant ψηφίσματα; omnia, inquit Ariſtoteles, ψηφισματώδη, ψηφίσμασι comprehenſa, Latine hæc dicuntur populi ſcita, à Cicerone, Cornelio Nepote, aliiſque, in quibus tamen perperam nonnulli plebiſcita reponunt. Sub his comprehenduntur omnia edicta magiſtratuum, & leges

de certo aliquo negotio, de bello gerendo, de legatione ſuſcipienda, de magiſtratu alicui conferendo latæ, quales leges innumerabiles cõgeſſit Franciſcus Connanus & Paulus Manutius *in lib. de legib. Romanis*. Nam ψηφίσματα nihil ſunt aliud, quam leges ad tempus, ſeu de certi temporis negotio. Leges autem communes ſunt perpetuæ. Eſt igitur duplex inter ψήφισμα & νόμον proprie dictum, differentia, quod hæc ſit communis & perpetua, illud ad tempus & ſingulare, ſeu de certo negotio. Quare & Ariſtoteles infra *cap. 10.* quia, inquit, omnia ſingularia legibus comprehendi nequeunt, ea re opus ψηφισμάτοις eſſe ait, & *in Polit. lib. 4. cap. 4. in fin.* perſpicue à lege ita diſtinguit ψήφισμα, vbi nullum ψήφισμα ait poſſe eſſe καθόλου generale. Vtrumque enim ſub legitimo & νόμος & ψήφισμα comprehenditur, ſed differunt tamen.

δοκεῖ δὲ ἐνίοις.] Locus eſt ſatis obſcurus. nam poſtquam dixerat, ius aliud eſſe natura, aliud lege, quæſtionem hic affert, & quorundam contradictionem, eamque diſſoluit. Nam Ariſtotelis & Platonis ætate, & etiam poſterioribus temporib. magna fuit quæſtio; An ius aliquod ſit naturale? Et ait Ariſt. quibuſdam viſum nullum eſſe naturale, omnia eſſe ciuilia & legitima, quorum hæc fuit ratio, quod naturalia ſint immutabilia, iura autem omnia mutari quotidie cernantur. Formula:

Omnia naturalia ſunt immutabilia.
At iura omnia mutantur.
Ergo nulla ſunt naturalia.

Propoſitionem confirmat exemplo ignis: vbi notanda eſt Phraſis: *Et hic & in Perſis*; qua & Plato eſt vſus *in Minoe*, id eſt, vbique. Eſt enim hic prouerbialis locutio, propterea quod nullas fere gẽtes Græci præter Perſas cognoſcebant; hæ enim infeſtabant oras; nullum præterea Regem norunt Græci. Aſſumptionem confirmat Ariſtoteles à ſenſu ipſo ὁρῶσι, verbi gratia, apud plæraſque gentes nefas eſt ducere matrem, quod tamen in Perſis iuſtum fuit, teſte Cic. ducere ſororem, quod tamen iuſtum fuit in Ægypto, teſte Philone: Sic quoq; Athenis ex parte licebat ducere ex eodem patre ſororem; Lacedæmone contra ſororem ex eadem matre: in Ægypto vtramq; ducere licitum.

τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν.] Reſpondet Ariſtoteles eorum ſententiam ex parte non omnino eſſe veram, id eſt, negat propoſitionem omni-

Digitized by Google

omnimodo eſſe veram: nam verum non eſſe, naturalia omnia eſſe immutabilia; apud Deos quidem id eſſe verum, apud homines non item. nam apud homines eſſe quædam naturalia, quæ tamen mutentur, verbi gratia, natura altera manus eſt læua, altera dextra, altera valentior eſt altera, quod tamen conſuetudine & exercitatione mutari poteſt, vt robore læua antecellat dextræ, & contra, atque adeo vt vtraque peræque valeat, & fiat quis ambidexter. Quare reprehenſa propoſitione, falſa quoque efficitur complexio nam tametſi iura etiam naturalia interdum mutentur quibuſdam in locis, propterea tamen non efficitur, quin alia ſint naturalia, alia non item, & hoc eſt, quod ait *ἀλλ' ὅμως ἔστι*, &c.

ποῖον δὲ φύσει.] Quæri poterat, cum iura mutabilia duorum ſint generum, ſeu varia potius, quænam ex iis proprie naturalia ſint dicenda, quæ legitima. Nam vtraque, id eſt, quæ legitima, & quæ naturalia diximus, mutabilia faſſi ſumus, & ait Ariſtoteles, facile eſſe id diſtinguere: vtiturque exemplo, quod modo attulimus de manu dextra & ſiniſtra, cui comparat ius naturale etſi mutabile. Nam quemadmodum plærumque fit, vt dextra ſit valentior, quam ſiniſtra: ita & in iuribus mutabilibus diſcernendis, quæ videbimus plærumque & ſæpius ad eundem modum, & apud plæraſque gentes ſe habere, ea dicemus naturalia. Ciuilia vero, quæ non plærumque ad eundem modum ſe habeant, ſed quotidie & omnibus fere in locis ſint diuerſa, quemadmodum mēnſuræ poculentorum & eſculentorum, quas in omnibus locis diſſimilimas eſſe conſtat, & per ſingulas ciuitates variare, vt inquit & Iuriſconſultus *in l. 3. ff. de eo, quod certo loco.*

De hac autem quæſtione, an ius aliquod ſit natura (quod tamen negabat Archelaus præceptor Socratis teſte Laertio: & Callides Sophiſta apud Platonem *in Gorgia*, & poſterius Epicurei omnes) videatur Plato *in Gorgia & Minoe, & libro primo & decimo de legibus.* Cicero *libro primo de legibus.* Alexander Aphrodiſienſis pulcherrime *libro ſecundo de Anima* apud quæſtionem hanc, an ius aliquod ſit natura. Et Simplicius *in præfatione Phyſica ἀκροάσεως*, eadem de re diſputauit pulcherrime Cicero *in lib. de Republica*, teſte Lactantio *libro quinto.*

τὰ δὲ κατὰ συνθήκην.] Iura ciuilia duobus verbis exprimit, conſenſionis ſeu pacti & vtilitatis. Nam συνθήκη ſeu pacto & conuentu hominum definiri iura ciuilia iam ſupra diximus: Eadem vtilitate quoque dirigi certum eſt. nam vt iura naturalia honeſtate, ita ciuilia vtilitate & vſu communi ciuium ponderantur & conſtituuntur. Ex vtilitate manarunt iura ciuilia, vt eſt apud Cic. *lib.2 vet. Rhet. in fin. & in Orat. pro Cæcinna* pluribus in locis. Et *Inſtit. tit. 1. in fin.* omnia denique Politica ab vtilitate proficiſcuntur, teſte Varrone apud Auguſtinum *lib. 6. de ciuitate Dei cap. 5.* Et hinc grauis illa quæſtio, an id proprie ſit ius, quod ei, qui plus poteſt, ſit vtile, de qua Plato *lib.1. & 2. de Repub.* & Cic. *lib.3 de Repub.* apud Lactantium *libro 5 Inſtitutionum.* Perperam igitur Franciſcus Connanus *lib. 1. comment. iuris ciuilis*, hæc duo verba ita diſtinguit, vt priore ius ciuile, poſteriore ius gentium, quod vocant Iuriſconſulti, intelligendum putet. nam ius gentium maximam certe partem ad ius naturale pertinet, vt eſt apud Cic. *lib.3. offic.* & quæ ſunt iuris gentium, naturalia dici quoque ſolent.

ἀλλ' ἀνθρώπινα δίκαια.] Ius ciuile vocat hoc loco humanum Ariſtoteles, vt à iure naturali contra diſtinguat: alioqui etiam, quæ ſunt iuris gentium, ſeu apud omnes gentes locum habent, tanquam naturalia, interdum quoque humana dici ſolent, quomodo Iuriſconſulti fere loquuntur, & Cic. *lib.1. Tuſcul.* Ius hominum vocat, & Liuius *libro quarto* Ius humanum.

ἐπεὶ οὐδὲ πολιτεία.] Iura ciuilia cur vbique non ſint eadem, rationem adiungit Ariſtoteles, quia neq; eadem eſt omnium ciuitatum ratio, ſed varia & multiplex: apud alios eſt Democratia, cuius rurſus multa ſunt genera, apud alios regnum, cuius item; apud alios ὀλιγαρχία, cuius item. Itaque quia variantur ciuitates, varientur & ciuitatũ iura, id eſt, ciuilia iura neceſſe eſt: nam leges & iura ciuitatibus congruentia & accommodata eſſe oportet. Leges, vt inquit Ariſtoteles, *in Polit.* Rebuſpublicis ſeu ciuitatibus, non ciuitates legibus accommodentur, oportet: Sic Tacitus prudentiſſimus omnium hiſtoricorum, qui hodie extant, cum ſcriberet Romanam hiſtoriam, & voluit contexere Liuium, ad ſuam ætatem per annos 130. vſque ad Traianum Principem, excuſans ſe, cur non tam eloquens, tam eleganti, quam Liuius & antiqui, ſtylo

Digitized by Google

ſtylo vtatur; propter materiam ait, prout materia, talis oratio. Materia à Liuii & veterum diuerſa, quod illi de Democratia, nos de Monarchia & regno, & proinde Reſpublica, leges: res geſtæ ſunt aliæ, prout conſtitutio Reipublicæ, ita & leges [vna duntaxat eſt optima Reipublicæ forma, vt in regno vero & Ariſtocratia, & in hac ciuitate [interdum Politiam latine] Ius ciuile à naturali non diſcrepat, id eſt, leges omnes ad rationem naturalem accommodantur, quales fere in vna Moſis Repub. fuiſſe puto accommodatas ad Decalogum, id eſt, ad ſumma capita iuris naturalis. De lege vero naturæ videatur Hemmingius, & Philippus *in epitome ſua Philoſophiæ moralis*, quo tractatu nil eſt inſignius in eo libello.

τῶν δὲ δικαίων.] Affert hoc loco iuſtorum ſeu iurium comparationem quandam inter ſe: nam iuſta inter ſe ita eſſe affecta, vt genus ad partes. nam quæ quotidie fiant ad iuſtitiam pertinentia, quæ quidem ſunt plurima & innumerabilia, eſſe ſingularia, iuſta inquam ſingulorum & quotidiana hominum facta: quorum tamen vnum quiddam eſſe, quod ſit velut *καθόλου* & commune, quo tanquam norma & regula illa definiantur & dirigantur, verbi gratia, ius eſt reddere depoſitum, quod eſt commune quoddam. Singularia ſunt, reddere huic aut illi depoſitum, vt ſi fur depoſuerit, & interea dominus repetat, repetat & fur ipſe, quæri ſolet, vtri ſit reddendum. De huius generis quæſtionibus videatur Iuriſconſultus *in l. bona fides, ff. depoſiti.* Et Cic. *lib. 2. & 3. offic.*

διαφέρει δὲ τὸ ἀδίκημα.] Hic de factis iuſtis & iniuſtis, ſeu potius de factorum comparatione cum iure ipſo. Quinque hic ſunt vocabula, de quibus, quid inter ſe differant, explicat hoc loco Ariſtoteles, *δίκαιον, ἄδικον, δικαίωμα, δικαιοπράγημα*, ſeu *δικαιοπραξία*, & *ἀδίκημα*. Latine *δίκαιον*, ius ſeu iuſtum: *ἄδικον* iniuſtum ſeu iniuria. Etſi iniuriæ vocabulum eſt ambiguum, valet namque *ἄδικον* & *ἀδίκημα*: *δικαιοπράγημα* aut *δικαιοπραξία* iuſte factum ſeu iuſta actio: *ἀδίκημα* iniuſte factum. *Δικαίωμα* vix habet latinum nomen. Quare & Cic. *in verrinis* verbo Græco *δικαιοῦσθαι* eſt vſus perſpicuitatis gratia, pro *ſupplicium ſumere*, ſeu *facere iuſtitiam*: quidam tamen iuſte factum & iuſtum officium reddunt, quæ tamen ad *δικαιοπράγημα* magis pertinent. Ius igitur & iniuria ab iuſte & iniuſte factis ita differunt, quod illa vel ſint natura, vel inſti-

tuto (eſt enim ius vel naturale, vel ciuile) neque requirant, vt quid fiat: hæc vero tum demum eſſe dicantur, cum quid factum fuerit, verbi gratia, Parricidium eſt iniuſtum per ſe, & natura etiam non factum eſt ἄδικον: factum vero, id eſt, vbi parentem quis occiderit, eſt ἀδίκημα iniuſte factum. Atq; ita ius & iniuria, in categoria qualitatis eſſe videntur, in qua & Iuſtitia: iuſte autem & iniuſte facta in actione. Δικαίωμα autem & δικαιοπράγημα, quæ idem valere videntur, differunt tamen, vt ſpecies & genera; nam illud eſſe ſpeciem, hoc genus; nam omnia iuſte facta δικαιοπραγήματα vocantur: δικαιώματα vero illa duntaxat iuſte facta, quæ per iudicem vel arbitrum aut alium aliquem, iniuriam alterius pro altero vindicantem & reſtituentem, fiunt. δικαίωμα nihil eſt aliud, quam reſtitutio iniuriæ & emendatio ἐπανόρθωμα.

De Divisione Ivris.] Variæ ſunt iuris diuiſiones. Ariſtoteles in his libris aliud ait eſſe vere & proprie, aliud non proprie. Sub illo Politica iura, ſub hoc domeſtica complectitur. Et prætermiſſis quidem domeſticis ad œconomicam facultatem pertinentibus, Politicum (quod his libris, in quibus de facultate Politica explicandum fuit) bifariam ſecat, nam vel eſſe naturale, vel legitimum. In qua diſputatione Politici vocabulum latius accipiendum iam ſupra monuimus, vt eo contineantur iura omnia, quibus in ciuitatibus homines inter ſe vtantur, id eſt, tam naturalia, quam ciuilia ſeu legitima. nam vtroque iure homines inter ſe vti etiam in iiſdem ciuitatibus certum eſt; ratione ſcilicet vſus naturalia iura etiam Politica dicuntur, non vero ratione cauſæ & originis: nam huius ratione naturalia proprie dicuntur, Politica vero ea, quæ ſunt legitima proprie. Quare & Ariſtoteles *in Magn. lib. 1 cap. 34.* legitima ait proprie dici Politica, non ratione vſus, ſed originis. Ad ſummam, legitima proprie ſunt Politica, ratione cauſæ & originis. naturalia tamen & illa ſunt Politica, ſed vſus ratione. Ad eundem modum ius ciuile ſeu priuatum ſcribunt Iuriſconſulti *lege prima, ff. de iuſtitia & iure*, ex præceptis naturalibus & ciuilibus eſſe compoſitum & collectum: Omnibus enim locis, omni tempore & perpetuo valet ius naturale, ius vero ciuile anguſtiſſime patet. In *Rhetoricis libro 1.* Ius partitur in ſcriptum & non ſcriptum, ἄγραφον & γεγραμμένον. Non ſcriptum vocat & commune κοινὸν & natura φύσει, quod omnibus eſt commune: ſcriptum

vero

vero priuatum ἴδιον ſuum & proprium. Et non ſcriptum quidẽ rurſus partitur, quod vel ſit æquum & bonum ἐπιεικὲς, vel ex virtutis excellentia, vt gratitudo, pietas in parentes, &c. Sic & νόμον partim ait eſſe ſcriptum & proprium ἴδιον: partim non ſcriptum & communem, quod idem infra *libro octauo, & libro ſexto Polit* & Plato *de legibus*. Nam νόμος vocabulum eſt ambiguum, interdum tam late patet, quam iuris vocabulum, vt in hac legis diuiſione: interdum anguſtius de ſcripta duntaxat lege dicitur, quæ notio eſt vſitatior & popularior, teſtę Cicerone *libro primo de legibus*, quemadmodum & de *Politici* vocabulo ſupra diximus. Cicero *in Topic.* ius partitur natura & inſtituto; Naturæ duas facit partes, Tuitionem & Vltionem: Inſtituti tres partes affert, legem, æquitatem, (cuius rurſus tres facit partes, pietatem in ſuperos, ſanctitatem in manes ſeu inferos, & iuſtitiam aduerſus homines) & morem. Et hæc quidem *in Topicis*. At *in partitionibus* Ius aliud natura, aliud lege eſſe ait, & vtrumque membrum partim diuinum, vt relligio, partim humanum, vt eſt æquitas, quæ vel in æquo & bono, vel in referenda gratia tam in bonam quam malam partem, conſiſtit: Alterum tamen membrum ſeparatim diuidit, nam legem eſſe vel ſcriptam, vel non ſcriptam. Scriptam vel eſſe publicam vel priuatam. Publicæ partes ſunt Senatuſconſulta, edicta magiſtratuum, leges, fœdera, &c. Priuatæ partes ſunt teſtamenta, & contractus. Non ſcriptę partes facit morem & ius gentium. *In libro primo vet. Rhetorices* ius ait eſſe vel natura, vel ex vtilitate. Naturæ partes facit religionem, pietatem, gratiam, obſeruantiam, vindictam: Sub vtilitate omnia publica & priuata iura complectitur. Ad ſummam eo fere hæc omnia recidunt, vt ius aliud ſit natura, aliud ſit hominum inſtituto, id eſt, aliud naturale, aliud ciuile. Sit & tertium, quod ſacrum dicatur, quod & Auſonius eleganter *in Idyllio decimo quinto* inquit:

Ius triplex, tabula quod ter ſanxere quaterna.

Id eſt, XII. Tabularum ius, ſacrum, priuatum, & populi commune quod iuſtum eſt. Iureconſulti autem ius partiuntur in publicum & priuatum, & hoc rurſus in naturale, gentium & ciuile, non tamen Philoſophorum ſententiæ congruentem. nam etiamſi beſtiis commune ius naturale volunt

eſſe Iureconſulti, quod negant Philoſophi *initio lib. 1. Polit.* & infra *lib. 8.* & Cic. *in offic.* cæterarum quidem virtutum vmbras in beſtiis reperiri ait, iuſtitiæ non item, propterea quod abſq; ſocietate nulla intelligatur iuſtititia, ſocietas nulla abſque ratione & oratione, &c.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Ὄντων δὲ τῶν δικαίων.] Ne hoc quidem caput à priore diuelli debuit. nam quod modo ὕστερον ἐπισκεπτέον, intelligendum non de libris Politicorum, in quibus nihil eiuſmodi repetitur, ſed de hoc noſtro capite, in quo diligenter explicatur, iuſte & iniuſte factorum differentia. Quæ ſumma poteſt eſſe huius capitis, quod enim ſupra *cap. 6.* attigit, hic accuratius explicat de factis iuſtis & iniuſtis, propter quæ iuſtus quis vere aut iniuſtus dici debeat. Item de facientibus quoque. Allata accuratiſſima factorum partitione, cum ratione eius quod ſponte, & quod inuite, tum ratione eius, quod conſilio vel temere.

ἀδικεῖ μὲν καὶ δικαιοπραγεῖ.] Quæ iuſta ſint, & quæ iniuſta, inquit, perſpici poteſt ex iis, quæ adhuc ſunt explicata, de proportione & talione, de iure patrio, &c. de natura & lege: Nunc de facientibus, qui iuſti & iniuſti, & de factis, quæ iuſta & iniuſta ſint dicenda, quæ non: Nam poteſt quidem eſſe iuſtum, vbi tamen nulla ſit iniuria ſeu iniuſte factum: poteſt eſſe iniuria, iniuſte factum: vbi tamen faciens non ſit iniuſtus. Et de hac re agit Ariſtoteles & *lib. 1. Rhet. in fin.* Huc quoque pertinent, quæ ſupra *lib. 1.* de ſponte & inuite factis, & de conſilio ſunt explicata. Ex quibus omnibus tanquam fontibus manant Iuriſconſultorum diſputationes grauiſſimæ, de caſu fortuito, vt incendio, ruina, inundationibus, culpa, diligentia, cuſtodia, de vi & metu, de ira, ebrietate, & id genus aliis negotiorum attributionibus ſeu euentibus, de quibus *in l. contractus, ff. de reg iur. in l. quod Nerua, depoſiti, l. aut facta, de pœnis l. ſi aut certo, ff. commodati.*

ὅταν ἑκών τις αὐτὰ.] Primum de iuſte & iniuſte facientibus, eos iuſte & iniuſte facere, qui ſponte, qui autem non ſponte fecerint, eos iuſte aut iniuſte non facere, niſi ex euentu ſeu per accidens. nam qui iniuſtum quid facit inuite, facit ille

qui-

Digitized by Google

quidem iniuſte, non proprie tamen, ſed ex euentu, quia vt quod fecit, ſit iniuſtum, accidit illi, id eſt, non tam ratione facientis, quam rei ipſius eſt iniuſtum, verbi gratia Parricidium iniuſtum eſt, ab ignorante tamen aut furioſo factum, proprie iniuſte factum dici non debet, ſed per accidens, quia ſcilicet ipſum per ſe parricidium ſit iniuſtum, non ratione facti aut facientis. Et hoc eſt, quod ait, εἷς γὰρ συμβέβηκε.

ἀδίκημα δὲ καὶ δικαιοπράγημα.] Quod de facientibus, idem de iuſte & iniuſte factis, ea definiri τῷ ἑκουσίῳ & τῷ ἀκουσίῳ, id eſt, eo quod ſponte, & eo quod inuite ſcilicet fit, nempe ea vere dicenda eſſe iuſte & iniuſte facta, quæ ſponte, non quæ inuite fiant. Confirmat ex eo, quod ſponte facta demum vituperari ſoleant aut laudati; de quo ſupra *initio libri* 3. vbi explicauimus ea, quæ ſponte fiant, laudari aut vituperari duntaxat. Quare vt in aliis, ita & in his iuſte & iniuſte factis magnam vim habet id quod ſponte, & id quod inuite: adeo quidem, vt id demum iniuſte factum vocetur, ſi ſponte fiat: Et hoc eſt quod ait, ἅμα δὲ καὶ ἀδίκημα, &c. niſi enim erit voluntarium, non erit ἀδίκημα, quantumuis alioqui iniuſtum, vt de parricidio modo diximus. Ex quo & hoc perſpicitur, reperiri quædam iniuſta, quæ tamen non ſint iniuſte facta. Et hoc eſt, quod ait, ὥστε ἄδικον τι ἔσται μὲν. quod vtiliſſimum eſt præceptum ad pœnas & multas moderandas, adeo vt ſi duo idem crimen admiſerint, alter ſponte, alter inuite, hic ſit dimittendus, alter puniendus.

λέγω δὲ ἑκούσιον.] Quia magna vis poſita eſt in eo, quod ſponte, & in eo quod inuite: de his quæ ſupra *libro tertio*, hic breuiter exponit, eaque mox ad ipſa iuſte & iniuſte facta accommodat, & prius quidem quod ſponte, id eſſe ait, quod cum in ſua ſit poteſtate, ſciens prudenſque quis fecerit, verbi gratia, ſi quem qua re, quo modo, quamobrem non ignoret, percuſſerit; Et hoc amplius neque caſu, aut vi & metu coactus. nam alioqui non eſſet in eius poteſtate: quæ enim fortuita aut neceſſaria, non ſunt in nobis, fortuna plane eſt extra: vis quoque & metus liberæ poteſtati ſunt contraria. Itaque ad id quod ſponte, duo ſunt neceſſaria, ſcientia, & vt ſit in nobis [id eſt, in noſtra poteſtate, ſeu libero arbitrio] qua poſteriore particula fortuna & vis excluduntur, alterutrum ſi abſit, non eſt voluntarium. nam

Digitized by Google

ſi quem ſciam eſſe patrem, percuſſero, metu tamen aut vi ſubactus: contra vero ſi à nemine quidem coactus, tamen patrem eum eſſe ignorem, percuſſio non erit voluntaria. Eadem eſt ratio aliarum attributionum, quamobrem, quo fine, ad quem ſcopum, quo modo, qua re ſeu organo, de quibus *ſupra lib.3.* copioſe. Ad facta vero voluntaria, ſcientia & libertas arbitrii requiruntur. Sic eiecto telo aliquem ſi interfecero, caſus eſt fortuitus.

τὸ δὲ ἀγνοούμενον.] Hic de eo quod inuite, quod pro contrariorum ratione, de priore cognoſcitur, eſſe id quod vel ab inſciente fiat, vel quod in poteſtate facientis non ſit poſitum, puta, fortuitum, vel quod vi fiat. Et hoc eſt, quod ait *μὴ ἐπ' αὐτῷ δὲ ὂν ἢ βίᾳ*, vbi non recte ſcholiaſtes Græcus pro *ἢ* ſcribendum putat *ἀλλὰ*, quaſi hoc dicat Ariſtotel. inuite factum eſt, quod non eſt in nobis, ſed quod vi adhibita ſit. Non recte inquam, nam & omnibus libris repugnat, & his verbis, *ἐπ' αὐτῷ δὲ ὂν* commode altera eius pars intelligi poteſt, fortuna, etſi ſtatim exprimitur altera de vi & metu. Cæterum quia varia ſunt ignorantiæ genera, de quibus ſupra diligenter explicatum eſt *libro tertio* (ſunt enim quæ ignorari non debeant, vnde eſt ignorantia iuris apud Iuriſconſultos, & ignorantia rerum per ſe honeſtarum apud Philoſophos: Eſt & ignorantia, cuius ipſi nos ſimus autores, vt in ebrietate, amore, iracundia, &c.) ea hoc loco commemoranda & diligenter ſunt repetenda, propterea quod ex his magna exiſtat iuſte & iniuſte factorum varietas. Ignorantiam iuris denique ruri admittunt Iuriſconſulti, quam tamen in ciuitate non admitterent. Sic ſeptem teſtes in teſtamentis conſtituendis adhiberi debent, ſi ruſticus duos tantum adhibeat, excuſatur ignorantia iuris.

πολλὰ γὰρ καὶ τῶν.] Ne quis miretur, quod modo dixerat, etiam à ſciente quædam inuite fieri, nempe quod in eius non ſint poteſtate, confirmat hoc ſimilitudine naturalium actionum & perpeſſionum; quæ & ipſæ ſcientibus nobis fiant, ſed tamen & inuitis, vt ſeneſcere, caneſcere, mori, cibum concoquere, &c. Nam hæc ſcientibus quidem nobis fiunt, ſunt tamen & *ἀκούσια*, ſiue vt loquitur Ariſtoteles, neque ſunt ex iis, quæ ſponte, propterea quod naturâ fiant, neq; etiam ex iis, quæ inuite, quod mirum videatur, cum inuitis ẽt nobis ea accidant, & quæ non ſponte, ea fiant inuite,

verum

Digitized by Google

verum dici poteſt proprie quidem ea nobis inuitis accidere, vt quæ à natura pendeant: quia tamen & nos aliquid adiuuamus (nam & mortem acceſſere, & retardare canos, famem reprimere poſſumus) ea re quodammodo & per accidens etiam in noſtra poteſtate dici poſſunt, & proinde non plane eſſe *ἀκούσια*.

ἔστι δὲ ὁμοίως.] Hic iam accommodat diſputationem de eo, quod ſponte & quod inuite ad ipſa iuſte & iniuſte facta, nimirum & in his locum habere euẽtum ſeu accidens. Summa eſt iſta; vt alia omnia facta, ita & iuſte & iniuſte facta, eo ꝙ ſponte diriguntur & æſtimantur: vt ſi ſponte fiant, proprie ita dici debeant; ſi non ſponte, non proprie, ſed ex euentu ſeu per accidens Rationem cur per accidens, *initio huius cap.* attulit Ariſtot. & ibi explicauimus. Exempla affert ipſe Ariſtot. de iniuſte facto vnum, alterum de iuſte facto ex euentu.

τῶν δὲ ἑκουσίων.] Prioris diuiſionis, qua facta in ea, quæ ſpõte, & ea quę inuite tribuimus, hic prius membrum *ὑποδιαιρέσει* quadam hoc amplius partitur: nam ea quæ ſponte, vel fieri conſulto, vel non conſulto ſeu temere. Omnia namque, quæ facimus, ſi ſponte ea vel cogitato, vel temere & impetu quodam facere ſolemus: Conſilio ſeu conſulto fiunt ea, quæ antegreſſa deliberatione ſeu cogitato fiunt: non conſulto ſeu abſque *προαιρέσει* ſunt ea, quæ nulla antegreſſa deliberatione, temere, impetu, & ardore quodam fiunt, vt Clodius Milonem conſulto aggreſſus eſt, quia cogitato & deliberato animo: Milo Clodium occidit non conſulto, ſed ex tempore arrepto animo ad ſe defendendum. Huius generis ſunt, quæ ira aut ſimili perturbatione fiunt: hæc non fiunt conſulto, fiunt tamen ſponte. Atque ad hunc modum & ſupra *libri 3. initio* explicatis eo quod ſponte, & eo quod inuite continuo de *προαιρέσει* explicat. Vſus autem tam huius *ὑποδιαιρέσεως*, quam prioris diuiſionis (cuius tamen vſum iam attulimus) infra perſpicietur.

τριῶν δὴ οὐσῶν βλαβῶν.] *βλάβη* ab aliis redditur noxa, à pleriſque damnum: rectius fortaſſe fraus, propterea quod damni vocabulum anguſtius eſſe videatur, vt quod ad rem familiarẽ duntaxat pertineat, & Græce dicitur *ζημία*, de quo ſup. *cap. 4.* *βλάβη* à hoc loco omnia complectatur incõmoda, quæ ab aliis inferuntur, damna rei familiaris, maledicta, ſtupra, vulnera, mortes, quam late apud veteres, & in primis apud Cicer.

frau-

fraudis patet vocabulum. Eſt enim ambiguũ: nam & pro dolo, quod vulgo eſt notum, & idem q́ βλάβη hoc loco, interdum valet; poſſit & incommodum reddi. nam & Cic. *in lib. de fin.* βλάμματα reddit incommoda, vt ὠφελήματα commoda. cæteroqui & apud Græcos βλάβης & βλάμματος vocabula anguſtius plærumque de re familiari dicuntur, vt apud Demoſth. *in Mydiam*, vbi leges affert περὶ τῆς βλάβης, & accommodate ad hunc locum ſcrib t: ſi βλάβη eſſet ſponte facta, pœnam fuiſſe dupli, ſi inuite, ſimpli. Nunc ad rem: Ariſtoteles igitur cum videret tria eſſe vulgo vſitata vocabula fraudum, nempe quibus alius lædatur ab alio; vt diſputatio ſua prior (quod diligenter in his libris ſeruat) moribus congruat, oſtendit, quemadmodum hæc vulgo vſitata fraudum vocabula ad priores partitiones accommodari poſſint, & prius quidem de eo quod inuite, cuius quia duæ ſunt partes, ignorantia & non eſſe in poteſtate; hinc duo quoq; fraudum vocabula exiſtunt. Poſterius de eo quod ſponte, quod ipſum quia vel fit conſulto, vel temere: hinc quoq; duo videbantur exiſtere debere fraudum vocabula. vnum tamen duntaxat affert, propterea quod diſputatio de proæreſi, non tam vulgo & magiſtratui, quam philoſopho ſit nota. Satis eſt magiſtratui, ſi quid ſponte & voluntate fiat: animum hominis, & an qui fecit, ſit probus, an improbus, non ita ſcrutatur teſte Ariſtot. *lib. 8. Magn.* quare vno communi nomine ea quæ vel conſulto, vel non conſulto fiunt, quia omnia ſponte, ἀδικήματα recte dicuntur. De his tribus fraudum generibus Ariſtot. eodem modo agit, ſed breuius *lib. 1. Rhet. in fi.* Cic *lib. 1. Offic.* duo duntaxat fraudum genera, eaq; longe alia commemorat, quorũ alterum vi, alterum dolo. Verum ea Ciceronis diſtinctio nõ tam principia, quam modum actionũ attingit.

ὅταν μὲν οὖν παραλόγως.] Diximus ex eo quod inuite, duo manare fraudum genera, alterũ propter imprudentiam, alterum quia non ſit in poteſtate. Hæc duo hic explicat Ariſt. & de poteſtate quidem prius: Ait igitur ſi quid fiat παραλόγως, id eſſe ἀτύχημα, infortuniũ Latine dicere poſſumus, ſeu potius duobus verbis, fraudem fortuitam. Nam infortunii verbum cum apud Cic. non reperitur; tum nõ tam factum fortuitum, quod valet ἀτύχημα, quam calamitatem aut aduerſam fortunam ἀτυχίαν ſeu ἀτυχὶς valet. Infortunium igitur ea eſt fraus, quæ παραλόγως infertur, id eſt, præter communem hominum opinionem,

Digitized by Google

nionem,& contra rationem quodammodo. nam fortuna rationi eſt inimica, inquit Ariſtoteles *lib. II. Phyſica*, verbi gratia, ſi tecto quis decidens prætereuntem ſuo caſu forte opprimat, eſt fraus fortuita. Si venator feram perſequens, hominem in vepreto delitеſcentem pro fera interfecerit, ſeu traiecerit, vbi plane res non eſt in nobis, ſed extra nos ἀτυχήματα dicuntur.

ὅταν δὲ μὴ παραλόγως.] Alterum fraudis ſeu noxæ genus, ἁμάρτημα Græci, peccatum & erratum vocant Latini. Hoc igitur ait eſſe fraudem eam, quæ non ſit illa quidem παραλόγως,nec opinato, ſed fit abſque malitia tamen, fit non animo nocendi. Exempla affert Ariſtoteles paulo ſupra. ὅταν μήτε ὃν, μήτε ὃ,&c. vbi factum quidem non in fortuna, ſed in ipſo eſt poſitum , per imprudentiam tamen potius admittitur, quam malitiam, quod multis modis accidere poteſt, ignorando quem quo modo, qua re ſeu organo, & cuius rei cauſa, verbi gratia, ſi quis alterum lædat aut vulneret, vel pungere duntaxat excitandi cauſa voluerit, aut cum alio gladiis ſe exercens,illum imprudenter læſerit. Quod genus, quia vt dixi, multimodis accidit, ea re plærique eo confugere ſolent excuſantes errorem, imprudentiam,&c. qua de re apud Rhetores.

ἁμαρτάνει μὲν γδ.] Planius hic differentiam inter hæc duo fraudum genera exponit. nam peccatum eſſe tum , cum in ipſo peccante fraudis aut noxæ principium aut cauſa fuerit: infortuitum vero vbi principium totum fuerit extra, neque in facientis poteſtate. Atq; hac quoq; ratione ille peccare dicitur, vt in quo aliquid ſit ſitũ, & qui non facere potuerat: hic non item, vt in quo nihil ſit poſitum, nulla prorſus ſit culpa.

ὅταν δὲ εἰδὼς.] Adhuc de fraudibus eius, quod inuite; nunc de eo quod ſponte : quod quia bipartitum fecimus, vnũ conſulto,alterum temere. Ariſtot.omnia quidem quæ ſponte & à ſciente fiunt, ſiue conſulto ſiue inconſulto, oſtendit eſſe quidem illa iniuſte facta, in hoc conuenire omnia:diſcrepare tamen, quod ex conſulto factis faciens ipſe iniuſtus & improbus, ex alteris nõ item eſſe dicatur. Et hic eſt vſus huius ὑποδιαιρέσεως, qua cognoſcamus, quis vere iuſtus aut iniuſtus ſit dicendus,quis non. Primum igitur de iis, quæ non conſulto, licet ſponte & à ſciente & prudente fiant : Eſſe quidem illa vere ἀδικήματα ſeu iniuſte facta, eumque qui ea faciat facere

iniuſte,

iniuſte, non tamen iniuſtum propterea aut improbum eſſe. Ratio eſt hæc, quia non malitioſe aut nocẽdi ſtudio ea faciat; exemplo ſit ira, & aliæ perturbationes neceſſariæ & naturales, natura nobis inſitæ, amor, libido, cupiditas, &c. vt ſi quis philtro præſtito amoris cauſa amantem interficiat, ex his vtique perturbationibus perſpicuum fit, quædam etiam ſponte & à ſciente peccari, nõ tamen nocendi ſtudio & malitioſe. Et hac ratione ita qui peccat, improbus aut iniuſtus dici nequit, vt iratum, qui alteri nocuerit, nemo iniuſtum aut improbum dixerit, eo quod non de induſtria, ſed animi commotione id fecerit. Quare eleganter vetus poeta ira factum ab eo quod conſulto, diſtinxit, hoc ſenario. τὰ ἐκ θυμοῦ, &c. vbi ἐκ προνοίας idem valet, quod ἐκ προαιρέσεως, vt apud Demoſth. *in Mydiam*; *Leges*, inquit, *morte & perpetuo exilio puniunt eum, qui hominẽ occiderit* ἐκ προνοίας: *qui vero* ἀκουσίως *inuite, eum venia dignũ iudicant.* Quo loco quod ἐκ προνοίας, idem paulo poſt dicit, ἐκ προαιρέσεως, quibus contrarium facit ἀκουσίως, quod idem facit Ariſtot. *lib. 4. Polit. in fin.* nam ſubtilis hæc Philoſophi diſtinctio inter ἑκούσιον & προαίρετον, non obſeruatur plærunque à plebe & oratoribus: nam vocant hi omnia etiam, quæ προαιρέσει fiunt ἑκούσια & contraria ἀκούσια. Quo confirmatur explanatio illa noſtra ſuperior, vbi rationem attulimus, cur vno nomine tam ea quæ conſulto, quam quæ non, id eſt, omnia ἑκούσια dicantur ἀδικήματα.

οὐ γὰρ ἄρχει.] Duo affert argumenta, quibus oſtendat iratum non agere conſulto. Prius eſt, quia iratus non incipiat, non prior lædat, ſed is potius, qui iraſcendi cauſam illi dedit. Formula:

Qui conſulto nocet, is prior & vltro nocet, etiam non violatus.

At iratus non nocet, niſi laceſſitus.

Ergo non conſulto.

ἔτι δὲ οὐδὲ περὶ.] Alterum argumentum, quia fraude ab irato facta, non de facto, ſed de iure quæſtio eſſe ſolet. Formula:

Quæ conſulto, in his non de iure, ſed de facto quæritur.

At in his, quæ per iram, contra ſe res habet, id eſt, *non de facto, ſed de iure quæritur.*

Ergo ea quæ per iram, non fiunt conſulto.

De iure & de facto quærere verba ſunt Rhetorum, quibus & Iuriſconſ. vtuntur, apud quos crebra eſt mentio quæſtionum

num

Digitized by Google

num iuris & facti. *l 1. ff. ad Vlpianum*. Cic. *in Miloniana facti*, inquit, *quæſtio eſt in eculeo*, *iuris in iudicio*. Facti quæſtio eſt, cum de ipſo facto dubitatur, vt apud Cic. *pro Roſcio Amerino*, an Roſcius parentem occiderit. Et *pro Cæcinna*, an Cæcinna de fundo ſuo ſit deiectus. Iuris eſt quæſtio poſterior, nēpe vbi de facto iam conſtat, vt *in Miloniana*, an Clodium Milo iure occiderit. Nunc ad rem. Propoſitio eſt perſpicua. nam qui cogitato & malitioſe alicui nocet, ſcit profecto iniuriam ſe facere, ſeu, vt inquit Ariſt. ὁ δὲ ἐπιβουλεύσας. Sic enim hæc verba accipi debent, & accommodanda etiam ſunt. nam qui hoc agit, vt inſidioſe aliquem occidat, vt cogitatam necem alicui offerat, is profecto excuſare ſe non poterit. Iuris aut iniuriæ quæſtione, ſi de eius conſilio & cogitatione conſtet: itaq; factum occidiſſe ſe negare ſolet. At iratus (quæ erat aſſumptio) contra factum quidem non diſſimulat, fatetur, inquit Ariſt. factum, ſed iure ſe feciſſe defendit. Rationem adiungit hanc; ita namq; eſt ob iniuriam φαινομένην, quæ eſt, quaſi definitio iræ? nam vt ait Cic. *lib. 4. Tuſcul.* Stoicos imitatus (quo modo & Ariſtot. fere *lib. 2. Rhet.*) ira nihil eſt aliud, quam libido puniendi eius, qui videatur læſiſſe iniuria.

οὐ γὰρ ὥσπερ ἐν.] Quod dictum in iis, quæ per iram, quæri de iure, non de facto, id à diſſimili contractuum exemplo explanat hoc loco. Nam aliter, inquit, ſe res habet in contractibus (verbum συναλλάγματος enim anguſtius hic accipitur quam ſupra) ſeu inter contrahentes non de iure, ſed de facto potiſſimum quæri ſolet, an geſtus ſit & celebratus contractus, an pecunia ſoluta nec ne: quam ſibi ſolutam negat creditor, aut debitor, cum inquam ſe vendidiſſe equum ait venditor, negat emptor; quæ quia abſque nocendi ſtudio & ab æquitate diſcedendi non fiunt (alter enim contrahentium negat, quod alter ait fraudandi cauſa) ea re prudenter ait Ariſtoteles, abeſſe non poſſe, quin contrahentium alter ſit improbus, niſi ſi obliuione id fiat, vt ſi creditor ſolutionis ſibi à debitore factæ immemor, vt interdum fit, eam plane ſibi factam eſſe neget, hic vtique, vt cui non aſſit nocendi ſtudium, improbus dici nequit. Cæterum quod ait Ariſtot. in contractibus de facto duntaxat quæri, id non ita accipiendum eſt, quaſi nullæ iuris quæſtiones de contractibus exiſtant, quas conſtat eſſe innumerabiles: & in quibus tanquam in materia ſua verſetur Iuriſconſultus (quæſtiones contractuum materia Iuriſconſ.)

ſed ita

ſed ita potius, quod inter ipſos contrahentes de facto potius ambigatur: primum, an ſit factũ, deinde an hoc vel illo modo, ex quibus facti attributionibus ſeu varietatibus poſtea iuris quæſtiones exiſtunt. *l ſi ex plagis. §. in diuo. ff. ad l. Aquiliam.* Et Cic. *in Topic.* quæſtio facti eſt oratorum; iuris Iuriſconſultorum.

ὥστε ὁ μὲν οἴεται.] Obſcurior eſt verſiculus, cuius tamen hanc puto eſſe ſententiam: dixerat modo, eos, quorum alter per iram læſerit alterum, de facto conſentientes ὁμολογοῦντες, de iure tantum inter ſe diſſentire, poſt ea interiicit Ariſtot. (quod illi eſt viitatum) ὁ δὲ ἐπιβουλεύσας, id eſt, at enim qui inſidiatus id eſt, inſidioſe ſeu conſulto nocet, non ignorat ſe iniuriam facere alii, quam interiectionem ſupra explicauimus, & ſuo loco accõmodauimus. Mox redit ad iratum & ab eo cæſum, & ait ὥστε ὁ μὲν, &c. Itaque, inquit, alter quidem, nempe læſus iniuriam ſe accepiſſe ait, alter nempe iratus negat, quia ab illo ante ſit læſus: nihil enim aliud hoc loco dicit Ariſtoteles, quam eos non de facto, ſed de iure inter ſe cõtendere. Dominus Muretus hanc clauſulam vt ſpuriam Latine nõ reddidit, quod mihi non probatur, cum quia libris omnib repugnat, tum quia huius clauſulæ non incommoda ſit ſentẽtia, quam expoſui, & quo modo ſit accommodanda.

ἂν δὲ ἐκ προαιρέσεως.] Diximus iniuſte facta partim fieri conſulto, alia non item. De his explicato; nunc de illis; quorum hanc vim eſſe ait Ariſtot. & proprietatem, vt ex his ſolis iniuſtus quis dicatur, & vere ſit, nempe ſi vel à proportione (quo pertinet ius in tribuendo) vel ab æqualitate (quo iús emendationis) diſceſſerit. Ad eundem modum & iuſtus demum is dicitur, qui iuſte fecerit conſulto: nam iuſte facere etiam non conſulto quis poteſt, modo ſciens. Ad ſummam, facta ipſa tam iuſta quam iniuſta, ſolo eo quod ſponte, ſeu ſola ſcientia æſtimantur: autores vero vt iuſti vel iniuſti ſint, hoc amplius præter ſcientiam neceſſaria quoque eſt προαίρεσις: quod idem in omnibus virtutibus & vitiis oſtendimus ſupra *lib. 2. cap. 4.* videantur & quæ ſupra *cap. 6.* initio.

τῶν δὲ ἀκουσίων.] Tota fere diſputatio de ſcientia & προαιρέσει eo pertinet, vt videamus, quæ fraudes aliæ aliis magis ſint puniendæ, quæ minus. Itaq; Ariſtot extremo cap. diſtinctione adhibita id explicat. Ait igitur fraudes eas, quæ non ſponte, partim mereri veniam, partim non item. nam ex ſuperioribus

Digitized by Google

tibus conſtat iniuſte facta omnia, vel ſponte fieri, vel inuite: de iis quæ ſponte, certum eſt ea vix mereri veniam; de iis quæ inuite, quæ ἁμαρτήματα ſeu peccata diximus vocari, diſtinguit nempe ea demum veniam mereri, quæ per imprudentiam fiunt, quæ vero non per imprudentiam, licet ab imprudentibus, non item. Furioſus facit per imprudentiam, ebrius imprudens, qua de re diximus *ſupra lib. 3. cap. 1.* Aliis id verbis expreſſit Ariſtot. *in Magn. Imprudentia*, inquit, *cuius ipſi nō ſimus autores, excuſat & veniam meretur: alia nō item, vt fit in ębrio.* Recte autem hanc diſtinctionem ab imprudentia petit Ariſtot. eo quod de peccatis ſeu inuite factis agit, quæ inſcientia ſeu imprudentia definiri diximus. Nam inuite facta fiunt, vel per ignorantiam, vel per vim.

Διὰ πάθος δὲ, μήτε.] πάθος naturale vocat, inquit ſcholiaſtes Græcus, potus & cibi cupiditatem: humanum, voluptatem, dolorem, miſericordiam. non recte, nam naturalia & humana Pathe ſunt eadem: quæ enim ſupra paulo pathe neceſſaria & naturalia, & quæ hominibus accidant, eadem hic humana & naturalia vocat. Eadem igitur ſunt pathæ naturalia, neceſſaria, humana, homini accidentia, vt ira, dolor, voluptas, amor, &c. ſic Cicero pathe perturbationem vocat more ſtoicorum: Varro pathe; ſcit enim eſſe conueniens Latinum verbum. De his autem id hoc loco ſignificat Ariſtot. veniam ea mereri, vtpote quæ licet à ſcientibus, non malitioſe tamen & male deliberato animo, vt paulo ſupra dixit. Qui locus diligenter eſt notandus, nam & Iuriſconſulti iram & ſimiles animi impetus excuſare ſolent aliquatenus. *l. aut facta. ff. de pœnis, l. quicquid. ff. de reg. iuris.* Sed hac de re & ſupra *lib. 3. cap. 1.* Notandum & hoc, ea quæ per pathe fiunt, hic ab Ariſtot. numerari inter ἀκούσια, cum tamen modo ſupra inter ἑκούσια, & certe à ſcientibus accidant. Dicere poſſumus cum ſcholiaſte Græco verbum ἀκούσια latius interdum patere & complecti etiam ἀπροαίρετα, quod paulo ſupra nos oratoribus vſitatum eſſe oſtendimus. Pathe igitur proprie quidem ſunt ἑκούσια, quia cum ſcientia: improprie tamen latius ſunt & ἀκούσια, quia ἀπροαίρετα abſq; malitia.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ἀπορήσειε δ᾽ ἄν τις.] Duo huius capitis membra faciamus:

quorum priore ex poſitis quinque quęſtionibus explicentur quatuor, & quidem duę potiſſimum. Poſteriore refellitur vulgi opinio exiſtimantis, iuſtitiam & iuſtum rem eſſe facilem, noſtrique arbitrii; extremo capite eſt & *ἐπίμετρον* quoddam ſatis alienum.

πρῶτον μὲν εἰ ἐστὶν.] Primæ quæſtionis occaſionem arripitex Euripidis *in Bellerophonte* dicto à communi hominum opinione abhorrente, vbi parricidium excuſans ſeu commemorans; *filius matrem*, inquit, *perenni, verbulo vt dicam, meam, ſponte & ſua & mea, aut ſua, ſed non mea: vel volens volentem, ſeu volentem non volens.* Repugnat enim ſenſui communi, eſt *παράδοξον* & *ἄτοπον* dicere, ſeu ſponte & voluntate aliquam eſſe peremptam, nemo mortem appetit, vbi nulla vrget neceſſitas aut calamitas. Fruſtra igitur hic laborant interpretes, in explicanda Euripidis verborum abſurditate.

πότερον γὰρ ὡς.] Hic demum quæſtionem primam exponit; an ſponte quis accipiat iniuriam, an volenti fiat iniuria, vt Iuriſconſulti loquuntur, vt ſi volens quis veneat, & ſeruus fiat, *l. 1. § vſq; adeo. ff. de iniuriis.* ſi cui furtum fiat volenti. *l. inter omnes §. penult. de furtis.* Si volens fœmina rapiatur, *l. 1. in fi. C. de raptu virginum.* Si conſenſum creditorum à debitore, alioqui etiam non ſoluendo, quis aliquid emat. *l. nemo ff. de diuerſis reg. iur.* Sic minus ſi quis accipiat, quam ſibi debeatur, idq; æquo animo ferat, & reliquum debitori remittat, acceptum ferat, quæritur, an iniuriam accipiat. Sic apud Theologos conuicia, verbera & id genus alias iniurias ſi quis patienter ferat, quæri poteſt, an accipiat iniuriam? Late igitur patet hæc quæſtio, & ad vitam communem eſt perutilis. Ariſtot. eam *in Magnis* planius, hic obſcure, admixtis aliis quæſtiunculis, explicat, rectæ tamen rationi & Iuriſc. congruentem. Quærit igitur primum, an iniuriam accipere ſit *ἑκούσιον*, an vero *ἀκούσιον*. Deinde vtrumcunque tandem ſit, an ſit totum, an ex parte, ſiue *ἑκούσιον* ſiue *ἀκούσιον*. Idem quærit de iure accipiendo, an ius ſuum accipere, ſeu ius ſuum obtinere potius (*δικαιοῦσθαι* vocant Græci) ſit *ἑκούσιον*, an *ἀκούσιον*, & vtrumcunque & hoc ſit, an totum, an ex parte, & primum quidem iniuriam accipere eſſe *ἀκούσιον* non explicat ſtatim: totũ ne ſit, an ex parte, de eo videri eſſe ait totum, quia eius contrarium ſit totum, id eſt, quia iniuriam facere totum eſt *ἀκούσιον* (de

quo

Digitized by Google

quo priore capite.) Ergo & iniuriam accipere, eſt totum, ſiue ἑκούσιον, ſiue ἀκούσιον.

καὶ ἄρα ἅπαν.] Id eſt, quia ἀδικεῖν totum eſt ἑκούσιον, erit & ἀδικεῖσθαι totum ſiue ſit, ſiue aliter, ſiue ἑκούσιον ſiue ἀκούσιον.

ὁμοίως δὲ καὶ.] Ad eundem modum ius obtinere, totum videtur, ſiue ἑκούσιον, ſiue ἀκούσιον, quia eius contrarium ſeu relatum, ius reddere ſeu facere, totum eſt, nempe ἑκούσιον.

ὡς εὔλογον.] Id eſt, cum eadem ſit contrariorum ratio: certe rationi eſt conſentaneum, vt quemadmodum ſe habet ἀδικεῖν; ita & ſe habeat ἀδικεῖσθαι & vt δικαιοπραγεῖν ſeu δικαιοῦν, ita & δικαιοῦσθαι.

ἄτοπον δ' ἂν δόξειε.] Adhuc quæſtiones duntaxat propoſuit, hic explicat, & prius de δικαιοῦσθαι: deinde de ἀδικεῖσθαι. Quid ſit δικαίωμα & δικαιοῦσθαι, ſupra explicauimus. nam δικαιοῦσθαι is dicitur, qui quod ſuum eſt aſſequitur, quod ſibi debetur, id eſt, ius ſuum obtinet, ſiue bonũ ſiue malum authoritate iudicis vel arbitri. nam apud hos plærunque locum habet δικαίωμα & δικαιοῦσθαι: poteſt tamen & apud priuatos locum habere, ſi ſua ſponte quis alteri ſuum ius, & quod illi debetur, tribuit. Ait igitur Ariſtoteles δικαιοῦσθαι partim eſſe ἑκούσιον, partim ἀκούσιον, id eſt, ius obtinere quemque ſuum, nunc volentem, nunc inuitum. Abſurdum, inquit, ſit, dicere, totum eſſe ἑκούσιον: nam multos videas δικαιοῦσθαι inuitos, qui ius obtineant inuiti, vt in malis, qui punitur δικαιοῦται, ſed inuitus; qui minus accipit quam ſibi debeatur, à iudice, δικαιοῦται ratione iudicis, non tamen ita volens, vt qui malit amplius & totum. Etſi igitur δικαιοπραγεῖν totum eſt ἑκούσιον, vt priore capite explicauimus; δικαιοῦσθαι tamen totũ non eſt ἑκούσιον: vt quia reperiantur, qui ius quidẽ obtineãt, ſed inuiti.

ἐπεὶ καὶ τόγε.] Tertiam hic quæſtionem interiicit etiam de accipienda iniuria, de qua totum fere eſt caput, vt priora ſunt de faciunda: an qui iniuſte quid patitur, patiatur & iniuriam omnis. Quo verbo poſtremo hæc quæſtio prioribus eſt accommodanda, quod neque alii, neque ſcholiaſtes Græcus vidit: nam vt in prioribus quæſitum fuit de toto ſeu omni, ita & hic, an omnis iniuriam accipiat, cuicunque iniuſtum aliquid fiat. Quæſtionem hanc Ariſtoteles diſſoluit comparatione actionis & perpeſſionis, & quidem accommodate: nam iuſtitiæ, quæ vt minimũ inter duos ſemper eſt, hæc duo tanquam extrema ſemper conſideranda ſunt; facit alter ius, obtinet

alter : alter facit iniuriam, accipit alter, & hæc quidem de Methodo. Eſt autem hæc quæſtio vtiliſſima & ex qua & priores duæ ſunt intelligendæ. Etſi de hac, id eſt, de verbo ἀδικεῖσθαι iam ſupra ſatis videbatur explicatum *cap. 8. initio*, concluſione vtitur iſta : Quæ actionis, eadem & perpeſſionis eſt ratio. Ergo vt per accidens iuſta & iniuſta quis facere poteſt, ita & perpeti. De faciendo dictum eſt ſupra *initio cap. 8.* hic de perpetiendo. Diximus namque ſupra res iuſtas & iniuſtas per accidens quem facere, qui eas non ſua voluntate, ſed coactus faciat : per ſe vero, quando ſua ſponte. Et hoc quidem in rebus iniuſtis ἀδικεῖν, illud ἄδικα πράττειν Græci dicunt: Latini illud rem iniuſtam facere, hoc iniuriam. Quare vt in actionibus, aliud eſt rem iniuſtam facere, aliud facere iniuriam : illud per accidens, hoc per ſe: ita & in perpeſſionibus aliud eſt ἄδικα πάσχειν, aliud ἀδικεῖσθαι, ſeu Latine, aliud iniuſtam rem perpeti, aliud iniuriam. Ex quibus perſpicuum eſt, poſſe quem iniuſtam rem perpeti, qui tamen nullam accipiat iniuriam, verbi gratia, adultera, rem iniuſtam perpetitur, iniuriam non item. Sic igitur dicamus, omnes qui iniuriam, & rem iniuſtam perpeti, ſed non contra, id eſt, non omnes qui rem iniuſtam, etiam iniuriam perpeti, quæ fuit quæſtio. Quod autem de re iniuſta & iniuria, idem de re iuſta & iure dici poteſt, quod de iniuria accipienda, idem de iure obtinendo, nam vt qui rem iuſtam obtineat, non ſtatim dicendus ſit ius obtinere, ſed qui hoc, illam dicendus ſit obtinere. Aliud eſt igitur vt δίκαια πράττειν rem iuſtam facere & δικαιοπραγεῖν ſeu δικαιοῦν ius facere ſeu reddere, quæ duo ſunt actionum propria : ita & aliud eſt δίκαια πάσχειν, rem obtinere iuſtam, & δικαιοῦσθαι ius ſuum obtinere. Coniungenda ſunt ſcilicet δίκαια πράττειν, & πάσχειν, & δικαιοπραγεῖν, ac δικαιοῦσθαι. Hinc diſcipuli non accipiebant iniuriam, quia triumpharunt cum perſequerentur à Saulo; iniuria enim fit nolenti. Iniuſta quidem eſt actio perſecutio.

ἀδύνατον γὰρ ἀδικείας.] Præclara eſt hæc clauſula, qua prioris de actione & perpeſſione comparationis, tanquam concluſio & confirmatio continetur. Nam, inquit, quod diximus, vt agere ita & perpeti, eſſe accipiendum, id veriſſimum eſt. neque enim vnquam iniuriæ poteſt eſſe perpeſſio, niſi & ſit illatio, & tanquam actio : & ſic niſi ſit actio, non erit perpeſſio. Fieri, inquit, non poteſt, vt iniuriam quis accipiat, vbi nemo

nemo eſt qui faciat: & rurſus, ius obtinere nemo poteſt dici, niſi ſi conſtituatur qui velut faciat & reddat. verbi gratia, ſi ignorans quis alium percutiat, percuſſus non accipit iniuriam, eo quod percuſſor non faciat, vtpote ignorans: iniuſtum tamen quid hic facit, & ille perpetitur. Itaque vt iniuria proprie accipi dicatur, inprimis ſpectandus eſt is qui fecerit, qui eã inferat, vt hoc loco dicitur, & iam explicauimus. Spectandus tamen & is erit, qui perferat, vt mox explicabimus: nam vt quis ſciens prudenſque alii noceat, etſi à ſua parte ad faciendam vere iniuriam, omnia perfecit, ſi tamen non nolenti noceat, proprie iniuria accepta dici nequit, quod volenti non fiat iniuria, de quo mox. Hinc quærunt Iuriſconſulti, an furtum faciat, qui rem alienam domino volenti (ꝙ tamen ipſe cum auferret, ignorabat) auferat. *l. inter omnes. §. penult. ff. de furt.* Hinc iniuria tanquam norma ſua definitur ſcilicet voluntario. Fieri non poteſt, vt accipiatur iniuria, vbi nemo eſt, qui eam fecerit, vt ſi furioſus occidat aliquem, non facit iniuriam, proinde interfectus non accipit iniuriam, ſed accipit rem iniuſtam. Sic & is qui fecit, fecit rem iniuſtam.

Quæri poteſt; an Chriſtus crucifixus acceperit iniuriam? Duo termini hic conſiderandi, agens & patiens, ſi alterutrum deſit, non erit iniuria: iniuria vt fiat nolenti neceſſe eſt. Iudæine volentes fecerunt? voluntas in ſciente eſt, qui ignorantia quid faciunt, in iis non vere poteſt dici voluntas, cum non fecerint voluntate & ignoranter, non fecerunt iniuriam. Aliter tamen de hac re diſputari poteſt, negatur, quod fuerit in Iudæis ignorantia. Non omnis ignorantia tollit voluntatem, ſed talis demum, cuius ipſi non ſimus autores.

εἰ δ' ἔστιν ἁπλῶς.] Confecta hac quæſtione de diſcrimine iniuriæ, & rei iniuſtæ, confecta & altera de iure obtinendo: redit ad primam; an volenti fiat iniuria? quam vno hoc argumento diſſoluit, non fieri inquam, quia omnis iniuria ſit malum quiddam & turpe, id quod *ſupra lib. 3.* eſt explicatum, vbi oſtendimus voluntatem eſſe extremi ſeu finis, id eſt, boni aut veri in viro bono, aut opinari in improbo & in incontinente. Hæc igitur vna eſt ratio, quam *in Magnis* apertius expreſſit, cur nemo ſponte iniuriam accipiat. Hoc autem loco non tam aperte: nam contradictiones potius refellit, ex quibus tamen eadem illa ratio elici optime poteſt.

Contradictiones autem ſunt duæ : affert namque duos qui ſponte iniuriam accipere videantur.

εἰ δ' ἐστὶν ἁπλῶς.] Hic de priore, nempe de incontinente, qui ſponte iniuriam accipere videatur, quod ſponte ſuá ſibi noceat. Formula, quam integram afferi Ariſtoteles, quod ratum eſt.

Qui ſponte nocet alii, is ei facit iniuriam.
At incontinens ſponte ſibi nocet.
Ergo & iniuriam ſibi facit.

Ex qua quidem concluſione non hoc tantum ſumatur, ſponte ſua quem iniuriam accipere, ſed iſtud præterea, ſibi ipſi quem facere poſſe iniuriam, quod ipſum non minus eſt controuerſum ; an ſibi ipſe quis iniuriam facere poſſit. Sed de hac quæſtione infra *cap. vlt.* Redit igitur ad rem propoſitam, & aſſumptionem etiam amplificat hoc eſt, incontinentem non tantum ſibi ipſum nocere ſua ſponte, ſed alios quoque ipſi libenti ἑκόντι nocere libenter. Quod quidem eſt perſpicuum, incontinentem & ſibi ipſi multa mala parere ſua ſponte, & non coactum, ſcientem & prudentem, & ab aliis quoque multa ipſi afferri mala & incommoda. Incontinens in potu ſibi ipſi multum nocet : in Venere, ab aliis multa accipit incommoda. Atque hæc quidem eſt contradictionis formula & expoſitio. Verum Ariſtoteles propoſitionem falſam eſſe oſtendit, qua dicitur is iniuriam facere, qui ſponte nocet alii. Quam quidem propoſitionem confirmarunt aduerſarii hac ratione, ꝙ iniuriam facere nihil ſit aliud, quam ſponte alii nocere. Hanc igitur iniuriæ faciendæ definitionem vitioſam eſſe oſtendit Ariſtoteles, neque ſatis plenam: nam addendum illi præterea, contra eius, cui nocetur, voluntatem. Hæc, inquit, plena eſt definitio τοῦ iniuriæ faciendæ, ſponte ſua nocere alii contra eius voluntatem. nam vt actio, ita & perpeſſio voluntate definitur. Quare is demum iniuriam accipere dicetur, cui repugnanti, nolenti & recuſanti quid fiat iniuſte, & hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, ἀδικεῖται δ' οὐδεὶς, &c. cuius hæc ſit formula :

Nemo ſponte iniuriam accipit.
Nemo enim vult.
Ergo nec incontinens.

Cur autem nemo velit iniuriam accipere, rationem diximus initio, quam hic tandem expreſſit Ariſtoteles, quia

nemo

nemo velit, niſi id quod ſit bonum. At iniuriam accipere, vt puniri, &c. eſt malum. Quare & de incontinente, ita eſt ſtatuendum, vt ne eum ipſum quidem, velle mala ea, in quæ tamen ſua ipſe ſponte ſe præcipitat: ſponte quidem mala ſuſcipit incontinens, i. e. ſciens prudenſque, ſed tamen contra voluntatem, id eſt, contra rectam rationem (cuius propria eſt voluntas) parens & victus propriis cupiditatibus: nam quæ ipſe mala eſſe arbitratur & iudicat, facit tamen, id eſt, voluntati rectæ & iudicio, victus cupiditatibus repugnat. Quare incontinens dicendus erit, rem quidem iniuſtam pati, ſed non iniuriam. Obſeruandum autem hoc loco, incontinentem etiam aduerſus voluntatem peccare, vtpote aduerſus rectam rationem, neque tamen ea re excuſandus eſt, quod licet contra voluntatem, ſponte tamen peccet, id eſt, ſciens prudenſque, neq; ab alio coactus. Nam voluntas ſemper id ſpectat, quod bonum, vel verum, vel opinatę.

ὁ δὲ τὰ αὑτοῦ.] Hic de altero, qui ſponte iniuriam accipere videatur, nempe ſi quis ſua ſponte alii rem ſuam largiatur. Hic namque iniuriam ſua ſponte accipere videtur, eo quod damnum ſentiat, & alteri tribuat lucrum. Quemadmodum apud Homerum *Iliad. ſexto.* Glaucus Diomedi hoſpiti veteri agnito arma ſua aurea dedit, receptis à Diomede æreis tantummodo. Reſpondet Ariſtoteles, nec hunc quidem accipere iniuriam, quia iniuriam accipere in aliena ſit poteſtate poſitum, ab alio nempe à faciente pendeat; dare autem ſeu largiri rem ſuam aliis in nobis ipſis ſit poſitum. Formula:

Iniuriam accipere non eſt in accipiente, ſed in faciente, vt in quo facti ſeu actionis eſt initium & cauſa.

Atqui dare eſt in accipiente.

Ergo dare non eſt accipere iniuriam.

Ergo qui alii largitur, non accipit ea re iniuriam.

ἔτι δὲ ὧν προειλόμεθα.] Ad alteram huius capitis inſigniorem quæſtionem accedit. Ait autem duo ſibi explicanda ſupereſſe, de iis quæ propoſuerat, nempe de facienda & accipienda iniuria. Prius eſt, an plus tribuens, an vero capiens faciat iniuriam. Alterum, an ſibi ipſe iniuriam quis facere poſſit. De priore ſi verum ſit tribuentem iniuriam facere, efficietur, & iniuriam quem ſibi ipſum facere, quod in altero quærebatur. verbi gratia; Duo ſunt ſocii, quorum

alter minorem ſibi partem tribuat, ſocio attributa maiore, ſua ipſe ſponte, hic ſi iniuriam facit, ſibi certe facit: Et proinde ſequitur, ſibiipſi quem facere poſſe iniuriam. Formula ſit iſta:

Si tribuens facit iniuriam.
Ergo ſibi ipſe quis facit iniuriam.

Verum de iniuria ſibi facienda nihil hic amplius. Hoc igitur exquirit; An tribuens faciat iniuriam, an vero accipiens plus iuſto. Tribuentium autem cum duo ſint genera, diſſimilis quoque eſt ratio & reſponſio. Nam vel duo priuati inter ſe partiuntur, vel iudex & arbiter inter alios duos. De priore genere ita ſtatuit Ariſtoteles tribuentem non facere iniuriam, duabus rationibus cum quia etſi minus accipere videtur, minorem ſibi tribuere partem, ſæpe tamen reuera minus non accipit: nam loco minoris partis aliud quid accipit interdum, vt gloriam aut ſimile quiddam, id eſt, laudem, gratiam, amicitiam, & vindictam. Multos namque reperias, qui in partiendo deteriorem ſibi partem quidem attribuant, vel oſtentationis & gloriæ cauſa, vt prædicentur tanquam homines faciles & liberales: vel vt amicos ſibi hac ratione parent, multa multis de iure ſuo decedentes concedunt, quos hic vocat Ariſtoteles *μετρίους* & *ἐλαττωτικούς*, quo verbo & infra vtitur *capite proximo:* nam vt *ἐλαττοῦσθαι* (quo verbo ſæpe vtitur Demoſthenes & alii veteres) dicuntur, qui deteriorem partem auferunt, cui contrarium eſt *πλεονεκτεῖν*: ita eleganter Græce *ἐλαττωτικοὶ* dicuntur, qui in partiendo non nimis ſibi ſtudeant, ſed facile aliis potiora concedant, & hanc rationem affert Ariſtoteles & *in Magn.* ex quo loco eam nos hic copioſius explicauimus. Præterea vt tribuens hac de cauſa non faciat, [ſcilicet gloriæ cauſa] tamen iniuriam non facit (quæ eſt altera ratio) quia ſua ſponte & voluntate partem deteriorem ſibi tribuit; Atque ex priore definitione conſtat, iniuriam non fieri, niſi contra eius, cui fiat, voluntatem. Quare ne quidem hac quoque ratione iniuriam facere videtur, ob priorem definitionem, neque accipere etiam: etſi negandum non eſt, rem iniuſtam accipere, non tamen iniuriam. Ex quibus perſpicuum eſt huius generis tribuentes iniuriam non facere, accipientes autem multo minus, vtpote qui nihil faciant, ſed patiantur potius, & quibus in ipſis non ſit poſitum, qua de re mox.

τῶ

ἢ τοῦ ἁπλῶς καλοῦ.] Vt laudem aut honorem.

φανερὸν δὲ καὶ ὅτι.] Hic de altero genere, id eſt, de iis, qui inter alios, aut etiam inter ſe & alium, quod tamen rarius accidit, rem partiuntur, & vni plus, alteri minus tribuunt: Quo in genere fere ſunt iudices & arbitri. Et hoc quidem in genere oſtendit, tribuentem iniuriam facere, accipientem non ſemper. Nam vt eleganter ait, non cui iniuſtum quid adeſt, vt cui maior aliqua pars æquo obuenit, iniuriam facit: ſed is potius, qui alteri id tribuit, & quidem ſponte. Rationem hanc affert, quia in hoc [ſcilicet in tribuente] actionis ſeu iniuriæ faciendæ ſit principium & cauſa: in illo non item. Formula ſit iſta:

Qui ſponte ipſe facit, non vero cui quid iniuſtum adeſt, iniuriam facit. Ratio, quia principium iniuriæ nõ in habente, ſed in faciente eſt poſitum, vt dixi.

Atqui tribuens facit ſponte. Id enim eſt ponendum, quod faciat ſponte iniuriam.

Ergo tribuens facit iniuriam, non vero accipiens.

Facit tamen & accipiens interdum iniuriam, nempe ſi inter alium & ſe rem diuidat, ſibique maiorem partem attribuat: hic etſi tribuit, quia tamen & vna accipit, recte & hic accipiens iniuriam facere dici debet. Facit & tum iniuriam accipiens, ſi tribuentem ad iniuſte diuidendum pecunia vel qua alia re impulerit. Ergo recte dicit Ariſtoteles tribuentem facere vere iniuriam, quod tribuens principium & cauſa iniuriæ faciendæ, accipiens quodammodo pareat & ſubſequatur tribuentem, non ſponte faciat. Qui ſponte, facit iniuriam. Tribuens ſponte. Ergo facit iniuriam. Qui accipit, in illo non principium. Ergo non poteſt dici ſponte facere. Si non ſponte. Ergo non iniuriam facit. Accipiens tum demum facit iniuriam, cum tribuentem vel pecunia aut alio modo impellit ad iniuſte partiendum, corrumpit tribuentem.

ἐπιτάξαντος] Supple τοῦ διανέμοντος, præciſe loquuntur Græci, eſt elegans phraſis, ſicuti & Latini dicunt, *explicato*, pro *explicata ea re.*

ἔτι εἰ πολλαχῶς.] Exiſtimant vulgo, Ariſtotelem tribus rationibus docere tribuentem facere iniuriam, non vero accipientem, non recte vt puto, vnam nos attulimus, eamque ſolam eſſe puto. Hoc autem loco nihil aliud mihi videtur a-

gere Ariſtoteles, quam vt oſtendat, quomodo & quatenus iniuriam faciat tribuens, non, an faciat. Nam quod ſupra ſæpe eſt explicatum, aliud eſſe rem iniuſtam facere, aliud iniuriam, id hoc loco ad tribuentem accommodare mihi videtur duobus exemplis. Vno à rebus inanimis, aut etiam animatis, ſed alieno iuſſu peccantibus: altero à iudice ſumpto. *Facere*, inquit, *multifariam dicitur*, quaſi dicat: Facere quis dicitur rem iniuſtam, dicitur & facere quis iniuriam, exempli gratia, inanima, vt lapis aut lignum: etiam animata, vt manus mea altero impellente, aut ſeruus iubente domino, interficiendo aut lædendo faciunt quidem rem iniuſtam, non tamen iniuriam. Ad eundem modum, etſi diximus, tribuentem, non vero accipientem facere iniuriam: id tamen cum hac diſtinctione eſt accipiendum, vt interdum quidam faciat iniuriam, interdum tantum rem iniuſtam, vt ſemper per ignorantiam alteri plus æquo attribuat. Quod autem hic Ariſtot. de rebus inanimis, id diligenter eſt notandum. Videtur namq; alludere ad Græcorum mores & inſtituta. Nam Athenis lege Draconis [Draco & Solon inſignes legiſlatores. Draco de pœnis & delictis tãtummodo, hinc prouerbium SCRIPTÆ SANGVINE NON ATRAMENTO] pœna quoq; conſtituta fuit in res inanimas, ligna, lapides, aut ſtatuas, quarum caſu aut ictu aliquis eſſet læſus: & in res animatas quidem, ſed rationis expertes, vt beluas [iubebat etiam ſuem ſuſpendi, ſtatuamque in mare præcipitari mãdabat, quæ quem oppreſſerat] teſte Suida in verbo *νίκων*; Et Demoſthene *in Ariſtocratem*, & Pauſaniæ *de ſecuri Buuonis*: Hinc ſacrum faciebant Athenis, occidebãt bouem quendam, qui occiderat, Buuonis dicebatur, & ſecuris proiiciebatur in aquam. Et Plato *lib. 9. de legibus*, ſimile quid conſtituit. Moyſes quoq; idem fere conſtituit *Gen. cap. 9. Leuit. cap. 20. Exod. 21.*

ἔτι εἰ μὲν ἀγνοῶν.] Hic tertiam ponunt rationem, cur tribuens iniuriam faciat, nõ vero accipiens. Non recte, vt diximus: nihil enim aliud Ariſtot. quam in iudice tanquam in exemplo oſtendit, quemadmodum tribuens iniuriam faciat interdum, alias non item. Eſt autem præclarus hic locus de iudice, eiuſque officio, quando iuſte aut iniuſte iudicare ſit dicẽdus, quando iniuriam facere, quãdo non. Diſtinguit hunc in modum: vel iudicat imprudens, vel ſciens prudenſque: ſi imprudens, non facere eum iniuriam, neq; iudicium eſſe iniuſtum,

Digitized by Google

iure quidem legitimo ſeu ciuili, id eſt, ſi inique iudicet iudex imprudens, legem ſcriptam ſecutus, neque iniuriam facit legis ſcriptæ ratione, neque iniuſtum eſt iudicium. Ratione, inquam, legis ſcriptæ, ſeu iuris legitimi, vtpote, quod ſit ſecutus: Iudicium tamen eius ſi ſit iniquum, æquitati nempe naturali repugnans, etſi ratione ſcriptæ legis iniuſtum dici non poteſt, tamen ratione iuris naturalis, à quo diſceſſit, iniuſtum dici aliquo modo poteſt. Vbi obſeruandum ius naturæ ab Ariſtotele dici primum, vt præclare à Cic. *lib 1. de legib.* vbi naturæ legem principem vocat, & Caius Iuriſconſultus *l. 1. ff de acquir. rerum domin.* Hic igitur iudex etiam inæquales tribuens partes iniuriam non facit iure legitimo, quod ſi ſciens, prudenſque iam non ſolum iniuſte iudicat, non ſolum iniuriam facit, vni plus tribuendo quam alteri, ſed etiam accipiendo iniuriam facit. Nam qui ſciens iniuſte iudicat, vel gratia, vel qua aliqua re eo impellitur, atque ita accipiendo quoque iniuriam facit. Eſt igitur & Pleonectes iudex ſponte & ſcienter iniuſtus, qui διὰ ταῦτα, id eſt, gratiam aut vindictam iudicet iniuſte, peræque ac ſi particeps eſſet iniuriæ alicuius factæ, aut rei furtiuæ partem ſuam acciperet: gratia aut vindicta eſt illi partis loco, & ſic ad inimicum vlciſcendum tribuit illi minimam partem. Et hoc eſt, quod ait ὥσπερ ἂν κἂν. Neque enim, qui inter alios partitur agrum, verbi gratia, iudex vel arbiter, pro honorario non agri partem, ſed pecuniam accipere ſolet, qui ita ſciens & prudens peccat, non ſolum tribuendo, ſed & accipiendo. Ad eundem modum Iuriſconſulti, iudicem iniuſte iudicare vel per imprudentiam, vel dolo, id eſt, gratia, odio, pecunia, aut ſordibus, ſcribunt, *initio Tit. Inſtitutionum de obligat. quaſi ex delicto.*

οἱ δ' ἄνθρωποι.] Hac altera capitis parte Ariſtotel. tria vulgi refellit errata. Primum namque exiſtimant vulgo, iniuriam facere in ſua cuique eſſe poteſtate: eaque re, eſſe virum iuſtum, rem eſſe facilimam. Quam vulgi opinionem cõmemorat & Plutarchus *in vita Catonis Vticenſis*, vbi (quod & initio huius libri) diſputans cur iniuſti vulgo omnium improborum habeantur deterrimi, hanc affert rationem, quod vulgo credant, quemuis iuſtum eſſe poſſe qui velit: Fortem aut prudentem non item, vt quibus naturæ bonitas quoq; ſit neceſſaria, iuſto ſola volũtas. Hinc Eraſm. *in puer. iuſtitia res puſilla*

puſilla & tenuis eſt; inquit δικαιοσύνη ἐςὶ μικρόν τι, hoc & ab Ariſtotele *libro 1. cap. 37. Rhet.* poſitum huc non pertinet: perperam igitur Schegkius. Vulgus iudicat, hoc valere, quod ſi quis ſimulare poſſet virũ iuſtum, quod ille ſit vere iuſtus, meliore loco quam vere iuſtus. Ea re quid opus iuſtitia, cum poſſum agere ſimulationibus, parum ad rem vere iuſtum eſſe: Propterea quod exiguus eius vſus, nõ quod facile comparari poſſit, dicitur puſilla & res tenuis iuſtitia. Quæ vulgi opinio, etſi falſa, hoc tamen argumento nititur, quod indicat hic Ariſtot. quod nocere alteri, alterum percutere ſeu pulſare, ſtuprum afferre, maledicere, circumuenire & fraudare nõ ſit difficile. Si nocere alteri eſt facile. Ergo & iniuriam facere. Ratio connexi, nam iniuriam facere, nihil eſt aliud, quam nocere alteri. Verum hoc negat Ariſtot. neq; enim nocere alteri, quomodolibet, eſſe iniuriam facere: non ſi quis noceat alteri, cõtinuo iniuriam facere dicendum, aut iniuſtum eſſe: ſed eum demum, qui noceat: certo quodam modo ipſe affectus, ſeu cuiuſdammodi, id eſt, habitu præditus iniuſtitiæ. Hic demũ vere iniuſtus, vere iniuriam facere dicendus eſt. nam vitia & vitioſęq́ actiones omnes habitu definiuntur, vt copioſe *ſup. lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 5.* eſt explicatum. Et pulchre Plato *lib. 9. de legib.* non ſi quis, inquit, amici, cui quid det boni vel auferat, iuſtus ſtatim aut iniuſtus dicatur, ſed ſi certis moribus & modo id faciat. Quare cum iniuria vera ex habitu, qui longo vſu & difficile paritur, demum exiſtat: & iuſtus quoq; eodem modo: hinc efficitur, neque iniuriam facere, neq; iuſtum eſſe, rem eſſe tam facilem, quam vulgo exiſtiment: imo quo hæc virtus cæteris eſt pulchrior, eo & præclarior, vt ſup. docuimus *cap. 1.* vbi de Biantis dicto, *magiſtratus oſtendere virum*. Facile quidem eſt virum bonum ſimulare, ſed eſſe difficillimum, ob habitus neceſſitatem, & hoc eſt quod ait, ἀλλὰ τὸ ὡδὶ ἔχοντας, id eſt, habitu præditos. Eademque eſt ratio, cur neque in ipſis ſit poſitum, facere aut non facere iniuriam. nam habitus quidem principia noſtri ſunt arbitrii, perfectio non item: habitum acquirere & parere in nobis eſt poſitum, abiicere iam partum, non item, ſupra *lib. 2. cap. 5.*

ὁμοίως δὲ καὶ τὸ.] Alter vulgi error exiſtimantis facile eſſe cognoſcere, quid iuſtum, quid iniuſtum: notitiam iuris & iniuriæ eſſe facilem. Et certe videas hodieque ex infima plebe, qui in grauiſſimis controuerſiis tam acute ſe cernere putent,

quam

Digitized by Google

quam prudentiſſimos Iuriſconſultos, vtuntur hoc argumento, quia ea, quæ legibus contineantur, vt non multa & certis libris comprehenſa, & publice omnibus propoſita, facile ab omnibus cognoſci poſſint. Formula:

Quæ legibus continentur, facile eſt cognoſcere.
At iuſta nihil ſunt aliud, quam quæ legibus ſunt comprehenſa.
Ergo iuſta cognoſcere eſt facile.

Propoſitionis ratio hæc eſſe poteſt, quod in plæriſque ciuitatibus leges non ita ſint multæ, ſint certo ſcripto comprehenſæ, ſint deniq; publice fere propoſitæ, vt Romæ pro Roſtris, & Athenis pro *τῶν ἐπωνύμων*. Ius, inquiunt Iuriſconſulti, neminem ignorare oportet, vt quod & certum ſit & finitum, & eſſe debeat, *l. 2. ff. de iuris & facti ignorantia*. Aſſumptionis ratio ex ſuperioribus eſt perſpicua, vbi oſtendimus quædam iura & iuſta eſſe legitima. Ariſtoteles tamen hanc falſam eſſe oſtendit hac ratione, quia legitima ſeu legibus comprehenſa vere & proprie non ſint iuſta, ſed ex euentu duntaxat ſeu per accidens, propterea quod leges per ſe, vt in tabulis aut libris continentur, conſideratæ, nullum in Repub. vſum habeant: legum finis non in cognitione aut ſcriptura, ſed in vſu & negotiis cernatur, in quibus ſi explicentur, iiſq; ſi accommodentur, iam demum iuſtæ dicendæ erunt. Antea non item, niſi ex euentu, quia ſcilicet fieri poteſt, vt accommodentur negotiis, & ita iuſtæ fiant. Et hoc eſt, quod ait Ariſtot. legitima tum demum vere eſſe iuſta, ſi ſint *πῶς πραττόμενα καὶ πῶς νεμόμενα*, id eſt, certo quodam modo facta & tributa, nempe rebus & negotiis congruenter & accommodate: adeo quidem, vt niſi rebus ipſis accommodari poſſint, auſim dicere leges neque per ſe, neq; ex euentu eſſe iuſtas. Falſa eſt igitur aſſumptio. Iam vero, cum vſus in rebus ſingulis cernatur, & negotiorum attributionibus, quę ſunt innumerabiles, perſpicuum ſit, non eſſe cuiuſuis, ſed vſu periti demum & prudentis ſeu politici viri, cum leges, id eſt, generalia præcepta rebus ſingulis & negotiis accommodare: difficilimum denique videre, quid iuſtum, quid iniuſtum in hoc vel illo negotio contra atque vulgus putabat, quod quidem Ariſtot. illuſtrat & confirmat exemplo medicinæ. nam & hic facile quidem eſſe noſſe vires herbæ illius aut illius, vini, mellis, proprietates, noſſe vſtionem & ſectionem, facile inquam eſſe noſſe hæc eſſe ſalubria,

bria, & bonæ valetudinis efficientia aut tuentia, vel contra. at vſum noſſe, id eſt, cui quid ſit præbendum, quo modo, id eſt, quanta menſura, quo tempore, id eſt, cum tam varia ſit hominum conſtitutio, temporum & locorum ratio, id vere medici demum eſſe nemo negauerit. Vniuerſum genus noſſe eſt cuiuſuis & facile: res ſingulas, in quibus artis vſus maxime cernitur, non niſi periti & docti. Quin etiam Galenus *lib. 1. de facultatibus alimentorum, & in libello τῶν κατὰ γένος*, monet nihil ſalubre aut inſalubre vere & per ſe eſſe, nullum medicamentum per ſe eſſe optimum, ſed ex euentu duntaxat, vſus ſolius ratione ſalubria & inſalubria definiri, quemadmodum & modo de legibus diximus. Quare vt rerum ad medicinam pertinentium commiſſio, notitia vniuerſi generis eſt cuiuſuis, rerum ſingularum, medici: Ita & rerum ad Politicam ſcientiam pertinentium, quarum magna pars ſunt leges, facilis quidem vniuerſi generis notitia confuſa. Vera autem rerum ſingularum cognitio viri eſt prudentis & Politici, vſu & præceptis informati. Eadem eſt ratio & in aliis artibus Practicis, Muſica, gymnaſtica, pictura, &c. Et quidem hac ipſa comparatione medicinæ, Ariſtot. eſt vſus *lib. 2. Magn. cap. 3. in princ.* qui locus huic plane eſt geminus, & infra quoque *lib. vlt. cap. vlt.* vbi Sophiſtas huius vulgaris opinionis authores & confirmatores grauiſſime refellit exemplo Medicinæ & Muſicæ.

δι᾽ αὐτὸ δὲ τοῦτο.] Tertius eſt vulgi error exiſtimantis, iuſtos peræque atque iniuſtos facere poſſe iniuriam, hac freti ratione, quia alterum pulſare, vxori alienæ ſtuprum offerre, conuicia dicere, non minus poſſit iuſtus, quam iniuſtus. Formula:

Si alterum pulſare poteſt iuſtus, &c.
Ergo & iniuriam facere.

Quid enim eſt aliud iniuria, quam alterius læſio. Imo inquiebant illi, iuſtus multo etiam magis quam iniuſtus hæc perpetrare poteſt, vel quia cum iuſtus alterum contrariorum norit, id eſt, iuſtum facere, melius videatur noſſe & alterum, facere iniuſte: vel quia ſpecie & ſimulatione iuſtitiæ, vt & amicitiæ facilius fraudari & lædi homines poſſint, vt qui ab amicis & iuſtis ſibi non metuant. Verum Ariſtoteles conſecutionem hanc, lædere poteſt alium. Ergo & iniuriam facere, falſam eſſe oſtendit hac ratione, quia ad iniuriam neceſſarius ſit habitus, ad læſionem non item. Nam quod ſupra diximus,

aliud eſſe rem iniuſtam facere, aliud iniuriam, id & hoc loco repetendum eſt. Itaque vt ea iniuſta facta, pulſatio, ſtupri oblatio, conuicium, ſint iniuriæ, cuiuſdammodi eſſe oportet & certo quodam modo affecta, nempe ex habitu manantia, & ab eo qui habitu ſit præditus, profecta, & hoc eſt, quod ait, τὸ ὡδὶ ἔχοντα. Quæ eadem & in fortitudine & aliis omnibus virtutibus eſt ratio. nam Clypei abiectio & fuga non idem ſtatim ſunt quod ignauia: in hac namque habitus, in illis non item eſt neceſſarius, vir fortis Clypeum abiicere & fugere poteſt, vt ignauus non poteſt. Sic & iuſtus rem iniuſtam facere poteſt, iniuriam non item. Quemadmodum inquit Ariſtoteles actiones medici, vrere, ſecare, medicamenta præbere, non ſtatim ſunt idem quod medicari & curare: opus namque eſt, vt vratur, præbeatur medicamentum, &c. certa quadam ratione & modo.

ἔστι δὲ τὰ δίκαια.] Hoc velut ἐπίμετρον & additamentum ſatis alieno loco, vt ſæpe ab Ariſtotel. hic interiectum, ſatis eſt obſcurum. Summa tamen hæc eſt, de perſonis, inter quas ius locum habeat. De rebus, in quibus locum habeat, diximus ſup. *cap. 1.* vbi docuimus iuris velut materiam eſſe bona fortunæ, quæ & hoc & illo loco bona ſimpliciter ſeu omnino dicuntur. Et quidem pro horum quoque diſtinctione de perſonis ipſis explicat hoc loco, quas inter ius locum habeat. Nam inter eas demum locum habere ius, qui horum fortunæ bonorum participes eſſe poſſint: ita tamen vt nimium & parum in iis bonis inter eos reperiatur, alterutrum ſi abſit, inter eos nullum poſſe ius locum habere. De priore parte, id eſt, de bonis ipſis res eſt perſpicua ex *primo cap.* De poſteriore hic explicat, vt qua perſonæ proprie diſtinguantur. Nimium autem & parum habere de his bonis vocat Ariſtoteles plus aut minus æquo, & quam rectus vſus poſtulet, quod quidem in his bonis ſæpenumero accidit, in virtutibus nunquam. Nam hæ quantumuis amplificatæ nunquam nocent, illa ſæpiſſime, vt præclare Ariſtoteles *libro 2. Magn. capite 3. in fin.* Duo igitur perſonarum genera affert Ariſtoteles, in quibus poſterior iſta pars locum non habeat, & proinde ne ipſum quidem ius. Nã Dii quantumuis bonis abundent, nunquam tamen iis abutuntur, nunquam plus iuſto habent, nimium in iis eſt nullum & proinde nec ius: inter Deos igitur hac ratione nullum ius locum habet. Affert & alteram rationem, cur inter Deos nullum

lum ius locum habeat infra *libro 10. cap. 8.* quod indignæ ſint Diis actiones rerum contrahendarum, vbi & hoc amplius negat Diis recte virtutes reliquas attribui, vt & copioſe Cicero *libro 3. de Natura Deorum.* Eadem quoque eſt ratio hominum Diis ſimilium, quibus nulla fortunæ bona nimia eſſe poſſint; vt qui omnibus optime vtantur. Bonis enim omnia ſunt optima & bona: Contra vero eſt genus hominum, cui omnia ſint mala, qui nulla re, quantumuis exigua, bene vtantur, quos inſanabiles hoc loco vocat Ariſtoteles, perditos & deploratos vocant Latini, quos inter eum bonorum fortunæ nullus ſit vſus, nullum quoque ius locum habere: Reliqui ſunt inter hos duos interiecti & tanquam medii, qui in his bonis nunc nimium, nunc parum habent, iiſque nunc bene, nunc male vtuntur. Quo in genere plærique ſunt mortales, & proinde Ariſtoteles hoc genus recte vocat *ἀνθρώπινον*, & inter has demum perſonas locum habere ius ait Ariſtot. Scribendum autem ex veteri tralatione pro *διὰ τοῦτο, τοῦτο δὲ*, &c. Agit enim de tertio genere, cui bona fortunæ nocere ait, *μέχρι τοῦ*, id eſt, aliquatenus, non vt perditis illis omnimodo; Hoc autem, id eſt, aliquatenus nō omnimodo eſt humanum, communi hominum vitæ & ingenio conſentaneum. Atque ita inter has perſonas bonorum fortunæ cum nimium & parum, tum medium, id eſt, ius locum habet, &c.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ ἐπιεικείας καὶ τοῦ.] Vt ſupra de talione: ita & hic de æquo bono & æquitate, quam rationem hæc ad iuſtitiam, illud ad ius habeat, explicat. Breuiter quidem ſuo more, vt & *in Rhet. lib. 1.* & breuiſſime *lib. 2. Magn. in princ. cap. 1.* de quo tamen, vt cuius in vita communi & cauſis forenſibus maximus ſit vſus, accurate & copioſe explicant Iuriſconſulti, cum veteres, quorum multa extant in libris iuris ciuilis fragmenta, tum recentiores, quorum aliquot ſingulares de hoc genere ſcriptiones & libelli extant, vt Salomonii, & Oldendorpii.

ὅτι γὰρ πρὸς τοῦτον.] Exponit primum controuerſias de æquo & bono: quas deinde diſſoluit; ex quibus & naturam ipſam æqui & boni breuiter euoluit. Summa autem contro-

uerſia & prima quæſtio hæc eſt: Idemne ſit prorſus æquum bonum & ius, an aliud? Et quidem hoc loco monet, ſi quis diligenter conſideret, neque idem prorſus videri, neque tamen aliud genere: diſcrepare quidem inter ſe nonnihil, genere tamen conuenire. Sed hoc infra clarius fiet.

καὶ ὅτι μὲν τὸ ἐπιεικές.] Accedit ad rationes controuerſiæ, quibus videatur partim eſſe idem, partim eſſe aliud. Nam æquum quidem & bonum ab omnibus laudari, & æquitatis ſtudioſos, adeo quidem, vt & verbum ipſum græcum ἐπιεικὴς, etiam ad quælibet laudabilia transferatur: & quicquid ſit bonum, idem & ἐπιεικὴς dicatur. Vbi obſeruanda eſt duplex huius verbi Græci notio, propria & tralata. nam ἐπιεικὴς proprie dici, quod latine æquum & bonum, iuris quoddam genus, de quo hoc capite. Præterea & alia omnia, quæ ſint laude digna, dici ἐπιεικῆ: vt ἐπιεικὴς nihil ſit aliud ab altera & tralata notione, quam bonum. Ad eundem modum & de homine bipartito dicitur verbum Græcum, tam de hoc iure, inquam, quam de qualibet probitate aut virtute. Latinis duo ſunt vſitata vocabula, æquitas & æquum bonum, ſeu ſæpius æquum & bonum, quorum tamen vna duntaxat eſt notio. Nam ad alias virtutes aut probitatem communem, vt ἐπιεικὴς non accommodantur. Æquum & bonum ſemper de hoc certo iuris genere dicitur; Æquitatis vocabulum plures habet notiones, de quibus ſupra. De homine in hac notione æqui vocabulum non dicitur, multo minus æqui boni, vt quidam inepte, quem Græci ἐπιεικῆ vocant, latine reddunt æquũ bonum, Facilem & benignum vocant Latini. Induxit & iuris interpretes plæroſque æquitatis notio, multiplex ignorata, *l. de factis, ff. de variis regulis iuris*, vt æquitatem, prout hoc capite accipitur, putarim aliam eſſe naturalem, aliam ciuilem, qua de re infra. De vocabulis aliis, cum æquitate vel affinitatem habentibus, vel illi contrariis aut diſſimilibus, infra *extremo capite*; nunc ad rem. Cuius hæc ſit Formula:

Quorum laus eſt diſpar, ipſa quoq; non ſunt eadem. Cur enim pari laude alioqui non afficiantur, ſi ſunt eadem?

At æquum bonum, & ius pari laude non afficiuntur, illud longe quam hoc maiore certe, vt modo dictum eſt.

Ergo æquum bonum & ius non videntur eſſe eadem.

ἐπιεικὴς quicquid dicitur, laudabile, & omnes res lauda-

 biles

biles dicuntur ἐπιεικὴς, eo eſt accommodandum vocabulum ἐπιεικὴς, quod ἐπιεικὴς præ iure maxime ſolet laudari: illud de vocabulo pertinet ad confirmationem aſſumptionis.

ὅτι δὲ τῷ λόγῳ.] [Parere & obedire, & ſequi rationem] Cõtra hoc loco abſurdum videri monet, dicere æquum & bonum aliud eſſe à iure efficeretur enim, alterutrum, hoc eſt, æquum aut ius, vt ſit non bonum, ſit res quædam non bona, ſed improba aut mala. nam ſi inter ſe ſint diſiuncta, non videtur, inquit, ambo poſſe eſſe σπουδαῖα. Aut igitur ius non erit bonum, aut æquum bonum, ſi non ſunt eadem: aut ſi ambo ſunt bona, eadem ſint neceſſe eſt. Formula:

Æquum bonum & ius, niſi ſint eadem, alterutrum vt malum ſit neceſſe eſt.
At falſum illud.
Ergo & hoc.
Impudens eſſet negare aut ius eſſe rem bonam, aut æquum bonum.

ἢ τὸ ἐπιεικὴς.] Variant hic libri. Sed ex veteri tralatione & ſententia ſcribendum, ἢ τὸ ἐπιεικὴς, εἰ ἄλλο, id eſt, aut ius non eſt bonum, aut æquum bonum, ſi ſunt alia: aut ambo ſunt bona, ſi ſunt eadem, vt modo explicauimus. Inducenda igitur ſunt, quæ ex interpretatione irrepſerunt, οὐ δίκαιον, &c.

ἡ μὲν οὖν ἀπορία.] Hæc fere, inquit, ſunt, quæ de æquo bono in controuerſiam reuocari ſolent: Anne hoc & ius ſint idem, an aliud: An vtrumque ſit bonum, quod tamen eſt melius & notius; An alterum altero ſit melius.

ἔχει δὲ ἅπαντα] Hic ea iam diluit, quæ primo inter ſe pugnare videbantur. nam omnia quodam modo recte dici, nihil in iis eſſe contrarium, nam æquum bonum iure quidem quodam eſſe melius; eſſe tamen nihilominus & ius, neque tanquam aliud genus iure eſt melius. Non ſequitur, inquit, quia æquum bonum iure ſit melius, ea re etiam genere ea diſcrepare. nam & homo præſtat equo, qui tamen genere conueniunt.

τὸ αὐτὸ ἄρα δίκαιον.] Hic demum affirmate & certo de iure & æquo bono ſententiam ſuam affert, & priora tanquam concludit. Eſt igitur, inquit, idem, ius & æquum bonum, quæ etſi ambo ſunt bona, melius tamen eſt æquum bonum. Bona eſſe ambo perſpicuum eſt, ſed alterum altero eſſe melius: deinde

Digitized by Google

inde genere vtrunque conuenire, & idem eſſe, ea vero explicatione egent.

ποιεῖ δὲ τὴν ἀπορίαν.] Hoc tandem loco explicationem æqui boni & cum iure collationem ſerio inſtituit, hoc eſt, an ſit ius & quale, id eſt, cur iure quodam ſit melius. Rurſus namque dubitari poterat, vt fateamur eſſe ius, quale tandem id eſſe poſſit, vt quod certo conſtet, non eſſe ius legitimum. Ait igitur æquum bonum ius eſſe, non quidem legitimum, ſed in quo legitimi correctio potius contineatur. Quod quomodo ſit accipiendum & intelligendum, ex iis quæ dicentur, planum fiet. Demum æquitatem quidam diuidunt in ſcriptam, & non ſcriptam. Æquitatem legum eſſe aiunt quodammodo abrogationem, quæ omnia ſunt falſiſſima: nulla enim æquitas eſt ſcripta.

αἴτιον δὲ ὅτι ὁ μὲν νόμος.] Quod dixerat æquum bonum eſſe iuris legitimi correctionem, eius rei cauſam hic affert: ex qua diſputatione & origo & neceſſitas æqui boni, & cum iure cõparatio perſpicue intelligetur, vſus denique [non eſt pretioſior locus in toto hoc libro] æquitatis & legum. Cauſa igitur hæc eſt, quia lex omnis cum de genere vniuerſo, id eſt, generaliter feratur & concipiatur [concipere legem, pro ſcribere ſumunt Iuriſconſulti] fieri autem nõ poſſit, vt de quibuſdam rebus, nempe iis, in quibus lex ipſa tãquam materia verſatur, recte præcipiatur generaliter. Hic defectus aliquis exiſtat neceſſe eſt, vt vbi omnia exprimi aut ſcribi nequeant, quod quia & legum ſcriptori eſt notum, ita ſe gerere ſolet, vt non omnia quidem complectatur, quod eſt *ἀδυνάτον*, ſed communiora, & quæ plærumq; accidant. Obſeruanda igitur ſunt hæc quatuor: origo & cauſa æqui boni, eiuſq; comparatio cum iure, & vtriuſque vſus. Deinde leges de vniuerſo genere ſcribi, vel generaliter. Deinde de iis, quæ accidant plærumq;. Poſtremo legum ſemper eſſe quidẽ *ἐλλείμματα* ſeu reliqua, & eas aliqua ex parte claudicare, non omnimodo eſſe perfectas. De primo poſterius, vt cuius explicatio ex cæteris pendeat, quæ omnia ſunt de lege. Ex quib. prima legum nota hæc eſt, q̃ ſcribantur de genere vniuerſo, generaliter, non in ſingulas perſonas inquit Iuriſconſultus, *in l. iura, ff. de legib.* quod idem & Plato pulcherrime *in Politico*, & Ariſt. *lib 3. Polit cap. 7. in fin. & lib. 1. Rhet.* vbi de æquo & bono, & *initio*, vbi hac nota legis ſcriptorem à iudice diſtinguit, quod hic *κατὰ μέρος*, & de rebus

ſingulis, ille καθ' ὅλα iudicet. Quam & eleganter Demoſthenes *in Ariſtogitonem* legem vocat κοινὴν συνθήκην τῆς πόλεως, *communem Reipublicæ ſponſionem, commune pactum*, & Iuriſconſultus Papinianus *in l.1. ff. de legib.* commune præceptum. Ratio autem, cur legum præcepta ſint cõmunia, hęc eſt, quod cum legumſcriptores totum Reip. corpus curare, ciuiumque commoda non diuellere, ſed omnes eadem cõmuni lege continere debeant, teſte Cic. *lib.1. & 2. offic.* ex Platone *lib.7 de Rep.* Factorum autem & rerum humanarum ea ſit varietas, vt ait Liuius, vbi de lege Fuconia *lib 20. cap. 11.* ſeu infinitas a-peria, vt ait Ariſtoteles *lib.1 Rhet.* vbi agit de æquo & bono, vt vel omnia ſcripto comprehendi non poſſint, vel etiam ſi poſſint, tamen latêre & fallere legislatorem poſſint, (facta enim ob varietatem etiam prudentiſſimos interdum fallunt, inquiunt Iuriſconſulti *Tit. de iuris & facti ignorantia.*) Quia igitur omnibus conſulere debeat, & omnia complecti non poſſit legum ſcriptor, neque ſingulatim de omnibus cauere, ea eſt cauſa, cur de vniuerſo duntaxat genere legem ſcribat, ſingularia non perſequatur. Verbi gratia, vetās ne quis alium ferro lædat, aut pro vulnere aureos 100. ſoluat, non perſequitur ſubtilius, quo ferro, quali aut quanto, quantum ſit vulnus: Id namque eſſet infinitum, qua in re nimis curioſi fuerunt maiores noſtri, quod perſpicuum eſt ex legibus Alemannicis, Francicis, Thuringicis, Longobardicis, & legibus Municipalibus. Cum hoc eſt abſurdum, relinquenda ſunt iudicibus. Singularia legumſcriptores prudentiores prætermittũt, eſt enim infinitum. Altera legum nota, ea duntaxat ſcripto complecti, quæ plærumque accidant, non quæ raro. Hinc Solon in parricidas, vt quos nullos fore arbitraretur, nullā pœnam conſtituit. De qua nota & Plato elegantiſſime eodem illo in loco *in Politico*, quod ipſum & Gymnaſiorum præfectis commune eſſe ait, vt cum videant, fieri non poſſe, vt quod cuique ſingulatim conueniat, præſcribant, ea duntaxat, quæ communius & plæriſque. Quod idem & Iuriſconſulti ſæpe iterant *l.3. cum 3. ſeqq. l.10. cum 3. item ſeqq. ff. de legib.* Ea, inquit Theophraſtus, ſpectant leges, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidāt, *l. antiqui. ff. ſi pars hæreditat. petatur.* Hinc pater eſt mortuus, relinquit grauidam vxorem, cupit facere teſtamentum, & tamen ignorat, quot ſit vxor editura liberos & quales; quia vero exiſtimat liberos poſſe edi, facit teſtamentum, & relin-

relinquit amicis, cum habeat 4000. flor. 3000. qui ſit, inquit Iuriſconſultus, naſcantur plurimi liberi, vt interdum fit, ſeptem? quoniam eſt rara ea res: poſſunt autem 2.3.4. ſed raro plures edi, ea de cauſa partiantur cum amicis liberi, vt accipiant pro tribus capitibus, non pro ſeptem. Sic Iuriſconſulti non ſpectant, quæ raro accidant, ſed quæ ſæpius. Poſt mortem teſtatoris transfertur dominium in hæredem: quid ſi ſurgat, ad quem bona? non ad legum ſcriptores, neque ad Iuriſconſultos hæc quæſtio ſpectat: hi enim quæ ſæpius, non quæ raro accidunt, ſpectant. Leges non de iis, quæ raro, ſed de iis, quæ plærunque, & in communi vita accidunt, feruntur: Huius autem notæ eadem fere eſt, quæ ſuperioris ratio, rerum & negotiorum varietas, vt illis locis dicitur expreſſe à Platone & aliis. Nam rerum magnam eſſe varietatem & infinitatem, per ſe eſt perſpicuum, & ſæpe iam iterauimus, Scientiæ politicæ materiam infinite variare & eſſe maxime inſtabilem, vt ait Plato *in Politico.* Ex quibus & quartum efficitur, legum, quia omnia iis comprehēdi nequeant, eſſe quædam ἐλλείμματα, ſeu reliqua, vt vocat Ariſtoteles *lib. 1 Rhet. & hic*, ἐλλείπει διὰ τὸ καθ' ὅλου, illa nimirum, quæ ſcripto non fuerint comprehenſa, vel inuito legum ſcriptore, (falli enim eum poſſe diximus) vel ſciente & prudente, quod vel non poſſit ob ſummam varietatem, vel nolit etiam nimis ſubtiliter omnia complecti. Vt enim eleganter Plato, hydræ capita ſecare contendunt (quod noſtri temporis iuris quidam conſulti) qui etiam minima quęque ſcripto complectantur: Omnia enim debent diiudicari, ſed non omnia ſcripto debent comprehendi. Et hac quidem parte claudicare lex dicitur & peccare, non tamē ſua aut ſcriptoris culpa, ſed negotiorum & rerum. Quod peccatum corrigit ius illud, quod æquum & bonum dicitur. Et hic verus eſt vſus & origo ſeu cauſa æqui & boni, vt legi claudicanti ſuccurrat, & quaſi manum porrigat. Nam vt Ariſtotel. ait, æquum & bonum nihil aliud eſt, quam ἐπανόρθωμα legis, quę propterea, quod generaliter ſcribitur, claudicet: Eſt inquam ſupplementum eorum, quæ in lege deſiderātur. Grauiter namq; falluntur, qui æquitatem iuri faciunt contrariam & inimicam, cum iuris ſit quaſi pediſſequa & ſocia, & ei maxime conſentanea: Lapſi, ni fallor, quod clemētiam ab æquitate non diſtinxerint, verbi gratia, lex eſt, vt parricida inſuatur culeo, quod ſi furioſus parentem necarit, hic æquitas fu-

rioſum abſoluit. Si mente ſana parentem necarit, ...
pe aut magiſtratu dimittatur, erit Clementia, no
Clementia iuri & legi repugnat directe: Æquitas
ſequitur, & eſt quaſi legis, quæ eſt regula & comm
ptum, tanquam exceptio. Verbi gratia, regula eſt a
maticos, qua omnia vrbium nomina ſunt fœmini
excipiuntur in um. Regulę illi lex & ius, exception
æquitas. Sic ius eſt, ne filius abſque patris conſen
ducat. Quid ergo, ſi pater ſit furioſus aut ab hoſtil
Ex quibus omnibus perſpicitur ius ſeu legem & æ
num inter ſe comparari, neque vnquam æquum b
poſſe, vbi non ſit ius ſcriptum. Eſt. n. eorum, quæ ſc
prehendi non potuerint, ſupplementum & definiti
igitur Accurſiani iuris interpretes [vocant Barbar
eruditos aliquo modo] qui æquitatem partim ſc
ptam, partim non ſcriptam, inducti mendoſa ſcri
placuit, C. de iudiciis: Vbi verbum, *ſcripta*, autoritat
veterum Codicum eſt inducendum, id quod vel v
teſtimonio confirmari poteſt, qui *lib. 1. Rhet.* diluci
ſcripto æquum & bonum attribuit. Eſt igitur, nō ſ
pars; neque tamen iuris naturalis, vt exiſtimat pe
dendorpius *in libello de æquitate.* nam ex prioribus
eſt ad ius legitimum id pertinere, eique deſeruire, &
dammodo eſſe partem. Quare & in Cic. *in Top.* pe
quitate in duas partes tributa naturæ & inſtituti hu
facit æquum bonum aperte. Idem facit & Ariſtot.
lege in duas partes tributa, communem (quam &
cat) & propriam (huic dilucide æquitatē attribuit
gnus lib. 2. in princ. item aperte æquitatem à iure na
rat. Falluntur igitur & illi, qui æquitatem faciunt
turalem, partim ciuilem, perperam acceptis verbis
pact. l. bona fides, ff. depoſiti, l. 1. ff ſi quis teſtam. lib
fuerit, l. definit, ff de diuerſ. reg. iur. Nam ęquitatis v
ambiguum eſſe ſupra diximus, I. C. iis locis non p
bono, ſed pro iure ſunt vſi. Vt enim illi æquitatem,
ciunt naturalem, partim ciuilem; Ita & Cic. *in To*
partim eſſe ait natura, partim inſtituto. Verum, qu
bonum cum iure naturæ magnam habet cognatio
que eſt non ſcriptum, vtrumq; ibi naturali conſen
maxime æquum bonum, ea re non incommode v

poſſe æquitas naturalis. quomodo & I. Cti quibuſdam in locis locuti videntur, & hac ipſa ratione, iure quodā melius eſſe intelligendum eſt, nempe legitimo, non eo, quod omnino ſeu ἁπλῶς, id eſt, naturæ, vt ipſe Ariſtot. explanat *lib. 2. Magn. in princ.* nam iure legitimo nonnulla interdum rationi naturali contraria ſanciuntur: æquum bonum à ratione naturali nunquam diſcedit. Vt igitur ius naturæ, ita & æquum bonū iure legitimo eſt melius. Et ita quidem ipſe Ariſt. vt dixi eo loco. Verū aliter hic loqui videtur Ariſt. & aliud ſentire his verbis, ὀ τοῦ ἁπλῶς, id eſt, non eo, quod ἁπλῶς & omnino, ſed peccato quod propter τὸ ἁπλῶς, propter generalem locutionem & ſermonem legis: nam propter hunc generalem ſermonē peccare legem ſup. oſtendimus. Quibus verbis Ariſt. hoc videtur velle, æquum bonum melius eſſe, non iure quod ſimpliciter, etiam legitimo (nam & ius naturæ, & legitimū dicitur ἁπλῶς ius; omne, inquam, ius Politicum, vt ſup. *c. 6. & 7.*) ſed peccato, id eſt, ratione duntaxat peccati, ex generali & ſimplici ſermone exiſtentis: nempe ius legitimum, qua parte non claudicat, æquo bono non eſſe deterius. Neq; enim ius legitimum nō iniuſtum aliquod & Clodianum quodammodo, ſed rectæ rationi quoque conſentaneum, intelligit Ariſtot. Hac igitur parte æquum bonum ne legitimo quidem eſt melius, qua nō claudicat: Qua vero parte claudicat, id eſt, ratione peccati, æquum bonum iure melius cenſeri debet. Corrigit enim peccatum; quod corrigit, melius eſt eo quod corrigitur. Ad hunc igitur modum puto accipiendum, quod dicitur ęquum bonū iure eſſe melius: dictum ea ætate, vt videtur celebre & prouerbiale, ſed nō ſatis intellectum. Perſpicuum eſt & hoc ex prioribus, ius & æquum bonū eſſe idem, nempe ratione generis, eodem genere cōtineri. Nam & æquum bonum & ius (de legitimo loquimur, cum ęquum bonū cum iure comparamus) iuris quædam ſunt ſpecies, vtrumque eſt ius quoddam. Conueniunt & in materia, nam in dirimendis hominum negotiis cernuntur [æqui boni materiam dicit eſſe eandem, quæ iuris naturalis, Oldendorpius] diſcrepant tamen, quod ius ſit ſcriptum, æquum bonum non ſcriptum. Ius certum & definitū: æquum bonum incertum & infinitum, propter attributorum varietatem, quibus ſe accommodat. Ius eſt directum & aſperum: æquū bonum etiam mite & flexibile: Ius eſt magis ciuile quam æquum bonum: Ius in pluribus, æquū bonum in pau-

cioribus verſatur negotiis, etſi incertis, à iure & lege
ὥστε ψηφίσματος δεῖ.] Quod hic de pſephiſmate in
ſeu populi ſcito [id eſt, lex populi, ſed non perpetua
phiſma, certa & ad tempus] non tam pertinet ad æ
explicationem, quam ad id, quod dixerat; lege om
prehendi non poſſe; Id namq; argumento pſephiſma
firmat. nam pſephiſmatis nullus alius eſt vſus, quan
lege omnia comprehendi nequeant, vt ſunt quæ qu
repente accidunt noua negotia, eo ſanciantur & dece
vt belli indictio, legis latio, legatorum miſſio, &c. M
tuum rogatio, creatio, &c. Duo igitur ſunt adiume
bus legum ἐλλείμματα ſanciantur & ſuppleantur, æq
num & populi ſcitum, quæ inter hanc tamen puto c
rentiam: quod pſephiſma ad negotia publica, æquum
ad priuata ſæpius accommodetur. [id eſt, ad cont
negotia hominum. Si quidquam in Republica con
dum, opus eſt pſephiſmate. Apud Hiſtoricos nunc
quum bonum reperies: apud Iuriſconſultos autem,
ctant de priuatis] Ex quibus quæ inter legem, popu
& æquitatem ſit differentia, de pſephiſmate & ſupra
cap. 7. in princ Eleganter autem populi ſcitum Ariſto
plumbeæ Leſbiorum comparat. Videntur Leſbii in æ
do forte propter lapidum aſperitatem, vſi regula plu
flexibili, quæ ſe inflecteret & accommodaret ad lapi
æqualitatem: cum alioqui lapides ad regulam dirigi
ri ſoleant. Quare & Eraſmus regulam Leſbiam de re
prouerbialiter accepit. Ad eundem modum & populi
negotiis publicis ſe accommodat, cum alioqui nego
bus dirigi & accommodari oporteret. Verum quia
in quibus pſephiſma cernitur, ſunt inſtabilia, incert
nita, ob attributorum varietatem commode & accor
te huic incertitudini negotiorum, incerta quoque &
tanquam regula attribuitur pſephiſma. nam pſeph
certum eſt, varium & infinitum, vt & æquum bonum
certæ & infinitæ rei conuenit incerta & infinita regul
ganter Ariſtoteles.

καὶ τί τὸ δίκαιον.] Scribendum puto, καὶ ὅτι δίκαιον.
& vetus tralatio, & Argyropilus reddidit, & poſtulat
tia. Nam hoc capite, cuius hic eſt veluti ἐπίλογος, ne
re quid ſit, ſed de æquo bono, eſſe id & ius docuit, &
ius.

φανερὸν δ' ἐκ τούτου.] Ex ratione coniugatorum, cognito æquo bono, cognoſci ait & quis ſit, vt ita dicam, æquus, bonus, ſeu benignus, & facilis, nempe is, qui ea, quæ æqui boni ſunt propria, agat & perſequatur; cui hoc vel maxime eſt proprium, non omnia ſummo iure agere, ſed de iure ſuo multum remittere & concedere, alias eius complures proprietates commemorat Ariſtoteles *lib. 1. Rhet.* Eſt igitur hic *ἐλαττωτικός*, de quo ſupra, non vero *ἀκριβοδίκαιος*, de quo mox: eſt idem eorum, quæ propria ſunt æqui boni *προαιρετικὸς καὶ πρακτικός*. Quibus duobus verbis tanquam prouerbialibus & certis notis virtutum & vitiorum habitus, & habitu præditi, inſigniri ab Ariſtotele ſolent. Sic prudentiam ait eſſe *ἕξιν προαιρετικὴν καὶ πρακτικήν. libro primo Magn. capit. vltimo.*

καὶ ἡ ἕξις αὕτη.] Vt in iure, ita & in æquo bono tria ſunt ſpectanda, habitus ipſe, iuſtitia & æquitas, ius ſeu iuſtum, & æquum, bonum, & iuſtus, æquique & boni ſtudioſus. Eſt & quartum, iuſta actio ſeu factum, vt & æqui boni vſus.

ἀκριβοδίκαιος.] Hoc verbum vt melius intelligatur, commemorabimus breuiter, quæ æqui boni ſint cognata, quæ inimica & contraria. Diximus autem ſupra, æquum bonum ab Iureconſultis plærunque dici benignam iuris interpretationem. Quatuor igitur ſunt, quæ magnam cum æquo bono affinitatem habeant, bona fides, clementia ſeu humanitas, ius naturale & eunomoſyne. Et quidem de bona fide Triphonius Iuriſconſultus *in l. bona fides. ff. depoſiti.* & eleganter Comanus. *Æquitas, inquit, nihil eſt aliud, quam legum ipſarum bona fides: Contractuum autem bona fides, quædam eſt dictorum factorumque noſtrorum æquitas.* Quibus verbis & differentiam indicat: nam vt æquitas in lege, ita bona fides in contractibus, in quibus ſæpe & mala fides verſatur, dum contrahentes inter ſe decipiunt, qua de re pulchre Cicero *libro tertio Officiorum.* Nam in legibus nunquam mala reperitur fides, ſemper leges bona fide & ſimpliciter agunt, etſi interpretes in iis explanandis aut accommodandis mala fide interdum verſari poſſunt. Clementia autem ſeu humanitas & lenitas, æquitati adeo eſt affinis, vt ſæpe vulgo confundantur, quod æquitas ſit quædam velut clementia: multum tamen differunt. Nam æquitas, legis eſt comes & admi-

niſtra, eam ſubſequens & conſentanea: clementia
ſus eſt inimica, id eſt, eius vſum tollit. Qua de re
præclare Connanus *lib. 1. iuris ciuilis, cap. 1.* Auguſt
rator ſuos hoſtes occidit, & quidem iuſte: Iulius i
accepit clementia, non æquo bono [hoc confun
lippus & alii.] Cum iure autem naturæ quanta æ
communio, indicat & Paulus Iuriſconſultus *in l.*
iuſt. & iure. Ius, inquit, *pluribus modis dicitur, vno*
dem: quod ſemper æquum bonum eſt, dicitur, vt eſt iu
le. Et Cicero *in Topic. Æquitas*, inquit, *eſt, quod n*
ralis deſiderat. recte. nam vtriuſque iuris eadem e
origo, ratio naturalis, vt & ſupra diximus: differu
quod ius naturale per ſe & abſolute; æquum bon
quam niſi comparate, intelligatur. nam vt ſupra
ius & æquitas inter ſe comparantur, & in categoria
nis conſtitui poſſunt. nam æquitas abſque lege n
cuius ſit ſupplementum & correctio. Ius naturæ e
nulla lex eſſet, fuit, inquit Imperator, & per ſe conſi
torio quoque iuri magna eſt cum æquitate affinita
dem maior, quam cum illo, imo Romæ æquum b
hil aliud fere fuit, quam ius prætorium. Quare & in
ris ciuilis ſæpiſſime, quæ per prætorem fiunt aut intr
tur, ęquitati attribui ſolent. Quare & Cic. *in veteri R*
Ius prætoriũ ſcripto comprehẽſum, deſiit eſſe æquũ
ſi proprie loquamur. nam originis ratione, etiamnũ
bonũ dici poteſt, & dicitur à Iureconſ. [id eſt, iuris &
terpretes, iureconſ. æqui boni interpp. prætores. Ra
ralis eſt cauſa iuris prætorii. Ius naturale ante legẽ fu
bonum ſubſequitur legem.] Eunomoſynes quæ cũ
ſit affinitas, & differentia, explicat erudite & breuite
teles *lib. 2. Magn. cap. 2.* de qua te infra *lib. 6. cap. 11.*
pio. Iam vero duo ſunt, quæ maxime cum æquo
gnent, eique ſunt contraria ἀκριβοδίκαιον & calum
lud Latine dicitur à Iuriſconſultis ius ſummum, &
ctum, vt cuius ſit proprium, ea quæ legibus definiun
me reſtringere, atque ita literam anguſtiis munire,
nihil relaxet, quod ad bonitatis & æquitatis vſum r
de quo copioſe Cicero *in Orat. pro Cæcinna.* Qu
Cluentiana æquitatem, laxamentum legis vocat, v
tia, lex erat Thebis, ne quis vltra tempus Magiſtrat

heret: Epaminondas tamen imperiũ quatuor amplius menſibus tenuit,eaque re ſi ius ſummum ſpectes, ſit condemnandus, & ſane in periculum capitis pene incidit, quia tamen in Reipublicæ vtilitatem, non ſua ambitione tenuit diutius, æquitate poſtulante eſt dimiſſus. Calumnia priori pene gemina in eo tamen differt, quod illud magis legi conſentiat, hoc in verbis tantummodo inſidias faciat, & aperte à ſententia diſcedat. Confunduntur tamen à plæriſque, vt apud Ciceronem *initio 1. Offic. extſtunt*, &c. Exempla plura videantur apud Dominum Philip. Melanth. communem præceptorem, *in libello eruditiſſimo de morib.*

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Duo fere hoc capite explicantur: Prius de iniuria ſibi facienda; deinde comparatio faciendæ & accipiendæ iniuriæ.

πότερον δὲ ἐνδέχεται.] Quæſtio eſt grauis, quam & ſupra attigit, & hic explicat; an ſibi quis ipſe iniuriam facere poſſit? Qua de re ſæpe & Plato & copioſe *in Gorgia*. Plato ait, Ariſtoteles negat.

φανερὸν ἐκ τῶν.] Nam *cap 9.* ex eo quod ſponte nemo accipere iniuriam poſſit, & hoc effici oſtẽdimus, quod hic quæritur, neminem ſibi ipſum iniuriam facere poſſe, quod ipſum argumentum & infra iterabitur.

τὰ μὲν γὰρ ἔστι.] Conſtitit ex prioribus iuſtitiam eſſe communem quandam, alteram ſingularem: Item & ius partim commune, partim ſingulare. Illud, quod vniuerſæ virtuti ſit conſentaneum, hoc certe. Quare & iniuria partim erit communis, eadem fere cum vitio communi, partim ſingularis & propria. Hac poſita & repetita diſtinctione, oſtendit Ariſtoteles, neutra ratione quem ſibi facere iniuriam poſſe: & prius quidem de communi iniuria, vbi vnam duntaxat affert rationem, quia efficeretur vt ſponte quis iniuriam acciperet, quod eſt abſurdum. Exemplum affert de eo, qui ſibi manus ſponte afferat, ira commotus: quo oſtendit eum non tam ſibi facere iniuriam, quam alii, ea ratione, quam dixi. Et quidem iniuriam hunc facere, oſtendit hac ratione, quod ea, quæ lege vetentur, & quidem ſponte faciat. Lege autem vetari cædem ſui ipſius docet hac ratione:

Quod

Digitized by Google

Quod quæ legibus non iubentur, prohibentur.
Cædes autem ſui ipſius lege non iubetur.
Ergo, &c.

Propoſitio, quæ primo abſurda videtur, intelliger rebus turpibus & inhoneſtis, quæ ſi nominatim nõ i tacite prohibita cenſeri dicunt. Solo parricidia n neque etiam nominatim vetuit : cenſetur tamen quia non iuſſerit. In aliis rebus alia eſt ratio, & i hæc ſit regula Ariſtotelis, vt quas lex non iubeat, continuo cenſetur vetare. Lex Romana non iube gratiam, neque tamen vetat. Filius ſui iuris non adhibere propinquos in quærenda conditione, [ve trimonium vocant conditionem] non tamen vetat namque ſunt licita, quæ tamen non ſunt honeſta, i riſconſultus. Multa non iubentur, quæ tamen non v quin etiam de rebus natura turpibus quædam, qua bentur, non ſtatim tamen vetantur, ſed quaſi conni oculis committuntur, vt lupanaria apud quoſdam. tur contra legem [etſi nominatim non iubetur] qu manus afferat; facit & iniuriam, ſi ſponte ſibi ipſi n ferat, vt ira commotus, quod hic nominatim expr ſtoteles. Nam ſeruitutis metu, aut alia neceſſitate quia non ſponte, iniuriam facere vix videtur, de qua tia diximus & ſupra *lib. 3*. Et notum eſt ad iniuriam ſponte, eſſe neceſſarium, id eſt, vt ſciat quo modo, cu &c. lædat, adeo quidem, vt etiam ſi alterum contra le dat, ab eo laceſſitus, non ſentiatur iniuriam facere non ſua ſponte & vltro, ſed prouocatus malum refe quibus efficitur, eũ qui ſibi manus afferat, quia cont faciat, & quidem ſponte, ſed ira commotus, iniuriat

ἀλλὰ τίνα.] Adhuc docuit eum, qui ſibi manus a commotus, facere iniuriam. Hic exquirit, ſibine an a huius eſt loci. Et ait, non ſibi, ſed ciuitati & Reipubli tionem adiungit, quam modo attulimus, & toti q accommodauimus, quia nemo ſponte iniuriam po pere. Formula:

Nemo ſponte iniuriam accipit.
At ira commotus ſe interficiens, ſponte agit.
Ergo iniuriam non accipit.

Sponte namq; & affert ſibi mortem & perpetitur

autem iniutiam fieri ſigno docet iſto, quia illum pœna afficiat. Nam ſi neque ſibi, neque priuato alii, neq; Reipub. iniuriam faciat, certe pœna affici non debet: Aliis autem iniuriam non fieri, certum eſt, neque etiam ſibi, vt oſtendimus; relinquitur vt Reipubl. quod ipſum confirmari poteſt & hoc Iuriſconſultorum dicto, *in l liber homo. ad l. Aquil.* quod nemo ſuorum membrorum ſit dominus: omnes ſimus Reip. Atque ita ſe ipſe interficiens furtum quodammodo facit Reip. illiq; proinde, non ſibi facit iniuriam Pœna autem, qua Græci eos, qui ſibi mortem conſciſcerent, afficerent, ſubindicatur hic meo iudicio ab Ariſtor. ignominia leuior profecto, quam pro ſcelere. Verum neq; grauior quædam iure Romano, aut à Platone *in legib.* conſtituitur. Hinc grauitatem ſcelerum non ſatis intellexerunt Ethnici, ideoque pœnæ leuiores conſtitutæ; non conſiderat Plato ſcelus per ſe, an malum, ſed vtilitatem Reipub. Chriſtiani reſponderunt, ſcelus in ipſo punitur. Apud Hebræos grauiſſimæ: apud Ethnicos mites & leuiores: ſi naturalem rationẽ ſequamur, cuius norma in legibus Moſaicis, non debent leniri pœnæ.

ἔτι καθ' ὃ ἄδικος.] Hic de altero iuris genere: & ne huius quidem ratione iniuriam quem ſibi facere, oſtendit quatuor rationibus.

ἅμα γὰρ τὸ αὐτὸ.] Prima eſt ratio ab abſurdo. Sequeretur enim vt eidem eadem res & detrahi poſſit & adiici, quod eſt abſurdum, vt conſtat ex contrariorum natura. nam ſi iniuriam quis ſibi faceret, etiam perpeteretur iniuriam. At qui facit, ei quodammodo quid adiicitur, & eſt in lucro; qui perpetitur, eſt in damno, eiq; detrahitur vt ſupra *cap. 4.* dictum eſt. Plures igitur perſonæ requiruntur, vt ius & iniuria locum habeant, & hoc eſt, quod adiungit, *ἀλλ' ἀεὶ ἐν*, &c. Ius & iniuriam inter plures eſſe neceſſario, in vno non item, quod & ſupra explicauimus *initio libri.*

ἔτι δὲ ἑκούσιον.] Altera ratio, quia, qui iniuriam facit, vltro & prior vt faciat, neceſſe eſt. Nam qui laceſſitus par pro pari refert, iniuriam vix facere videtur Ariſtoteli & Ciceroni *in Offic.* Lactantio tamen & Chriſtianis & ipſi Platoni contra *in Critone*, vbi ait, *ἀντιδικεῖν* eſſe etiam *ἀδικεῖν*, & quia non liceat *ἀδικεῖν*, ne quidem *ἀνταδικεῖν*. Iam vero qui ſe ipſe lædit, non ante facit, quam patitur, ſed eodem tempore & infert & patitur malum. Formula;

Iniu-

Iniuriam qui facit, prior faciat neceſſe eſt.
At qui ſe ipſe lædit, prior non facit.
Ergo non facit iniuriam.

ἔτι εἴη ἂν ἑκόντα.] Tertia ratio, quia ſequeretur, vt te quis acciperet iniuriam, quód fieri non poſſe oſt ſupra *cap. 9.* vbi & huius rei eſt facta mentio. Formu

Si ſe ipſe quis iniuria poſſet afficere, ſibi poſſet fac ſua ſponte accipere. Nam quia ſponte pati ipſe ſponte lædit. Si ergo lædendo ſe ſponte fa iuriam.
Ergo & patiendo quoq; ſponte accipit iniuriam
At hoc eſt falſum.
Ergo & illud, vt ſupra cap. 9.

πρὸς δὲ τούτοις.] Quarta ratio à ſpecie ad genus, tam iniuriam nemo ſibi faciat. Forumla:

Qui iniuriam facit, certam faciat neceſſe eſt, p tur, adulterum committat, depoſitū non re
At nemo ſibi certam facit iniuriam, quod lic renti omnia iniuriæ genera perſpicere. nemo re ſua adulterium facere dici poteſt, nemo r rari, &c.
Ergo nemo ſibi facit iniuriam.

ὅλως δὲ λύεται.] Quintam hic ponunt rationem. Nam eadem eſt cum tertia, quam mirum eſt hic rep tur tamen id dicere Ariſtot. quod & ſupra *cap. 9.* to quæſtionem de iniuria ſibi facienda diſſolui ex ſola ne τοῦ ἀδικεῖσθαι, vt & ibi diximus, poterat tamen hæ prætermitti, & neſcio quid externum ſapit, præſe ſcriptura variat in verbis, περὶ τοῦ ἑκουσίως ἀδικεῖσθαι, vl σίως, alii vtrumque inducunt, quod eſt melius. na certe non conuenit.

φανερὸν δὲ καὶ ὅτι.] Intermiſſa diſputatione de iniu cienda, interſerit comparationem eius, quod iniu re & quod accipere: docetq; vtrumq; quidem eſſe m hoc illud eſſe deterius & grauius; qua in re aſſent ni, cuius extat diſputatio copioſa *in Gorgia.* Idem p Ciceroni, cum *aliis locis*, tum *in Philip. 9. Miſerior, ſuſcipit in ſe ſcelus*, quam is, qui alterius *facinus ſub* Vulgo tamen hæc ſententia repugnat, vt qui exiſti maius eſſe malum iniuriam accipere, quam facere,

Google

ſit cum damno, hoc nō item. Qua ratione & apud Platonem *lib. 1. de Rep.* Traſymachus, & apud Cic. *lib. de Rep.* Furius & Carneades olim iniuſtitiam iuſtitiæ anteponendam cenſuerunt, vt fructuoſiorem. Aſſentitur igitur Platoni Ariſtot. ſed aliter concludit. nam Plato hunc in modum:

Quod turpius, idem deterius. Facere eſt turpius. Ergo & deterius.

Verum in propoſitionis confirmatione in captionem mihi videtur incidere Plato homonymiæ verbi *malum*, quod interdum valet *improbum*, interdum *infructuoſum* & *inutile*. Primum autem docet Ariſtot. vtrumque eſſe malum hac ratione, quia vtrumque diſcedat à medio, vt, quia in altero plus eſt; in altero minus; alterum eſt cum lucro, alterum cum damno, vt ſupra diximus. Formula:

Quæ à medio diſcedunt, ſeu plus & minus, ſunt mala, vtpote à medio diſcedentia.

At hæc duo vel ſunt plus, vel ſunt minus.

Ergo ſunt mala.

Propoſitionem non confirmat vt certam: Aſſumptionē illuſtrat ſimilitudine. Nam quod, inquit, in medicina eſt ſanitatis, & in gymnaſtica bonæ habitudinis efficiens, id in hac diſputatione Politica eſt id, quod medio conſentit, eſt medium virtutum. Scribendum autem ex veteri tralatione, ὅπερ ὑγιεινῦ, non ὥσπερ. Nam quod medium in Politica, nempe iuſta actio ſeu iuſtitia, idem id in medicina ſalubre. Eadem ſimilitudine vtitur & Plato *lib. 4. de Repub. in fin.* comparans iniuriam cum morbo, iuſtitiam cum ſanitate. Interpungendus eſt hic locus, vt ſit facilior hunc in modum, atque ita reddendus: *Perſpicuum autem vtrumq;. quidem eſſe malum & iniuriam accipere & facere* (alterum enim minus, alterum plus eſt habere medio, quod ſanitatis in medicina, bonæ habitudinis efficiens eſt in gymnaſtica) *ſed tamen peius eſt facere.*

τὸ μὲν γὰρ ἀδικεῖν.] Ratio, cur facere ſit grauius malum quam accipere, quia illud cum improbitate coniunctum & vituperandum ſit; hoc non item. Formula:

Quod cum improbitate coniunctum, deterius eſt eo, quod abſque improbitate. nam plura vitia vno ſunt deteriora.

At facere iniuriam eſt cum improbitate; accipere non item. Ergo, &c.

Accipe-

Accipere quidem vacare iniuria certũ eſt, qua c
Qui facit iniuriam autẽ, is vel eſt improbus, vt qu
nam & hic, etſi nõ eſt improbus, tamen vituperat
effugit, vt ſupra explicauimus diſtinctè *cap.8.* Et hc
ait, ἢ τῆς τελείας, id eſt, facere iniuriam, aut cum
improbitate, vt in eo qui cum προαιρέσεως, aut cum
in eo qui per iram. nam non omnis iniuria eſt cum
tate, etſi ſponte fit omnis: non omne autem quod
id cum improbitate, aut iniuſtitia, vt ſupra *eod. ca*
hic de accipienda iniuria, eam vacare improbita
ſupra de aliis extremis interdum diximus, vt de
auaritia, &c. quæ ſunt quidem vitia, vt & hic ini
pere, non ſunt tamen improba, vt abſque malitia &
per ſtudio ſeu nocendi animo.

καθ' αὑτὸ μὲν οὖν.] Conſtat iam, iniuriam facere d
quam accipere; nimirũ per ſe, & conſiderata vtriu
tura: nam per accidens ſeu ex euentu, contra eſ
maius ſit malum accipere quam facere: verum i
git, Politica de eo, quod per accidens, non labora
la ars; quæ namque per accidens, vt infinita, ſub a
cepta non cadunt. Præterea ars naturam imitatur,
rerum vim & naturam potius ſcrutatur, quam
Exemplo autem oſtendit ſimili ex medicina petit
ſe, vt quod per ſe leuius eſt malum, per accidens ſi
nam Pleuritis laterum dolor, grauior eſt morbus
pedis: fieri tamen poteſt vt hæc illa ſit grauior, ne
offendendo pede quis labitur interea, ab hoſte cap
terficiatur. Ad eundem modum accipiens iniuria
etiam grauius malum referre poteſt aut facere, c
pit. Sic enim vulgo hæc accommodant: ego put
lem, vulgi potius argumentum & Platonis diſputa
fellere. Vulgus ita:

Accipere iniuriam eſt infructuoſius,
Ergo & maius eſt malum.

Reſpondet Ariſtot. fructus conſiderari non deb
ſint accidentia: quomodo & Plato *lib. 2. de Rep.* ref
machi diſputationem contra iuſtitiam.

κατὰ μεταφορὰν δέ.] Redit ad priorem diſput
facienda ſibi iniuria: nam quod ibi docuit, nemin
ſe vel iniuriam, vel ius, id hoc loco mitigando & e

verum quidem ait eſſe per ſe & abſolute: nam improprie & metaphorice (de quo verbo ſupra) poſſe ius aliquod eſſe, & iniuriam ſibi ſecum, ſeu potius partibus ſui inter ſe. Atque ita breuiter copioſam Platonis diſputationem attingit, qui *libr. 4. de Repub. in fin.* duo facit iuſtitiæ genera, interioris & exterioris. Interiorem vocat trium animæ partium, rationis, iræ & libidinis harmoniam & concentum, cum imperium tenet ratio, parent cæteræ, id eſt, cum ſuum cuique parti animæ relinquitur officium à natura tributum. Externam vocat, de qua his libris, Politicam. Ariſtoteles autem hanc partium animæ harmoniam & conſenſionem admittit iuſtitiam dici poſſe, ſed metaphorice & improprie. Sic & ius & iniuriam ſibi ſecum & aduerſus ſe dici poſſe. Cur dici poſſit, hanc reddit rationem, quia fieri poteſt, vt partium vna ab altera quid mali perpetiatur contra ſuam appetitionem, & quaſi voluntatem. At notum eſt ex prioribus, iniuriam accipere nihil eſſe aliud, quam perpeti quid contra voluntatem. Si hoc reperitur, accipere iniuriam: ergo & facere. Hac igitur ratione oſtendit inter animæ partes iniuriam, & proinde & ius, & proinde iuſtitiam quoque & iniuſtitiam reperiri. Verum ius improprie, nempe œconomicum ſeu herile, non vero politicum, quod proprie ius dicitur. Nam quæ eſt ratio domini aduerſus ſeruos, parentis aduerſus liberos, & generatim imperantis aduerſus parentem; eadem eſt rationis aduerſus inferiores animæ partes. Qua de re pulcherrime *infra lib. 1. Polit. cap. 6.* & Cicero *lib. 3. de Repub.* quæ hic confuſe, ibi diſtincte. Quæ eſt igitur ratio, cur inter patrem & filium non ſit ius proprie, eadem & hic eſt, qua de re *ſupra cap. 6.*

FINIS LIBRI V.

LIBER VI.

ARGVMENTVM.

Vatuor huius libri membra eſſe vid
rum primum ſit velut proœmium:
neatur eius rei, de qua agitur, expl
tio ſubtilior Prudentiæ eiuſque part
butio & explicatio: poſtremo duæ afferuntur
Ad hunc autem locum vtile eſt videre lib.1.Mag
& lib. 2. cap. 3. lib. 1. Analyt. poſter. & 3.
Platonem in Theæteto, & lib.7. de Repu
centioribus Pontani libros 5. de Prudent

CAPVT I.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ τυγχάνομεν πρότερον.] Duobus his prim
tanquam proœmio, qua de re agatur, & cur, ad
tione animæ, ex qua & ſtratum & officium eius r
gitur, perſpiciatur, explicat.

ἐπεὶ δὲ τυγχάνομεν.] Exponit, qua de re, & cur a
quidem de recta ratione, atque adeo de omnibu
mentis virtutibus, cauſam affert hanc, quia mediu
quendum, non vero nimium, aut parum, *ſupr. lib.2*
pe eſt dictum) recta ratione definiatur. Formula:

Si medium cognoſcendum eſt, vt eſt, & ſequer
Ergo & recta ratio cognoſcenda.

Nam medii recta ratio eſt tanquam norma & finis

ἐν πάσαις γὰρ ταῖς.] Obſcurior eſt hic verſus: vi
duabus ſimilitudinibus breuiter & obſcure expo
vim rectæ rationis, vt quam videatur appellare ſc
minum ſeu finem, quorum illud à ſagittariis,
menſoribus eſt ſumptum. Vt igitur, inquit, in a
artibus: ita & in ſupra explicatis virtutibus ſcopu
eſſe neceſſe eſt, ad quē is, qui ratione vtitur, omn
nes & actiones ſuas dirigat, & tanquā ſagittarius a
aut remittat. Scopus hic, cum in aliis rebus, tum i
quæri poteſt, quis ſit; an recta ipſa ratio, an quid a
nempe ſeu honeſtum & id quod oportet, aut medi

prudentia. Quatuor namq; hęc ad actionum noſtrarũ rectitudinem efficiendã concurrunt. Et recta quidẽ ratio ipſa ſcopus eſſe non videtur, quod ea velut duce & lumine prælucente, ad ſcopũ perueniatur: prudentia quoq; ea, q̃ ad ſcopum pertinent, dirigere dicitur *inf. c. 12.* mediũ quoq; ſcopus eſſe nõ videt᷑, propterea ꝙ mediũ ratione nimii & eius ꝙ parũ dicatur, ad nimiũ & id ꝙ parũ ſe referat, non tanquã ad finẽ. Dicendũ puto, ſcopum actionũ noſtrarum eſſe τὸ δέον id quod oportet ſeu ipſum honeſtum: quod quia in medio quodã eſt poſitũ, nõ incõmode & medium dici poterit, vt illa duo ſint quidem eadem, ratione tamen differãt. Ratio quoq; ipſa recta, quia eius quod oportet eſt cauſa quaſi efficiens, dux & lumen: ea re & rectæ rationi cũ eo, quod oportet, maxima eſt affinitas, & ſcopus quodammodo eſſe videt᷑. Ad ſummã, in prudente eſt recta ratio, q̃ actiones omnes ad honeſtũ, ſeu id, quod oportet, in medio poſitum, dirigat. Ex quibus perſpicuum eſt, quæ vis & vſus ſit rectæ rationis, vtpote ad ſcopum virtutum viam munientis & prælucentis.

καὶ τις ἐστὶ ὅρος.] Altera eſt ſimilitudo, qua & ipſa vſum rectæ rationis oſtendit. Eſt, inquit, finis aliquis ſeu terminus mediocritatũ, quas inter nimium & parum interiectas, vbi rectę congruenti *ſup. li. 2.* diximus, quaſi dicat, quia mediocritates inter nimium & parum ſunt interiectæ, terminus aliquis vt in iis ſit neceſſe eſt, vt in duobus agris termino ſeparãdis. Hic autẽ terminus rectæ rationi eſt conſentaneus, eum dirigit recta ratio, i. mediocritates tanquã terminũ inter nimiũ & parũ interiectas, recta moderatur ratio. Eſt igit᷑ recta ratio tanquã ſcopus & terminus actionũ noſtrarũ, aut certe q̃ illa moderetur & dirigat.

ἔστι δὲ τὸ μὲν εἰπεῖν.] Tacitæ quæſtioni occurrit: nam occurri poterat Ariſt. nõ opus eſſe longiore explicatione de recta ratione: ſatis eſſe, quod dictũ eſt, virtutes rectę rationi cõgruere debere. Reſpondet Ariſt. id quidẽ verũ eſſe, virtutes cõgruere rectæ rationi, ſed non eſſe ſatis ad planã rei cognitionẽ, id ꝙ exemplo Medicinæ oſtẽdit. Nã nõ ſatis eſſe, ſi quis dicat, corpori curando adhibẽda eſſe ea, q̃ medicinæ ratio præcipiat, ſalubria nẽpe: nã hoc amplius & diſtinctius explicare oportere, q̃ illa ſint ſalubria, quæq; eorũ vis & natura. Ad eundẽ modũ & in hac ſciẽtia Politica non ſatis eſt dicere, actiones noſtras moderandas eſſe, prout recta p̃cipit ratio: nã & eo amplius exquirendũ, quid recta ſit ratio, q̃ eius vis & natura, qui eius ſit finis, ſc. quomodo actiones noſtrę, tanquã termino, de quo modo, definiantur. Id

namque valere mihi videtur verbum ὅρος in his verbis, ἐ τέτε τίς ὁ ὅρος, non vero definitio, vt aliqui definiunt. Hæc igitur vna eſt ratio, cur de affectionibus animi ſeu virtutibus diſputans in his libris etiam de recta ratione explicarit. Verum quæri poteſt, cur non tantùm de ea rectæ rationis forma (quam eſſe Prudentiam infra docebimus) quæ ad virtutes moraleseſt vtilis, de quibus in his libris agitur: ſed etiam de aliis omnibus rectæ rationis generibus hic explicarit, cum ea tractatio potius ad Dialecticum aut Phyſicum pertinere videatur, de ſapientia, ſcientia, mente & arte: Et certe ipſe Ariſt. *lib.1. Poſter.c.vlt.* explicationē de his affectionib. ad hos tres, Dialecticū, Phyſicū, & Politicum pertinere ait, & ab ipſo in tribus illis operum generibus explicatur, quod & initio indicauimus *lib.3 de Anima.* Huic quęſtioni occurrit ipſe Ariſt. *lib.1. Mag.c.vlt.* Affert igitur tres rationes Ariſt. Prima eſt, quia omnes ſint virtutes, de quib. in his libris explicandū ſuſceperit. Secunda eſt, quia Philoſophi ſit officiū ēt ea pertractare, & vna explicare, quæ eiuſdē ſint argumēti, & in eadē re verſent. Philoſophi nō tantū ea, q̄ propria ſint ſui inſtituti, ſed ēt q̄ affinia & cognata ptractant, vt eleganter *in lib. de Fin.* Cic. Tertia eſt, quia cum de iis, quæ ſunt animi agatur, de omnib. (quales ſunt & hæ affectiones rationis, ſcientia, ars, &c.) quæ ſint animi vel in animo poſita, agendum fuit.

τὰς δὴ τῆς ψυχῆς ἀρετὰς.] Vt *ſup. lib.1.c.vlt.* diſputationem de virtutibus moralibus, atq; adeo de omnibus virtutib. ab animi facultatum partitione; ita & hic de virtutib. rationis diſputationem ab eadē re orditur, propterea q̄ earū omniū tanquā ſtratum & materia ſit animus. Ait igitur, partitū ſe animū eſſe *ſupr. lib.1.c.vlt.* in 2. partes: quarū altera ſit particeps rationis, altera expers: & ad hanc ſe accommodaſſe virtutes morum, ad illam virtutes rationis. Illis igitur iam explicatis, ſupereſt de his explicare, & de ea parte animi, quæ rationis eſt particeps. Hanc igitur duas in partes rurſus ſecat, à ſtrato ſumpta diuiſione; quarum altera res eas intelligamus, quarum principia aliter ſe habere nequeant: altera vero res eas intelligamus, quæ aliter ſe habere poſſunt. Quæ autem ſint res, quarum ea ſit natura, vt aliter ſe habere poſſint, aut non poſſint, notum eſt. Non poſſunt res diuinæ & naturales, quæ ſunt perpetuæ, fixæ & ſtabiles, & vniuſmodi. Poſſunt res, quæ ab hominibus fiunt, quarum in homine eſt principium, vt opera artis & actiones. Quod autem Ariſtot. res perpetuas vocat eas, quarum principia non

poſſint

poſſint aliter ſe habere, idem eſt, ac ſi diceret: res quæ aliter ſe habere non poſſunt, vt & ipſe ſæpe vocat, omiſſo verbo principii. Huius nomine hic intelligit principia, quæ dicuntur cognitionis non natura. Cognitionis principia ſunt ἀξιώματα & propoſitiones Apodicticæ, quibus paritur cognitio & ſcientia. Sunt & propoſitiones Dialecticæ, in Medicina & ſcientia Politica: omnia denique cognitionis principia, ſiue apodictica, ſiue Dialectica: Verbi gratia: Iuuare egenum eſt propoſitio Politica, honorem exhibere Magiſtratui; item, Febre laboranti non vinum præbendum, eſt medica propoſitio, & principium, de quo hic agitur. Naturæ ſeu ὑπάρξεως principia ſunt cauſa efficiens & finis, de quibus hic non agitur, etſi dubitat Euſtathius: nam principii vocabulum de propoſitionibus ſyllogiſticis, cum hoc libro ſæpe, tum alibi vſurpari ſolet. Videatur Ariſtoteles *libr. quarto Metaphyſicorum*. Hinc principia Politica Ariſtoteles *lib. 1.* vocat propoſitiones ſyllogiſticas, ex quibus aliquid in ſcientia qualibet concludi poteſt. Principium ὑπάρξεως & naturæ eſt beatitudo: Animus & homo, principium Politicum efficiens.

πρὸς γὰρ τὰ τῷ γένει] Etſi modo dixerat, ὑποκείσθω, quo verbo indicarit, ſe ſumere hanc animi ratione præditi partitionem & ſupponere tanquam certam, ex libris *de Anima*, neque hic rationib. confirmandã: adiungit tamẽ vnam rationẽ, qua eam confirmet, item à ſtrato ſumptam, quia harum duarum animi partium, qua vel res ſtabiles, vel inſtabiles intelligimus, ſtrata non ſunt eadem, eadem ipſas quoque diſſimiles eſſe & genere diſcrepare neceſſe eſt. Formula:

Quarum rerum ſtrata genere diſcrepant, & ipſa diſcrepent neceſſe eſt; nam cognatio quadam & affinitas eſſe debet rei ſeu facultatis animæ cum ſtrato ſeu re facultati ſubiecta. Quare & in ſenſibus ſono attributa ſunt aures, ſucco lingua & guſtatus, rebus ſub aſpectum cadentibus oculi, &c. vt eleganter Ariſtoteles lib. 1. Magn. cap. vlt. & libr. 1. de Anima, in fin fere. Et hoc eſt, quod & hic ait, εἴπερ καθ' ὁμοιότητά τινα, *&c. vbi* αὐτοῖς, *ſcil.* μορίοις, *ſeu animæ partibus, id eſt, cognitio rerum exiſtit cognatione quadam cum iis ſcil. animæ partibus.*

Atqui harum animæ partium duarum ſtrata ſunt diſſimilia, & genere diſcrepantia (alterum eſt enim ſtabile, alterum inſtabile.)

Ergo & hæ animæ partes genere diſcrepent neceſſe eſt. Rectè igitur animam in duas has partes diuiſit ratione ſtrati.

λεγέσθω δὲ τούτων.] Hic nomina his duabus animæ partibus imponit: dicatur, inquit, altera ἐπιστημονικὸν ſcientiæ, altera λογιστικὸν ratiocinationis ſeu diſputationis Poſterioris rationem reddit appellationis, quia ratiocinari ſeu diſputare & conſultare ſint idem, quaſi diceret, pars hæc plærunq; dici quidem ſolet βουλευτικὸν, ſeu conſultatrix: rectè tamen & ratiocinatrix à me appellata fuit, quod ratiocinati & conſultare idem valeant. Vocat & *infr. & in lib. 2. de Anima.* δοξαστικὸν. De priore hæc eſt ratio appellationis, quia in iis rebus cernatur, quarum propria eſt ſcientia.

οὐδεὶς δὲ βουλεύεται.] Hæc eo pertinent, vt oſtendat, hanc animi partem rectè dici βουλευτικὸν: dictum eſt enim, eam verſari in rebus, quæ aliter ſe habere poſſint. At de iiſdem hic conſultatio, non de iis, quæ aliter ſe habere nequeunt.

ληπτέον ἄρα ἑκατέρου.] Nunc accommodat ſuam cuique parti virtutem; Quod quidem ita commode fieri docet, ſi ſua cuiuſque partis optima ſumatur affectio ſeu habitus: reperto habitu, & de virtute conſtabit: nam ſua cuiuſque rei optima affectio ſeu habitus nihil eſt aliud, quam virtus, quæ, vt *ſupra libro 2.* dictum, ſua cuiuſque rei eſt perfectio. Virtus autem ad ad ſuum quæque munus & opus, id eſt, virtus ex ſuo quæque opere & munere ſpectatur & cognoſcitur. Quare ad cognoſcendam cuiuſq; partis animæ & optimam affectionem & virtutem, operæ pretium erit & earum animi partium opera & munera cognoſcere, &c.

CAPVT II.

COMMENTARII.

Τρία δ' ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ.] Perperam & hoc caput à priore eſt diſtractum: adiungit namque continuo de earum animi partium opere & munere; cui tamen explicationi admiſcet quædam de omnibus actionum & cognitionum principiis, & maxime de προαιρέσει, quæ potius ad virtutes morum, quam ad eas, quæ rationis, pertinent. Opus autem & munus harum animi partium duarum docet eſſe veri contemplationem, vtranque in vero contemplando & exquirendo verſari, diſſimili tamen ratione: nam ſcientiæ partem in vero abſolute, alteram in vero com-

vero comparate, i. ad actiones humanas accommodate: quod mox rectius intelliget. Ait igitur initio, actionis & veri tria eſſe principia, i. cauſas efficientes, ſenſum, mentē & appetitū. Meminiſſe namq; oportet, ꝙ ex Ariſt. ſcribit Cic. *in lib. de Fin.* hominē ad duo eſſe natū, ad intelligendū & ad agendū. Vtriuſq; igitur huius officii principia tria eſſe ait Ariſt. id ꝙ & ex *l. 3. de Anima*, cognoſci poteſt, vbi his tribus animātes ad quid agendū aut cognoſcendū impelli ſcribit: hæc tria mot⁹ animantiū eſſe principia, & hac quidē in re vniuerſe cōſentiunt; differūt tamē, quod ſenſus ad cognitionē quidē iuuet (ex ſenſu namq; plęraq; ſcientiarum principia manant) ſeu, vt ait Ariſt. ad veritatem: ad actionem vero plane ſit inutilis, nullius principium ſeu cauſa ſit actionis. Cuius argumēto ſunt beluæ: nam ſenſu quidē has vti, has quidē ſentire, nihil agere tamen. Quo pertinet, ꝙ ſ̄ docuimus, verbū πράξεως, vt & factiLatinū, rationē in ſe cōplecti.

διάνοια.] Hæc verba νοῦς & διάνοια, rurſus νοητικὸν & διανοητικὸν eodem pertinent, idem ſonant hoc loco. Ratio ſeu mens Latine dici poſſunt, alias multum inter ſe differunt, qua de re *infr.* Idem, inquam, valent hæc tria, λογικὸν, νοητικὸν, & διανοητικὸν, pars animi; in qua eſt ratio ſeu mens & ratio ipſa, de qua & de cuius officiis diligenter hic explicatur.

ἔστι δ᾽ ὅπερ ἐν διανοίᾳ.] Quid ſenſus à cæteris duobus differat, iam dictum. Hic reliqua duo inter ſe comparat: nam quod in mente eſt affirmatio & negatio, idem in appetitu eſt conſecutio & aſpernatio. Notum eſt mentis duo velut eſſe officia ratione ſtrati ſeu veri, nempe affirmationem & negationem: appetitus quoq; eſſe duo ratione ſtrati: nam perſequi bonum & apernari malum: Inter quæ hic talem cognationē ait eſſe Ariſt. vt mentis affirmatio ſit, velut quædam perſecutio, & negatio ſit velut aſpernatio & fuga: nam quod in mente verū eſt & falſum, id in appetitu bonum eſt & malum. Quare & alias etſi improprie, mens etiam bonum ſibi proponere dicitur, tanquam verum, cum hoc eius ſit proprium, illud appetitus.

ὥστ᾽ ἐπειδὴ ἡ.] Vſum comparationis eius hic affert in virtute morali: nam conſtat ex *lib. 2.* eam nihil eſſe aliud, quam habitum proæreticum: & ex *lib. 3.* proæreſin eſſe appetitum cum deliberatione, q̄ cum ita ſint, certe hæc duo, mens & appetitus, ad virtutē morū ſunt neceſſaria, & ad ipſam quoq; προαίρεσιν, adeo, vt ſi προαίρεσις eſt bona, vt eſt in virtute morali: certe & appetit⁹ vt ſit rectus, & mens quoq; vt ſit bona, neceſſe erit: Eadem

dem vtrumq; vt cupiat & ſpectet, vt quod mens affirmet, appetitus id perſequatur: vt, inquã, menti affirmatio, appetitus perſecutioni conſentiat, non aliud velit appetitus, quam præcipiat mens & ratio, id quod & *ſup. li.3.* de proæreſi eſt explicatum. Et hæc quidem mens cum appetitu concurrẽs, practica dici ſolet, vt quæ rebus agendis moderetur & deſeruiat. Alia eſt mentis ſpecies, quę in contemplando abſolute vero ſpectatur. Eſt quidem veri contemplatio omni menti propria: mens omnis & ratio in contemplando vero verſatur, tam practica, q̃ theorica, hæc tamen abſolute, illa comparate: nam hæc in ſola veri conſideratione conſiſtit, & intra eam ſe continet: illa foras ſpectat, & negotiis hominum ſe accommodat, eaq; tanquam lumen & dux moderatur, & hoc eſt, quod ait, τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ ſc. μορίου, ſupple, quæ duo verba de vna animi parte practica ſunt intelligenda, vt quæ & ipſa eſt διανοητική, non tamen theoretica: διανοητικὸν eſt genus, cuius partes ſunt πρακτικὸν & θεωρητικόν. Argyropylus tamen verbum, καὶ διανοητικοῦ, prætermiſit, quod & ipſe malim, niſi libris omnibus & veteri tralationi repugnaret.

πράξεως μὲν οὖν.] Redit ad προαίρεσιν: eam eſſe quidem actionis principium & virtutum moralium, non tamen principium, quod alicuius gratia, ſed id, vnde motus. Duo facit principiorũ genera, alterũ quod alicuius rei gratia, cuius generis eſt bonum & finis: alterum vnde motus, id eſt, vnde rerum ortus & interitus, cuius generis eſt cauſa efficiens. Et huius quidem generis principiũ ait eſſe προαίρεσιν, vt quæ nõ ſit tanquam finis rerum agendarum, ſed cauſa potius efficiens. Ratio autem ab Ariſtotele prętermiſſa, hæc eſt, quia προαίρεσις eſt appetitio quædam, vt ſupra dictum *lib.3.cap.3.* Formula:

Appetitus omnis eſt motus principium, ad agendum impellit, teſte Ariſt. lib.3. de Anima.
At προαίρεσις eſt appetitio quædam.
Ergo, &c.

Eſt igitur προαίρεσις rerum agendarum principiũ. προαιρέσεως autẽ principia ſunt appetitus & mens ea, quę alio ſpectat, id eſt, practica: nam & initio diximus, vt προαίρεσις ſit bona, hæc duo requiri, bonam mentem, & huic conſentientem appetitum rectum. Quare cum προαίρεσις abſque his duobus eſſe nequeat, tanquam ſuis principiis: recte adiungit Ariſtoteles προαίρεσιν abſq; mente ſeu poteſtate & habitu morali eſſe non poſſe.

Quod

Quod principium vt vtiliſſimum diligenter eſt retinendum. Ratio eius de mente iam eſt expoſita. De morali habitu hæc eſt, quia ex προαιρέσεως homines ſint & dicantur boni aut improbi, vt *ſupra* ſæpe eſt explicatum. [Ex προαιρέσεως enim probus aut improbus capit nomen.] Atqui probitas & improbitas morali habitu definiuntur: vitia & virtutes ſunt habitus. Quare proæreſi neceſſaria eſt affectio moralis: informetur quodammodo προαίρεσις moribus & habitu morali neceſſe eſt. [ad proæreſin enim neceſſarius eſt habitus moralis ſeu Ethicus, id eſt, vt vere ſit προαίρεσις. προαίρεσις ipſam conſtituit virtutem, & ad virtutem requiritur habitus.] Qua de re *infra cap.12.* latius. Confirmat hoc præceptum & ipſe Ariſtoteles, [Res quæ reddit bona, quæ tendunt ad finem, eſt habitus moralis: proæreſis reddit bonum ipſum finem. Si quis mala προαιρέσεως, malus finis. Sed vt ipſa ſit bona προαίρεσις, quæ iuuat actiones, quibus perueniamus ad finem, requiritur informatio quædam moralis] his verbis, εὐπραξία γὰρ, quaſi dicat, εὐπραξίας ſeu bonæ actionis principium eſt προαίρεσις, aut etiam τῆς πραξίας, ad agendum impellit, vtpote appetitus βουλευτικός. Atqui actio abſq; illis duobus, mente & morali informatione ſeu habitu morali, abſq; moribus, inquit Ariſtoteles, eſſe nequit: qui ex virtute aut vitio quid agit, habitu quodam informatus ſit neceſſe eſt, prælucente ratione ſeu mente, vt & *infra capite 12.*

Διάνοια δ' αὐτή.] Redit ad mentem Theoricam & Practicam. Legendum autem Διάνοια δ' αὐτὴ, non vt in quibuſdam αὕτη. Legendum, inquam, *mens autem ipſa*, vt recte vetus Interpres: non vero hæc, vt alij plærique. Mens, inquit, ipſa, nempe Theoretica mens per ſe conſiderata nihil mouet, ad agendum non impellit: in veritate ſola contemplanda acquieſcit. Practica, eaq; quæ alio ſpectat, illa eſt, quæ mouet, quæ molitur aliquid, quæ ad agendum impellit: non igitur Theoretica, ſed practica mens & ratio rerum agendarum eſt principium. Quod vel ex eo perſpicuum eſſe poteſt, quod in practica, ſeu mente actrice etiam effectricis mentis (quam vel ex ſenſu patet eſſe principium agendi, vel faciendi potius) principatus ſit poſitus, quod hæc illi quodammodo dominetur, ſuamque vim communicet: Nam vt actrix, ita & effectrix alio ſpectat. Quinamq; quid efficit, opus ſemper aliquod ſpectat, rei ſeu operis conficiundæ cauſa laborat, ſutor calcei, &c. Et hac qui-

 dem

dem in re practica & ποιητικά, (de quibus *infra* latius) conſentiunt, nempe quod alio referuntur, diſcrepant tamen, quod id quod efficitur, non eſt ſimpliciter finis, eſt alterius rei gratia: id quod agitur, eſt finis ſimpliciter. Effectricis ipſa effectio non eſt finis, opus præterea deſideratur, & huius rurſus alius præterea finis, vt ædificationis domus, & huius inhabitatio: Actricis autem ipſa actio eſt finis, neq; quidquam præterea deſideratur: Citharœdus carmine perfecto nihil præterea ſpectat operis. Quare actrix & effectrix eodem quidē velut genere continentur, quod eſt mens, non abſoluta, ſed alicuius rei gratia: fine tamen differunt. Practicæ autem vocabulum impropriè & menti huic cōmuni hic attribuitur, cum ait eam effectrici quodammodo dominari. Nam propriè eſt ea, quæ contradiſtinctione ab effectrice fine diſcrepat, vt eſt explicatum. & *infra* explicabitur latius *cap. 4.* Practicæ igitur finis ipſa eſt actio: huius autem finis eſt appetitio, id eſt, appetitus ad finem tanquam bonum ſe refert: mens practica actionem ſpectat: appetitio finem & bonum, & hoc eſt, quod ait, ἡ δὲ ὄρεξις τούτου ſcil. τέλους.

διὸ ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς.] Redit ad προαίρεσιν, eiuſq; affert quandam definitionem ex prioribus confectam. *Supra* namq; dictum ad προαίρεσιν, mentē & appetitionem concurrere. Hinc efficitur, inquit Ariſtoteles προαίρεσιν nihil eſſe aliud, quam vel mentem orecticam, ſeu cum appetitu, vel contra, appetitum διανοητικόν, mentalem, id eſt, Appetitum cum mente, quod *ſupra* eſt explicatum *libr. 3. cap. 3. in fine*. Et hæc quidem de προαιρέσει, rerum omnium agendarum virtutum & vitiorum principio, quod quidem principium eſt homo ipſe, inquit Ariſtoteles hoc loco, quia προαιρέσεως partes, mens & appetitus in ipſo ſunt homine, quod ipſum & *ſupra* eſt explicatum *li. 3. c. 3.*

οὐκ ἔστι δὲ προαιρετόν.] Adiungit de ſtrato ſeu materia προαιρέσεως, quibus illa in rebus verſetur, quarum rerum ſit προαίρεσις. Affert autem vnam duntaxat notam. Nam plures *ſupra lib. 3.* & omnes attulit. Ait igitur προαίρεσιν nō eſſe rerum præteritarū, ſed futurarum hac ratione, quia nec deliberatio ſit rerū præteritarum: nulla autem eſt προαίρεσις abſq; deliberatione, vt *ſupra* eſt explicatum *lib. 3.* Cur autem deliberatio rerum præteritarum nulla ſit, hæc eſt ratio, quia deliberatio rerum ſit earum, quæ fieri poſſint, vt & *ſupra* explicatum: at rerum præteritarū hæc eſt natura, vt dici nō poſſint fieri poſſe, vtpote iam

factæ: quod factum vt vulgo dicitur, infectum reddi nequit. Id quod Ariſtoteles Agathonis Tragici teſtimonio confirmat, adeo id verum eſſe, vt cum omnia Dij poſſint, hoc tamen ſolum & ipſis negatum ſit, quæ facta ſint reddere infecta: idem & tempori omnium parenti negatum ait Pindarus *in 2. hymno Olympiorũ*. Videat & Sophocles *in Trachinijs*. Formula;

Quarum rerum non eſt deliberatio, earum nec eſt προαίρεσις.

At præteritarum non eſt deliberatio.

Ergo nec proæreſis.

Altera Formula:

Quæ res fieri nequeunt, ſub deliberationem non cadunt.

Res autem præteritæ ſunt eius generis.

Ergo, &c.

ἀμφοτέρων δὴ τ.] Quaſi diceret, ex prioribus liquet, quod harum animi partium ſit munus & opus, quæ fuit quæſtio princeps, concluſio. Eorum autem omnium hæc eſt ſumma: Animi partis, quæ rationis eſt particeps, duas eſſe rurſus partes ſeu facultates, quarum vna ſcientia: altera dicitur ratiocinatrix, illa quoq; theoretica, hæc practica, ſub qua effectrix, dicitur. Vtriuſque idem genere eſt munus & opus, veritas ſeu eius acquiſitio, pertractatio, ſed fine non idem. Nam illius veritas in ſe vertitur & conſiſtit, huius alio pertinet, hominumq; negotijs ſe accommodat.

καθ᾽ ἃς ὢν ἕξεις.] Initio huius capitis dictum eſt, harum animi partium virtutes ex opere & munere & optima affectione cognoſci: iam igitur cognito earum opere & munere, reliquum eſt, vt de optimis affectionibus ſeu habitibus videamus, in quibus opus illud & munus, quod veri pertractationem diximus, reperiatur, ſeu vt loquitur Ariſtoteles, quibus habitibus maxime pars vtraq; ἀληθεύει, verum enunciat ſeu profert. Nam repertis his affectionibus, etiam de virtutibus harum animi partium, quas quærimus, conſtabit, &c.

CAPVT III.

COMMENTARII.

Ἀρξάμενοι ὢν ἄνωθεν.] Duo hic afferuntur, commemoratio & expoſitio affectionũ optimarum partium animi ratione vtentium: deinde explicatio vnius earum affectionum nimirum ſcientiæ.

ἀρξάμενοι ἐν αὐτῷ.] Quæ adhuc ſunt explicata de methodo & partibus animæ, earumq; munere & officio, de principijs actionis & cognitionis, & de proæreſi: ea prooemij loco conſtituimus. Nam hic demum orditur diſputationem de virtutibus rationis ſeu mentis, qui ſcopus eſt huius libri, & hoc eſt, quod ait, ἀρξάμενοι, &c. quomodo & *ſupra libr. 1. capit. 5.* [abſoluto prooemio.]

ἔστω δὴ οἷς ἀληθεύει.] Diximus harum animi partium, de quibus agitur, opus & munus eſſe ἀληθεύειν. [Ennius apud Gellium olim hoc dixit *verare*.] Hic iam quæritur de affectionibus ſeu habitibus, in quibus ἀληθεύειν cernatur: ſeu quorũ habituum ope & opera partes illæ animæ verum enuncient, munusque ſuum fungantur. Ariſtoteles igitur quinque eſſe huius generis habitus. Sint, inquit, quinque, quaſi diceret, non affero rationes, cur quinque duntaxat ſint, ſed ſumo vt certũ ex Analyticis: adiungit tamen rationem, cur opinionẽ ab hoc numero excludat, q̃a opinio etiam ſit falſi, etiã mentiri, & falſum dicere opinione accipit animo, quærimus autem hos habitus, quibus animus ἀληθεύει. De opinione, eam & veram eſſe, & falſam, eaque animum ἐπαμφοτερίζειν, vt Ariſtoteles *in magn. libr. 1. cap. vlt.* ex Platonis Theæteto ſumpto vocabulo loquitur, id eſt, ambigere animum, nunc hoc, nunc illud ſentire & loqui, nemo vnquam dubitarit. Quare & pulchre Plato opinionem velut Androgynum medium quiddam eſſe ait inter id quod eſt, & id quod non eſt. Eam vocat hoc loco duobus nominibus Ariſtoteles, δόξαν & ὑπόληψιν, quod poſterius tamen verbum eſt multiplex, & quidem triplex eius notio. Nam interdum eſt omnis animi comprehenſio, & genus omnium harum affectionum, ſcientiæ, ſapientiæ, &c. vt eſt apud Alexandrum *in 1. Top.* & ipſum Ariſtotelem *libr. 4. Topic.* Interdum idem valet, quod opinio ſeu δόξα. Quare & *in magnis* hoc ſolum nomine eſt vſus. Interdum eſt quiddam à δόξῃ diſſimile, non quidem genus δόξης, vt perperam Plato, ſed quaſi ſtratum & materiam, inquit Ariſtoteles *lib. 4. Top.* videatur & doctiſſimus Schegkius *in 1. Analyt. cap. 39. in aureis commentar.* Hæc igitur eſt cauſa, cur hoc loco inter habitus veri, opinionem non numerarit Ariſtoteles, etſi *in magnis* numerauit. Verum in ijs libris multa ſecus continentur, non tam exquiſitis & accuratis quam ſunt Nicomachici. Cur ergo dicet aliquis, Prudentiam quoq; & artem non excluſit,

cluſit, vt quæ ſæpe à vero aberrent. Reſpondeo, quia prudentiæ ipſius aut artis, ipſorum inquam habituum non ſit peccatum, ſed rerum: ipſorum habituum hæc eſt natura, vt verum ſemper perſequantur: aberrant tamen interdum rerum culpa inſtabilium & incertarum. At opinionis ipſius natura hæc eſt, vt & falſum, & verum perſequatur. [Natura enim opinionis eſt quaſi ambiguus gladius. Si quis quid falſo opinatur, eſt vere opinio, ſed non vera opinio, ſed falſa, ex ſe, & vera, eſt falſa opinio.] Quæri præterea poteſt, quæ ſit natura, cur veri affectiones quinque duntaxat, & quidem hæ commemorentur. Solet cauſa ex rebus & ſtrato elici. Res enim aut ſunt neceſſariæ, aut non. Illæ partim ſunt principia, quorũ eſt mens: partim de principijs concluſa & effecta, quarum eſt ſcientia: partim vtraq; permixtim, quorum eſt ſapientia. Non neceſſariæ, quas contingentes vulgo vocant, partim ſub actionem cadunt, quarum prudentia: partim ſub effectionem, quarum eſt ars. Atque ita plærique: accommodatius tamen ad rem propoſitam, ex munere & opere harum animi partium cauſam eliciendam exiſtimo. Opus & munus diximus eſſe veri pertractationem, partim in ſe, partim alterius gratia, prout duæ quoq; animi ſunt partes, altera Theoretica, altera practica. Si in ſe, aut cum mentis quadam agitatione ſeu diſcurſu, vt vocant: aut abſque: aut permixtim. Hinc deinceps, ſcientia, mens, & ſapientia exiſtunt: ſi alterius gratia, aut agendo, aut efficiendo, & hinc prudentia & ars. Atq; ita ex quinque partito animi munere & opere, habitus quoque quinque exiſtunt genera. Hinc quando quid eſt abſque diſputatione mentis, tum talis actio mentis dicitur proprie, ꝙ græce νομίζειν vocant, vbi talis contemplatio veri abſq; diſcurſu, exiſtit quidam habitus, qui dicitur νοῦς. Vbi agitatio mentis adeſt, non poſſum complecti, niſi me doceas rationibus ſyllogiſticis, tum exiſtit ſcientia. Nulla vera ſcientia abſque quodam diſcurſu, abſq; collectionibus, argumentis. Vbi mens diſputat ſecum, exiſtit ſcientia. Habitus eſt etiam, qui partim diſputat, partim non, vtitur vtroque munere, & diſputatione aliquid concludit, & contra abſque, &c. eſt habitus ille, qui vocatur ſapientia, copulatus ex mente & ſcientia, ex duobus prioribus videlicet.

ἐπιστήμη μὲν οὖν.] Orditur deinceps explicare quinque hos veri habitus, & primum quidem de ſcientia. Meminiſſe au-

tem

tem oportet, quæ *ſupra lib. 1. initio* diximus, ſcientiæ vocabulū interdum communius, interdū accipi anguſtius. Nam & prudentia, & ars, & ſapientia communiore notione etiam ſcientiæ dicuntur, tam latine, quam græce. Anguſtius hoc loco accipitur & proprie. Affert autem tres eius notas, exquiſitius quam Plato, qui *in Theæteto* ſcientiæ naturam non tam firmis concluſionibus, quam ſimilitudinibus (re & negotio ipſius quoq; Platonis teſtimonio, fallace & lubrico) naturam ſcientiæ & definitionem inueſtigat, quem ſe obſcure perſtringere mihi videtur hoc loco, his verbis Ariſtoteles, εἰ δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι καὶ μή, &c.

πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν.] Prima eſt nota à communi hominum ſenſu & opinione ſumpta, qua docet Ariſt. ſcientiam rem eſſe firmiſſimā & immutabilem, rerumq; eſſe ſtabilium, æternarum, non vero caducarum, ortuiq; & interitui obnoxiarum. *Omnes, inquit, ea ſe ſcire exiſtimant, quæ aliter habere ſe non poſſint*: id demum ſcire ſe exiſtimant, quod plane ita ſe habeat, neq; aliter vllo modo ſe habere poſſit. Id demum vocant ſcire, quo argumento vtitur Ariſtoteles, & *in Analyt. lib. 1. poſter. cap. 2.* Sic ea, quæ ſciuntur, plane ita eſſe debent, vt aliter ſe habere nequeant, vt ſcimus Deum omnipotentem. Ita affectus animo ſit, qui ſcit, vt exiſtimet ſe nunquam aliter poſſe cognoſcere: qui deducuntur à ſcientia ſua; non ſunt ſcientes.

τὰ δ' ἐνδεχόμενα.] Ea ſciri diximus, quæ nullo prorſus modo aliter eſſe nequeant. Nam quæ aliter ſe habere poſſint, eorum profecto certitudo eſſe non poteſt, quæ ad ſcientiam requiritur, propterea quod ſimul vſurpari ſenſu deſierint, iam ignorari incipiant, ſint, nec ne. Et hoc eſt, quod ait, ὅταν ἔξω τοῦ θεωρεῖν, vbi verbum θεωρεῖν, non de mente, quaſi mente cernere & animo, ſed de ſenſu eſt accipiendum, teſte ipſo Ariſtotele *lib. 6. Metaphyſ.* ἄδηλα γὰρ τὰ φθειρόμενα. Summa; rerum, quæ aliter ſe habere poſſunt, nulla poteſt eſſe ſcientia: efficeretur enim vt ſcientia fieret ignorantia. Cur ità? nam ea eſt illarum rerum natura, vt quamdiu ſenſu percipiuntur, cognoſci poſſint: ſenſu ſimul atq; deſierint vſurpari, cōtinuo ignorari incipiunt, vt quarum notitia ex ſenſu ſolo pendeat. Neq; veró id duntaxat, quod ſcitur ſeu τὸ ἐπιστητὸν eius eſt naturæ & firmitatis, nullá vt ratione immutari nequeat: ſeu etiam ſcientem ipſum ita affectum eſſe oportet vt ſit ἀμετάθετος, vt Græci vocant, immutabilis & impermutabilis. Quare & ſcientiam

tiam quidam definiunt comprehenſionem animi ἀμετάπιστον, quæ nulla perſuaſione inuerti poſſit, teſte Ariſtotele *libr. ſexto Topicor*. Si, inquit, id quod ſcitur, eſt immutabile. Ergo & neceſſarium. Si neceſſarium. Ergo & ſempiternum: Si ſempiternum. Ergo ingeneratum & immortale, ſeu ortus & interitus expers. De duobus res eſt facilis: medij hanc affert rationem, quia quæ ſimpliciter neceſſaria, ea eſſe omnia ſempiterna. Sic enim interpungendum, non ante, ſed poſt verbũ ἁπλῶς. Duplex eſt enim neceſſitas: altera ſimplex & abſoluta ſeu ἁπλῶς: altera ex ὑποθέσει ſeu adiunctione, teſte Ariſtotele *lib. 1. de partib. Animalium*. & Cic. *lib. 2 veteris Rhet. in fin*. & dilucide Ariſtoteles *lib 2. de ortu & interitu*, vbi hac vtiť ratione. Si neceſſarium, inquit. Ergo & ſempiternũ. In omni enim ſyllogiſmo probabili eſt neceſſitas ex hypotheſi, in Apodictico ſyllogiſmo abſoluta. Ea igitur quæ ſciunť, ſunt immutabilia, neceſſaria, æterna, ortus & interitus expertia. Cuius generis ſola ſunt diuina, eaq; re ne quidem in naturalibus proprie eſt ſcientia, & ex Platonis *lib. 6. de Republ.* ſententia, ne quidem in Mathematicis, ſed repugnante Ariſtotele. Nam ex huius ſententia Metaphyſicorum & Mathematicorum ꝓpria eſt ſcientia, Phyſicorum impropria: Politicorum, Medicorum, &c. maxime impropria, ſeu prudentia potius & ars. Hinc omnia quæ intereunt, vt res naturales, eorum non eſt ſcientia.

πᾶσα ἐπιστήμη.] Altera ſcientiæ nota de origine eius & cauſa. Doceri, inquit, ſcientia, & percipi diſcendo poteſt, res quæ ſub ſcientiam cadit τὸ ἐπιστητόν. Nam docere ſcientis eſt proprium, teſte Ariſtotele *lib. 1. Metaphyſ. in princ.* etſi omnibus ætatibus, & hac maxime, ſæpe qui non didicerint, doceant, quos grauiſſime reprehendit Plato *in Gorgia*. Doceri igitur & diſcendo percipi poteſt ſcientia. Iam vero omnis perceptio eſt ex prænotione aliqua, vt copioſe Ariſtoteles *li. 1. poſter Analyt.* ſic in ſtudijs, in artib. quas Græci vocant διανοητικάς opus eſt prænotione. Verum in opificum artibus nulla opus eſt prænotione. Prænotionis autem genera affert duo, ſyllogiſmum & inductionem: & hanc quidem ait eſſe principium, & vniuerſi, illum vero ex vniuerſis conſtare, id eſt, inductio quidẽ eſt principiũ, quo cognoſcanť vniuerſa. Quæ cum nobis ſunt obſcuriora (in qbus tamen ꝓprie eſt ſcientia) rebus ſingulis & ſenſu (huc ꝑtinet inductio) innoteſcant nobis neceſſe eſt. Itaq; recte legiť in veterib. libris, *in Eudemiis*, veteri tralatione, & in omnibus

bus editionibus, excepta Baſilienſi peſſima, ἀρχὴ, non ἀρχῆς. Nam & principium eſt inductio, & quidem vniuerſi, id eſt, principium cognitionis vniuerſorum per ſingularia. Syllogiſmus autem eſt & ipſe prænotionis genus, ex vniuerſis conſtans. Nam vt inductio eſt ſingularium, ita ſyllogiſmus vniuerſorum, & ex generalibus propoſitionibus conflatus. *His* igitur duobus notionum generibus ad ſcientiam vtimur: ſyllogiſmo quidem ad recte concludendum, inductione ad vniuerſa, vt ἀξιώματα rebus ſingulis confirmanda & illuſtranda: Etſi *in Analyt.* ἀποδείξεως, id eſt, ſyllogiſmi ſcientiam efficientis ſeu Epiſtemonici, alia prænotionum facit genera, quid ſit, & an ſit, ſeu quod ſit.

εἰσὶν ἄρα ἀρχαί.] Docet inductionis vſum & cauſam. Nam cum principiorum, id eſt, cognitionum, ſeu propoſitionum generalium, ex quibus conficitur ſyllogiſmus, non alius ꝑterea ſit ſyllogiſmus, alio ſyllogiſmo confirmari nõ poſſint: neceſſaria fuit inductio, qua generales illæ propoſitiones confirmentur, nempe per ſenſum & res ſingulas. Cur autẽ ſyllogiſmo alio confirmari nequeant, hæc eſt ratio, ne res abeat in infinitum.

ἡ μὲν ἄρα ἐπιστήμη.] Definitionem affert ſcientiæ, ἀποδείξει congruentem. Nam quæ adhuc de ſcientia hoc loco, eadem de ἀποδείξει *in Analyt.* diſſeruit. Eſt igitur ſcientia habitus apodicticus: quæ plena eſt definitio ſcientiæ ex genere & differentia conflata. Nam quod ait Ariſtoteles, καὶ ὅσα ἄλλα, non ita accipienda ſunt, quaſi hæc definitio non ſit plena, ſed ad verbum ἀποδεικτικὴ explicandum pertinent, & ad ea quæ *ſupra* ſunt allata. Nam ἀποδείξεως propoſitiones non tantum ſunt neceſſariæ, & ex prænotionibus confirmatæ, ſed etiam medij expertes, notiores quam complexio, huiuſque ipſius cauſa, quæ omnia ad ἀπόδειξιν ſunt neceſſaria. Quare & adiungit mox tertiam notam ſcientiæ, nempe complexione notiores debere eſſe ſumptiones ſeu principia. Plato ſcientiam definit comprehẽſionem rerum diuinarum certa quadam ratione *in lib. 6. de Republ.* Nam, vt diximus, rerum duntaxat diuinarum ſcientiam eſſe ille voluit, ſed variat ſæpe; nam ſapientiam alias rerum diuinarum; ſcientiam naturalium; prudentiam humanarum eſſe ait *in Euthydemo.* Affert & ſcientiæ definitionem in Arithmetica Nicomachus. ***Eſt***, inquit, ***comprehenſio ſeu*** κατάληψις ***rei ſubiectæ nunquam fallens & immutabilis*** ἀμετάπτωτος. Et Clemens Alexandrinus *li. 2. Stromatum*,

tum, Philoſophi, inquit, *ſcientiam definiunt habitum, qui nulla ratione dimoueri poſſit.*

ὅταν γὰρ πως πιςεύῃ.] Tertia nota de fide principiorum ſeu ſumptionũ[principia.n. ſyllogiſmi pmiſſæ ſunt]& certitudine. Nam hunc demum vere ſcire, qui ſumptionibus ſeu principijs fidem habeat, iiſq; acquieſcat, eiq; ipſa complexione ſint notiora: ſin minus, vere hunc non ſcire, niſi ex euentu & per accidens. Eſt enim duplex ſcientia, vera, de qua hoc loco, & ex euentu ſeu κατὰ συμβεβηκός, qualis eſt fere rerum naturalium & maxime Politicarum. De tertia hac nota, vt & de prioribus earumque rationibus diſputat vberius *in libr. 1. Analyt. poſter. &c.*

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Τῶ δ' ἐνδεχομένου ἄλλως.] De arte, qui & ex habitibus animi ad verum cernendum eſt vnus, & inertia, explicatur, quid ſint, & quemadmodum ab alijs differant. Artis autem notio eſt multiplex: nam interdum habitum ipſum, interdum viam habitus ſonat. Ars enim pro via & ratione, quam Græci interdum μέθοδον vocant, poni ſolet. Hinc Cicero arte aliquid facere ſeu pertractare, quod alias via & ratione dicit. Habitus autem, vel omnis veri, vel certus hoc verbo ſignificari ſolet. Nam communius interdum omnes ſcientiæ & artes Theoreticæ, practicæ & poeticæ artis verbo comprehenduntur, vt *ſupra lib. 1. πᾶσα τέχνη,* &c. quo pertinet vſitata artis definitio apud Cic. *lib. 4. Academ. & 1. de orat.* & apud Quintil. & Lucian. Ars eſt ex multis animi perceptionibus, vſu & exercitatione conquiſitis, & in vnum exitum vitæ vtilem ſpectantibus coaceruatio. Certus autem habitus hoc loco explicatur, quæ quidem propria eſt huius verbi ſignificatio. Cuius rei hanc affert rationem ſeu ſignum potius Ariſtoteles *in Magnis.* Quia apud Græcos verbum τεχνίζειν, plærumq; de hoc certo genere effeṫatur: alias fortaſſe rationes attulit Ariſtoteles in libris Exotericis, vt hic ſignificat. Artis quoq; verbum interdum pro calliditate & dolo: qua ratione affinitatem habet quandam cum prudentia: interdum pro omnibus rectis & prauis actionibus, & inſtitutis poni ſolet, ſeu ſtudijs, vt apud Saluſtium: *Facile imperium ijs artibus retinetur, quibus eſt partum.* & Liuius, omnium conſenſu princeps belli paciſq; artibus. Et apud

Plautum & vetuſtiores ſæpe bonę artes, ꝓ virtutibus, ſeu actionibus virtuti conſentaneis, & contra malæ artes reperiuntur. Quibus notationibus obſeruatis, erudite reſponderi poteſt ad quæſtiones vulgatas: an Iuriſprudentia ſit ars: an Rhetorica ſit ars? de qua apud Cic. *in lib. de orat.* & Quintil.

τῶ δὲ ἐνδεχομένου.] Hoc verbo ſubindicatur diſputationis cõnexio & contextus huius cap. cum priore. Nam explicato habitu τῶ μὴ ἐνδεχομένου rerum ſtabilium & immutabilium, conſequens erat explicare de habitu, qui ſit τῶ ἐνδεχομένου. Et hoc eſt, quod ait τῶ δὲ ἐνδεχομένου, referens ſe particula δὲ ad prioris capitis verba, μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως. Et prioris quidem vnum attulit habitum: huius duo facit genera: quorum alterum ſub effectionem, alterum ſub actionem cadat, Græci vocant ποιητὸν & πρακτόν. Huius diuiſionis cauſa ex *cap. 2.* pendet, vbi duo animæ partis, quæ ratione vtitur, officia eſſe oſtendimus, quorum alterum ſit veri in ſe contemplatio, alterum veri ſit contemplatio alterius rei cauſa. Iam vero hæc poſterior pars rurſus in duo membra ſecatur, in actionem, & effectionem, propterea quod alterum poſt ſe opus relinquit præterea, alterum non item. Quod de actione & effectione eſt perſpicuum, vt in actionis generibus ſaltatione, cantu, &c. In effectionis generibus, confectione veſtis, ædificatione. Hæc igitur cauſa eſt, cur diſcrepent inter ſe actio & effectio, etſi ſub eandem animi partem rediguntur, quam πρακτικὴν communi nomine *ſupra* appellari oſtendimus.

καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς.] De his libris Exotericis *ſupra* diximus *lib. 1. cap. vlt.* Cicero libros populares vocat.

ὥστε καὶ ἡ μετὰ.] Expoſuit modo τῶ ἐνδεχομένου duo eſſe genera, ποιητὸν & πρακτόν: eaq; inter ſe diſcrepare, quia & actio & effectio inter ſe diſcrepenr. Quare, inquit, & vtriuſque habitus inter ſe diſcrepabit, id eſt, habitus cum ratione πρακτικὸς differet ab eo, qui cum ratione quid efficit, adeo quidem vt alterum ſub altero non cõtineatur, quemadmodum ſpecies ſub genere: Differt quidem ſpecies à genere, ſed hæc tantum illo continetur. Alia eſt horũ habituum ratio: neq;.n. actio eſt effectio, vel contra. At licet animal non ſit homo, homo tamẽ eſt animal. Et hæc quidem primo loco de ſimilitudine & diſſimilitudine, & de materia horum habituum.

ἐπεὶ δὲ ἡ οἰκοδομικὴ.] Definitionem hic affert Ariſtoteles per inductionem, hunc in modum: ædificatrix, ſutoria, & omnes

omnes

mnes præterea affectiones ratione certa quid efficientes, ſunt artes: contra vero nulla ars reperiri poteſt, quin ſit affectio, ſeu habitus certa quid ratione efficiens. Hinc efficiatur, habitum certa quid ratione efficientem & artem, eſſe idem.

ἔστι δὲ τέχνη πᾶσα.] Tertium eſt huius capitis membrum, quo de diſſimilitudine huius habitus cum reliquis veri habitibus agitur, & de eius materia: ait autẽ artem verſari in geneſi, id eſt, in rebus mutabilibus ſeu ἐνδεχομένοις. Id namque ſonat apud Ariſtot. verbum γένεσις innumerabilibus in locis. Nam artis & prudentiæ ſtratum facit geneſin Ariſtoteles: Scientiæ τὸ ὄν. Sic *infra cap. 12. initio*, οὐδεμιᾶς γάρ ἐστι γενέσεως, & Plato res omnes diuidit in τὰ γινόμενα & τὰ ὄντα: Atq; ad hunc modum geneſeως vocabulum accipit Euſtratius & Turnebus: haud ſcio tamen, an non ex aliorum ſententia accipi quoque poſſit vulgariter de rei cuiuslibet molitione & effectione: quod indicat verbum τεχνάζειν, & verbum γίγνεταί τι. Id namq; videtur dicere Ariſtoteles: Ars omnis eſt in geneſi, id eſt, occupata eſt in re aliqua molienda, & in re artificioſe efficienda, quod vocat τεχνάζειν, perperam alij reddunt comminiſci, (nam τεχνάζειν, vt & μηχανᾶν machinari, & corporis eſt, & animi: hic de corpore, vt & tota artis diſputatio) & perſpiciendo, vt quid fiat ſeu efficiatur operis, quod manu fit: vt inquam aliquid eorum, quæ vel eſſe vel non eſſe poſſint, efficiatur. Ad ſummam, artis officium eſt opus aliquod efficere, quæ horum verborum eſt ſumma ſententia. Diximus autem agi de ſtrato artis, eiuſq; ratione artem ab alijs habitibus diuidi, & recte. Nam duas affert ſtrati, ſeu operum arte factorum notas. Prior eſt in his verbis, ἔστι δὲ τέχνη, aut eius generis quid operis efficiatur & fiat, quod ſit ἐνδεχόμενον, id eſt, poſſit eſſe vel non eſſe, id eſt, quod non ſit neceſſario: altera, vt principium & cauſa τοῦ εἶναι, ſeu ortus & originis non ſit in opere ipſo ſeu re efficienda, ſed in opifice & efficiente his verbis, καὶ ὧν ἡ ἀρχή. Vtriuſque notæ ratio adiungitur. Nam de priore quidem conſtat, artem non eſſe rerum neceſſariarum, quarum propria eſt ſcientia: de altera, conſtat, artem non eſſe rerum naturalium. Nam velut ex altera parte ars naturæ reſpondet ſeu ἀντιπίπτει: contraria ſunt, arte aliquid fieri & natura. Atqui rerum naturalium hæc vera eſt nota, ortus & τοῦ εἶναι principium & cauſam in ipſis eſſe poſitam, quæ ipſa eſt natura ſeu φύσις, vt explicatur *in Phyſicis*. Itaque

in rebus artificioſis ortus principium eſt in voluntate & affectione opificis, qui niſi velit, & moliatur, nullum certe per ſe, & ſua vi opus naſcetur. Et hac poſteriore nota in diuidenda arte & prudentia à theoreticis ſcientijs vſus eſt & Ariſtoteles *11 Metaphyſ. libr. x. cap. 6.* Ex his perſpicuum eſt & hoc, qua in re differat ars à veris ſcientijs, Metaphyſica & Mathematica, quæ rerum ſunt neceſſariarum: & à phyſica, quæ earum eſt rerum, quarum in ipſis principium & cauſa ortus eſt poſita. Hæ autem duæ notæ arti & prudentiæ ſunt communes: de priore conſtat ex initio capitis: de altera aperte eo loco *Metaphyſ.* Ariſtoteles. Hactenus igitur prudentia & ars conueniunt: diſcrepant tamen, quod ars ſit effectionis non actionis, cuius propria eſt prudentia, vt *ſupra* dictum, & hoc eſt, quod ait iterando Ariſtoteles, ἐπεὶ δ' ποίησις. Verum magna eſt artis & fortunæ ſimilitudo, & in iiſdem plane rebus verſari videntur, iis, inquam, quæ inſtabiles ſunt, & incertæ ſeu ἐνδεχόμενα. Quod idem ait Ariſtoteles *lib. 2 Phyſicæ ἀκροάσεως de principijs* communiter tamen cum prudentia. Ait namque fortunam, prudentiam & artem ſeu προαίρεσιν & voluntatem in iiſdem verſari rebus: Sed enim maior eſt artis cum fortuna ſimilitudo quam prudentiæ. Nam maior in prudentia eſt deliberatio & conſideratio; artem plurimum iuuat fortuna, vt eleganter doceri poteſt exemplo pictoris, de quo *ſupra* alicubi. Cui rei teſtimonio affert Ariſtoteles & Agathonis verſiculum prouerbialem: Plutarchus tamen *in libello de Fortuna*, non tantum in Prudentia, ſed etiam in artibus, paruam vim fortunæ & poteſtatem eſſe, conatur oſtendere multis exemplis.

ἡ μὲν οὖν τέχνη.] Iterat hic definitionem artis, eo conſilio, vt velut contentione quadam planius exponat, quid ſit inertia, ſeu ἀτεχνία.

CAPVT V.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ φρονήσεως.] Duo priore capite fecimus τῶν ἐνδεχομένων genera, Artem & Prudentiam. De illa prius: nunc de Prudentia, quid ſit, quarum rerum, & quemadmodum ab alijs veri habitibus differat. Eſt autem & Prudentiæ vocabulum ambiguum & multiplex: nunc enim communius, nunc ſumi-

ſumitur anguſtius, vt & ſcientiæ & artis. Nam communius ſumptum complectitur omnes veri cognitiones & ſcientias theoricas & practicas tam Græce quam latine, apud Ciceronem, Platonem, Ariſtotelem, & omnes alios. Nam quod *infra capite vltimo.* de Socrate ſcribit Ariſtoteles eum exiſtimaſſe, virtutes omnes eſſe φρονήσεις ſeu prudentias, id idem ſcribit *libro primo Magn. capite primo*, eum vocare virtutes omnes ἐπιστήμας ſeu ſcientias. Atque hunc in modum accipienda eſt tota Ciceronis diſputatio *in offic. de Prudentia*, quod explanatores eius libelli non ſatis attendiſſe videntur, quod tamen eſt perſpicuum, cum ex initio *libri primi*, tum ex fine, vbi Dialecticam, Geometriam, Iuriſprudentiam, prudentiæ facit partes: & ſummatim duo prudentiæ facit officia: alterum quod in rebus expetendis & fugiendis, alterum quod in cognitione veri & ſtudijs ſcientiæ ſit poſitum. Altera prudentiæ notio anguſtior huc pertinet, & hic explicatur, quæ quid ſit, ex ipſa Ariſtotelis diſputatione fiet perſpicuum. Affertur & triplex huius verbi ſeu vocabuli notio *initio lib. 3. ad Herennium*: quarum duæ ſub anguſtam, media ſub communem eſt referenda. Agnouit & Cicero *multis in locis*, & perſpicue *libro primo offic. in fine*, hanc prudentiæ vim & notionem anguſtiorem, quam ſolet vocare virtutem, quæ in rebus perſequendis & fugiendis cernatur, & rurſus: in qua bonorum & malorum ſit delectus.

περὶ δὲ φρονήσεως.] Monet initio prudentiæ vim & naturam commode cognoſci poſſe, ſi videamus, qui proprie prudentes dicantur. Nam habitus ipſi plærumque ſunt obſcuriores, quam vel actiones, vel homines habitu præditi, vt qui magis in oculos incurrant, qua de re nonnihil *ſupra initio libri quinti.* Nihil autem intereſt, vtrum habitum ipſum ſtatim proponamus, an habitu præditum, inquit Ariſtoteles *ſupra libro quarto, capite tertio, initio*, quod autem ait λέγομεν, id eſt, quod vulgo dicimus, indicat, quod in hac tota diſputatione politica inſtituit, id etiam hoc loco ſe tenere: vt non temere diſcedat à communi hominum opinione, verbiſq; vtatur & rebus, quomodo vulgus & vita communis. Qua in re Stoicos grauiter olim peccaſſe, *ſupra* monuimus.

δοκεῖ δὲ φρονίμου.] Hic igitur adiungit: Prudens qui vere dicatur, is nimirum qui poſſit recte conſultare de his, quæ ſibi bona ſint & vtilia, non ex parte, ſed ad totam bene viuen-

dirationem. Cuius definitionis tres mihi partes eſſe videntur, recte conſultare, de rebus ſibi vtilibus, ad vniuerſam vitæ bene degendæ rationem pertinentibus, quarum in prima, vis fere omnis prudentiæ eſt poſita, quæ eſt conſultatio. Quare & in hac explicanda tota fere Ariſtotelis diſputatio conſumitur, & hoc eſt, quod ait *infra cap. 7.* prudentis veriſſimum munus & opus eſſe, recte conſultare. Altera pars eſt de vtilitate, ſeu de rebus, quarum ſit conſultatio, & fine ipſo conſultationis: quo pertinet & Rhetorum diſputatio, de cauſarum genere deliberatiuo, cui propoſitam eſſe dicunt vtilitatem. Recte autem de ijs, quæ ſibi ſint vtilia: nam qui quamuis multa præclara norit, infructuoſa tamen ad vitam communem, prudens non eſt exiſtimandus. Recte igitur vulgo Periclem, Themiſtoclem, Niciam, Ciceronem, prudentes vocare conſueuimus, vt qui quæ ſibi alijsque, quæ hominibus deniq; ſint vtilia, norint, vt paulo *infra* ait Ariſtoteles, διὰ τοῦτο περικλέα, &c. Anaxagoram vero, Thalem, alioſq; Philoſophos doctos quidem & ſapientes, non tamen prudentes, vt qui multa quidem norint præclara, ad vitam tamen non ſatis vtilia, vocant, vt ait *infra* Ariſtot. *cap. 7.* διὸ ἀναξαγόραν, &c. Eodem pertinet prouerbium, μὴ σοφίζει ὅσις οὐχ' αὑτῷ σοφὸς, id eſt, odi ſapientem, qui ſibi ipſi non ſapit, quod Cicero ex Ennio ſumptum, latine inculcat Trebatio: *Illud*, inquit, *ſemper memẽto, qui ſibi ipſi ſapiens prodeſſe nequit, nequicquam ſapit.* Atq; hunc in modum & Plato *in Alcibiade* altero, prudentem deſcribit, qui conſultando, quæ ſibi & ciuitati ſint ſatis λυσιτελοῦντα, id eſt, vtilia, perſpiciat. Nam tametſi Ariſtoteles hic dicat, prudentem eſſe, qui, quæ ſibi ſunt vtilia, cernat, non ita eſſe accipiendum, quaſi ſibi ſoli, ſed quia vulgo prudentẽ dicamus, qui ſuis rebus optime conſulere poſſit. Tertia pars eſt obſcurior, qua dicitur prudens non de re vna aut altera, ſed de tota bene viuendi ratione conſultare. Indicat namq; prudentem non videri, quia ea quæ ad bonam valetudinem, aut vires faciant, perſpiciat: Alterum certe eſt Medici potius, alterum gymnaſtæ. Summa tamen Ariſtotelis hæc eſt ſententia: Prudentiæ vim pertinere ad totam vitam recte degendam: Eam inquam non partem aliquam vitæ, ſed vniuerſam curare, quæque ei ſint vtilia, deligere, contraria aſpernari. Neque vero ita accipienda ſunt, quaſi prudens de vna aliqua re interdum non deliberet, vt, an

bellum

bellum ſit gerendum, an euertenda Carthago: an vectigalia noua inſtituenda: an ducenda vxor, maxime cum in rebus ſingulis inprimis ſpectetur vis prudentiæ, vt *infra* dicetur *ca.7.* Verum ita ſe gerere prudens debet, vt etiam de rebus ſingulis conſultatio ad ſummam totius vitæ pertineat. Cuius generis certe non eſt deliberatio de viribus aut bona valetudine, eaq; re deliberatio hæc non tam prudentis, quam medici eſſe cenſetur.

σημεῖον δὲ ὅτι.] Inductione docet, primam partem prudentis propriam eſſe conſultationem, hunc in modum: vulgo namque prudens dici ſolet etiam is, qui hac aut illa in re, id eſt, qui vna inquam in re, conſultare norit, ad finem vitæ vtilem. Ergo & generaliter prudens dicitur, qui, quæ ad vniuerſam bene viuendi rationem pertinebunt, norit. Adhuc interijcit autem Ariſtoteles hæc verba, *ὧν μή ἐστι τέχνη.* Quia vult prudentem non eſſe in rebus, quarum ars ſit propria Nam & in his eſt quædam conſultatio, vt cum opifices de operibus ſuis recte inſtituendis & perficiendis deliberant: quæ tamen deliberatio alia eſt ab ea, quæ prudentis eſt propria, propterea quod prudens non in hac aut illa re efficienda, ſed potius in rebus agendis & ad totam vitam pertinentibus, cernatur.

βουλεύεται δὲ οὐδείς.] Docet, quarum rerum ſit prudentia, & quemadmodum ab arte & ſcientia differat. Nemo, inquit, conſultat de ijs, quæ aliter habere ſe nequeant, de ijs quæ ſemper vniuſmodi, neque de ijs, quæ ab ipſo agi non poſſint, quæ in eius non ſint poteſtate, vt ſint neceſſaria, æterna & naturalia, qua de re *ſupra* latius *libro tertio.* Si earum rerum non eſt conſultatio. Ergo nec prudentia: in ijs namque rebus vtraque verſatur. Eſt igitur prudentia in ijs rebus, quæ aliter aliterq; euenire poſſint, quarumq; in ipſo agendarum eſt principium & poteſtas: quarum cum non ſit ſcientia, efficitur vt idem non ſit habitus. Formula:

Quorum ſtrata ſunt diſſimilia, ipſa quoque non ſunt eadem.
At prudentia & ſcientia ſtrata ſunt diſſimilia.
Ergo prudentia & ſcientia non ſunt eadem.

Aſſumptionis ratio Nam vt dictum eſt, prudentia eſt rerum mutabilium, ſcientia non item: Eſt .n. cum ἀπόδειξει, quæ nulla eſt earum rerum, quarum principia ſint mutabilia, vt quæ

& ipſæ res ſint mutabiles; res enim principijs reſpondent. Præterea ſcientia rerum eſt neceſſariarum, prudentia non item: nemo enim de rebus neceſſarijs conſultat (de quo *ſupra libro tertio*) quod prudentiæ eſt officium. Strata igitur ſunt diſſimilia, ergo & habitus: aliud igitur ſcientia, aliud prudentia. Nam quod iterat Ariſtoteles, prudentiæ ſtratum τὸ πρακτὸν eſt mutabile, ſcientiæ τὸ ἐπιστητὸν non item. Differt quoque ab arte: nam actionis aliud eſt genus, quam effectionis, id eſt, aliud eſt actio, aliud effectio. Sic enim legendum ex veteribus libris & tralatione, & etiam editionibus melioris notæ: perperam igitur in alijs editionibus pro γένος eſt τέλος. Aliam autem effectionem eſſe ab actione, docet hoc argumento, quia effectionis præter operam & ipſam efficientiam alius eſt præterea finis, opus inquam & operis vſus: actionis vero non item, vt in qua ipſa actio ſit finis vltimus in plæriſque certe actionibus: nam in arte militari etiam victoria ſpectatur, id eſt, finis alius præter actionem & officia artis, & hoc eſt, quod ait, οὐκ ἀεὶ non ſemper. Atque ad hunc modum hic verſus, τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως, connectendus eſt priori verſui, ὅτι ἄλλο τὸ γένος, &c. tranſpoſitis verbis, aut re ipſa, aut ſenſu. Prioris enim verſiculi ratio poſteriore continetur, qua in re mire hallucinantur Interpretes. Hac igitur re differt prudentia ab arte, quod hæc in effectione, illa cernatur in actione, quod ipſum iam *ſupra* fuerat explicatum. Differt & alijs modis, quos *infra* hoc capite duos exponit.

λείπεται ἄρα αὐτὴν.] Ex prioribus perſpicuum eſt, prudentiam eſſe habitum veri: eſſe cum conſideratione, & proinde in rebus homini vtilibus, vt conſtat ex prudentis definitione: eſſe denique practicum habitum. Quare concludit tandem Ariſtoteles, Prudentiam eſſe habitum cum recta ratione in agendo ſitum, eorum quæ homini ſunt bona, quod & paulo *infra* iterat. Huius deſcriptionis tres mihi partes eſſe videntur, habitus cum recta ratione, in agendo ſitus, id eſt, practicus, & eorum quæ homini ſint bona & vtilia. De quib duabus duntaxat partibus poſterioribus confirmationes & explanationes quaſdam adiungit, & primum quidem de ea parte, de qua dicimus prudentiam eſſe eorum, quæ ad vitam recte agendam, & hominibus ſint bona & vtilia, his verbis, διὰ τοῦτο περικλέα, quo ſigno eam confirmat. Pericles n. inquit, eiuſq; generis viros politicos, Nycæam, Theramenem, Ciceronem,

Cato-

Catonem, &c. prudentes appellare videatur ex eo, quod perſpicere poſſint, quæ ſibi aliiſque ſint bona & vtilia. Prudentes, inquit, improprie dicuntur, qui ſibi & aliis conſulere poſſint, qui vere ſunt vel boni patresfamilias, vel Politici, vt inquit hoc loco Ariſtoteles; ſed de prudentiæ generibus infra latius. Satis ſit ex prudentis deſcriptione intelligere, prudentiæ vim cerni in rebus ad vitam recte degendam vtilibus, quod ſupra copioſius eſt explicatum.

ἔνθεν καὶ τὴν σωφροσύνην.] Putant vulgo, alterum eſſe argumentum, quo confirmetur pars ea definitionis de bonis & vtilibus, non recte. Eſt enim argumentum, quo altera definitionis pars, qua prudentiam dicimus in agendo poſitam, pertinet. Affert igitur hanc rationem Ariſtoteles eius partis, quia prudentiæ Temperantia ſit cuſtos & conſeruatrix. Vis omnis argumenti eſt in verbi Græci notatione: σωφροσύνη namque dicitur quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν, conſeruans prudentiam, [omnium enim Etymologiarum argumenta infirma] vt hoc loco ait Ariſtoteles, Platonem imitatus, qui *in Cratylo* σωφροσύνην dictam eſſe ait, quaſi σωτηρίαν, cuſtodiam τῆς φρονήσεως, quæ tamen huius verbi notatio ſubtilior mihi videtur, quam verior: nam σωφροσύνη dicta videtur à σώφρων, vt ἀσχημοσύνη, ab ἀσχήμων, μνημοσύνη à μνήμων: μνημοσύνη à μνήμων. Hinc teſtamentum, quaſi teſtatio mentis, contra Iuriſconſultos, qui hoc affirmant, diſputat Gellius, & ait, cur purgamentum non dicitur quoque purgatio mentis, & omnia, quæ ſic finiunt vocabula. Qua ex re perſpicuum eſt, quod leue & infirmum ſit hoc Ariſtotelis argumentum, eius tamen formula ſit iſta:

Si σωφροσύνη conſeruatio φρονήσεως eſt in rebus agendis. Ergo ipſa φρόνησις eſt habitus in agendo poſitus, ſeu πρακτικός.

Ratio connexi iam eſt expoſita, ex notatione verbi σωφροσύνης. Antecedentis ratio explicatur ab Ariſtotele iſta, quod voluptates & dolores, quibus moderatur temperantia, principia corrumpant, non theoretica, ſed practica. Neque enim voluptate quis impeditur intelligere Geometriæ hoc principium, quo dicitur: triangulum tres habere angulos duobus rectis æquales. Cui rei argumento eſt, quod ſæpe acutiſſimi Philoſophi homines ſint improbiſſimi, quique in omnibus voluntentur voluptatibus, vt ait Cornel. Nepos *ad Ciceronem* apud Lactant. & ipſe Cicero *in Tuſcul.* Non igitur ſcientiarum, quæ

in contemplando, principia corrumpunt voluptates, neque mentis aciem ita perſtringunt, quin & ea etiam cerni & intelligi poſſint. At practica principia voluptatibus plane corrumpuntur & obruuntur. Conſtat autem practicum principium eſſe finem, id eſt, bonum, & ipſum ſummum bonum beatitudinem, cuius cauſa omnia: voluptatum autem hanc eſſe vim in practicis principiis, in moribus & politicis rebus, ex eo facile quis perſpiciat, quod voluptatib. dediti, aut doloribus oppreſſi, ita animo cæcutiant, vt quid honeſtum, quid turpe ſit, diſcernere nequeant: ita ſint animo affecti, vt finem ipſum continuo amplius non videant, neque exiſtiment eius cauſa omnia eſſe ſuſcipienda & agenda. *Malis*, inquit Cicero *in 3. Tuſculanar. moribus, igniculos à natura nobis inſitos ita reſtinguimus, vt omne propemodum animi lumen pereat, quod ad res honeſtas & turpes attinet.* ſed hac de re *infra capite duodecimo* latius. Voluptas igitur, dolor, & ſimiles animi peſtes practica, vt infra loquitur Ariſtoteles, principia corrumpunt: earum moderatrix eſt temperantia, quæ & ipſa prudentiæ eſt conſeruatrix. Quare cum temperantia ad ea, quæ ſunt practica, pertineat: recte diximus & prudentiam eſſe practicam, eamque in rebus agendis verſari. Quærat aliquis, an ſola temperantia peſtes principiorum practicorum coerceat & moderetur? Reſpondeo, omnes etiam alias virtutes morum idem præſtare, vt *infr.* explicabitur, & h.l. exprimitur, ἔστι γὰρ ἡ κακία· vbi omni improbitati tribuitur principiorum deprauatio, & proinde correctio, omni virtuti. Cur ergo, inquit, aliquis, prudentiæ potiſſimum facta eſt mentio? Exiſtimant, prudentiæ verbũ eſſe commune, idemque valere quod virtutem, vt ſæpe apud Platonem. Verum Ariſtot. hac verborum ambiguitate non vtitur: Quare rectius dicetur, temperantiæ eum feciſſe mentionem, quia voluptatibus & doloribus ẽt iis, in quibus proprie eſt temperãtia, tactus & guſtus, maxime corrumpantur principia hęc practica.

ἀλλὰ μὴν τέχνης.] Tres hic affert differentias inter artem & prudentiam; quarum vltima tamen non tam ad artem, quam ad omnes ſcientias pertinet. Prima eſt obſcurior, qua dicit Ariſtoteles, artis quidem eſſe virtutem, prudentiæ non item. Mire variant Interpretes. Commemorat eandem differentiam & *in Magn. lib. 1. cap. vlt.* vbi tamen loco artis eſt verbum ſcientiæ. Sic enim ait; Scientiæ quidem eſt virtus, prudentiæ non item, quæ ipſa potius eſt virtus. Videtur hoc dicere Ariſt. artium & ſcien-

ſcientiarum eſſe quandam perfectionem, quam hic virtutem vocat. Virtus enim eſt perfectio, vt ſupra explicatum *l. 2.* nam ſcientiarum & artium laus & perfectio, ſeu excellentia eſſe ſolet. Videmus namque opificem & ſcientia præditum alium alio eſſe perfectiorem. Iam excellentiſſima affectio ſeu ſcientia artium in ſuo cuiuſque genere eſt virtus, perfectiſſima cuiuſq; rei ſcientia eſt in ſuo genere artis virtus, quæ ſcientiarum & artium virtus ſapientia dici ſolet, vt aperte infra *capite 7.* Ariſtoteles: σοφία, inquit, ſeu ſumma peritia & ſapiētia nihil eſt aliud, quam artis virtus, id eſt, laus & perfectio. Prudentiæ autē nulla eſt perfectio, ipſa eſt, quæ dicitur architectonica, ipſa denique eſt virtus, & ſui natura perfectio quædam, cui nulla extrinſecus accedere poſſit amplius perfectio, eaq; re & virtus τελεία ſeu perfecta dici ſolet.

καὶ ἐν μὲν τέχνῃ.] Altera differentia, quia in artibus, qui ſua ſponte vitioſe quid efficit & mendoſe, melior eſt eo, qui per ignorantiam. Contra in prudentia, & in omnibus aliis virtutibus morum. Plato *in Hippia minore* contra diſſerit, & exemplo artium conatur oſtendere, in virtutibus quoque eum eſſe meliorem, qui ſponte: deteriorem, qui inuitus, aut per ignotantiam improbe quid faciat. Putauit enim Plato, virtutes quoque eſſe artes & ſcientias, ſed rectius Ariſtoteles, artes à virtutibus hac in re diſcrepare ait. Melior eſt ſagittarius, qui ſciens prudenſque à ſcopo aberrat, quam qui nolens & inuitus, eademque eſt aliarum artium ratio; peritior namque ille videtur. At in virtutibus, qui ſponte iniuriam facit, iniuſtior profecto & improbior haberi debet, quam qui per ignorantiam. Differentiæ ratio ab Ariſt. prætermiſſa hæc eſſe videtur; quod ad prudentiam & virtutes morales rectitudo appetitus requiratur, ad virtutes rationis ſeu artes & ſcientias non item. Satis eſt arti, ſi opus recte efficiatur, non quærit amplius, quo conſilio aut voluntate: nam, vt ſupra dictum, artium & ſcientiarum principia voluptatibus, & prauis appetitionibus corrumpi nequeunt. Aliud eſt in virtutibus morum, quarum principia, quia deprauari poſſunt voluptatibus, rectus vt ſit appetitus, neceſſe eſt, eaque re in iis de appetitu & προαιρέσει ſolet eſſe quæſtio, & inprimis ſpectari, quo conſilio & voluntate quid fiat.

δῆλον οὖν ὅτι ἀρετή.] Id eſt, prudentia virtus eſt quædam, non ars. Quibus verbis videtur ſubindicare artem nō eſſe virtut[illegible]

Verum

Verum virtutis vocabulum hic anguſtius de virtute morum accipitur, & hac ratione ars non eſt virtus: prudentia quoque proprie non eſt virtus morum; magnam tamen cum ea affinitatem habet, eaq; re morum virtus interdum dici ſolet.

δυοῖν δ' ὄντοιν.] Tertia differentia: Artes & ſcientias obliuione deleri & interire poſſe, prudentiam non item. Aſpergit autem, priuſquam hanc differentiam exponat, de opinione & ſtrato ipſius prudentiæ: nam cum eius animi partis, quæ ratione vtitur, duæ ſint partes; altera, in qua ſciẽtia ſeu τὸ ἐπιστημονικόν, & theoretica, altera practica, quæ & δοξαστική: in hac ſita eſt prudentia, propterea quod, vt prudentia, ita & opinio rerum ſit mutabilium, quæque aliter ſe habere poſſint. Eſt igitur prudentia in ea animi parte, quæ ratione vtitur, non tamen eſt cum mera ratione, vt ſunt ſcientiæ & artes, & hæc eſt tertia differentia vere. Cui rei argumento eſt, quod modo diximus, artium eſſe obliuionem, prudentiæ non item. Videmus namque artes & ſcientias ætate & obliuione interire, prudentiam ætate creſcere. Quo pertinet, quod *ſupra lib. 1. cap. 10.* de firmitate artium & virtutum diximus. Scientiæ igitur cum mera ſunt ratione: prudentiæ præter rationem neceſſarius eſt & rectus appetitus, ob principia, vt dictum eſt, &c.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ' ἡ ἐπιστήμη.] De quarto veri habitu, quarum ſit rerum, & quemadmodum ab aliis differat. Νοῦς dicitur ab Ariſt. hoc loco, Latine vulgo *intellectus*, à Cicerone *intelligentia* & *mens* dici ſolet. Intelligentiæ tamen vocabulum, quia homonymon ſeu ambiguum, nam & νοῦν & σύνεσιν Græcorum valet: melius eſt mentis vti vocabulo. Verum mentis vocabulum item eſt homonymon, ſeu duo tam Græco quam Latino nomine continentur, facultas ipſa animi, qua verum cernitur, natura nobis inſita, & habitus contemplando vero acquiſitus, & ſcientiis informatus. De hoc poſteriore hic agitur, de priore *lib. 3. de Anima.* Agitur & de poſteriore latius *lib. 2. Poſt. Analyt. cap. vlt.* ad eundem fere modum, quo hoc loco.

ἐπεὶ δ' ἡ ἐπιστήμη.] Oſtendit primum eſſe quædam, quorum neque ſit ſcientia, neque ars, neque prudentia, neq; etiam ſapientia: ex quo fiat perſpicuum, eſſe quendam præterea ha-

bitum

bitum ab illis diuerſum; fiat quoque perſpicuum, quarum ille rerum ſit habitus. Docet autem hunc in modum: conſtat ſcientiam eſſe rerum vniuerſarum & neceſſariarum; conſtat & hoc, nullam eſſe ἀπόδειξιν & ſcientiam abſque principiis. Cuius tamen rei etiamſi certæ rationem adiungit hic, μετὰ λόγου γάρ. quia omnis cum ratione ſit ſcientia, & diſputatione ſeu argumentatione: qua in re à ſenſu differt maxime, cui nulla opus eſt ratione. Si ergo ſcientia eſt cum ratione. Ergo & cum principiis: nam principia nihil aliud ſunt, quam ſcientiæ rationes. Hoc poſito, ſcientiarum eſſe quædam principia, exquirit, quo habitu & facultate ea cognoſcantur, & primum quidem ſcientia non cognoſci, oſtendit hac ratione, quia ſcientia omnis ſit per ἀπόδειξιν: omnis autem ἀπόδειξις eſt cum ratione & per principia. Ex quibus efficitur, vt ſi principiorum eſſet ſcientia, eſſet & ἀπόδειξις. At notum eſt, principia in ἀποδείξει concluſione debere eſſe notiora, quod hic contra accideret, ſi principia docerentur apodixi, atque adeo res abiret, inquit Ariſtoteles, in infinitum. Prudentia quoque & arte non cognoſcuntur principia, quia hæc ſunt immutabilia; illæ rerum ſunt mutabilium, quæque aliter ſe habere poſſunt. Sapientia denique non eſt principiorum, vt quæ & apodixi vtatur: Apodixi autem principia non cognoſci, iam oſtendimus. De ſapientia proximo capite.

εἰ δὴ οἷς ἀληθεύομεν.] Poſtquam docuit, quædam eſſe, quorum neque ſit ſcientia, neque ars & prudentia, neque etiam ſapientia, eaque eſſe principia ſciētiarum: hic tandem argumento diuiſionis iuſtæ oſtendit, quis ille ſit habitus, quo principia cognoſcantur: nam cum veri habitus ſint, ſcientia, prudentia, ſub qua & ars, ſapientia & mens: hi, inquam, ſint habitus, non plures, & priores tres principiorum non ſint habitus, vt iam docuimus, efficitur, vt mente, qui reliquus eſt habitus, principia cognoſcantur, &c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Τὴν δὲ σοφίαν ἐν ταῖς.] Quintus hic & vltimus explicatur veri habitus, qui σοφία Græce, Latine dicitur *Sapientia*; inquit Ennius alicubi, & Cic. *lib. 1. Offic. in fin.* Sophiæ autem vocabulum item eſt homonymon, vt priorum. Nam interdum latius patet,

tet, interdum anguſtius. Priore notione complectitur omnes ſcientias & artes, etiam opificum, ipſam denique prudentiam, eiuſque genera, vt videre eſt apud Platonem *in Theage & Theateto.* Et Suidas in verbo *Sophias* affert nonnulla ex neſcio quo. Anguſtiore notione Sophia eſt ea, quæ omnium ſcientiarum eſt princeps ac domina, quæ à Platone vere Sophia & Dialectica dici ſolet nonnullis in locis, inprimis *libro ſexto de Republic.* ab Ariſtotele, prima Philoſophia, & Theologia, quæ ab eo explicatur *in Metaphyſ.* Verbum quoque σοφὸς cuiuslibet artis etiam opificum laudem & præſtantiam ſignificare ſolet. Hinc Græci pictorem excellentem dicunt σοφὸν, item ſtatuarium, & quemlibet opificem, teſte hoc loco Ariſtot. quomodo & Platonem eo verbo vti idem ait Suidas, & Homerum. Latinum *Sapientia* vocabulum non ita multiplex eſt. Nam ſapientes Romani veteres vocabant Politicos inſigniores, & Iureconſultos, Catonē, Attilium, &c. Verbum, inquam, *Sapientia*, proprium erat Politicorum, teſte Cicer. *initio Lalij.* Quare & Iuriſprudentiam *in Murena* vocat Sapientiam. Et Ariſtides Rhetor docet, veteres Politicos dictos σοφοὺς proprie, qua de re alias. Ad ſummum, *Sapientia* Latinum vocabulum Philoſophis duntaxat & Politicis tribuitur: olim ignorata Philoſophia ſolis Politicis.

τὴν δὲ σοφίαν.] Oſtendit initio, verbum σοφίας interdum nihil aliud valere, quam virtutem, id eſt, laudem & præſtantiam, ſeu excellentiam artium, ſuo cuiuſq; in genere, exemplo Phidiæ, Polycleti, & ſimilium in ſua cuiuſque arte excellentium opificum. Vulgo Phidias, vt in ſua arte excellentiſſimus, marmoreus σοφὸς dici ſolet. Item Polycletus ſtatuarius σοφὸς, Apelles pictor σοφὸς, de qua verbi notione modo diximus. Apud Græcos igitur σοφίας verbo præſtantia quædam & perfectio ſignificatur interdum.

εἶναι δέ τινας.] Quia modo commemorauit de quibuſdam, qui certa tantum in arte ſint σοφοί: adiungit, eſſe & quoſdam σοφοὺς omnino ὅλως, non vna tantum in arte, ſed qui omnia exquiſite ſciant, qui non ſint σοφοὶ ex parte, neque, vt Homerus loquitur *in Margito*, ſint σοφοὶ ἄλλως τι, hac aut illa in re, ſed vniuerſe. Eſſe autem huiuſmodi σοφοὺς quoſdam, vulgus etiam arbitratur, qui omnibus in rebus præter cæteros ſapiant & excellant; & horum quidem ea eſt, quæ hic explicatur, ſapientia, cuius hæc vna eſt nota inſignis, eſſe eam maxime

commu-

communem, & omnia in ſe complectentem. Sciendum namque ex *lib. 1. Metaphyſic. cap. 2.* Sapientiæ octo eſſe notas; eam eſſe maxime communem, difficilimam, exquiſitiſſimam, ad docendum aptiſſimam, dominam & principem omnium aliarum, per ſe maxime optabilem, liberrimam, & diuiniſſimam, & proinde optimam. Ex quibus duas potiſſimum hic explicat, eam eſſe exquiſitiſſimam & diuiniſſimã, & proinde optimam, duas præterea attingit, eam eſſe difficilimam, de qua infra, & maxime communem, de qua hoc loco.

ὥσπερ Ὅμηρός φησιν.] Teſtimonium Homeri pertinet nõ ad eam de communitate notam, aut ad Sophiæ verbi notionem (etſi Clemens Alexandrinus *lib. 1.* Stromat. eodem vtitur ad verbi *σοφὸς* notionem exponendam, de qua nos initio) non eo igitur pertinet, ſed huc potius, vt phraſin hanc, *οὐδ᾽ ἄλλως τι σοφὸς*, indicet eſſe non ſuam, ſed Homericam. Poema autem hoc ludicrum Homeri, Margites, adducitur & ab Ariſtot. *in arte poetica*, & Platone *in Alcibiade poſteriore* [*Margite ſtultior.* Hic cum vxorem ſuam duxiſſet, non auſus fuit eam attingere.] quod tamen Plutarchus *in libro de Homero*, [vtiliſſimus ſcilicet ad intelligendum Homerum, qui extat] vt & Batrachomyomachiam negat eſſe Homeri: & Baſil. *in oratione de ſcriptis Ethicorum*, Pittaco tribuit.

ὥστε δῆλον ὅτι.] Quod de vocabulo Sophiæ, eius hic vſum affert: nam ex eo perſpicitur, ſapientiam ſeu ſophiam eſſe omnium artium exquiſitiſſimam, limatiſſimam, accuratiſſimam: vt contra Politica & Iuriſprudentia omnium fere artium eſt minime accurata & exquiſita, teſte Ariſt. *lib. 1. ſup. 2. & aliis locis.* Argumenti formula ſit iſta:

> *Si verbum Sophia eſt artium quadam virtus, laus & præſtantia ſeu ἀκρίβεια.*
>
> *Ergo ſapientia, de qua hic, eſt omnium artium perfectiſſima & accuratiſſima.*

Et hæc altera eſt ſapientiæ nota.

δεῖ ἄρα τὸν σοφὸν.] Vertendum: Ergo oportet, &c. vt nouum ſit exordium: neque enim hæc prioribus cohærent, & hæc particulæ *ἄρα*, vt & *Ergo*, vis eſt. [ſeruit enim initio.] Affert autem hic Sapientis & Sapientiæ velut deſcriptionem. De Sapiente primum, eum debere cognoſcere tam principia rerum, quam quæ ex principiis concluduntur. Quæ duo ſapientis ſunt officia; omnium ſcientiarum & rerum principia

ſeu

ſeu initia cognoſcere, & in iis explicandis & conſiderandis verſari: & hoc amplius, etiam apodixi vti, id eſt, vt hic loquitur, etiam quæ ex principiis concluduntur & efficiuntur, cognoſcere. Mens quidem & ipſa cognoſcit principia, ſed nulla vtitur apodixi.

ὥστ' εἴη ἂν ἡ.] Hæc ſapientiæ eſt deſcriptio, quæ ex priore ſapientis efficitur: Si ſapiens eſt, qui & principia, & ex principiis demonſtranda, cognoſcat, efficitur, ſapientiam nihil eſſe aliud, quam ſcientiam & mentem, id eſt, habitum, quo & principia, quod eſt mentis, & ex principiis demonſtranda, quod eſt ſcientiæ, cognoſcantur.

καὶ ὥσπερ κεφαλὴν.] De hoc loco concertant inter ſe quatuor eruditi viri, Muretus & Lambinus hoc loco, & Victorius cum ſuo Angetio *lib. 3. cap. 15. variar. lection.* illi pro *κεφαλὴν* reponunt *κεφαλή*, vt ſapientia dicatur *ἔχουσα κεφαλή*, id eſt, capitis habere locum, ſeu eſſe caput, id eſt, princeps omnium ſcientiarum. Ratio huius explanationis, quia vulgata ſcriptura nullum habeat ſenſum commodum: item ab auctoritate Euſtathii & Thomæ, qui ita explicant. Scripturæ autem mendum inde ortum, quod verbi *ἔχειν* notio, pro eſſe (quomodo ſæpe Græci vtuntur, & Latini Poetæ quoque ſuo habere) vulgo ignoretur, eaque re caſum accuſandi verbo *ἔχουσα* adiecerint. Victorius eo loco hanc illarum explanationem refellere conatur, non ſatis erudite, meo quidem iudicio. Primum, quia durior hic ſit ſermo, *ἔχουσα κεφαλή*: deinde, quia non hoc dicat Ariſtoteles, ſapientiam ad res præclaras, quas perſcrutatur capitis habere rationem, ſed hoc potius eam habere mentem tanquam caput, quæque ipſi ſit inſtar capitis; Ita Victorius: Recte quidem cætera, ſed hoc non recte, quod illos exiſtimet ita ſentire, quaſi ſapientiam capitis rationem habere dicant, ad res, in quibus verſatur. Nam volunt illi ſapientiam caput eſſe, non ratione rerum, ſed cæterarum ſcientiarum: Verior tamen recepta ſcriptura, & Victorii ſententia mihi videtur: nam Euſtathii authoritas illos non iuuat, quin plane illis repugnat. Ait namque, ſapientiam eſſe ſcientiam cum capite, id eſt, principiis. Sic enim ille caput interpretatur. Quod ad phraſin, non nego, quin eleganter Græce dicatur, *ὥσπερ κεφαλὴ ἔχει*, id eſt, capitis locum habet, *ὥσπερ κέντρον ἔχει*, centri locum obtinet: durior tamen ea hic eſt phraſis, *ὥσπερ κεφαλὴ ἔχουσα*, vt recte Victorius. Verum quod caput eſt, perſpicue confirmat vetus

ſcriptu-

ſcriptura his verbis *infra hoc capite*, ὅτι ἡ σοφία ἐςὶ, &c. nam quod hic σοφίαν dicit eſſe ſcientiam tanquam caput habentem rerum honoratiſſimarum, id ibi vocat ſcientiam & mentem rerum natura honoratiſſimarum. Caput igitur ſcientiæ mentem vocat, non principia, quorum tamen eſt mens, vt putat Euſtathius: quo capite ſapientiæ addito, fit ea perfectiſſima & abſolutiſſima, eſtque ei tanquam dux, quomodo & Lucretius mentem quaſi caput vocat *libro tertio*. Sed caput eſſe quaſi & dominari in corpore toto conſilium, quod nos animum mentemque vocamus. Hæc igitur vera eſt huius loci explanatio, quæ omnium quoque librorum manu & typis deſcriptorum conſenſione confirmatur. De eo autem, quod ſapientia ſit caput, id eſt, princeps & domina cæterarum artium, non hoc loco, ſed infra *capite vltimo* explicatur in fine.

τῶν τιμιωτάτων.] Id eſt, rerum honore digniſſimarum, id eſt, præſtantiſſimarum, cuius generis ſunt rerum principia æterna, & intelligentiæ cœleſtes, ipſe denique Summus DEVS, quæ eſt materia ſapientiæ. Ex hoc tamen verbo, & hoc ſubindicat Ariſtoteles, ſapientiam eſſe ſcientiam vnam omnium præclariſſimam: vt enim res & materia, ita & ſcientia, vt *ſupra initio libri primi* diximus ex *libro primo de Anima, in principio*. Eſt igitur ſapientia ſcientia præſtantiſſima, & honore ſummo digna: ſed hoc negant Politici, qui politicam & prudentiam cæteris omnibus antecellere volunt, quia homo, quæ eſt materia politicæ: quærit enim hæc hominis beatitudinem: quia, inquam, homo animal eſt præſtantiſſimum cæteris animantibus antecellens. Ariſtoteles ait, hoc eſſe abſurdum, politicam eſſe omnium ſcientiarum præſtantiſſimam, quia homo totius vniuerſi res vna omnium non ſit præſtantiſſima. Sic autem argumentamur:

Si politica eſt præſtātiſſima. Ergo homo rerum totius mundi omnium eſt vna præclariſſima.
At hoc abſurdum.
Ergo & illud.

Nam multa ſunt in mundo, quæ homini longe antecellant, vt aſtra, ſol, luna, cœlum ipſum, quæ vocat hic φανερώτατα ſiue φανερώτατα; quæ, inquit, ſpectantur ab omnibus, infra, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἄλλα. Quod autem afferunt Politici, hominem cæteris animantibus antecellere, nihil hoc ad rem. Neque enim id quæritur, homo an cæteris animantibus præſtet, ſed an re-

bus omnibus totius vniuerſi, ex quibus mundus eſt coagmentatus, hoc eſt, quod ait, εἰ δ᾽ ὅτι βέλτιστον. Sic enim hæc ſunt connectenda, vt quæ eodem, id eſt, ad quæſtionẽ de præſtantia ſapientiæ & politicæ pertineant. Aſtra autem, ſolem & lunam, homine eſſe natura diuiniora, etiam vulgo exiſtimant, & maxime Ariſtoteles, qui hunc mortalem, illa immortalia arbitretur: qua ratione non ſapientiam duntaxat, ſed phyſicam quoque, quæ illarum rerum eſt propria ſcientia, politica præſtantiorem eſſe indicat. Verum Chriſtiani, res illas homine ſcimus eſſe inferiores, vtpote quæ illis ſeruiant. Quare & Phyſica politicæ concedat neceſſe eſt, ſapientia tamen non item, vt quæ ſit Theologia. Eſt igitur ſapientia longe præſtantior prudentia, eiuſque parte politica: & proinde, omnium quoque ſcientiarum præſtantiſſima, cum politicæ ſecundæ partes tribuantur: nam mathematica quidem concluſione ſuperat politicam, materia ſuperatur. Et hæc tertia eſt ſapientiæ nota, eam eſſe rerum præſtantiſſimarum, & ipſam denique præſtantiſſimam. Alia eſt quæſtio de principatu ſeu imperio ſciẽtiarum, hoc eſt, vtra alteri imperet, & contra ſeruiat, de qua *infra cap. vlt.*

εἰ δὴ ὑγιεινὸν.] Expoſito de materiæ præſtantia & differentia: hic nominatim & aperte docet prudentiam & ſapientiam non eſſe eandem, multoque minus politicam & ſapientiam. Prudentiæ enim cum ſapientia, quia vtraque latius pateat, maior eſt affinitas, quam politiæ, quæ anguſtius patet, & prudentiæ quædam eſt ſpecies. Qua diſputatione refelluntur, qui politicos vere ſapientes appellare ſint ſoliti, qua de re ſupra initio huius capitis. De prudentia quidem hic, de politica infra, φανερὸν δ᾽ ὅτι. Verum quia pars eſt prudentiæ politica, Ariſtoteles vno eodemque argumento rem conficit: nam tametſi his verbis, εἰ γὰρ τὴν, &c. aliud de Politica argumentum afferre videtur (qua in re non bene retexenda & diſtinguenda multa turbant Interpretes) ad priora tamen pertinent, vt planum fiet noſtra analyſi. Primum igitur verba Ariſtotelis videamus, quæ poſtea explicabimus vberius. Sic igitur concludit:

Si bonum & ſalubre aliud eſt homini, aliud piſcibus, album vero & rectum ſemper idem.

Ergo quod ſapiens, dici ab omnibus debet idem: quod prudens vero, aliud.

Ante-

Antecedens perſpicuum eſt: nam non ſtatim quæ homini ſunt ſalubria, eadem & reliquis animantibus, aut contra. Lucretius *libro quarto*. Præterea nobis veratrum eſt acre venenum. At capris adipes & cothurnicibus adfert. Et *libro 6* Barbigeras oleaſter eo iuuat vſque capellas. Album autem & nigrum, rectum & curuum, concauum, &c. eadem ſunt omnibus in locis & ſemper. [Rectum enim, quod hic rectum, & Romæ rectum, non autem, quod hic ſalubre, alio in loco quoque ſalubre.] Ratio connexi autē, quia prudens id vulgo habetur, quod rebus in ſingulis, id quod optimum & vtile ſibi, cernit. Cui rei argumento eſt, quod beluas etiam, quæ id poſſint, prudētes vocent. Sapientia autem in eo non verſatur, non contemplatur rerum vtilitatē, alioqui enim ſequeretur, nō vnam eſſe ſapientiam, ſed plures: nam cum ea, quę animantibus ſunt bona & vtilia, infinite varient, certe ſæpe vna ſcientia cōtineri nequeūt: nec vna eſt medicina omnium, beluarū, inquam, & hominum. Hæc etiam totius huius loci analyſis & connexio vſq; ad verba, εἰ δ᾽ ὅτι βέλτιστον, &c. Nunc paulo vberius non tam verba, quam totius loci ſententiam ſubſequentes, explicemus. Summa igitur diſputationis Ariſtotelicæ hæc eſt, quam initio poſui, aliud eſſe ſapientiam, aliud prudentiam: differre quoque politicam à ſapientia, quod vno duntaxat argumento hic oſtendit, à materia ſumpto, quia ſapientię materia ſit vniuſmodi, & ſemper eadem: prudentiæ & politicæ materia ſit varia, vt ſunt, quæ homini ſunt bona & vtilia, quæ prudentiæ & politicæ eſt materia. Formula ſit iſta:

Quæ materia, eadem & inter ſe diſcrepant.
At ſapientia & prudentia non eadem eſt materia.
Ergo non ſunt eadem.

Propoſitio eſt nota. De aſſumptione igitur explicat Ariſtot. Prudentiæ igitur materiam eſſe variam, perſpicuum fit ex ipſa materia, quam docet Ariſt. eſſe, ea, quæ ſibi ſint vtilia & bona: nam, inquit, id prudens omnes vocant, quod rerum ſingularum optimum quidq; & vtiliſſimum ſibi cernere poſſit. Id autem, quam ſit varium & mutabile, cum omnes intelligunt, tum ſupra quoque diximus *libr. 2. cap. vlt.* vbi quid τὸ δέον. Quod enim adoleſcēti eſt bonum, id ſeni ſæpe eſt malum: Romanos toga, Græcos decet pallium. Hoc autem τὸ δέον rerum ſingularium prudentiæ eſſe materiam, cum ex cōmuni hominū ſenſu de prudentia, tum ex beluis quibuſdam oſtendit, quas, quia

optime ſuæ vitæ conſulere norint, prudentes etiam vulgo vocamus; cuius generis formicæ, apes, vulpes, & aliæ, de quibus toto libro Plutarchus *de prudentia beluarum*. Verſatur igitur prudentia in rebus vitæ vtilibus, quarum infinita eſt varietas. In his autem ſapientiam non verſari, docet hoc conſequente: nam ſequeretur alioqui non vnam, ſed multas eſſe, quod eſt abſurdum. Nam cum ſapiẽtia ſit ſummum quiddam, vnum quoque vt ſit neceſſe eſt, qua de re copioſe Ariſtoteles *lib. 4. Metaphyſ. initio* Formula:

Si rerum vitæ vtilium eſt ſapientia. Ergo non vna, ſed plures erunt.

Hoc falſum, vt dictum.

Ergo & illud.

Connexi ratio redditur his verbis, οὐ γὰρ μία περὶ, id eſt, rerum namq; bonarum vitæq; vtilium non vna poteſt eſſe ſciẽtia, ſed multiplex, vt belli, ars militaris: rerum ruſticarum, agricultura: nauigandi, gubernatio, &c. Itaq; omnium, quæ variis animantibus ſunt vtilia & bona, certum eſt, non vnam eſſe artem, ſed multas: non ſecus atq; omnium animantium medicina non vna eſt eademque, ſed alia beluarum eſt, alia hominum. Quod de prudentia, idem de politica, cuius eadem eſt materia, dici poteſt.

τὸ γὰρ περὶ αὐτὸ ἕκαστα.] Mureto aſſentior, qui ex duobus verbis, αὐτὸ & ἕκαστα, facit vnum coniunctum αὐτοέκαστα: id enim ſententia poſtulat, vt ex prioribus eſt planum. Confirmatur & paulo infra ἀλλὰ ἑτέρα: vbi περὶ ἕκαστον, quod hic περὶ αὐτὸ ἕκαστον, idem namque valent, de quo mox. Præterea facilis fuit lapſus, præſertim in rariore verbo, quod ipſum aliis quoque in locis item eſt deprauatum. Reperi vnum in Epiſtola Platonis ad propinquos Dionis. Valet autem αὐτὸ ἕκαστον idem quod ἕκαστον, ſed paulo expreſſius. Quare non recte Lambinus περὶ αὐτὸ ἕκαστα, ſingulis in rebus, pro cuiuſque rei natura, cum ſatis eſſet, ſingulis in rebus. Vertendum igitur; quod enim ſingulis in rebus cernit τὸ εὖ, id eſt optimum, id prudens vocant. Interpretes, & maxime Euſtathius mire hic ſe implicant.

περὶ πάντων τῶν.} Fortaſſe iſtud τῶν ὄντων, aut etiam amplius hæc, περὶ πάντων τῶν ὄντων, inducenda ſunt. Nam abſurdum ſit exiſtimare, medicinam eſſe de omnibus totius vniuerſi rebus, vt quæ ad ſalubria tantum pertineant. Videtur potius hoc tantum velle Ariſtoteles, vt rerum animantibus vtilium

lium non vna eſt ſcientia, ita nec medicina omnium animantium eſt eadem, quemadmodum & ſupra expoſuimus.

διὸ Ἀναξαγόραν καὶ Θαλῆν.] Pertinent hæc ad verbum τῶν τιμιωτάτων. Docet namque inductione quadam, ſapientiam in rebus eximiis quidem & diuinis, ad vitæ tamen vſum inutilib. conſiſtere: docet etiam eadem ratione id, quod hactenus explicauit, prudentiã in rebus homini ſibiq; vtilibus cõſiſtere: nam, inquit, Anaxagoras, Thales, alii id genus Philoſophi, vulgo quidem ſapientes vſurpantur, prudentes non item: Sapientes quidem, quia ſcire eos dicant res præclaras, admirabiles, difficiles & diuinas: prudentes autem non item, quod quæ ſibi ſuæque vitæ ſint vtilia, ignorent, bonaque humana non quærant, ſed ea, quæ ſupra nos. De hac ſapientiæ, & omnium fere theoreticarum ſcientiarum accuſatione, quod ad vitam communem ſint inutiles, Iſocrates *in laudatione Helenæ*. Socrates quoque, id genus Philoſophos deſipere, dicere ſolet, teſte Xenophonte *libro primo dictorum & factorum Socratis*. Eoſdem grauiter reprehendit Lactantius *lib.3. Inſtitut. capite 3. 14. 16. 20.* Ariſtoteles quoque *lib.1. Metaphyſicor. cap. 2.* agnoſcit & fatetur, eas non tam ob vſum, quam ob ipſam cognitionem & ſcientiam introductas eſſe: & *lib.1. de partibus animantium, cap. vlt. Vt nulla,* inquit, *ex his vtilitas exiſtat: ipſa tamen ſcientia per ſe magnam voluptatem contemplantib. afferat, neceſſe eſt.* Verum de earum vſu quoq; ad vitam Cic. *lib.3. & 4. de fin.* Idem tamen *li.1. Offic. in fin.* theoreticis præfert practicas, vt ad vitæ cõmunis vſum vtiliores. Qua de re olim inſignis fuit diſputatio inter duos Ariſt. diſcipulos, Theophraſtum & Dicæarchum, hic practicam, ille theoreticam vitam præferebat, teſte Cic. *in Epiſt. ad Attic.* Theophraſto conſentit ipſe Ariſtoteles *inſr. lib.10.* Eſt autem quarta hic ſapientiæ nota, quod in rebus verſetur difficilibus, diuinis puta, à ratione & ſenſu noſtro remotis: eaque re ſapientia *in Metaphyſ.* dicitur χαλεπωτάτη, difficilima, Theologia ratione materiæ eſt difficilima: formæ, id eſt, ordinis & methodi, ſeu docendi viæ ratione, omnium facilima, id eſt, διδασκαλικωτάτη. Cæterum theoreticarum ſcientiarum vſum ſuis æmulis & reprehenſoribus aliquando oſtendit Thales, de quo Ariſtoteles *lib 1. Polit. cap. 8.* & Cicero *lib.1. de Diuinat.* & in alio exemplo, de quo Plutarchus *in libro de beluarum ſolertia ſeu prudentia*.

ἡ δὲ φρόνησις.] Hoc in loco accuratiorem diſputationem in-

ſtituit Ariſtoteles de prudentia: explicatis iam & dimiſſis veri reliquis habitibus, quam fecimus tertiam huius libri partem: nam vulgata capitum ſectio ſæpe eſt nequam: pertinent tamen hæc ad priora, niſque plane ſunt apta hunc in modum: nam ſapientia quidem in illis rebus, quas expoſuit: prudentia autem in aliis verſatur, nempe in bonis humanis, in iis, quæ ſub conſultationem cadunt, id eſt, quæ fieri, quæ non fieri poſſint, & quorum eſt finis ſeu bonum quoddam, idq; in rebus agendis: denique non vniuerſa duntaxat, ſed res quoque ſingulas, & quidem magis contemplatur, in iiſque conſiſtit: quæ omnia ſunt alia in ſapientia, vt quæ verſetur non in humanis, ſed in diuinis, in iis, quæ aliter ſe habere nequeant, ſeu immutabilibus, in contemplatione mera, in rebus denique vniuerſis duntaxat. Prudentiã igitur in rebus humanis verſari, iam ſæpe dictum eſt. Eadem eſt in iis duntaxat rebus, de quibus conſultari poteſt. Cur ita? nam bene conſultare ſummum eſt prudentis munus & officium: Vis omnis prudẽtiæ in deliberatione eſt poſita, qua de re ſupra. Eſt igitur in rebus ſub deliberationem cadentibus, quarum duas hic affert notas, quod fieri & non fieri poſſint, ſeu aliter ſe habere poſſint: & quod earum ſit finis in rebus agendis. Plures earum notas attulit ſupra *libro 3. capite 2.* Quare & hoc loco adiungit Ariſtoteles, eum vere & abſolute Eubulum, id eſt, boni conſilij dici & eſſe, qui ratione vera cernere & conijcere poſſit in rebus agendis, quod homini ſit vtiliſſimum & optimum. Poſtremo eſt prudentia non vniuerſarum duntaxat, ſed etiam rerum ſingularum. Cuius rei hęc eſt ratio, quia ſit practica ſeu in agendo poſita: actio autem omnis in rebus ſingulis cernitur, cui & hoc ſit argumento, quod multi etiam idiotæ & indocti hominibus doctis ad agendum ſint aptiores, vtpote in rebus ſingulis magis exercitati, non ſolum in prudentia, ſed in omnib. aliis rebus, experientia & vſus homines ad agendum reddit aptiores, quod exemplo Medicinæ declarat Ariſtoteles: neque enim recte Medicinam facere poſſe, id eſt, Medici officium explere, qui generalia præcepta duntaxat norit, nullumque earum habeat vſum. Qua de re *ſup. li 1. cap. vlt.* verbi gra. non ſatis eſt ſcire carnes ad concoquendum faciles aliis eſſe ſalubriores, niſi & hoc ſingulatim vna ſcieris, quæ ſint illæ concoctu faciliores, auium puta, &c. & quarum auium, vt ad vltima indiuidua perueniatur. Eadem eſt ratio prudẽtiæ, quæ habet illa quidem generalia & communia præcepta,

cepta, vt agricola hordeum nouit ſerendum in agro tenui, triticum in craſſo: Politicus diſputat, an Magiſtratus ad tempus, an vero perpetui eſſe debeant. Verum, quia, vt dixi, in agendo cernitur, ad res ſingulas eſt deſcendendum, vt in quibus maxime eluceat vſus prudentiæ, & hoc eſt, quod ait, ὥστε δεῖ ἄμφω, id eſt, tam communem, quam ſingularem prudentiam habere oportet, ſed hanc magis.

εἴη δ᾽ ἄν τις.] Clauſula mire præciſa. Vulgo prioribus eam hunc in modum accommodant, etſi rerum humanarum non eſt ſapientia, quæ quidem ipſa vere eſt architectonica: eſt tamen & hic, id eſt, in rebus humanis, quarum eſt prudẽtia, quædam architectonica, politica nimirum, non ſecus atque in illis rebus, quarum eſt ſapientia. Mihi tamen videtur melius ita accommodanda: Prudentia eſt illa quidẽ, vt modo dictum, practica & in agendo poſita, rerumque maxime ſingularum: eſt tamen & quædam hic architectonica, hic, id eſt, in partib. prudentiæ eſt quædã, quæ ſit architectonica, politica nimirũ: nam quia prudentia in agendo; videri poterat, nullam eſſe architectonicam, ſed omnem in labore & agendo poſitam. Verum eſt quædam architectonica, quemadmodum Medicina, etſi eſt in faciendo, eſt tamen eius pars quædam architectonica, teſte Ariſtotele *lib. 3. Polit.* & ars ædificandi in efficiendo quidem illa, pars tamen & quædam huius eſt architectonica, quæ architecti eſt propria, & hæc accommodatio cõfirmari videtur, cum prioribus proxime præcedentibus verbis, ἡ δὲ φρόνησις, tum infra, αὕτη δὲ πρακτικὴ, βουλευτική.

καὶ περιττά.] Duo valet hoc verbum, ſuperuacanea & eximia, ſeu præclara. Quidam hic priorem notionem accipiunt perperam, hoc eſt perſpicuum. Sic & *libro 8. Politicorum, capite 2.* hæc eadem, in quibus ſapientia, dicuntur περιττά, vbi item Interpretes perperam, ſuperuacanea. περιττὸς enim impar numerus dicitur.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Ἔστι δὲ καὶ ἡ πολιτική.] Differentia Prudentiæ & Politicæ, & partes vtriuſque explicantur, huius maxime: natura denique prudentiæ, & eius principia: vbi & in quos cadat prudentia.

ἔστι δὲ καὶ ἡ πολιτικὴ.] Hic de prudentiæ & politicæ comparatione. Ait igitur, eundem quidem eſſe habitum prudentiam & politicam, non idem tamen vtriq; eſſe τὸ εἶναι, id eſt, re quidem ſubiecta eſſe eadem, ſed ratione diſcrepare, vt in ſcalis deſcenſus & aſcenſus re ſunt eadem, ratione non item: mens practica & theoretica re & ſtrato eſt eadem, ratione, id eſt, vſu & officio non item, & vt *ſupr. lib. 5. cap. 1. in fin.* Iuſtitia communis & virtus re quidem eſt eadem, ratione non item. Ad eundẽ modum, prudentia & politica re eſt eadẽ, vt quæ vtraq; eſt affectio quædam, qua, quæ homini ſint bona, cernantur, ratione tamen diſcrepant, id eſt, vſu: nam prudentia ſuis cuiuſq; rebus priuatim, politica communibus deſeruit. Perperam igitur Euſtathius, quia prudentia priuatorum rebus, communibus deſeruit politica, ſtrato eas diſcrepare ait, vſu dicendum fuerat, id eſt, ratione, nam ſtrato ſunt eadem.

τῆς δὲ περὶ πόλιν.] Hic de partibus prudentiæ, etſi ex prioribus iam perſpicuum eſt, prudentiæ ſummas eſſe partes duas, quarum altera rebus priuatorum, altera communibus inſeruiat. Huius autem, quæ communibus ſeu in ciuitate, duas facit partes, alteram nomotheticam, alteram communi nomine politicam. Illam ait eſſe architectonicam: nam legum ſcriptor, vt dominus & princeps præſcribit, quid in ciuitate ſit agendum legibus latis quaſi præceptis, qui magiſtratus regendi, quæ priuatorum vita eſſe debeat. Legum ſcriptor nihil ipſe agit, ſed actionis modum ipſe præſcribit, quemadmodum architectus. Quare & leges ciuitatũ reginæ & dominæ dici ſolent. Huic rei [ſc. cur legum ſcriptor non agat] argumento eſt, quod leges omnes ſint καθόλου, de re vniuerſa, actio autem eſt in rebus ſingulis. Altera politiæ pars communi nomine politica dicitur, vt apud IÇtos adoptionis duæ ſunt partes, arrogatio, & altera communi nomine, adoptio. Cur autẽ commune nomen hæc pars habeat, rationem mihi ſubindicare videtur Ariſt. διὸ πολιτεύεσθαι, ꝙ hac parte præditi, maxime πολιτεύεσθαι, maximeq; politici eſſe ſentiantur. Legum ſcriptor, vt ab agẽdo remotus, vix videt̃ politicus, ſed philoſophus aliq s. At in rebus agẽdis qui verſant̃, in magiſtratib. in cõſilijs & legationibus, hi demum politici, & πολιτεύεσθαι proprie exiſtimantur, & horum quidẽ hæc pars eſt propria, in rebus ſingulis, vt prior in vniuerſis poſita: practica, vt prior potius, theoretica; in pſephiſmatis, vt prior in legibus: nam & pſephiſmata ſunt rerum ſingula-

rium

rium & rerum agendarum, ſeu τῶν πρακτῶν, vt extrema, ſeu vt ait Ariſtoteles, ὡς τὸ ἔσχατον. Nam vt *ſupra lib. 5.* dictum, pſephiſmata vbi leges deſunt, rebus ſingulis accommodari ſolent, quæ & ipſæ ſunt extremæ, ratione mentis noſtræ, quæ ab vniuerſis ad res ſingulas tanquam extremas delabitur: harum autem propria eſt, vt notum, actio. Pſephiſma igitur eſt rerum ſingularum agendarum & extremarum. Idemq́; eſt eorum, qui ciuitates adminiſtrant, Magiſtratuum & Senatorum, quorum ꝓpria eſt pars hæc politicæ: ea propter & ipſa eſt practica, & rerum ſingularum. Sed quæri poteſt, quo loco ſit collocanda Iuriſprudentia, quæ & ipſa prudentiæ quædã eſt pars ipſo nomine indice. Nomotheticæ quidem attribuenda non videtur, quòd ICtus legum non tam ſit ſcriptor, quam Interpres & explanator: non tam in rebus vniuerſis, quam in rebus ſingulis, quib. interpretatione leges ſua accommodat, verſetur. Contra politicæ quoq; eſſe nõ videtur, ꝙ hæc in agendo, iuriſprudentia potius in contemplando cernatur, eaq; & ab Vlpiano Philoſophia vera dicitur *l. 1. ff. de iuſt. & iur.* Dicendum, ad priorem partem potius accommodari debere, non quod ſit eadem, ſed, ꝙ eius quædam ſit velut particula, communicans tamẽ & aliquid ex politica, ratione rerum ſingularũ. Etſi olim Græci videntur Iuriſprudentiã politicæ partẽ potius feciſſe, ſeu potius officium quoddã iudicis. Nam politicæ rurſus duas facit partes Ariſtoteles, alterã in conſilijs, [id eſt, in deliberando] alterã in iudicijs, & huius ꝓprium olim erat & ius interpretari: apud Græcos nulli erãt ICti præter Iudices, vt nec apud maiores noſtros, nec apud Turcas, nec apud Iudæos olim. De Græcis Cic. *lib. 1. de orat.* Plato *in legib.* Ariſtot. *in Polit.* Iuriſprudentia igitur veterum, i. e Græcorum, Hebræorum omniumque gentium, etiam Romanorum, teſte Pomponio *initio l. 2. ff. de orig. iur.* quia nihil erat aliud, quam legum ſcriptarum ad cauſas ſingulas & vſum vitæ communis accommodatio, (ꝙ iudicis officium eſſe *ſupra libro 5.* docuimus) hinc efficitur, Iuriſprudentiam ſub ea prudentiæ parte contineri, quã δικαστικὴν h. loco vocat Ariſtoteles. Verum quia Romana poſterior Iuriſprudentia, quã hodie vtimur, nõ tam ſingularum eſt rerum, q̃ vniuerſarum, & quædam velut legum ſcriptarum propagatio, atq; adeo nomotheſia quædam: recte dicemus, hanc eius prudentiæ eſſe partem, quæ ab Ariſtotele νομοθετικὴ dicitur. Videatur hac de re doctiſſimus Ehennius *li. 2. principiorũ iuris.*

δοκεῖ δὲ καὶ φρόνησις.] Adhuc de Politica: nunc de Prudentia, ea inquam, quæ ex parte. Sed quo illud καί? ſpectare eo videtur, vbi dictum, ratione diſcrepare prudentiam & politicam: quam quidem differentiam eo loco non expreſſit, intelligi tamen voluit, politicam eſſe ciuitatis, id eſt, plurium & rerum communium: Prudentiam vero eſſe rerum ſuarum & vnius. Primum igitur de his ſingulatim dicturus, de politica ſic orditur: τῆς δὲ περὶ πόλιν, quaſi certa hæc iam nota eſſet politicæ. Ad eundem modum de prudentia hoc loco. Videtur autem, inquit, & prudentia, quaſi diceret: q̄ *ſupra* ſignificaui, verū quoq; videtur, nempe prudentiam eſſe rerum ſuarum & vnius, videtur inquam ex vulgi opinione & vſu vocabuli, quod mox explicabitur. Eſt igitur prudentia ſuis in rebus & vnius, & quidem communi prudētiæ nomine dicitur: vt & de politicæ vocabulo *ſupra* dictum. Nam prudentiæ verbum cum ſit genus: cæteræ quidē partes ſuum quoq; certum nomen habent, hæc vna. quæ ſuis in rebus & vnius, nō proprio, ſed communi ſtitur nomine. Prudentia igitur eſt genus: Ea vel eſt vnius, vel plurium. Hæc vulgo politica dicitur etiam à Plutarcho *in Catone Cenſorio*, vbi œconomicam politicæ partē non minimam eſſe ait. Platoni politicæ verbū etiam patet latius, tam late inq̄ q̄ prudentiæ. Verum Ariſtoteli politicæ vocabulum anguſtius eſt, quo nec omnis prudētia ex ſententia Platonis, [i. e. nec quæ domeſtica] nec œconomica quidē comprehendat, *initio lib. 1. Polit.* Ex Ariſtotelis igit̃ ſententia, prudentia partim eſt vnius, partim plurium. Et hæc, partim familiæ, partim ciuitatis. Illa œconomica, Ciceroni *in partitionibus* domeſtica, hæc politica Cic. ciuilis dicit̃. Et hæc ruſus ciuilis vel rerū eſt vniuerſarū, vel ſingularium: & illa, Nomothetικὴ, legū ſcientia, qua cum Romana Iuriſprudentia: hæc politica ex parte [ſcil. ſpecialis dicit̃] ab Ariſtot. Ratio verbi *ſupra* explicata eſt, q̄ rurſus eſt bipartita, partim βουλευτικὴ cōſiliaria, vt ita dicā, partim δικαστικὴ iudiciaria. Nam cum tres ſint principes omniū ciuitatū partes publicæ, teſte Ariſt. *li. 4. Polit.* Senatus, Magiſtratus & Iudicia: duas hinc partes ſumit Ariſtot. Senatum & Iudicia. Nam Magiſtratus harum velut eſt adminiſter, & q̄ vel à ſenatu, vel Iudice decretum fuerit, exequit̃. Nomotheſia eſt illa quidē & ipſa Reipub. pars, & quidē præſtantiſſima, ſed inſtituendæ potius & informandæ, q̄ gerendæ, de qua hic agitur. Et hæc quidē altera eſt prudentiæ pars, quæ plurium: altera eſt, quæ rerum ſuarum

rum & vnius, quæ communi nomine prudentia dicitur. Cur ita? Ratio *infra* afferetur. Quo ergo Ethicorum tractatio accommodabitur? *ſupra initio li. 2.* iam oſtendimus, eam eſſe politicæ partem, ſeu principium potius, vt ait Ariſtot. *libr. 1. Magn. cap. 1. & lib. 1. Rhetor.* Nulla enim eſt Ethica ſcientia ſpecialis, ex ſententia Ariſtotelis.

εἶδος μὲν οὖν τι ἂν.] Explicat accuratius Prudĕtiæ ex parte vim & naturam, q̃ in eo maxime q́ res ſuas curet, & q̃ ſibi vtilia, norit. Hanc igitur particulam de ſuarum rerum notitia diligenter explicat, & ait: Noſſe igitur ſibi quæ vtilia, genus eſt quoddam cognitionis, quoad ſignificat, & hanc ſuarum rerum prudentiam eſſe cognitionem tantum. Id ipſum autem, ſua noſſe, *ἔχει διαφορὰν πολλήν*, id eſt, multas habet controuerſias, res eſt non ita facilis. Sic enim hæc accipienda puto. Alij aliter, *verum*, inquiunt, *multæ huius ſunt differentiæ.* Sed Ariſtoteles *lib. 4. Polit cap. 15.* hæc autem politiæ pars, inquit, *πολλὰς ἔχει διαφοράς.* De qua difficultate paulo inferius.

καὶ δοκεῖ ὁ τὰ περὶ.] Etiam id de rebus ſuis curandis explicat, comparando prudente cum politico. Prudens, inquit, is eſt, qui quæ ſibi bona norit, & ijs duntaxat occupetur, qui ſuum tantum, vt Cic. *initio lib. 1. offic.* negotium agat. Politici ſunt Polypragmones, multisq; rebus implicantur, aliena ſæpenumero curantes relictis ſuis, quod & Cic. *ad Atticum*, vbi ſe mire polypragmonem eſſe ait. Hanc differentiam prudentis & politici confirmat Ariſtot. Euripidis teſtimonio, vbi hæc duo cōtraria reperiunt, *φρονεῖν* & *περισσῶν εἶναι* ſeu *πράττοντα πλέον.* Verſus autem Euripidis iſti ſunt ex Phylodecte, vbi ipſe ita loquitur, *πῶς δ' ἂν φρονοίην.* Adducuntur & à Plutarcho in libello, *Quando citra inuidiam ſe laudare quis poſſit.* Tres tamen priores duntaxat, quorum vltimus hic non integer, ita ſupplendus illinc: *ἴσον μετασχεῖν τῷ σοφωτάτῳ τύχης.* Quartus quoq; hic verſus, eſt ille quidem integer numeris, ſed non ſententia, adijciendum fortaſſe ex Græco Scholiaſte, *θεοὶ μισοῦσι*, *Dij*, inquit, *oderunt.*

ζητοῦσι γὰρ τὸ αὑτῶν.] Scilicet, nempe homines vulgo. Id namque ſæpe intelligi ſolet, qua de re *ſupra*: non vero, vt quidam intelligunt prudentes. Ait igitur, plærosque mortalium ſua quemque commoda quærere, atque adeo ea eſſe perſuaſione & opinione, vt exiſtiment, cuique id faciendum ſua vt curet duntaxat, rebus alijs relictis: & ex hac opinio-

opinione manaſſe, vt hi proprie dicantur prudentes, qui ſua duntaxat curent, & quæ ſibi vtilia cernant. Vulgi igitur opinione factum, vt prudentiæ vocabulum rerum ſuarum curæ & diligentiæ proprie attribuatur, quod alioqui latius patet, & omnem rerum homini vtilium curam tam publicarum quam domeſticarum complectitur.

καί τοι ἴσως ὐκ ἔστι.] Obſcurus eſt locus. Reprehendit autem vulgi opinionem, non tam ratione vocabuli, vt Interpretes accipiunt: nam in verbis vſum vulgi ſequitur Ariſtoteles: q̃ quod prudentiam rebus ſuis ita alligarent, vt nihil prætereа ſibi curandum exiſtimarint, neq; enim ſuas quoq; res quem cōmode adminiſtrare poſſe, niſi cuius & familia & patria bene ſe habeat, harum inquam & rationē habendam etiam ſuis priuatim rebus qui bene conſultum velit De re familiari res eſt perſpicua. De Repub præclare Xenophon *in li. de venandi ſtudio*, & Liuius *li. 26. Reſpub.* inquit, *incolumis & priuatas res facile ſaluas præſtat: publica prodendo, tua nequicquam ſeruaueris.* Et hoc ſibi velle mihi videtur Ariſtoteles, *αὐτοῦ οἰκονομίας*, &c. nam cum omnes Reipub partes quædam ſimus, certe, vt totius ſalute partes, item & Reipubl. incolumitate noſtræ quoq; res conſeruentur neceſſe eſt. Vulgo exiſtimant, hoc dicere Ariſtotelem, rebus in ſuis prudentiam non conſiſtere abſq; prudentia œconomica & politica, quod eſt falſiſſimum, quaſi vero, niſi qui & politicæ ſcientiæ cognitionem habeat, priuatim prudens eſſe non poſſit.

ἔτι δὲ τὸ αὐτοῦ.] Alluſit Ariſtoteles ad duo verba eo tempore maxime Platoni vſitata, *τὸ αὐτοῦ πράττειν* & *πολυπραγμονεῖν*, vt *in Gorgia, lib. 4. de Repub. & aliis locis.* Illud, Platonem reprehendens Cic *lib. 1. offic.* latine reddidit, ſuum agere negotium, quod prudentis proprium vulgo dicebant, alterum vero politici, vt dictum

ἔτι δὲ.] Ex eo quod dictum prudenti & familiæ & ciuitatis rationem habendam, efficitur tacite prudentiam rem non eſſe tam facilē, quin aut nulla familiæ aut ciuitatis habeatur ratio: tamen illud ipſum *τὸ αὐτοῦ*, id eſt, ſuum agere negotium, ſuaſque res bene adminiſtrare, res eſt non omnibus obuia, neque ita facilis, quæque conſideratione non opus habeat. Nam, vt *ſupra* dictum, multæ de eo ſunt controuerſiæ & difficultates. Summa eſt, prudentiam quomodocunq; accipias, rem eſſe difficilem.

σημεῖον

σημεῖον ἢ ἐστὶ] Locus eſt perobſcurus. Thomæ eo pertinere videtur, quod dictum *ſupra* prudentiam rerum eſſe etiam ſingularum, eiuſq; duas hic afferri rationes, quæ explanatio confirmari videtur verbo τῶ εἰρημένῳ, ſcil. *ſupra* in fine prioris capitis. Hoc namq; verbũ non tam propinqua quam remota ſpectare videtur. Et melior certe multo eſt hæc quam Euſtratiana, quam tamen plæriq; alij ſequuntur, qui exiſtimant, duas hic afferri rationes, quib. confirmetur, quod modo dictum, prudentiam abſq; domeſtica & ciuili prudentia conſiſtere non poſſe. At ſi hoc dictum non eſt, vt non eſſe iam oſtendimus, collabitur tota eorum explanatio. Fortaſſe tamen & Thomas non ſatis accommodate: primum, quia nimis remote, deinde, quia id eo loco ſatis explicatum, rerum ſingularum eſſe prudentiam. Verbum deniq; ἄδηλον hic paulo ante, & paulo *infra*, τῶ ἢ τὸ τί ἐστιν οὐκ ἄδηλον, &c. iteratum, ſuadere videtur, vt hæc cum prioribus connectantur. Rectius igitur dicendum videtur, τῶ εἰρημένῳ, id eſt, eius quod modo dictum, prudentiam rem eſſe difficilem, confirmandi hic duo afferri argumenta. Prius eſt, quia adoleſcentes & pueri multi ſint Mathematici & Geometrici, prudentes non item. Cuius differentiæ cauſa cognita, cognoſcetur & ratio, cur prudentia res ſit difficilis. Cauſa autem differentiæ redditur, quod Geometria & Matheſis rerum ſit vniuerſarum, prudentia ſingularum. Res ſingulæ vſu cognoſcuntur, non præceptis aut ſcientijs, vt infinite variæ. At rerũ vſum nullum habet adoleſcens, vt qui rerum vſus non parui, ſed longi ſit temporis. Concludamus hunc in modum:

Adoleſcens: ergo rerum imperitus, ſeu nullo vſu.
Si nullo vſu.
Ergo
Rerum ſingularum nullam habet notitiam.
Ergo nec prudentiam, vt quæ rerum etiam ſit ſingularum.

Alia eſt ratio Mathematicorum, quæ non vſu, ſed præceptis perdiſci commode poſſunt. Sciendum autem, pueros olim Mathematicis imbui ſolitos, vt hodie Grammaticis, teſte Platone *in Axiocho.*

ἐπεὶ καὶ τοῦτ' ἄν.] Ob difficultatem quæſtionis prioris, cur pueri fiant Mathematici, non vero prudentes, interijcit, & hanc eiuſdem generis, cur ijdem Mathematici quidem fiant, Phyſici ſeu ſapientes, & vulgo Metaphyſici non item. An autem quæſtionem hanc Ariſtoteles exponat duntaxat, an vero

&

& diſſoluat, dubitari poteſt. Vulgo quidem exiſtimant eam diſſolui his verbis, ἢ ὅτι τὰ μὲν. Et quidem Euſtratius explicat hunc in modum: quod Mathematica ſint dijuncta, Phyſica autem & Metaphyſica, ſeu horum principia ſint ex vſu & experientia: & his quidem non fidem habeant adoleſcentes, illis habeant. Mathematica igitur ſunt dijuncta, id eſt, ἐκ ἀφαιρέσεως. Omnia namq; Mathematica ita appellari ſolent. τὰ ὄντα partim ſunt ἐξ ἀφαιρέσεως, partim ἐκ προσθέσεως: illa Mathematica, hæc Phyſica. Deiuncta vocant, quorum nullæ ſunt qualitates & quãtitates, à materia omni remota, cuius generis figuræ ſunt omnes Mathematicæ. Glob9, verbi gratia, Mathematicus, conſideratur non in ligno, ære, aut ſimili materia, ſed his omnibus remotis, phantaſia duntaxat extra omnem materiam. Alia eſt Phyſicorum ratio, quæ omnia ſunt in ſtrato & materia. Metaphyſica non ſunt illa quidem in materia, neque tamen ſunt ἐξ ἀφαιρέσεως, quia non phantaſia vt Mathematica, ſed mente pura continentur. Mathematica igitur, quia ἐξ ἀφαιρέσεως, & proinde à ſenſu remota, vſu opus non habent, eaque re facilius percipiuntur ab adoleſcente, quam quæ ex vſu, vt Phyſica & Metaphyſica. Phyſica quidem, quorum omnis firmitas & certitudo eſt à ſenſu & vſu: De Metaphyſicis dubitari poteſt, an eorum principia ſint ex vſu, cum vſus ſenſum requirat, & à ſenſu remotiſſima ſint Metaphyſica. Eaq; re hanc clauſulam, τῶν δ᾽ αἱ ἀρχαί, Phyſicis Thomas tantum accommodat, Metaphyſicis vero iſtam, καὶ τὰ μὲν οὐ πιστεύουσι. Euſtratius tamen & Metaphyſica principia ex vſu deducit, quod, vt ait Paulus Apoſtolus, *ex ijs, quæ cernantur, ad Dei cognitionem* & Philoſophi deducti fuerint. Illa autem καὶ τὰ μὲν Phyſicis & Metaphyſicis attribuit: neutris enim magnam fidem haberi ab adoleſcente, ſonare eum potius, quam credere, quid natura, forma, Deus, intelligentia, &c. Mathematicis autem maiorem fidem haberi, quod eorum natura melius perſpiciatur, & delineatione ſub ſenſum ſubijci poſſint triangula, & id genus aliæ figuræ. Fides autem ad perdiſcendas artes plurimum habet momenti, adeo quidem, vt abſque fide nulla comprehendi & retineri poſſit, vt præclare *in Gorgia* Plato, duas ſcientiarum omnium peſtes eſſe ait obliuionem & incredulitatem. Quare cum Mathematicis maior habeatur fides, eademq; vſu opus non habeant: quæ duo contra ſunt in Phyſi-

Phyſicis & Metaphyſicis,efficitur pueros facilius reddi Mathematicos,quam Phyſicos aut Metaphyſicos.

ἔτι ἡ ἁμαρτία.] Alterum eſt argumentum difficultatis prudentiæ, quod rerum ſit & vniuerſarum & ſingularum, quibus in vtriſque ſapienter ſe gerere oporteat prudentem. Nam in vtriſque aberrari poteſt & peccari. At hoc difficile eſt præſtare, & generalia & ſingularia, omniaque rerum attributa prudenter cernere. Cæteræ ſcientiæ ſatis habent generalia duntaxat cernere, in ijſq; bene ſe gerere, prætermiſſis attributionum varietatibus. At prudentiæ id ſatis non eſt, deliberare de vxore ducenda, ſed videndum præterea, vbi, quæ, &c. nouit prudens meliora eſſe vectigalia, vrbana ruſticis, inquit Cicero *libro primo offic. in fine*, ſyluas vineis, pacem bello. Sed multa tamen ſæpe variant, & generalem regulam infringunt. Et hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, non videndum illi tantum aquas ponderoſas, graues eſſe inſalubres, ſed eo amplius ſingulatim aqua, qua ipſi ſit vtendum conſideranda, an ſit grauis, &c.

ὅτι δ᾽ ἡ φρόνησις.] Rurſus hic de ſcientia & mente, quæ prudentiæ cum his ſit ſimilitudo aut diſſimilitudo, ex qua diſputatione, vt ex priore, prudentiæ principia cognoſcantur. Dictum namque eſt *ſupra* vſu prudentiæ eſſe opus, vſum prudentiæ eſſe principium: hic ſenſum communem De ſcientia igitur primum, ab ea differre prudentiam, quia hæc ſit extremi. Cur extremi? hanc adiungit rationem, quia πρακτὸν in agendo, eſt tale, id eſt, extremum. Formula:

Prudentia eſt extremi.
Scientia non eſt extremi.
Ergo non ſunt eadem.

Extremum vocat de quo & *ſupra* initio huius capitis,quod ſub ſenſum cadit,& ratione mentis noſtræ eiuſq; agitationis in deliberando eſt extremũ. Cuius generis ſunt omnia,q̃ ſub actionẽ cadunt. At prudẽtia eſt πρακτική. Ergo & extremi. Scientia vero non eſt extremi, vt cuius res ſeu τὸ ἐπιστητὸν non ſub ſenſum cadant, ſed generalia ſint & communia. Eſt quidem vt prudentiæ: ita etiam ſcientiæ quoddam extremum ſeu finis, nempe concluſio in ſcientia. Sed hæc concluſio τὸ ἔσχατον, extremum dici non ſolet, quia ad ſenſum vſque non pertingat. Quare ſcientia & prudentia in eo quidem conueniunt,

niunt, quod habitus quidẽ veri ſit vterq; : conueniunt inquam mentis principio, ſed fine differunt. Prudentiæ namq; finis eſt τὸ ἔσχατον, vtpote πρακτόν: ſcientiæ vero finis eſt τὸ ἔσχατον, vtpote ἐπιστητόν, quodq; ſub ſenſum non cadat.

ἀντίκειται μὲν δὴ κτλ.] Hic de mente, de qua tamen & *infra* latius *cap. 11*. Eleganter igitur mentem prudentiæ ex altera velut parte reſpondere, id eſt, ἀντιτεθεῖσθαι ait. Quædam inter hæc duo eſt ἀντίθεσις: nam mens eſt ſummi, prudentia extremi. Mens namque, inquit Ariſtoteles, eſt terminorum, quorum nulla eſt ratio, id eſt, principiorũ, quorum nulla eſt apodixis & concluſio, vt *ſupra* dictum *c. 6.* q̃ principia ὅρους vocat hic quaſi extremos mentis terminos. Sunt & alij termini non primi, de quib. hic, ſed vltimi de quib. *infra cap. 11.* Primorum igitur eſt mens. At prudẽtia extremi eſt, cuius nulla eſt ſciẽtia, ſed ſenſus potius, vtpote quod in rebus ſingulis, quæ non ſcientia, ſed ſenſu continentur. Sed quo ſenſu inquiet aliquis? eſt namq; partim communis, partim ſingularis. Reſpondet Ariſtoteles non ſingulari: non eo inquit, quo res ſingulas percipimus, ſed eo, quo ſua extrema Mathematici, id eſt, communi. Mathematici namq; figuras nõ ſpectant, quæ ſub oculos cadant, ſed quæ phantaſia & interiore ſenſu continentur. [Hic non conſiderat materiam, ſed cõcipit mente aliquam lineam, quadratum, &c. quo ſua extrema conſiderat, phantaſia nempe, eodem ſua extrema & principia rerum agendarum contemplatur vir prudens.] Hoc igitur eodem ſenſu prudentiæ extremum cernitur, id eſt, rerum agendarum principia, in quibus prudentia non ſingulari ſenſu, ſed communi cernuntur. Ex quo perſpicuum eſt, rerum honeſtarum & agendarum principia, quadam ratiocinatione opus habere, neque prorſus ſenſui eſſe expoſita. Nam alioquin & pueri & beluæ, in quibus ſæpe ſingulares ſenſus maxime videant, prudentiſſimi reperiantur. Nam & res agendæ ſeu τὰ πρακτὰ non tam ratione ſenſus ſub actionem cadunt, ſeu ſunt πρακτὰ, quam propter rationem & ratiocinationem, eaq; propter & prudentiam, *ſupra* diximus rationis quandam eſſe virtutem. Et hunc prudentiæ ſenſum, Ariſtoteles *libro tertio de Anima* vocat φαντασίαν βουλευτικήν. Quod autem comparat hoc loco ſenſum prudentiæ cum ſenſu Matheſeos, ita accipiendum, quod vterque non ſit ſingularis, ſed communis: differunt tamen inter ſe, quod prudentiæ ſenſus ſit cum voluptate aut dolore, vt

quæ

quæ ſit de rebus fugiendis & expetendis,qua de re & *ſupra cap. 5. in fin.* Matheſeos autem ſenſus non item, vt *ibid.*

στήσεται γὰρ κἀκεῖ.] Scil. ſenſus, id eſt, ibi namq; conſiſtet, neq; ad res ſingulas vſq; deſcendet. Ad eundem modum & *lib. 7. Phyſica ἀκροάσεως* Ariſtoteles loquitur. *Scire*, inquit, *& ſapere dicimur* τὸ ἠρεμῆσαι καὶ στῆναι τὴν διάνοιαν, quando ſcil. animus noſter acquieſcit.

ἀλλ' αὕτη.] Locus obſcuriſſimus: variant & libri, & Interpp. vetus tralatio, & Græcus Scholiaſtes pro ἢ φρόνησις ἐκείνης habent, ἡ φρόνησις ἐκείνη δ', quam & Leonhardus Aretinus expreſſit. Lambinus variat: inducit tandem hæc, ἢ vel ἡ φρόνησις, perperam. Euſtratius recte quidem legit, non recte tamen explicat. Nam particulam μᾶλλον ita accipit, quaſi diceret Ariſtot. ſenſum communem magis eſſe ſenſum, quam ſingularem, hoc vt ſit verum. Nam & *infra libr.* 7. communem vocat principem ſenſum: tamen quid ad rem. Neque enim hoc agitur de ſenſibus vter alteri præſtet, ſed vter ſit prudentiæ. Quare veteris tralationis ſcriptura & Thomæ ſententia, quam tamen Lambinus non eſt aſſecutus, mihi probatur vt veriſſima. Vertendum hunc in modum: Hic igitur ſenſus magis prudentia: ille vero, aliud genus, id eſt, vt in pauca conferamus, & poſt interiectionem de Mathematicis, vt ad priora redeamus, (quod vult particula ἀλλά.) Hic igitur ſenſus eſt prudentia, id eſt, prudentia potius eſt ſenſus hic communis puta, quam proprius & ſingularis, vt iam dictum: ille ſcil. ſenſus ſingularis, aliud eſt genus, id eſt, alia eius eſt ratio, huc non pertinet. Obſeruandum autem, prudentiam hic ſenſum vocari communem vt & *infra cap. 11.* ſenſus mens eſſe dicitur, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Τὸ ζητεῖν δ' ἐστὶ τὸ βουλεύεσθαι.] Adhuc expoſuit de Prudentia, quæ huic cum ſapientia maxime, cum politica quoq; ſcientia & mente ſit ſimilitudo & differentia. Hoc demum loco, de alijs quibuſdam affectionibus explicare orditur, vt quarum magna cum prudentia ſit cognatio, adeo quidem, eius vt vel partes, vel cauſæ & principia videantur. Sciendum namque virtutum omnium ſuas quaſdam eſſe comites & cognatas,

gnatas, vt liberalitatis eſt facilitas, hoſpitalitas & humanitas: Iuſtitiæ fides, veritas, ſanctitas & pietas: Magnanimitatis ſimplicitas & generoſitas: Temperantiæ, pudor, reuerentia, εὐταξία. Eademque aliarum eſt ratio, de quibus Ariſtoteles *in libello de virtutibus*. Ad eundem modum & ſuæ ſunt prudentiæ quædam comites & adminiſtræ, quas hoc libro quatuor explicat Ariſtoteles, tres deinceps [ſcilicet ordine] quartam *infra cap. 12. in fine*. Affert & duas alias, memoriam & exercitationem, de hac *ſupra* hic dictum. In eodem libro Pontanus *libro quarto de Prudentia*, præter has Ariſtotelicas, viginti alias commemorat & explicat, quæ tamen prudentiæ potius ſunt officia quædam, quam vel partes, vel comites. Franciſcus Patricius *libro ſexto, de rerum inſtitutione*, nouem prudentiæ comites explicat: Stoici olim ex quatuor Ariſtotelicis duas priores ponebant, teſte Laertio *in Zenone*. Plotinus Philoſophus quinque, de quibus & ille Franciſcus Patricius. Verum Ariſtotelem nos ſequimur, qui *in libro* quidem *de virtutibus*, vt dixi, quinque commemorat, memoriam, vſum ſeu exercitationem, Eubulian, Anchinœã & Dinotita. De vſu iam dictum, cuius parens eſt memoria, de qua re & eleganter Aphranius poeta; *vſus*, inquit, *me genuit, mater memoriam*, Sophiam Graij vocant, nos ſapientiam, i. e. prudentiam. Reliquæ ſunt quatuor, q̃ cum *h. lib.* tum *in Magn li. 1. c. vlt. & li. 2. ca 2. & 3.* explicantur, Eubulia, Anchinœa, Gnome & Dinotis. Et hoc quidem capite de Eubulia, quæ ratio quidẽ eſt recta capiendi cõſilij. A Stoicis definit̃ ſcientia, qua præditus cernere poſſit, quæ & quomodo vitæ vtiliter ſint agendæ, ſed aliter Ariſtoteles. Plato quoq; *lib. 4. Polit.* eam vocat ſcientiam recte conſultandi: ſed nautis quoque, aurigis, & id genus alijs ſuam vult eſſe Eubulian, ſumpto communius Eubuliæ vocabulo, proprie & anguſte hic de eo Ariſtoteles.

ζητεῖν ἢ καὶ τὸ.] Prius explicat, quid hæc verba quærere & conſultare differant, quam ad Eubulian accedat. Nam & verbo quærendi ſæpe iam eſt vſus & *infra* vtetur, & *ſupra libro 3. cap. 3.* ſæpiſſime. Tria ſunt verba, quibus prudentiæ officium exprimitur, Ratiocinari λογίζεσθαι, quærere ζητεῖν, & conſultare βουλεύεσθαι. De primo *ſupra* dictum. Reliqua duo ita hic differre hoc loco ait, vt genus & ſpeciem, omnem namq; conſultationem eſſe quæſtionem, ſed non contra, vt & *ſupra li. 3. ca. 3.* πᾶσα βούλησις ἐστι ζήτησις. Qui conſultant enim, omnes quærunt,

runt,quid,quo modo,quibus organis ſit agendum. Quærunt tamen multi,qui non conſultant, vt Philoſophi, Phyſici, Dialectici, & cæteræ artes opificum quærunt, ſed non deliberant. Deliberatio enim non cadit, niſi in res inſtabiles & agendas. Quæſtio igitur eſt genus, conſultatio ſpecies.

δεῖ δὲ διαλαβεῖν.] Hic iam de Eubulia, q̃ Stoici prudentiæ partem, Ariſtot. *in libello de virtutib.* quaſi partem vocat:latine redditur à quibuſdā prudens conſultatio, ab alijs bona, ab alijs bonũ conſilium, malim græco vti verbo, exemplo veteris Interpretis:idemq; in alijs faciendum puto,ꝙ tota hæc de prudentiæ comitibus diſputatio in ipſis verbis magna ex parte ſit poſita,& bona ſeu prudens conſultatio eſt actio potius quędā, cum Eubulia ſit habitus aut affectio, ſeu vis quædā bene conſultandi,teſte Ariſt. *in magn. li.2 cap.3.* poteſt tamen ita vſurpari. De hac igitur primum oſtendit,quid non ſit, deinde quid ſit. Oſtendit.a. eam non eſſe ſcientiam, ſagacem coniecturã ſeu Euſtochian, aut ſolertiam ſeu Anchinœan,aut deniq; opinionem. De ſcientia duas hic affert rationes, alteram hic, alteram *infra* ἐπιςήμης μὲ γὰρ. Prior eſt, quia Eubulia eſt quæſtio, ſcientia non item. Illius ratio,quia Eubulia eſt quædam βουλὴ, ſeu conſultatio, quæ omnis, eſt quæſtio *ſupra li.3. ca.3.* Huius ratio, quia is demum ſcire dicit̃, qui nihil amplius q̃rit, ſed quieſcit, cuius & mens iam conſiſtit, inquit Ariſtot. *libr.7. Phyſica ἀκροάσεως.* Altera ratio; quia Eubulia eſt quædam ὀρθότης, ſeu rectum: ſcientia non item. Illius ratio *infra* explicabitur:huius hæc redditur ratio,quia ſcientiæ nullum eſt peccatum: Ergo nec rectum. Scientia nunquam aberrat,ſemper eſt recta: & proinde nullum eius eſt rectum, aut prauitas.

ἀλλὰ μὴν οὐδ' εὐςοχία.] Quid ſit εὐςοχία, ex ipſo nomine notum, bona coniectura à quibuſdam redditur latine, h. eſt, qui bene nouit aliquid conijcere: mihi ſagax coniectura, propius ad vim verbi græci accedere videtur. Docet igitur Eubulian, non eſſe ſagacem coniecturam, quia hæc abſque ratione ſeu λόγῳ, id eſt, ratiocinatione & diſputatione, & cæteris, & illa cum ratione & mora. Coniectura ſagax,& omnis adeo cõiectura repentina fere eſt & ſubita rei inuentio abſq; longiore diſputatione & agitatione. At Eubulia magna fit cum diſputatione,re in omnes partes vertenda, & proinde cum mora. Cui rei argumẽto ſit, inquit Ariſtoteles, quod vulgo quoq; dici ſolet: *Deliberata quidē cito agenda,ſed diu & mature deliberanđũ.*

Nam vt Saluſtius: *Antequam incipias, conſulto, vbi conſulueris, mature facto opus eſt.* Videatur pulcherrimus locus apud Liuium *lib. 31. in oratione Democrati*, vbi de celeritate & tarditate conſilij: Omnis enim celeritas conſilijs eſt inimica. Et Eraſmus *in prouerb. Diu deliberandum, & antequam conſulto.* Obſeruandæ hic duæ ſunt inſignes prudentiæ notæ, diſputatio & maturitas. Nam & Ariſtoteles *in Magn. libr. 2.* ob priorem notam oſtendit, ea, quæ nulla adhibita ratiocinatione, ſed caſu potius & fortuito, quantumuis pulcherrime & prudentiſſime cadant, non eſſe prudenter facta, ſed *εὐτυχήματα* potius. Sed de fortunæ cum prudentia coniunctione *ſupra*,

ἔστι ἡ ἀγχίνοια.] Ariſtoteles *libr. 1. poſter. Analyt. in fine*, *ἀγχίνοια*, inquit, eſt medij ſeu cauſæ *εὐστοχία* quædam, vt & hic, id eſt, celeris inuentio: Latine à pleriſque dicitur ſolertia, ab alijs ſagacitas: vtrumq; non male: illud communius tamen dici poteſt & acumen. Et hanc quoq; prudentiæ partem faciunt Stoici, & quaſi partem. Ariſtot. *in lib. de virtutib.* Differre tamen eam ab Eubulia docet hoc loco Ariſtot. quod ſolertia quædam ſit coniectura, & proinde celeris: Eubulia non item, vtrumq; iam dictum.

οὐδὲ δὴ δόξα.] Quod reliquum erat hoc loco, Eubuliam docet, non eſſe opinionem, ſed oratione mire implicata, propterea quod eadem orationis ſerie & contextu & illud, & hoc præterea docere orditur (explicato quid non ſit eubulia) quid tandem ſit Eubulia, quæ duarum totius capitis ſummarum partium erat altera. Mendum præterea meo iudicio grauiſſimum. In hac diſputatione hæret, quo multo redditur obſcurior. Primum igitur vt plenior reddatur Oratio, hæc verba, *ἀλλὰ μὴν οὐδ' αὖ δὴ*, &c. *ἤπω φάσις*, omnia eſſe ſpuria & inducenda. Primum, quia totam diſputationem perturbant, deinde. quia aliena. Præterea, quia nulla commoda eorum poſſit eſſe ſententia: hoc primum. Alterum eſt, vt hæc verba *ἐπιστήμης μὲν γὰρ*, &c. *ϗ λογίζεται*, omnia parentheſeos nota contineantur. Nunc ad rem: primum ait, Eubuliam non eſſe *δόξαν*, id eſt, opinionem, quod priuſquam confirmet, adiungit, quid tandem ſit Eubulia, rectum nempe quoddam. Cur rectum? hanc reddit rationem, quod Eubulia ſit bona quædam conſultatio. Bene autem conſultare eſt recte: nam, vt qui male deliberat, aberrat & in deliberando peccat: Ita qui bene, is

in deliberando recte ſe gerit, recte deliberat. Formula:

Qui bene, is recte deliberat.
Eubulus bene, indicio eſt ipſum verbum.
Ergo & recte.

Eubulia igitur rectum eſt quoddã ſeu ὀρθότης: quo poſito, quia rectum multis in reb. reperitur, pergit exquirere, quarum rerũ rectum ſit Eubulia. Et primum quidem, quarum non, deinde quarũ. Ait igit neq; ſcientiæ, neq; opinionis. De ſcientia *ſupra* initio: ſcientiæ enim nullum rectum, quia nullum parum. De opinione duas affert rationes: Altera eſt, q̃a opinionis eſt veritas, Eubuliæ non item. Laus opinionis omnis, vt & ſcientiæ, in vero cognoſcendo conſiſtit: Eubulia vero non contenta veri cognitione, ad facta ipſa & actiones progreditur. Sic de opinione, Plato cum alibi, tum *in Philabo*. Ea namq; eſt vel vera, quæ ὀρθὴ ſeu recta dicitur, vel ψευδὴς falſa, quæ πονηρὰ male & ἁμαρτάνουσα praua. Contrararia ſunt ὀρθὸν & ἁμαρτάνον, vt apud Stoicos κατορθώματα & ἁμαρτήματα recte facta & praua ſeu peccata Interprete Cic. *in offic. & lib. 3. de Fin.* Sic & hic ἁμαρτάνει, ὁ δὲ εὖ ὀρθῶς ſunt contrari, & *infra cap. vlt.* τῇ μὲ ὀρθῶς, &c. ἡ δὲ ἁμαρτάνειν, & paulo poſt hic, ὀρθότης οὐδὲ ἁμαρτία. Altera ratio, ἅμα δὲ ἡ διώρισται. quia cuius opinio, id iam certum & conſtitutum, cuius Eubulia non item. Vtriuſq; ratio, καὶ γὰρ ἡ δόξα. Summa rationis huius hæc eſt: quicquid opinatur, is animo iam certum & cõſtitutum id habet, & rem ita eſſe exiſtimat, etſi per ſe incertam & fortaſſe falſam. Eubulus autem, vt omnes qui deliberant, nihil dum certi conſtituit, ſed in omnem partem rem verſat, vt aliquid tandem conſtituat. Nam opinio, inquit Ariſtot. eſt enunciatio quædam ſeu phraſis. Eubulia vero non enunciatio, ſed potius eſt quæſtio, id eſt, opinione enunciatur aliquid iam animo conceptũ, nihil quæritur. Contra fit in Eubulia, vbi nihil aliud quam quæritur, vt in omni fit conſilio, nulla poteſt eſſe enunciatio, quia nihil dum certi & conſtituti. Non eſt igitur opinio Eubulia: non eſt ſcientiæ aut opinionis rectum Eubuliæ, ſed alia in re poſitum ſit neceſſe eſt. Quare perfecta de opinione diſputatione & parentheſi redit Ariſtoteles, ad rectum Eubuliæ, qua in re ſit poſitum: ἀλλὰ, inquit, id eſt, Eubulia, inquam, eſt, quaſi quoddam rectum conſilij, id eſt, Eubulia eſt vis quædam, qua conſilia & deliberationes recte dirigamus.

διὸ ἡ βουλή.] Dictum eſt, Eubuliam eſſe rectum conſilium: quas duas partes accuratius iam explicare orditur. Et de conſilio quidem monet diligenter inquirendum quid ſit, & quibus in rebus verſetur, ſed monet tantum. Nam *ſupra lib. 3. cap. 3.* de eo diligenter explicauit, & tota hæc de Prudentia diſputatio conſiliorum & deliberationum vim continet.

ἐπεὶ δ' ἡ ὀρθότης.] Reliquum igitur erat de recto, quod cum ſit multiplex, videndum, cuius ſit Eubulia. Totius autem diſputationis ad finem vſque capitis ſumma quatuor partibus continetur, quibus vis & natura, & plena Eubuliæ definitio perficiatur. Multiplex igitur rectum eſſe docet hac ratione, quod & qui improbum & inhoneſtum finem ſibi deligant, & qui honeſtum, ſi eum ratiocinatione ſua aſſequantur, recte quoque deliberaſſe dicantur. Intemperans agitans ſecum, quemadmodum ſua potiatur, ſi pro ratiocinatione iam poſtea aſſecutus fuerit, recte quoque deliberaſſe dicetur, nactus tamen rem improbam, vt finem inhoneſtum ſibi propoſitum. Conſtat igitur rectum eſſe vel ad improbum, vel ad bonum finem, ad bonum & vtile, vel ad malum & inutile. Hoc poſito quæritur Eubuliæ rectum, an ad finem ſit bonum, an ad malum. Et ad bonum eſſe docet hac ratione, quia bene conſultare [pro deliberare] ſeu τὸ εὖ βουλεύεσθαι, quod eſt Eubuliæ, bonum eſt quoddam, ſit boni & vtilitatis cuiuſdã cauſa. Itaque & Eubulia conſilij, erit rectum ad boni quid aſſequendum. Verum ne hoc quidem ſatis: nam & modus aſſequendi ſpectandus eſt. Accidere autem poteſt, vt bonum quidem finem, malo tamen & improbo modo & ratione aſſequamur, vt fœnerator pecuniam. [aſſequitur bonum finem, ſed mala tamen ratione] ambitioſus honores, ſolium Papa: Cæſar liberalis quidem fuit, ſed de alieno, inquit Cicero. Iuuare amicum honeſtum eſt, ſed malis artibus non item. Accidit quidem. vt finis quidem proponatur bonus, ſed ratio eius aſſequẽdi ſit improba, quemadmodum ex falſo termino & medio, ſæpe vera conficitur concluſio ſeu ſyllogiſmus, vt ſi homo volat. Ergo eſt auis. Bonum eſt conſequens, ſi & antecedens. Quomodo hic loquitur Ariſtoteles, [hoc enim medio confirmatur, quia ſentit lapis, eſt animal, bona concluſio: terminus medius; ſentire, eſt falſus; bonus finis poteſt eſſe, cum tamen modus aſſequendi non bonus] Syllogiſmus vel eſt Theoreticus vel practicus: illius cognitio, huius complexio finis

finis eſt & actio. Terminus autem medius, quo finem aſſequamur. Quod igitur Ariſtoteles ait, finem quem poſſe aſſecui, falſo licet ſyllogiſmo, quia falſo termino medio: ita eſt accommodandum, vt finis quidem rerum agendarum honeſtus eſſe poſſit, modus tamen & ratio ſit improba. De hac ſyllogiſmi partitione & *infra* Ariſtoteles *capite duodecimo*, & Alexander *lib. 1. de Anima*, [ratione denique materiæ diuiditur ſyllogiſmus in practicum & Theoreticum.] Iam vero Eubulia non eſt, cui finis quidem bonus ſit propoſitus, ſed mala ratione. Nam & hoc ipſi verbo Eubuliæ repugnat, quæ à bono nomen habet, & proinde omnia vult bona tam finem quam medium. Itaq; Eubulia rectum erit conſilij ad finem bonum bona ratione & modo aſſequendum. Sed ne hoc quidem ſatis ad plenam Eubuliæ definitionem, quam diximus eſſe rectum conſilij. Atqui alias celerius deliberari ſolet pro rerum pondere aut neceſſitate: temporis igitur & habenda erit ratio. Quare Eubulia non erit, quæ omnia celeriter aut tarde deliberet, ſed quæ iuſto & debito tempore, etſi tarditas conſilijs eſt vtilior, vt ſupra dictum. Sed etiamnum abeſt aliquid, quæ Eubuliæ eſt quarta & vltima lex ſeu nota. Dictum eſt Eubuliæ finem aliquem bonum & vtilem propoſitum eſſe debere: Finium autem quia duo ſunt genera, alter communis & ad totam vitæ rationem ſpectans vt eſt beatitudo: alter ſingularis, vt Imperatori victoria, mercatori lucrum. Docet Ariſtoteles Eubuliæ finem non eſſe ſingularem ſed communem, qui idem & eſt prudentiæ, vt *ſupra* dictum *cap. 5. initio*, δοκεῖ δὴ φρονίμου, id eſt, Eubuliæ finis ad totam vitam bene beateque tranſigendum pertinet, vt & de prudentia ibi dictum. Recte igitur Ariſtoteles *extremo capite*, tandem Eubuliam definit eſſe rectum quoddam ad finem eum, cuius prudentia eſt vera exiſtimatio, id eſt, cuius & ipſa eſt prudentia, aſſequendum, non ad ſingularem. Ad ſummam: Eubulia nihil eſt aliud, quam rectum conſilij, quo ea, quæ toti vitæ ſint bona & vtilia, bona ratione & modo debitoque tempore aſſequamur. Ad eundem modum Cicero *in Topic.* hæreditatis definitionem & gentis gradatim docet & pedetentim.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Ἔστι δὲ ἡ σύνεσις.] Altera ex quatuor prudentiæ partibus ſeu comitib⁹ hic explicatur, quæ græce σύνεσις, cui tanta cum prudentia eſt cognatio, vt in populari vſu & apud oratores pro prudentia fere ponatur. Quemadmodum Demoſth. *in oratione funebri*, virtutum omnium principium eſſe σύνεσιν dicit; finem, fortitudinem. Latius etiam patet. Nam & cuiuslibet rei cognitio σύνεσις dicitur etiam in theoreticis. Sed hic anguſtiſſime accipitur, de quadam prudentiæ velut parte. Latine redditur ſagacitas, perſpicacitas, & intelligentia: hoc malim, & ſi ambiguum. Nam & νοῦς & σύνεσις eo nomine exprimi ſolet [intelligentia interdum νοῦς latine,] ſed hoc tamen malim, Nam & Cic. prudentiæ coniunxit intelligentiam, *libr. 2. offic. Fides autem vt habeatur, &c.* Hinc & ξυνετοὶ intelligentes, quos puto olim Romæ dictos Catos. Ennius: *Egregie cordatus homo Catus*, Ælius Sextus, Iuriſconſultus præſtantiſſimus apud Ciceronem *in 6. Diuinat.* Contra ἀσυνεσία, quæ latine hebetudo & tarditas, etiam inſcitia & ſtultitia, vt Terentius: *Stulto intelligens quid intereſt.* Stulto, id eſt, ἀσυνέτῳ. dicitur & ξυνετὸς liber, verbi gratia, cognitu facilis, non obſcurus. Atque ita ξυνετῶς & συνεγνωκως & παθητικῶς ſumitur, de quo Gellius *libro vigeſimo, capite quarto.* vbi παθητικῶς cognobilis latine dici poſſe exiſtimat, ex Catone ſumpto vocabulo. [*Cognobiliorem cognitionem nunquam vidi*, ſed non ita dicimus latine.]

Ἔστι δὲ καὶ ἡ σύνεσις.] Primum quid non ſit, deinde quid ſit intelligentia, explicat. Non eſſe igitur ſcientiam aut opinionem, neque omnino, neque ex parte, oſtendit, neque etiam plane idē eſſe, quod prudentiam. Omnino ſeu ὅλως ſcientiam, voco ſcientiam generaliter acceptam: ex parte, certum ſcientiæ genus, vt Medicinam, Geometriam, Phyſicam, &c. Cur non ſit omnino ſcientia aut opinio, id eſt, plane idem quod ſcientia, ratio hæc affertur, quia ſequeretur, omnes eſſe intelligentes ſeu συνετούς. Cur ita? nam omnes vel ſcientiam aliquam & artem norunt, vel ſaltem opinari quid ſolent. Cur non ex parte? Ratio eſt à ſtrato. Nam

Si certa quadam eſſet ſcientia, eſſet, vt medicina rerum ſalubrium, vt Geometria magnitudinum, vt Phyſica rerum

rerum naturalium, eſſet deniq; vel rerum diuinarum, vel etiam rerum faciendarum, vt architectura, vt ſutoria, &c.

At nullarum eiuſmodi rerum eſt.

Ergo nec certa eſt ſcientia.

Non eſt, inquam, rerum æternarum & immutabilium, quarum eſt Theologia: non eſt etiam rerum caducarum, ortum vel à natura, quarum eſt Phyſica, vel ab homine, quarum ſunt artes opificum, habentium: ſed earum potius eſt rerum, quæ ſub deliberationem cadunt, rerum puta agendarum, τῶν πρακτῶν; non confirmat id Ariſtoteles vt certum: nam & vulgus verbum συνέσεως nouit ad res agendas, & ſub deliberationem cadentes, pertinere, non ad naturales, diuinas, &c. In his autem rebus ſub deliberationem cadentibus, quia & prudentiam verſari ſupra diximus, eaque ratione eadem cum prudentia videri poterat σύνεσις: adiungit differentiam, eademque opera, quid ſit intelligentia, explicat: nam prudentiam eſſe præceptricem, ſeu ἐπιτακτικὴν: intelligentiam vero diſceptatricem ſeu κριτικήν. Prudentiæ namque officium (quod hic τέλος improprie pro ἔργον, vt & finis Rhetoricæ improprie Quintiliano pro officio) & munus eſt agenda præcipere & imperare: intelligentia vero eadem quidem à prudentia præcepta & iuſſa agi, diiudicare, an recta & honeſta ſint. Eſt, inquam, intelligentia vis quædam iudicandi & recte intelligendi, quod prudentia agendum cenſuerit & præceperit.

ταυτὸ γὰρ ξυνέσις.] Particula τὸ γὰρ pro δὲ, autem, ponitur, de quo alias: nulla namque prioris hic eſt ratio, hoc tantum docet eandem eſſe vim Græcis ξυνέσιν & εὐξυνεσίαν, quia & ξυνετὸς dicitur etiam εὐξύνετος. Sic infr. γνώμη & εὐγνωμοσύνη idem.

ἔστι δὲ οὔτε τὸ ἔχειν.] Diligentius hic explicat, quod dictum, intelligentiam eſſe criticam, exemplo ſcientiarum, & vi verbi μανθάνειν, & verbi συνιέναι. In ſcientiis hæc ſunt tria, eas acquirere, habere, & vti: quod vti Græce dicitur συνιέναι, acquirere μανθάνειν: quod tamen & συνιέναι interdum valet. Ait igitur, ξυνέσιν non eſſe acquirere prudentiam, aut habere, ſed potius vti, id eſt, in rebus, quarum eſt prudentia rectæ opinionis iudicio vti, id eſt, res, quarum prudentia, recte iudicare. Quemadmodum in ſcientiis is

 dicitur

dicitur συνιέναι, non qui acquirit ſcientiam, aut eam habet, ſed qui ea vtitur.

ἄλλου λέγοντος.] Sic legendum, non vt in quibuſdam, ἀλλὰ ὁ λέγοντος, quibus verbis magis aperit materiam ξυνέσεως: nam etſi earum eſt rerum iudex, quarum prudentia, id eſt, agendarum: non omnium tamen, ſed earum duntaxat, quæ ab aliis proferuntur. ξυνέσις namque aliorum dicta & facta examinat: ſuorum alia quædam eſt vis & facultas, ipſa prudentia & eubulia, coniuncta Dinotiti, de qua infra.

καὶ κρίνειν καλῶς.] Duæ συνέσεως ſunt partes, materia, res agendæ, de qua iam dictum, & forma ſeu officium [actio enim eſt forma] nempe iudicium, de quo & hic rurſus, id rectum eſſe debere monet: nam idem inquit bene & καλῶς, ſeu honeſte & recte, quaſi diceret, iudicium honeſtum eſſe deber, quia verbum εὐσυνεσίας id poſtulat, εὖ namq; idem quod καλῶς, de quo ſupra [de εὖ] *lib. 3. in fin.*

καὶ ἐντεῦθεν ἐλήλυθε.] Origo verbi σύνεσις ex ſcientiis manare dicitur. σύνεσις namque eſt bipartita, altera theoretica, altera practica: nam, vt & initio diximus, σύνεσις ad omnem cognitionem pertinet. Practica igitur à theoretica manat, id eſt, hæc, de qua hoc loco, σύνεσις dicitur ex ea, quæ in diſcendis ſcientiis: nam & ibi pro diſcendi verbo, ſeu τοῦ μανθάνειν loco συνιέναι Græci dicunt, id eſt, ad ſcientias diſcendas verbum quoque συνιέναι pertinet. Summa igitur huius diſputationis eſt; σύνεσιν ſeu intelligentiam vim eſſe quandam, qua aliorum dicta & ſententias diiudicemus.

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Ἡ δὲ καλουμένη γνώμη.] Hic de tertia prudentiæ comite & parte, quæ γνώμη hic Ariſtoteli *in Magnis libro 2. capite 2.* εὐγνωμοσύνη dicitur: vt enim σύνεσις & εὐξυνεσία, ita & hic illa duo idem valent. Ipſa igitur vis & facultas ita dicitur; ea præditi autem Græce dicuntur Eugnomones, & γνώμην habere, Latine γνώμη ſententia reddi poteſt. Eugnomoſynes non commodũ extat nomen, niſi dicas bonam ſententiã, vt nec Eugnomonis, neq; eius quod dicunt, gnomen habere, niſi dicas bene ſentientem, & bene ſentire. Verum perſpicuitatis gratia Græcis verbis vti præſtat. Eſt igitur γνώμη rectum iudicium æquitatem aman-

amantis,facilisq; viri τοῦ ἐπιεικοῦς:nam à definitione orditur. Verum, quia gnomes ſeu ſententiæ vocabulum eſt multiplex, his verbis, καθ' ἣν συγνώμονας,interiectis, monere mihi videtur, de quo gnomes genere agatur,de ea, inquam, ex qua συγνώμονες dicantur,id eſt,de ea,quæ & συγνωμοσύνη: nam ſic eam duntaxat Ariſt. vocat *in Magn.* quod verbum non eſt homonymon, vt nec gnomen habere,quod valet attendere animũ, & vt Terent. animum habere[ſc.in patinis.] Sic Æſchin.in Demoſth. de Iudicib. quos conqueritur tanquam incantatione quadam auerſos aliam gnomen ἔχειν. Gnomæ autem, vt & ſententiæ multiplex eſt vocabulum: nam & pro dicto quolibet ſumitur, & pro decreto. Hoc autem loco non pro quolibet decreto, ſed viri boni æquum bonum amantis duntaxat: alioqui omnium iudicum deciſiones,ſententię,omniũ ſenatorũ decreta omnia, item ſententiæ & gnomæ, ψῆφοι quoq; Græce & dogmata dicuntur: ſed hic,vt dixi, anguſtius. Gnome eſt viri æquum bonum amantis iudicium rectum: cuius definitionis tres partes, Æqui & facilis viri, Iudicium & rectum, deinceps exponere videtur. Æquum bonum, & æqui boni amans, ſeu facilis & benignus vir quis ſit, ſupra dictum *libro quinto*, vbi & huius loci facta eſt mentio. Huius igitur viri gnomen eſſe docet hac ratione, quia & συγγνώμη, i. venia, quæ æqui boni eſt propria,ſit eiuſdē viri: atq; adeo dicat' ſyngnomicus.Formula:

Syngnome & ſyngnomicus eſt æqui boni.

Ergo & gnome.

Illud notum ex iis, quæ de æquo bono ſ. Altera erat pars de Iudicio,quæ,vt prior gnomes eſt materia, ita hæc eſt forma & officium. γνώμην igitur criticam eſſe facultatem, rationem afferre non videtur, niſi quis eam ſubindicatam velit his verbis; ἡ δὲ συγγνώμη, &c. quibus quid ſyngnome ſit, breuiter exponit, vt hæc ſit formula:

Syngnome eſt critica.

Ergo & gnome.

Sed enim rurſus iam idem quæri poteſt de ſyngnome, cur ſit critica. Dicamus igitur, verbo gnomes id ſatis indicari, vt quod à γινώσκειν, id eſt, cognoſcendo, & proinde iudicando: atque ita fere ipſe Ariſtoteles *in Magnis Moral.* κριτικὸς ὢν & γινώσκων. Accedit, quod verbum gnomes & ſententiæ etiam communi nomine ita vulgo intelligatur, vt ad iudicium & vim decernendi ſpectet, non ad actionem, vt prudentia. Satis

eſt igitur ſententiæ, recte exiſtimare, vt agatur, non vrget, non laborat, quod æquitatis eſt munus. Duo namque hæc paria inter ſe comparantur: nam vt intelligentia ſeu *σύνεσις* eſt critica; prudentia vero practica: ita & ſententia eſt critica, æquitas practica, teſte Ariſtotele *in Magnis libro 2. capite 2.* Conueniunt igitur intelligentia & ſententia in iudicio ſeu in forma, diſcrepant in ſtrato. Intelligentia namque omnium eſt rerum agendarum, quoad ab alio conſultatur, vt dictum. Sententia vero earum tantum eſt rerum iudex, in quibus æquum bonum: quæ materia tamen latiſſime patet, & vt *infr.* ait Ariſt. *τὰ γὰρ ἐπιεικῆ*, ea quę ad æquum bonum, communia ſunt bonis omnibus, quæ ad alium, i. ea in quibus æquum & bonum, ſunt omnia, in quibus de aliorum commodo & bono agitur. Nam vt iuſtitia de alieno bono, ita & æquum bonum. Ad ſummam, Intelligentiæ eſt iudicium quodlibet & directum: Sententiæ vero iudicium eſt mite & benignum. Verbi gr. Cæſaris de coniuratis ſententia mitior, quam Catonis & Syllani, fuit gnome ſeu ſententia, de qua hic quæritur, apud Saluſtium *in Catilinariis.* Reliqua definitionis particula, qua dicta eſt ſententia rectum iudicium, ita explicatur, *ὀρθὴ δ' ἡ τοῦ ἀληθοῦς*, quod rectum in vero conſiſtat, id eſt, id cenſeatur rectum iudicium, quod verum, non quod bonum. Actionis laus eſt bonitas, iudicii & cognitionis eſt veritas.

εἰσὶ δὲ πᾶσαι.] Explicatis iam ſeparatim prudentiæ principiis, & partibus tribus (nam de quarta, quæ *δεινότης*, *infra capite prox.*) hic de iiſdem agit communiter: nominatim tamen de his quatuor; Prudentia, Intelligentia, Sententia, & Mente. Sub Prudentia intelligatur & Eubulia. Primum igitur oſtendit, has quatuor ad eundem ſcopum omnes contendere, ad res humanas & *τὰ πρακτὰ* prudenter dirigenda: hoc, inquam, agunt omnes, & ad communem huius vitæ recte degendæ rationem ſpectant. Hoc igitur primum, eodem omnes ſpectare. Cui rei hoc affert argumenti, quod & vulgo, quem prudentem, eundem & intelligentem & cordatum (ſic voco *νοῦν ἔχειν*) & bene ſentientem, vt ita dicam, quod Græce *γνώμην ἔχειν*, dicimus, vni omnia attribuentes.

πᾶσαι γὰρ αἱ δυνάμεις.] Altero oſtendit argumento quatuor has facultates concurrere, & eodẽ contendere: nam omnes eſſe rerum extremarum & ſingularium. Quod hic interiicit, intelligen-

gentem & eugnomona eſſe κριτικὸν eorũ, in quibus prudẽs, ẽſ. eſt explicatum, vt & hoc, τὰ γὰρ ἐπιεικῆ, quod eſt de iis, in quibus æquum bonũ. His igitur interiectis remotis, redit ad alterum argumentum, quatuor eas eſſe facultates extremorum & ſingularium, & accurate explicat. Cuius ratio communis hæc eſſe poteſt, quod quatuor illæ ſint in rebus agendis: at hæ [res ſc. agendæ, ſeu τὰ πρακτὰ] omnia ſunt extrema in deliberando, [Deliberatio enim deſinit, quando ad actionem peruenitur] & ſingularia, vt notum. Verum Ariſtoteles ſingulatim de prudentia primum, quia prudentis eſt, illa, id eſt, extrema & ſingularia cognoſcere, vt *ſupra dictum capite ſeptimo*: οὐδ᾽ ἐστὶν ἡ φρόνησις. De intelligentia & ſcientia rationem illam affert, quam nos communem diximus, quia in agendo. Poſtremo de mente copioſius explicat, καὶ ὁ νοῦς. Notum eſt ex *capite ſexto*, principiorum habitum eſſe mentem, non rationem aut concluſionem [ſeu argumentationem] quod & hic ait Ariſtoteles, νοῦς ἐστὶ καὶ οὐ λόγος. Principia autem eſſe vel theoretica vel practica. Ea hic vocat ὅρους, quia ſyllogiſticarum enuntiationum partes ex his conficiantur. Hanc nominis rationem Ariſtoteles ipſe ſubindicat *infra* καὶ τῆς ἑτέρας προτάσεως. Qua de re dubitat Philoponus *in prolegomenis explanationum in libro primo de Anima*. Duorum igitur generum ſunt ὅροι, vt principia. Illos Ariſtoteles vocat primos & immutabiles, eoſque in apodixi ac ſcientia locum habere, quod ſcientia omnis & apodixis ex primis notitiis, iiſque fixis & ſtabilibus conficiatur, de quo ſupra; hos in practicis concluſionibus & actionibus locum habere ait, eoſq; vocat ἐσχάτου, extremi, ἐνδεχομένου, mutabilis, & ἑτέρας προτάσεως, alterius enuntiationis. Extremi quidem, quod actionis principia, etſi in agendo ſunt prima, in deliberando tamen, vt dictum, ſunt extrema, vt ſupra *libro tertio, capite tertio*, vbi de Analyſi. Large quidem vtrique ὅροι [ſeu termini] ſunt ἔσχατοι: nam & quod primum, & quod vltimum, ratione medii eſt in quadam extremitate. Qua ratione & hic initio mens extremorum dicitur in vtramque partem: vere tamen & proprie practici ὅροι dicuntur extremi & ἔσχατοι: ἐνδεχομένου deinde, id eſt, quæ mutabiles: nam vt priores immutabiles, ita hi termini ſunt mutabiles. Poſtremo ſunt hi alterius enuntiationis, quo verbo alluſit ad ſyllogiſmi partitionem, de qua ſupra. Eſt igitur alter ſyllogiſmus, qui alterius propoſitionis nomine intelligitur, practi-

practicus, inquam, horum terminorum. Ad hunc modum igitur intelligendum, quod hic initio dicitur, mentem eſſe extremorum: nam de hoc agitur: cuius confirmatio de extremis illis improprie hic nulla affertur. De proprie extremis affertur his verbis, ἀρχαὶ γὰρ τοῦ οὗ ἕνεκα: nam, inquit, hi ὅροι ſeu enunciationes ex terminis conflatæ principia ſunt τοῦ οὗ ἕνεκα, huius rei gratia, id eſt, vltimi ſeu finis. At finis eſt rerum ſingularium. Quare cum mens ſit terminorum practicorum, qui finis ſunt principia, relinquitur, vt ea ſit extremorum & ſingularium. Cur autem terminos ſeu enunciationes iſtas finis principia eſſe dicat, quæ potius ſint vltima: rationem adiungere mihi videtur his verbis, ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα, quia ex rebus ſingulis vniuerſum ſeu τὸ καθ' ὅλου, colligitur. τὸ καθ' ὅλου vocat, quod modo τὸ οὗ ἕνεκα, id eſt, ad finem. Hic enim ex illis enunciationibus efficitur, quarum vis omnis & confirmatio, quia in rebus ſingulis eſt poſita: recte dicit finem ex iis, tanquam τὸ καθ' ὅλου quoddam, ſeu generale ex ſingularibus colligi; quod exemplo inductionis Dialecticæ planiſſime intelligi poteſt, vbi complexio, cui hic reſpondet finis, tanquam καθόλου quoddam ex enunciationibus prioribus ſuis ſingularibus conficitur, quo modo omnes ratiocinationes practicæ concludi ſolent. Atque ita intelligendum puto hunc locum alioqui obſcuriſſimum. Iam vero, quia termini illi vim ſuam habent in rebus ſingulis, recte adiungit Ariſtoteles, eorum ſenſum habere oportere, id eſt, ſenſu cognoſcendos. Hic autem ſenſus mens hoc loco dicitur, alioqui ſibi repugnaret, ſi cum ſupra mentem eorum terminorum habitum dixerit, nunc alium ſenſum quam mentis intelligeret. Senſus autem iſte eſt, qui vulgo communis, de quo ſupra *capite octauo, in fine*. qui proprie quidem & vere à mente differt, ſed actione conſentit, eaque re mens dicitur. Communis enim ſenſus conſiderat retracta à ſenſibus etiam, propter effectum eſt idem, ſtrato & ſubſtantia non item.

διὸ καὶ φυσικά.] De his quatuor duas iam notas attulit, idem eas ſpectare, & eſſe rerum ſingularium & extremarum; hic tertia affertur, eas natura nobis tribui. huius rei argumentum hoc affert, σημεῖον δὲ, &c. quod ætatem comitari videantur, quæ natura eſt, id eſt, quæ ætatem comitantur, ſunt naturalia. Formula:

Qua

Quæ ætatem comitantur, naturalia ſunt: ætas namq; non opera hominis acquiritur,ſed naturæ eſt munus & opus.
At hæc quatuor naturam comitantur.
Ergo ſunt naturalia.

Aſſumptionis ratio, quia prudentiam, vt & eius partes,intelligentiam & ſententiam ſenibus attribuere ſolemus, non adoleſcentibus, & cum ætate creſcere ſolent, vt & mens ipſa, teſte Ariſtotele. Hac igitur re quatuor hæc differunt à ſapientia, quæ nõ natura, ſed ſtudio & diligentia inſtar cæterarum ſcientiarum comparatur.

διὸ καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος.] Interiecta hæc clauſula, qua mens dicitur principium & finis, ad ſecundam notam pertinet, principium quidem, vt & infra dicitur *libro ſeptimo*, quia eſt principiorum habitus: finis quoque, quia extremorum, vt dictum: & hoc eſt quod ait, quia ex his apodixes, & de his; de qua phraſi dictum ſupra *libr. 1. initio*, ἐκ τούτων καὶ περὶ τούτων. Mens eſt principiorum, ex quibus concluſiones, & extremorum de quibus.

ὥστε δεῖ προσέχειν.] Quia ſupra dictum, quatuor hæc rerum eſſe ſingularium & extremarum: hinc efficitur, experientiam ſeu vſum in iis plurimum habere momenti: res enim ſingulæ vſu cognoſcuntur. Adiungit igitur Ariſt. præclarũ præceptum: In his rebus, quarum prudentia, ſæpe tantum tribuendum eſſe hominum vſu peritorum ſolis dictis, etſi nulla apodixi confirmatis, quantum apodicticis ſcientiarum concluſionibus & rationibus. Habent namque illi, inquit, ex vſu oculum, quo principia rerum agendarum, hoc eſt, quid, quo modo ſit agendum, quid iuſtum, quid rectum, cernant. Sic eleganter oculum vocat mentem practicam, ſeu ipſam prudentiam, & λόγον ὀρθὸν, quomodo & infra vocat proximo capite, ex Platone mutuatus, qui ſæpe mentem ſeu animum oculum vocat. Sic in Sympoſio vocat τῆς διανοίας ὄψιν, & Cicero alicubi aciem mentis. Obſeruandus igitur hic locus inſignis de Fide, ſenibus & expertis hominibus habenda, de quo præclare Cicero *libro ſecundo Officiorum*, *Fides autem vt habeatur.* Obſeruandum & ſenilis ætatis propriam eſſe prudentiam, & vſu maxime comparari, de quo verſus Aphranii ſupra adduximus, [vocat enim parentes memoriam & vſum,] & Cicero *in Lælio* Catonem ob multarum rerum vſum ſapientem vſurpatum Romæ memorat. Vſurpare

pare enim ſignificat appellare apud veteres. Obſeruandus deniq; hic locus aduerſus eos, qui tam ſint oportuni, vt rerum omnium rationes poſtulent, nulli quantumuis perito acquieſcant, quos & Iulianus ICtus grauiter reprehendit *in l. non omnium.ff. de legib.* Philoſopho fidem non habere abſq; ratione quid afferenti ratio eſt. At earum rerum, quæ non tam rationis & doctrinæ, quam vſus & exercitationis, quarum eſt prudentia, rationem ſemper flagitare, ratio non eſt.

ἐκ τῆς ἐμπειρίας.] Dicet aliquis; ſi vſu comparatur ſcientia, cur modo dicta eſt naturalis? Reſpondeo: Naturales eſſe quatuor eas facultates, maxime tres priores, quod à natura quid habeant adiumenti: naſcimur enim alii ad iuſtitiam, alii ad temperantiam, alii deniq; ad prudentiam aptiores, quas virtutes naturæ *infra cap. vlt.* vocat Ariſt. & earum facultatum prudentiæ, intelligentiæ & ſententiæ acumen: & vis quædam nobis innaſcitur, etſi vſu poſtea perficiuntur.

CAPVT XII.

COMMENTARII.

Διαπορήσειε δ' ἄν.] Duo hæc vltima huius libri capita imperite diſtracta nos vno contextu explanabimus, in quibus cum alia multa præclara, tum hæc duo potiſſimum explicantur, de ſapientiæ & prudentiæ vſu, & de principatu: nam vtraque res in controuerſiam reuocari poteſt. Et de vſu quidem prius; quæ copioſiſſima eſt diſputatio: de principatu extremo capite breuiter. Quæſtionis autem rationes exponit primum, poſtea eas diſſoluit & refellit.

ἡ μὲν γὰρ σοφία.] Hic de Sapientia; eius nullum in vita vſum videri, quod de iis, quibus beata vita efficitur, non agat. Formula:

De iis, ex quibus beata vita, non agit ſapientia.
Ergo ad vitam non eſt vtilis.

Ratio connexi eſt perſpicua. Antecedentis ratio, quia eſt de rebus æternis, non vero de iis, quarum eſt ortus ſeu γένεσις, de quo verbo ſupra, id eſt, de rebus inſtabilibus & mutabilibus, in quibus tamen virtutes & vita beata hominum vertitur.

ἡ δὲ φρόνησις.] Hic de Prudentia, quam ait habere quidem illud, id eſt, eſſe quidem rerum, quarum eſt ortus, nihilo tamen magis ad vitam videri vtilem. Confirmatur hunc in modum:

Si

Si enim eſt vtilis, neceſſe eſt, vt vel ad virtutum officia, vel ad ipſas virtutes, in quibus beata vita, acquirendas conducat:

Atqui ad neutrum.

Ergo non eſt vtilis.

Quod ad officia ſeu ad agendum, [hoc eſt, actiones, Officia Cicero vocat.] prudentia non eſſe opus, docet: quia, quorum eſt prudentia (quæ vocat hic δίκαια, τὰ καλὰ, καὶ τὰ ἀγαθὰ, de qua phraſi dictum *ſupra libro primo, capite tertio;*) ea ipſa viri boni ſuapte ſponte & natura, quia viri boni, agunt: non opus eſt igitur prudentia. At ſaltem homines reddet πρακτικωτέρους prudentia, efficietque, vt ea præditi, melius tamen agant cognoſcendis prudentia iis, quæ quo modo ſint agenda. Cuius generis contradictio *ſupra libro primo, capite ſexto, in fine*, de Ideis defendendis afferebatur. Verum & hoc negari poteſt: nam ne quidem adiumenti quidquam ad melius agendum ex prudentia afferri viro bono, quod confirmat exemplo bonæ valetudinis. Nam vere ſano ad ſane agendum, non tam confert medicina aut ſanitatis cognitio, ſed ipſa ſanitas, ipſe ſanitatis habitus, vnde ſanæ actiones omnes manant: ita nec prudentiæ cognitio virtutibus prædito, ex quibus actiones virtutum manant, ad melius ex virtute agendum. Meminit autem hic ſanitatis ex habitu: nam apud Græcos tria valet τὸ ὑγιεινὸν, ſanitatis efficiens & tuens, ſeu conſeruans, vt medicamenta & diæta ſunt; & ipſum denique ſanitatis habitum, [ſcilicet ſanum, & proprie & vere, quod eſt per ſe & habitu ſanum.] Ad habitum igitur ſanitatis nihil conducit cognitio, ad efficientiam plurimum: nam ad medicamenta præbenda vtiliſſima eſt medicinæ cognitio. Iam virtutes quoque ſunt habitus; optime igitur conuenit ſimilitudo de habitu ſanitatis ad virtutum habitus.

εἰ δὲ μὴ τούτων.] Non igitur ad vſum & officia virtutum prudentia videtur vtilis. Hoc loco ne ad ipſas quidem virtutes acquirendas vtilem eſſe aut videri docet. Primum namque hoc certum eſt, virum bonum hac parte non eſſe vtilem, vt qui virtutes iam teneant ſeu habeant. Reliqui igitur ſunt ii, qui virtute nondum ſunt præditi, & ne his quidem vtilem eam eſſe docet eadem ſimilitudine. Nam vt corpus ægrotum conualeſcere poteſt, ſi modo ægrotus medico obtemperet, etiamſi ipſe medicus non ſit: ita & æger animus, id eſt, is qui virtute

nondum eſt præditus, virtutem eam acquirere poteſt, ſi modò prudentiam velut ducem ſequatur, eique pareat, etiamſi ipſam prudentiam non habeat.

πρὸς δὲ τούτοις.] Adhuc de vſu quæſiuit; nunc de principatu item quærit: nam videri quidem abſurdum, prudentiam ſapientia licet deteriorem, eius eſſe dominam, & tamen negari non poſſe, prudentiam agere, imperare, & ſingula vt agenda præcipere. Eſt enim, vt ſupra dictum, prudentia ἐπιτακτική, cæteriſque virtutibus & viris virtute præditis modum, quem in agendo teneant, dare ſolet, inquit Ariſtoteles *libro primo Magn. in fine*. & ſic accipienda mihi videntur hæc verba, ἡ γὰρ ποιοῦσα, id eſt, agendo imperat, &c. & ita recte Thomas & Perionius ποιοῦσα pro προστάττουσα improprie. Recte, inquam, illi, perperam Euſtathius & Lambinus, quia, inquiunt, agit prudentia, ea re imperat; perperam. Nam quod prudentia ſit in agendo, id imperii non eſt cauſa, cum plærunque qui imperant, nihil agant ipſi, ſed agentibus, vt miniſtris vtantur, vt Architectus fabris, teſte Platone *in Politico.*

περὶ δὴ τούτων.] Mos eſt Ariſtoteli in diſputationibus grauioribus primum quærere, & controuerſias proponere, poſtea explicare, illud ἀπορεῖν, hoc vocat λέγειν, *vt ſupra libro quinto, capite decimo*, ἡ μὲν οὖν ἀπορία. Et optime *libro octauo Politicorum, capite ſexto, in principio.* Sic & Cicero *libro 3. Officiorum*, propoſitis quæſtionibus multis, tandem ait, *quæ diiudicanda ſunt*: non enim vt quæreremus, expoſuimus, ſed vt explicaremus, ſic hoc loco.

πρῶτον μὲν οὖν.] Primum de vſu: de quo ſumma quæſtionis hæc erat, ſapientiam & prudentiam, quia nihil agant, & vt boni efficiamur, nihil conferant, eapropter eſſe inutiles, Ariſtoteles & conſecutionem, ſeu conſequens & antecedens refellit, neque enim ſequi, quia ad agendum nihil conferant, ea te eſſe inutiles, aut certe non expetendas: nam vt nihil agant, tamen negari non poteſt, eas eſſe animi, ſuæ quamque partis, ſapientiam theoreticæ, prudentiam practicæ, virtutes: ſi virtutes, ergo & perfectiones: virtus enim nihil aliud, quam perfectio, vt ſupra dictum *lib. 2.* Formula:

Omnis perfectio eſt expetenda.
Hæ duæ ſunt virtutes & perfectiones.
Ergo expetendæ.

Dictum

Digitized by Google

Dictum eſt ſupra *lib.1.in fin. & initio huius lib.* eas eſſe virtutes mentis. Et eleganter Ariſt. hæ, quia ἀρεταί. Ergo αἱρεταί, hoc eſt, quia virtutes; Ergo expetendæ, quod hominem perficit, eſt bonum quiddam, vtile & expetendum.

ἔπειτα καὶ ποιοῦσι.]. Hic antecedens refellit, quo negabatur, has quidquam agere. Quin, inquit Ariſtoteles, agunt, nempe actione ſua, beatum, pro ſua parte efficiunt. Sunt enim vniuerſæ virtutis partes. Notum eſt ex *libro primo*, Beatitudinem virtute effici, atque adeo nihil aliud eſſe, quam actionem ex vniuerſa virtute manantem. Quare virtutis vniuerſæ partes omnes, Iuſtitia, Liberalitas, &c. quæ morum, Sapientia, Prudentia, &c. quæ mentis, vna pro ſua quæque parte efficiunt & conſtituunt Beatitudinem. Sapientia igitur & Prudentia habitu quidem virtutis vniuerſæ ſunt partes, actione tamen ipſam beatitudinem efficiunt. Agunt igitur, & quidem efficientes beatitudinem, non tamen eo modo, quo medicina ſanitatem, ſed quo ſanitas actiones ſanas. Medicina namque ſanitatis cauſa eſt efficiens aduentitia. At ſanitas ſanarum actionum cauſa eſt efficiens interior, vt fructus arbor, fides bonorum officiorum. Similiter item ac eodem modo, & efficientes ſunt beatitudinis, non vt Medicus ſanitatis, ſed, vt dixi, vt fides officiorum. Perperam igitur ſupra hæ duæ comparatæ ſunt medicinæ. Cognitio enim Medicinæ ad bene agendum ex ſanitate, nihil confert. Sic, ſi quis vir bonus, non habet opus prudentia ad bene agendum. Prudentia cum virtute non habet eam ſimilitudinem, qualis relatio & collatio, inter medicum & ſanitatem, ſed talis, qualis inter ſanas actiones à ſanitate proficiſcentes, & ſanitates. Hæ virtutes aliquid agunt ex ſua natura, ex interiori parte.

ἔτι τὸ ἔργον.] Modo communiter, etſi de ſapientia tantum nominatim, communiter, inquam, tamen: hic ſeparatim de prudentia, alteram huius actionem ſeu officium affert, iſtud, quod prudentia ea, quæ ad ſcopum aſſequendum pertineant, cernantur & reperiantur; atque ita virtutum actiones iuuet: nam hac diſputatione docet Ariſtoteles prudentiam non tantum agere, aut efficere, vt homines magis ex virtute agant, ſed etiam ad ipſam virtutem conſtituendam, adiuuare. Opus, inquit, expletur partim prudentia, partim virtute morali, ſumpta Metaphora ab opificibus, quorum opera expleta,

Græce dicuntur ἀποτελέσματα. In omnibus autem operibus duo ſpectari ſolent, finis, & quo finem aſſequamur, teſte Ariſtotele *libro ſeptimo Politicorum, capite 3.* Sic igitur opera virtutum perficiuntur prudentia & virtute morali: nam hæc finem reddit & efficit rectum: illa ea, quæ ad finem, qua de re mox latius.

τοῦ δὲ τετάρτου.] Quia modo ad opera virtutum & actiones honeſtas explendas concurrere prudentiam & virtutem, quarum hæc eſt in ea animi parte, quæ rationis quidem eſt expers, eam tamen audit, vt *ſupra libro primo, in fine.* illa in ea, quæ particeps rationis. Adiungit Ariſtoteles de quarta animi parte, altrice, ex ea nihil adiumenti ad virtutum opera afferri, nihil eam facere ad virtutes, eo quod nulla eius ſit praxis ſeu actio: virtutes autem ad agendum pertinent. Quarta dicitur hæc pars, etſi proprie tertia ea ratione, quod Ariſtoteles in tractatione de virtutibus, animi partem quandam fecerit nouam, quæ rationis quidem ſit expers, eam tamen audiat, vt dictum. Anima vel eſt rationis particeps, vel expers. Hæc vel plane expers, vt ſentiens & altrix: vel rationi obediens, hinc quatuor animæ partes.

περὶ δὲ τοῦ μηδὲν.] Supra dictum: Prudentia homines non reddi magis agentes rerum honeſtarum: id refellit hoc loco Ariſtoteles, quæ tamen diſputatio eadem eſt cum priore, qua diximus, bonarum actionum ſcopum quidem bonum effici virtute, ea vero *quæ ad ſcopum*, prudentia. Eſt autem pulcherrimus hic locus, de mutua ope prudentiæ & virtutis, earumque ad actiones honeſtas concurſu. Qua de re & *ſupra libro ſecundo, capite ſecundo & tertio, & infra libro ſeptimo, capite ſecundo, & toto capite vltimo, lib. 2. Eudem.* Orditur autem hanc diſputationem paulo altius repetito principio. Sumit namque, quod ſupra explicatum *lib 3. c. 3. & 4.* Bonum virum non eum continuo eſſe, qui quid boni faciat, ſed eum denique, qui ex habitu & certo conſilio ſeu proæreſi. Neque enim, vt *ſupr. lib 5.* iuſtus continuo eſt, qui iuſta faciat, cum vel coactus, vel per imprudentiam, vel ambitione facere poſſit: ſed is demum, qui conſilio capto iuſte faciat, & ipſius iuſti & honeſti cauſa: neceſſaria igitur eſt proæreſis ad honeſtas actiones. Verum, quia proæreſis bona eſſe poteſt, aut vitioſa: nam appetitus, cuius ſpecies eſt proæreſis, mala ſæpe perſequitur boni ſpecie. Proæreſis igitur, vt bona efficiatur, alia quadam re eſt

opus

opus, & hanc ait eſſe virtutem Ariſtoteles, quæ proæreſin ratione ſcopi & finis bonam reddat, eaque ſupra dicta eſt virtus ſcopum reddere bonum. Verum non ſatis eſt ſcopum propoſitum eſſe bonum. Nam & quibus eam aſſequamur, bona quoq; eſſe oportet, alioqui nunquam aſſequemur, vt nec malis medicamentis ſanitatem medicus Ad hęc igitur, quibus ſcopum aſſequamur, alia itẽ re eſt opus, ea quæ ſit, nouo principio facto, exponit Ariſt. λεκτέον δ' ἐπιστήσασι.

τὴν μὲν οὖν προαίρεσιν.] Dictum eſt *ſup. lib. 3.* Voluntatẽ proprie eſſe finium, προαίρεσιν eorum quæ ad fines. Verum h.l. προαίρεσις ad fines accommodatur: nam & ſolet alias προαίρεσις & ſcopus idem valere. Quare & recte h. loco idem valent, virtute rectum effici ſcopum, & virtute rectam effici προαίρεσιν.

τὸ δ' ὅσα ἐκείνης.] Explicata virtute, qua ſcopus efficiatur rectus; hic de ea facultate, qua ea, quæ ad ſcopum recte efficiantur: Neque enim hoc, inquit, virtutis eſt, ſed alterius facultatis.

λεκτέον δ' ἐπιστήσασι.] Hic altius paulo repetit, & quaſi nouo initio facto explicare incipit de facultate ea, qua ea, quæ ad ſcopum dirigantur, inueniantur, & recta efficiantur. Eſt autem hæc facultas quarta prudentiæ pars, Græcis δεινότης dicitur, de qua & Ariſtoteles *in Magnis libro primo, capite vltimo.* vulgo olim Latine dicta ab aliis induſtria, ab aliis habilitas, & barbare aptitudo: non recte omnia. Induſtria idem eſt, quod labor & diligentia, habilitas idem, quod oportunitas. Quare Perionius contendit, Latine dicendum, Ingenium & acumen, & τοὺς δεινοὺς, ingenioſos, acutos, & cautos. Turnebus & Lambinus ſolertiam reddunt. Verum quia σύνεσιν ſolertiam vertimus, acumen hic malim ſeu ingenium. Ad ſummam eſt vis quædam nobis inſita, prudentiæ ſeminarium, qua ea, quæ acute cernantur ad ſcopum, & reperiantur, vt ξυνετὸς eſt acutus iudex: ita hic δεινὸς, acutus inuentor. Verum plærumque apud Græcos in malam partem accipi ſolet, vt & mox ait Ariſtoteles, pro verſuto & vafro & callido, vbi nempe abeſt virtus; nam & prudentia ipſa à iuſtitia remota calliditas eſt potius & πανουργία, vt ex Platone ait Cicero *in Officiis*, & Ariſtoteles hic, διὸ καὶ τοὺς φρονίμους.

αὕτη δ' ἐστὶ τοιαύτη.] Hæc ingenii ſeu acuminis eſt definitio, quam & nos iam attulimus.

αὐ μὲ ὗν ὁ σκοπὸς.] Hæc ſit quaſi diuiſio acuminis: nam vel bonum eſſe vel improbum pro diſſimilitudine ſcopi; qui ſi bonus eſt & laudablis, bonum quoq; erit acumen: alias contra: nam & ratio partim eſt recta, partim praua: illa bonis cupiditatibus, hæc improbis deſeruiens. Acumen autem & ingenium vis quædam eſt rationis & mentis.

διὸ καὶ τοὺς φρονίμους.] Quia vis hæc, qua ea, quæ ad ſcopum, cernantur, nunc eſt recta, nunc praua, eaq; dicitur Græce partim *δεινότης*, partim *πανουργία*, eaq; prudentiæ eſt propria. Hinc prudentes quoq; interdum acutos, interdum verſutos & vafros dicimus: acutos quidem ſi rectus eſt ſcopus, verſutos & aſtutos, ſi non rectus, etſi vulgo etiam omnes prudentes his nominibus appellari ſolent, & dici callidi, verſuti, cauti, ingenioſi, acuti & aſtuti.

ἔστι δ' ἡ φρόνησις.] Dictum principio fuerat, prudentia effici recta ea, quæ ad finem, quod idem, quia modo acumini attributũ fuit, hic adiungit, q̃ inter has duas facultates ſit cognatio: nam prudentiam quidem non eſſe plane idem quod acumen, ſed tamen abſque eo non eſſe. Nam prudentia vſu comparatur, acumen natura. Ingenioſi namq; naſcimur, nulla tamen abſque acumine poteſt eſſe prudentia. Itaque acumen eſt prudentiæ pars quædam, & velut inchoatio, quemadmodum cæterarum virtutum initia ſunt virtutes eæ, quæ naturales dicuntur, & ita Ariſt. ipſe comparat paulo infra, *καὶ γὰρ ἡ ἀρετή*, &c. Et hoc eſt, quod ait, *ἡ δ' ἕξις*, id eſt, habitus prudentiæ pariter hoc velut oculo animi, id eſt, acumine. Nam Ariſt. mentem, rationem, prudentiam, acumen, quia hæc omnia cognata ſunt, oculum & aciem vocare ſolet, ne quis hic diutius diſputet, quem oculum hic vocet Ariſtoteles. Grauiter enim labuntur Interpretes hoc in loco, omnia illa cognata vocantur oculus.

ἡ δ' ἕξις.] Explicato acumine, id tandem accommodat prudentiæ. Ait igitur, prudentiam quidem & acumine conſtare, & tamen virtute quoque ea eſſe opus, id quod accuratius mox explicat, qua diſputatione docet Ariſtoteles, prudentem neminem eſſe poſſe, niſi qui vir bonus idem ſit, vt nec prudentiam ſine virtute. Textus Græci *ἔχοντές εἰσιν*, id eſt, *ἔχουσι*, habent, Græca eſt phraſis.

ἐπειδὴ τοίουδε] Docet prudentiam abſq; virtute eſſe non poſſe hunc in modum. Dictum eſt ſupra, ſyllogiſmos partim eſſe

theo-

theoreticos, partim practicos, vtriq; notum eſt ſua eſſe principia. Practici principium finis eſt, non ſecus atq; theoretici hypotheſis, inquit Ariſt. *infr. lib. 7. c. 8.* Finis igitur, niſi viro bono, bonus conſtitui non poteſt. Vir improbus malum ſemper & improbum finem ſibi deligit: nam hæc improbitatis eſt vis, vt in ſcopo & fine deligendo aberrare nos faciat. Virtus, inquit Ariſt. ſcopum & finem tuetur, vitium perdit & corrumpit, *infr. li. 7. c. 8.* quod rectum ſolus vir bonus recte iudicat, improbus non item, vt ſupra dictum *li. 3. c. 4.* de voluntate. Iam vero quia prudentis potiſſimum eſt ſyllogiſmum practicum concludere, vt cuius eſt proprium ratiocinari, quid agendum, quid non agendum ſit: hinc efficitur, vt ſi recte concludere velit, quia principia ad hoc recta ſint oportet, id eſt, finis, quod abſq; virtute fieri non poſſe diximus, virum quoque bonum eſſe debere, vt rectum prius conſtituat finem. Ad ſummam; virtus & prudentia mutuam tradunt operam.

CAPVT XIII.

COMMENTARII.

Σκεπτέον δὴ πάλιν.] Adhuc docuit de prudentia, eam abſq; virtute nullam eſſe poſſe: hic de virtute contra, eam abſq; prudentia nullam eſſe poſſe. Monet autem initio vti, vbi de prudentia, duas eſſe diximus facultates, acumen & prudentiam, quarum illa natura ſit nobis inſita, hæc vſu comparetur, & altera adiuuetur altera: ita & hic de virtute duas quoq; eſſe, quarum altera natura nobis ſit inſita, quæ virtus naturalis, altera paretur vſu, quæ vera κυρία & propria ſit virtus, & hæc ab illa adiuuetur. Eſſe autem virtutem quandam naturalem, etiam vulgo conſtare ait, πᾶσι γὰρ δοκεῖ. Nam alios ad iuſtitiam & veritatem: alios ad fortitudinem magis natura eſſe factos. De qua virtutis diuiſione & *in Magnis Moral. libro primo, capite vltimo:* Virtus autem hæc naturæ Ariſtoteli nihil eſt aliud, quam ὁρμὴ ſeu appetitio, [ſic vertitur à Cicerone,] & impetus quidam ratione vacans, ſeu ἄλογος, vt ibidem Ariſtoteles *in Magnis.* Quare & hoc loco eam in pueris & beluis reperiri ait. Diximus & ſupra *libro 3.* de εὐφυΐα, ſeu naturæ bonitate, vbi dictum, alios ad alia natura eſſe aptiores: cuius εὐφυΐας pars quædam eſt hæc virtus natura inſita: nam & hic infra εὐφυέστατος dicitur, de virtutibus natura inſitis agens. Cæterum à Platone tamen & Stoicis diſſentit Ariſtoteles. Illi namq; virtutum

quædam ſemina & igniculos natura nobis inſitos, vt apud Ciceronem *in Tuſculan. libro tertio, in principio, & libr. 1. de legibus toto.* Hic autem virtutum ſemina nulla natura nobis indita eſſe ait, vt nec ſcientiarum. Nam mentem noſtram, quam Plato raſæ tabulæ & obliteratæ, hic puræ comparare ſolet, *libro tertio de Anima, capite ſeptimo, in fine.* Semina, inquit, ineſſe animo, ſed ea oppreſſa eſſe contagione corporis: contra Ariſtoteles hic: Quidquid comparetur, illud doctrina & vſu parari, natura nihil eſſe inſitum. Hoc duntaxat aſſenſus eſt Ariſtoteles, propenſionem tam ad virtutes, quam ad ſcientias nobis natura ineſſe, poteſtatem, inquam, eas percipiendi, rem ipſam minime, ne quidem eius ſemina & initia. Atq; ad hunc modum hic locus de virtutibus natura inſitis accipiendus eſt, vt iam docui. Denique ex *lib. 1. Magn.* vbi expreſſe dicit eſſe ὁρμὴν tantum, & infra hoc loco εὐφυὴς, felix. D. Philippus Melanth. hac in re errat meo iudicio; inquit enim, principia natura nobis eſſe inſita Putat Philippus & alii multi Ariſtotelem conſentire, ſemina nobis inſita, ſed repugnat plane Ariſtoteli: is *in Analyt. poſter.* expreſſiſſime docet, aptitudinem percipiendi ineſſe tantum, non ſemina.

ἀλλ' ἄνευ νῦ βλαβεραὶ] Explicata naturalium virtutum vi & ratione: adiungit Ariſtoteles, eas quidem omnibus ineſſe, ſed non acquieſcere iis homines, atq; adeo quærere aliud quiddam, ex quo vere boni dicantur. Et hinc docet, mentem eſſe neceſſariam ei, qui vere bonus eſſe velit; abſque hac enim eſſet, [hoc eſt, niſi hæc adeſſet,]. virtutes illæ naturales noceant homini potius quam proſint, quod eleganti ſimilitudine explicat, à corpore ſumpta. Vt enim corpus, quantumuis robore & viribus præſtans, oculis tamen captum, grauiter offendere, neceſſe eſt: ita & hic, id eſt, ita & in virtute natura nobis inſita, quæ mentis expers grauius peccet; mente ornata, agendo excellat. Verbi gratia: Natura liberalis, niſi norit, quibus, quantum, quo tempore, ſit largiendum, quod mentis eſt officium & munus, ſæpe indignis daturus eſt, ſæpe dignis nihil omnino. Ad veram igitur virtutem conſtituendam, etſi & naturalis concurrit (nulla enim virtus hac ὁρμῇ vacare poteſt, inquit Ariſtoteles *in Magnis.*) mente tamen, id eſt, prudentia, niſi tanquam oculo & lumine præeunte ducatur, toto cœlo aberret neceſſe eſt. Hæc igitur eſt ratio, cur abſque prudentia virtus nulla eſſe poſſit, quæ erat quæſtio.

quæſtio. Ex his & hoc perſpicuum eſt, vt eius animæ partis, in qua opinionum eſt ſedes ſeu τ͂ δοξαστικοῦ duæ ſunt facultates, acumen & prudentia: ita & eius, in qua morum eſt ſedes ſeu τ͂ ἠθικοῦ, id eſt, eius animæ partis, quæ ratione quidem vacat, ei tamen paret, duæ quoq; ſunt facultates, naturæ propenſio & virtus vera.

διὸ φασί τινες.] Adhuc ratione docuit: hic authoritate cum Socratis, tum aliorum docet, virtutem abſq; prudentia nullā eſſe poſſe: Hinc enim, inquit, eſt, quod virtutes ſcientiæ nomine appellari ſolent, quod Socrates princeps aſſeruit, & eum ſecuti poſtea Stoici teſte Plato. *in Menone & alibi*, & Cic. *lib. 1. de legib. & lib. 1. offic. & alibi*, perperam. Recte quidem illud, virtutes abſq; prudentia non eſſe aut ſcientia. Perperam vero illud, eas eſſe ipſas prudentias aut ſcientias. Rationem autem, cur virtus non ſit prudentia aut ſcientia, quam hoc loco nō affert, *lib. 1. Magn. in princ.* hanc attulit ab abſurdo conſequente. Nam inde effici, vt homini pars animæ nulla ſit, quæ ratione vacet, quod eſt abſurdum, ſi virtutes omnes ſint ſcientiæ, quas conſtat omnes eſſe in ea animi parte, quæ rationis eſt particeps. Affert tamen autoritatem ſui temporis Philoſophorum, qua ea Socratis ſententia refellitur. Nam ſua ætate, qui virtutem definirent, non eam dixere ſcientiam, ſed ſcientiæ ſeu potius rectæ rationi conuenientem. Verum & hos peccare ait Ariſtoteles: neq; enim veram eſſe virtutis definitionem, qua dicatur habitus rationi rectæ congruens. Reprehenſionis ratio hic omiſſa, exprimitur *in Magn. lib. 1. magn. cap vlt.* iſta, quia ſequeretur alioqui, vt quicquid rectæ rationi conuenienter ſit factum, idem ex virtute factum dicatur, quod falſum. Nam & improbi ſæpe quid faciunt rectæ rationi conſentaneum, qui tamen virtute non ſint præditi. Qua de re *ſupra* ſæpe *lib. 4. & 5. προαιρέσεως* eſt neceſſaria, ex προαιρέσεως & certo conſilio fiant neceſſe eſt, quæ ex virtute facta cenſeantur. Ex his perſpicuum eſt, cum errare Socratem & Stoicos, alioſque, qui vt eſt apud Ciceronem aliquoties virtutem definiunt habitum animi rectæ rationi conſentaneum: tum, quia de re agitur: virtutem non eſſe abſq; prudentia, id quoque & Plato *in Phædone*, & Cic. *lib. 5. Tuſcul. & in Finib.* exprobrant: Nulla enim virtus carere poteſt prudentia, inquit Cicer. Hoc, inquit Ariſtoteles, omnes communi conſenſu & concordia affirmant, vna id omnes voce probant. Id namque valet ver-

bum μαντεύεσθαι, non vt vulgo vaticinari. Hoc & *lib. 1. de Anima in fin.* ῥᾴδιον μαντεύεσθαι. Sed de hoc verbo & *ſupra* latius *lib. 1. cap. 3.*

δῆλον τοίνυν ἐκ.] Prioris concluſio totius diſputationis hæc eſt [ſcil. εὐφυέστατος natura factus.]

ἀλλὰ καὶ ὁ λόγος.] Adiungit hoc loco Ariſtoteles, quæſtionem ſeu contradictionem, eamq; refellit priore diſputatione. Quæſtio inquam ea, quia priore diſputatione refelli poteſt, hac de re hic ea eſt adiuncta ſeu interiecta: ea quoq; ratione, quia priora magis hac explicatione dilucidentur. Nam quod dictum eſt adhuc, cum prudentia virtutes concurrere, & contra: ex eo effici quoq; videtur, virtutes omnes conſpirare, nexas, copulatas, & coniugatas eſſe, vt Cicero loquitur: omnes inquam in vnum eundemq; hominem concurrere, quod tamẽ falſum eſſe ex eo doceri poſſe videatur, quod ad omnes virtutes non peræque vnus idemq; natura ſit factus, alius ad iuſtitiam, alius ad fortitudinem, alius ad liberalitatem, ad alium alius alio magis. Formula contradictionis:

Si ad omnes virtutes vnus idemq; peræque non eſt natus, quod eſt perſpicue verum.

Ergo non concurrunt virtutes in vnum eundemq; hominem vniuerſe.

Ariſtoteles omiſſo antecedente, vtpote vero, refellit conſecutionem. Nam antecedens eſt de virtutibus naturalibus: conſequens de omnibus etiam moralibus. At hoc falſum & ἀσυλλόγιστον. At igitur, naturales quidem ſeparari, morales non item. Nam vt *ſupra* explicatum eſt, cum prudentia cæteræ omnes concurrunt, prudentem omnibus virtutibus præditum eſſe oportet. Cuius rei ratio, etſi ex prioribus iam perſpicua eſt, tamen breuiter ita commemorari poteſt. Conſtat prudentis eſſe cernere rerum agẽdarum principia, cerni ea nequeunt, niſi à mente omnibus cupiditatibus, tanquã tenebris libera & ſoluta. Hoc autem præſtat virtus, vt *ſupra* dictum, prudentiæ igitur neceſſaria eſt virtus, & proinde vtraq; concurrat neceſſe eſt. Altera eiuſdem rei ratio, cur prudentiæ aſſint cæteræ virtutes, item ex prioribus eſt apta. [Nam vulgo dicimus, pendet ex prioribus.] dictum eſt, virtute ſcopum, prudentia ea, quæ ad ſcopum, explicari & conſtitui ſeu dirigi. Iam igitur prudentis eſt, non hoc, aut illud, ſed omnia, quæ ad ſcopum, vt recta ſint, reperire. Prudens namq; non eſt, qui nunc recte

&

& prudenter quid facit, nunc imprudenter & peccat, ſed qui recte omnia moderatur. Omnia autem moderari aut dirigere nequit, niſi ſcopus ante rerum omnium ſit definitus, fruſtra alioqui laboret. Omnium inquam rerum agendarum ſcopus adſit neceſſe eſt & oportet. At hoc præſtat virtus, vt *ſupra* dictum. Ergo virtus cum prudentia conſpiret & conſentiat, neceſſe eſt, non hæc aut illa, ſed vniuerſa. Atq; ita Ariſtoteles vno verbo attingit hoc loco grauiſſimam diſputationẽ, de qua inter omnes fere Philoſophos conſtat: Virtutes inter ſe nexas & copulatas eſſe, vt qui vna ſit præditus, omnes habeat: cui vel vna deeſt, omnibus exciderit. De qua quæſtione Plato *in Sophiſta Protagora*, & *lib. de Repub.* Cicero *lib. 2. offic. & lib. 2. & 3. Tuſcul. & 5. de Fin.* quem [ſcil. Ciceronem] miror in Academicis dicere, peripateticos, quorum pater eſt Ariſtoteles, iſtud negare, Stoicos affirmare. Reperi interdum Ciceronem hallucinari, & Ariſtoteli falſa quædam attribuere, vt iſtud de connexione virtutum, & *in libello de Fato* Ariſtotelem ait exiſtimaſſe omnia fato fieri: contra, atq; ipſe Ariſtoteles *in libro* περὶ ἑρμηνείας differit, niſi forte Ariſtoteles alio loco aliud ſenſit, vt certe variare interdum videtur etiam in his libris qui hodieque extant. Itaque & à Philopono Chamæleon dicitur, de quo *ſupra libr. 1.* certe de hac quæſtione, Ariſtotelis ſententiam, Alexander Ariſtotelicus *libr. 2. de Anima* præclare 12. argumentis confirmauit.

ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κυρία.] Alterum caput de ſapientiæ & prudentiæ principatu. Iactabant ea ætate Politici prudentiam eſſe omnium ſcientiarum principem & dominam, eo quod omnibus imperare videatur, vt quæ omnia quæ in Repub. agantur, deſcribat, & recte vt fiant, præcipiat. Hanc opinionem refellit hoc loco Ariſtoteles: prudentiam ſapientiæ non eſſe dominam. Politicorum formula iſta eſſe poteſt:

Imperat prudentia & Politica omnibus.
Ergo eſt domina & princeps.

Ariſtoteles falſum eſſe antecedens ait, & exemplo Medicinæ explicat. Nam hæc valetudini non imperat, neq; eius eſt domina: non enim ea vtitur, quod vtendi verbum diligenter conſiderandum. Artes namque vel ſunt eæ, quibus aliæ vtuntur, vel ſunt eæ ipſæ, quæ vtuntur alijs: hæ ſunt dominæ & Architectonicæ, illæ ſeruæ & famulæ, de qua re *ſupra initio libri primi, capitis vndecimi, ex libro ſecundo Phyſicorum*;

Medi-

Medicina igitur valetudini non imperat, ſed valetudinis potius cauſa, vt ea vel pariatur, vel conſeruetur. Ad eundem modum prudentia ſapientiæ non imperat, ſed potius ſapientiæ gratia, vt procurator ſeu actor omnia quidem in familia adminiſtrat, ſed in vſum domini: ita & Prudentia, inquit Ariſt. *in magn. lib. 1. in fin.* quæ facit omnia, quæ ad ſapientiæ vſum pertinent, cum virtute perturbationes reprimit, atq; ita mentem pacatam & perturbationibus liberam, tanquam domum bene purgatam ſapienti præſtat.

ἔτι ὅμοιον κἂν] Sic argumentabantur Politici, [inter Politicos enim & Philoſophos de dignitate & præſtantia magna diſputatio ſemper, & quidem quod indignius iam medici ſe adiunxerunt: olim Rhetores idem contendebant:]

Omnia, quæ in Republica aguntur, per politicam adminiſtrari & deſcribi ſolent.

Ergo domina eſt omnium ſcientiarum.

Falſa eſt conſecutio. Nam eadem ratione ſequeretur etiam Deorum dominam eſſe politicam, vt quæ de rebus quoq; ſacris, vt rite fiant, curet, qui locus obſeruatione eſt digniſſimus, & hodie valde controuerſus: an magiſtratui rerum ſacrarum cura eſſe debeat? [Deo enim non imperat, ſed Dei cauſa.]

Quæſtio: Quæri poteſt, ſi, vt *ſupra* eſt explicatum, virtus ſcopum, prudentia ea, quæ ad ſcopum, curat. Ergo virtus antecellet prudentiæ, vt ſcopus ijs, quæ ad ſcopum, ſeu finem, [Finis enim præſtantior ijs, quæ ad finem. Victoria omnibus actionibus & factis militaribus præſtantior. Scopus enim eſt propoſitus omnibus laboribus militiæ.] quod tamen abſurdum, vt virtus mentis deterior ſit virtute morum, quæ in parte animi rationis experte: fieret inquam, vt radius præſtantior & nobilior ſit ipſa luce. Nam luci prudentia: virtutes morales radijs optime comparari queunt, vt quæ ſint tanquam veſtigia quædam mentis in appetitu impreſſa. [hinc virtus moralis quiddam eſt deductum à lumine mentis, ad appetitus noſtros coercendos & reſtenandos.] Quare ita dicendum, virtutem quidem ſcopum curare: hactenus inquam quod refrenandis cupiditatibus, quod virtutis eſt munus, [nihil aliud, quàm refrenatio eſt virtus] efficiat, vt mens noſtra in ſcopo & fine deligendo non fallatur. Nam vere mens ſeu prudentia, finem ipſum & ſcopum ſibi proponit, eaque quæ ad illum aſſequendum pertineant, exquirit. Ergo quod dicimus virtutem curare ſco-

re ſcopum, non ita intelligendum, quaſi prudentia non curet ſcopum. Virtutis munus in eo potiſſimum laborat, vt mentis officium circa ſcopum non fallatur, non aberret. Ponamus hominem laborare inopia, eſt auarus videns: quæritur, an aliquid dandum egeno. Dare eſt finis & ſcopus, quid, quo modo, quantum dandum, ea quæ pertinent ad ſcopum ſunt. Dicit Ariſtoteles, vt auarus det, vt excitetur ad ſcopum, non tam facit mens, quam prudentia ſeu virtus, hoc eſt, ſi quis virtute præditus malas cupiditates refrenat, & honeſta appetit. Ergo dicit Ariſtoteles, virtus curat ſcopum. Mens habet rurſus aliud officium, vt videat, an ſit vere pauper, an is ſit locuples, qui dare debeat. Item conſiderandum, quo tempore, an maxima Annonæ caritas, &c.

FINIS LIBRI VI.

LIBER

Google

LIBER VII.

ARGVMENTVM.

DVO ſunt ſumma huius libri capita: quorum priore de continentia & impotentia, alijsq; nonnullis affectionibus virtuti cognatis: altero de voluptate & dolore explicetur. [Singula enim commemorare eſt otio abutentis, apud Senecam, elegans locus. Philoſophi Epicurei & ſectæ eius, tempore Ciceronis erant plurimi, nulla ita vigebat quam illa. Plæriq; in Italia erant Epicurei, Horatius, Tibullus, & Atticus Ciceroni chariſſimus ille, &c. Cicero & Brutus infenſiſſimi hoſtes. Ariſtotelici tum fere ignoti: per 200. annos ſepulti libri Ariſtotelis. Dicit Cicero cauſam, 1. Quia diſputant facile, non adhibitis multis diſputationibus: ita vt plebs, quibus non eſt otium, illa ſtatim arripiebant. 2. Diſputant, quæ placent vulgo & carni. 3. Quia inter has diſputationes interponunt ſententias pulcherrimas, vtpote tenuiſſimum victum præſtantiſſimum, &c. propter has gemmas inducebatur populus ad amplectendam illam doctrinam, has oſtentabant. Dicit Seneca in Epiſtola longa. Alia eſt apud nos Stoicos ratio: totæ enim diſputationes noſtræ ſunt ſententiæ. Id de Ariſtotele ſentiendum, hic non poſſumus facere argumenta diſputationum, vt in Cicerone: tanta enim eſt denſitas diſputationum.] Ad priorem nunc partem videatur & Plutarchus in libello de virtute Morali in fin. & apud Stobæum de Virtute. Theages Pythagoricus Philoſophus inſignis, & ipſe Ariſtoteles in magn. lib. 2. cap. 4. cum 2. ſeqq. Ad poſteriorem partem pertinent, quæ in magnis lib. 2. cap. 7. & infra lib. 10. in princ. & maxime quæ apud Platonem in Philæbo diſſeruntur. Videatur & Cicero lib. 1. & 2. de Finib.

CAPVT I.

COMMENTARII.

Μετὰ δὲ ταῦτα λεκτέον.] Explicatis adhuc virtutibus tam mentis quam morum, quibus maxime beata vita continetur: videri poterat totum hoc opus ad finem iam perductum eſſe. Nam, vt initio diximus, Ethicorum & Politicorum hic eſt ſcopus, vt quibus rebus beata vita pariatur, explicetur. Verum de perfectis quidem virtutibus ſatis, de inchoatis non item, de quibus hoc libro. Ad explendam autem totam virtutum tractationem, etiam de inchoatis, continentia & tollerantia explicandum fuit. Cur ergo, inquiet aliquis, & de voluptate *infra* & de Amicitia *lib* 8. & 9. qui ſunt pulcherrimi [hic enim liber habet quidem præclara: poſteriores duo vtiliores & iucundiores] ſuo cuiq; loco ſuam reddemus rationem. Aliud autem & nouum hic principium facit Ariſtot.q; de alio virtutũ genere perfectarum adhuc: hic de alio inchoatarum diſſerat.

ὅτι τῶν περὶ τὰ ἤθη.] Orditur igitur diſputationem quaſi de integro, quaſi de virtute nihil adhuc diſputaſſet. Quæ ad mores, inquit, in his, quæ fugienda, tria ſunt numero, ſeu vt *in magnis* loquitur, tria ſunt, ex quibus vitioſi ſeu improbi vulgo dicamur, vitium, impotentia & feritas ſeu immanitas. His contraria duobus quidem prioribus ſunt perſpicua & certa: nam vitio, virtus, impotentiæ ſeu incontinentiæ, continentia ſunt contraria. De tertio genere res eſt obſcurior, & tamen affectio illi contraria, videtur commodius eſſe virtus quædam, quæ *ſupra* hominem, quæ inquam diuina & heroica quædam ſit virtus, ſuo vacans nomine, id eſt, proprio: qualem in Hectore ſuo Priamus apud Homer. fuiſſe ait, *Iliad*. ψ. Priamus enim conqueritur de ſuis liberis fere omnibus præſtantioribus interfectis, & diuina virtute præditis: Paris, vt & alij deteriores manſerunt ſuperſtites.

ὥστ' εἰ, καθάπερ φασίν.] Oſtendit Ariſtoteles duobus argumentis, ſeu ſignis eſſe virtutem quandam heroicam. Prius ab autoritate Homeri iam eſt explicatum: alterum à prouerbio Vulgo namq; virtutis excellentia ſeu præſtantia ex hominibus Deos fieri aiunt, hoc eſt, eximia virtute præditos, Deos potius eſſe, quam homines. Eſt igitur affectio quædam diuina potius, q̃ humana, quæ immanitati ex altera parte reſpõdeat.

Καὶ γὰρ ὥσπερ οὐδὲ.] Hic duas affectiones illas inter ſe comparat, & heroicã immanitati recte poni contrariam docet duab⁹ ratio-

rationibus. Primum namque, vt immanitatem, ita & heroicam humanos limites excedere, illam quid anguſtius eſſe & præſtantius virtute, hanc à vitio quoq; eſſe aliud quiddam grauius, quod ex eo fit perſpicuum, quia neq; Dei virtus ſit vlla, neq; beluæ vitium. Huius quidem, quia vitium abſq; proæreſi, cuius expertes ſunt beluæ, eſt nullum [proæreſis enim non eſt abſq; ratione.] Dei vero cur nulla ſit virtus, explicabitur *infra lib. 10. cap. 8.* Diſputat & Cic hac de re *lib. 5. de Fin.* in Deum non cadere virtutem, ſed omnia excellentia cadunt in illum. Quare ex his affectionibus, cum altera ad Deum, altera ad beluinam naturam accedamus, efficitur, quod diximus, illam anguſtius quid eſſe virtute, hanc aliud quid à vitio: & proinde eaſdem recte inter ſe contrarias opponi. Formula:

Dei nulla virtus, nec belua vitium.

At his duabus affectionibus ad Deum & beluam accedimus.

Ergo non ſunt proprie virtus aut vitium, ſed quid aliud.

ἕτερόν τι γένος, phraſis vſitata Ariſtoteli, *eſt aliud quiddam.*

ἐπεὶ δὲ σπάνιον κ.] Alterum argumentum, quo doceat, has affectiones recte inter ſe contrarias opponi: quo & inter ſe comparantur ex contraria parte, nam vtramque affectionem eſſe raram. De heroica quidem, rari ſunt, qui præter cæteros virtute excellant, vt Dij potius quam homines eſſe videantur: ſiue, vt loquitur Ariſtoteles, rarum eſt, eſſe diuinum. Sic enim Græci hac virtute præditos vocare ſolēt, & Lacedæmonij cum eximia virtute præditum laudare volunt, θεῖος ἀνήρ, inquiunt. οὕτος. Sic enim legendum puto hoc loco, φᾶσιν οὕτος. Veteres olim non vſi punctis, colis, commatibus, vt nos, eſt nouum inuentum noſtræ ætatis. οὕτω γὰρ, &c. omiſſum fuerat alterum οὕτω, cuius generis mendæ in veterum ſcriptis ſunt crebertimæ. Nam in Platonis *Menone*, ex quo hic locus ad verbum eſt ſumptus, ita diſerte legitur, vbi tamen perperam vulgo θεῖος, quod hic rectius σεῖος. Nam quod Græci vulgo θεῖος, id Lacones ζεῖος dicebant, quibus familiaris erat litera σ. ſic pro θεῖν illi ζεῖν, pro θάμβωα illi ζάμβωα, de quibus *in Heſychio.* Neq; vero mirum heroicam eſſe raram, cum omnia præclara, rara. Cur .a. diuina dicatur hæc affectio, ea eſt ratio, ꝙ plus q̃ ſit humana. Homines aut cōmuni & vſitata ratione ſunt boni, & hoc ab ipſis hominibu ſpiciſci videtaut

inuſi-

inuſitata, quod Deo potius tribuendum. Vſitato more ex ſe mouentur homines ad hoc, vel illud agendum: ad præclara & eximia facinora diuinitus commouentur, inquit præclare Plutarchus *in vita Coriolani.* Huius generis ſunt prudentia Vlyſſis, Ariſtidis iuſtitia: bonitas & humanitas Phocionis; conſtantia Catonis, Socratis & Platonis ſapientia. Nam vt Ariſtot. Dæmonius Philoſophus à veteribus: ita Plato θεῖος Philoſophus dictus, Hectoris, Achillis fortitudo. Exempla ſacra ſunt in Iobo, Ioſepho, Maccabæis, Apoſtolis, Chriſto denique perfectiſſime. Hac eadem de re Cicero Brutum & Caſſium Heroes appellare ſolet, ob memorabile facinus, cædem Cęſaris. Rara eſt igitur Heroica virtus, rara eſt & immanitas. nam vitia vſitata in multis, enormia reperiuntur in paucis, vt immanis crudelitas Syllæ, Domitiani, Heliogabali [nomen monſtroſum, ex Græco & Hebraico] libido beluina & hodierni ducis Albani, aliorumque, de quibus infra latius.

μάλιστα δὲ ἐν τοῖς.] Raram eſſe immanitatem, eamque vix reperiri in hominibus, modo dictum: hic adiungit. reperiri tamen, & quibus in hominibus, quibus denique ex cauſis. Tria facit genera, Barbarorum, Melancholicorum & Phreneticorum, & improbitate inſignium. In Barbaris namque natura vere immania huius generis facinora reperiuntur, vt qui liberos deuorare ſolent, qui turpe non exiſtiment cum matribus commiſceri, de quibus infr. Melancholici quoque ex morbo ſæpe atrociſſima deſignant facinora, vt apud Sophoclem Aiax. Reliqui ſunt, qui conſuetudine extreme improbi ſint redditi, vt Clodius, Hyperbolus ſceleratiſſimus nebulo tempore Demoſthenis, alter Catilina & Clodius, Antonius etiam inter iſtud poteſt referri genus: De quibus poſtremis hoc potiſſimum loco addit: hi namque vere ſunt vitioſi & reprehenſione digni, qui vero conſuetudine ſcilicet, qui natura & morbo laborant, non ita reprehēdendi. Eſſe autem hos extremos, & in eos immanitatem congruere, vel ex eo fit perſpicuum, quod ſi quem inſigniter improbum vituperare velimus, eum beluam potius quam hominem eſſe dicamus, inquit Ariſtoteles *in Magnis*, & hic, *οὕτως ἐπιδυσφημοῦμεν*, &c.

ἀλλὰ περὶ μὲν.] Adhuc nihil fere aliud, quam expoſuit tria vitioſitatis in moribus genera, hic de explicatione inſtituit. Et quidem de Heroica nihil dicit amplius, de immanitate

pauca infra *capite quinto & ſexto.* Propterea quod his libris de rebus humanis diſſeratur: hæ autem affectiones vel ſupra vel infra hominem. De altero genere, virtute & vitio in ſuperioribus libris; reliquum eſt tertium genus, continentiæ & impotentiæ, de quo hoc libro. Sed quæri poteſt, cur vitiorum in moribus tria duntaxat ſint genera, & cur iſta ſint? Duæ reddi poſſunt rationes, vulgaris vna & popularis, altera Philoſophica. Prior eſt, quia vt rerum omnium eſt ſuum cuiuſque initium quoddam, perfectio & excellentia: ita & in moribus, virtutes quædam ſunt inchoatæ, quædam perfectæ, quædam denique excellentes; eadem eſt vitiorum ratio: Altera & obſcurior ratio, ex prioribus libris tamen perſpicua fit. Dictum namque eſt ſupra ad virtutes & vitia concurrere rationem & appetitum. Iam vero, ſi ab appetitu ratio non prorſus ſuperetur, ſed velut trahatur, & tanquam inuita ſequatur, tum exiſtit vitioſitas illa, quæ impotentia: Sin plane ſuperetur ab appetitu ratio, prorſus inquam, ſi dominetur appetitus, extincta propemodum ratione, tum vera exiſtit vitioſitas virtuti contraria. Eadem eſt & virtutum ratio. Iam vero dictum eſt & ſupra *libro ſecundo*, virtutem nihil eſſe aliud, quam appetituum quandam moderationem & harmoniam cum ratione: vitium vero diſcordiam quandam rationis & appetitus. Vt igitur in corpore, vbi ſanitas nihil eſt aliud, quam humorum quædam harmonia, & iuſta temperatio, fieri poteſt, vt humores in vno corpore magis ſint perturbati, quam in altero, & quidem in quibuſdam grauiſſime, quod in furioſis & Melancholicis vſuuenit: ita & in animo, ſeu vitiis & virtutibus, ſi temperatio rationis & appetituum grauiſſime perturbetur, exiſtit ea, quæ dicitur Feritas ſeu immanitas. Hinc ex homine, quod ad corpus attinet, bos interdum poteſt fieri, ſic in animo, &c.

Περὶ δὲ ἀκρασίας.] Hic iam orditur tractationem huius libri, in quo explicaturum ſe ait, de duabus his affectionibus bonis, continentia & tollerantia, & de malis, impotentia & mollitia. Et ſi de his duabus tollerantia & mollitia nihil fere præter comparationem quandam cum alteris, infra *capite ſeptimo* affert. Quod Græcis ἀκρατὴς & ἀκρασία, diſputari ſolet, quemadmodum latine reddi debeat. Plerique incontinens, & incontinentiam vertunt, tum quod

planiora

planiora hæc ſunt vocabula, vtpote ex altera parte conti-nenti & continentiæ, de quibus inter omnes conſtat, reſpon-deant: tum quod veteres etiam illis ſint vſi. Cicero tamen ἀκρασίαν impotentiam vocare ſolet, & hominem ἀκρατῆ impotentem, & hoc quidem vocabulum ſignificantius ex-primit verbi Græci vim. Vocamus hominem impotentem, qui ſibi imperare non poteſt, affectus non comprimere, non tam recte dicimus incontinentem. Mollitiam Ariſtoteles vocat & τρυφὴν ſeu delitias, non quo eadem ſint plane, ſed ob magnam tamen affinitatem, alioqui omnis τρυ-φὴ eſt mollitia, non contra, teſte Ariſtotele infra *capite ſeptimo.*

ἔστι δὲ τῶν περὶ.] Adiungit hoc Ariſtoteles, quaſi excu-ſationis loco, cur cum ſatis ſupra de virtutibus & vitiis ſit explicatum, hic tamen de continentia & tollerantia, quæ virtutes, & de impotentia & mollitia, quæ vitia eſſe videantur, diſſerat? Non, inquit, hæ affectiones eædem plane ſunt cum virtutibus & vitiis, neque tamen prorſus aliæ. Cognatio & differentia infra copioſe explicabitur, & refellentur illi, qui has affectiones eaſdem plane cum virtutibus & vitiis eſſe exi-ſtimarunt.

δεῖ δὲ ὥσπερ.] Prius de methodo nonnihil, quam rem ordiatur. Monet igitur hanc docendi viam & rationem ſe ſer-naturum, vt primum de his affectionibus commemoret, quæ vulgo ferantur & videantur, quæ ſenſui hominum commu-ni ſint conſentanea: deinde, quæ controuerſiæ in his ipſis commoueri ſoleant: poſtremo ſuam ſententiam, & quod veriſſimum videatur, communique hominum opinioni ma-xime conſentaneum, allaturum & explicaturum. nam vt e-leganter ait, ſi quæ difficultatem habeant, diſſoluantur, & relinquantur probabilia, ſatis explicatum fuerit. Et hoc qui-dem inſtitutum eſt Ariſtotelis, omnibus fere in libris, pri-mum quæſtiones & controuerſias afferre, poſtea eas diſſol-uere, vt ſupra *libro ſexto* dictum. Sed hic amplius monet, et-iam ea, quæ vulgo de re aliqua dicantur, diligenter eſſe ſpe-ctanda: nam vt & ſup. *libro primo, capite octauo,* initio diſpu-tandum eſt non tantum rationibus, ſed etiam vulgi dictis, ſenſu & opinionibus. Tantum enim hoc notant interpre-tes, primum controuerſias proponendas, poſtea diſſoluen-das.

Ad hunc modũ & *initio Metaph.* naturam ſapientiæ inueſtigaturus, monet facile id fieri poſſe, ſi vulgi ſenſus, opinio & dicta de ſapientia, ſi inquam ea, quæ vulgo ſapientiæ tribuuntur, ſpectentur. Vnde inquit Ariſtoteles *in Metaphyſic.* hoc reperiemus facile, quid vulgo vocant ſapientem? qui omnia ſcit. Ergo ſapientia eſt quædam facultas, quæ in omnibus rebus excellat. Deinde vocant ſapientes diuinos, eſt diuiniſſima quædam affectio, ſapientem non falli, omnia exacte ſcire, ex communibus dictis de ſapientia, elicit tandem vim ſapientiæ.

δοκεῖ δὴ ἥτε.] Hic ad rem, & primum quidem, vulgi dicti de continentia & impotentia, ſex affert tanquam notas. Primum continentiam & tollerantiam, vulgo in numero rerum bonarum & laudabilium: Impotentiam vero & mollitiam in rebus malis & reprehenſione dignis habere ſolent. Deinde, quæ eſt grauiſſima harum affectionum nota, ſcilicet eſt κυελωπέτη, continentem in eo perſeuerare aiunt, quod ratio præſcripſerit: impotentem non item, ſed diſcedere à rationis iudicio. Vocant hic impotentem, qui ſinit ſe vinci, non poteſt ſe reprimere, non manet firmiter, ſed vincitur. Præterea impotens ille dicitur, qui, vt inquit Medea apud Ouidium, videt quidem meliora, ſcit ea, quæ agat eſſe mala, ſed agat tamen perturbatione victus: Contra vero continens is, qui cum ſciat, cupiditates eſſe malas, iis non paret, ſed rationi potius. Præterea vulgo temperantem vocant continentem & tollerantem: alii quidem plane eoſdem eſſe aiunt, alii non item. Eadem eſt intemperantis & impotentis ratio. Præterea ſunt, qui exiſtiment, prudentem nunquam poſſe eſſe impotentem: Contra ſunt, qui prudentes, & ſagaces, callidoſque homines, impotentes interdum eſſe poſſe exiſtiment. Poſtremo impotentes vulgo non tantum dicuntur in voluptatibus, ſed etiam in ira, honore, lucro; & hæc quidem ſunt, quæ vulgo de his affectionibus dicuntur, quæ Ariſtoteles vocat τὰ λεγόμενα, vt & ſupra *libro primo, capite octauo* initio; τὰ φαινόμενα & τὰ ἔνδοξα. [ἐπιστάμενον ſcilicet ἀκρατεύεσθαι, id eſt, vt quis ſciens ſit incontinens] *in Magnis* eadem vocat, τὰ πιθανὰ, ſeu τὰ πιθανῶς γενόμενα, &c.

CAPVT

CAPVT II.

COMMENTARII.

Ἀπορήσειε δὲ ἄν τις.] Expoſitis breuiter iis, quæ de continentia & impotentia, ætate ſua dicerentur: hic ἀπορίας controuerſias & quæſtiones affert, quæ aduerſus eadem dicta illa commoueri poſſint & conſuerint, quæ controuerſiæ, vt dictum, ſex afferuntur, non deinceps tamen & ordine dictorum obſeruato.

Ἀπορήσειε δὲ ἄν τις.] Prima controuerſia aduerſus dictum tertium, de ſcientia; An ſciens prudenſque quis impotens eſſe poſſit. Duas affert ſententias, Socratis vnam, quorundam Philoſophorũ alteram. Socrates namq;, vt qui virtutes ſcientias eſſe diceret, vitia inſcientias, de quo ſupra *lib. 6.* huic ſententiæ ſuæ conſentienter exiſtimabat, neminem prudentem ſcientemque eſſe poſſe impotentem, ſed ignorantia potius peccare. Ratio Socratis hæc eſt, quod ſcientia ſit res vna omnium ſtabiliſſima & potentiſſima, quæque ab alia cogi, aut ſuperari nequeat. nam vt præclare Ariſtoteles *in Magnis.* Scientia, inquit, rerum omnium, quæ ſunt in homine, eſt vna quædam ſtabiliſſima, & ad cogendum firmiſſima, ſeu efficaciſſima, qua de re tamen ſupra dictum *lib. 1. cap. 9. & 10.* vbi de Solone. Formula:

Impotens cupiditatibus vincitur, trahitur & rapitur.
At ſciens non trahitur, nemini cedit. Non enim trahitur tanquam pecus, ait eleganter Ariſtoteles.
Ergo ſciens non eſt impotens.

Σωκράτης μὲν γὰρ.] Ita vertenda: *Et Socrates quidem pugnabat aduerſus impotentia, quaſi non ſit, rationem* [alii vertunt; *pugnabat quaſi cum ratione*, λόγον coniungẽdum eſt ἀκρασίας] id eſt, Socratis diſputatione plane tollitur impotentia, & eo reditur, vt quærendum ſit; An vlla ſit impotentia?

οὐθένα γὰρ ὑπολαμβάνοντα.] Altera poteſt eſſe Socratis ratio, quia nemo, quæ mala eſſe putet, faciat, ſed ignorantia. Neminem namque exiſtimat Socrates tam eſſe improbum, vt quæ perſpicue mala eſſe cernat, ea tamen agat. Formula:

Mala nemo agit ſciens prudenſq;, ſed ignorans per imprudentiam, qua de re ſup. lib. 5. in fin.
At impotens agit mala.
Ergo per imprudentiam.

ὥστε μὲν ὁ λόγος.] Socratis, inquit, ratio in controuerſiam vocat ea, quæ ſunt perſpicua: tollit namque impotentiam, quam inter omnes conſtat eſſe aliquam. Vnde demum nomen, ſi nulla res, ſi nulla impotentia? Vnde ἀκρασία, & Latinum, ipſam ἀκρασίαν ſeu impotentiam vocat πάθος improprie, quemadmodum πάθος rapit homines, &c. ita impotentia.

καὶ δέον ζητεῖν.] Quaſi diceret, poſito, per imprudentiam peccare impotentem, quærendum erit: An plane per imprudentiam, quæ inquam ratio ſit imprudentiæ: An & ante factum, & in ipſo facto nihil plane ſciat impotens, bonumne ſit, an malum, quod ſit agendum, exiſtimetne, num agēdum, vt malum, priuſquam agat, an contra. Et ait, perſpicue verum eſſe, impotentem hac eſſe mente, vt priuſquam agat, & cupiditatibus rapiatur, exiſtimet plane agendum non eſſe. Duo hæc tempora diligenter ſunt conſideranda, facti, & id quod ante factum. Nam facti tempore, cupiditatibus obſcurata mente & ratione exiſtimat faciendum, quantumuis turpe, ante non item, ſed hæc infra latius. Hic denique commemorantur, non explicantur: Aliquam ſcientiam in impotente eſſe certum eſt, priuſquam ſit ἐν τῷ πάθει, videt eſſe improba, quæ ſit acturus. Poſtquam iam cupiditatibus eo pertractus, tum obfuſcata mente non cernit amplius; In ea re optime refellitur ſententia Socratis.

εἰσὶ δέ τινες οἱ.] Aliorum ſententiam Philoſophorum quorundam eadem de re hic affert: Nam eſſe qui Socratis ſententiam partim admittant, partim improbent. Probare namque eos, nihil eſſe, quod peræque magnam vim habeat, atque habet ſcientia: improbare vero alterum, quo dixerat Socrates, neminem contra id, quod bonum quis exiſtimarit, facere. Hoc namque ſæpe vſuuenire, vt contra bonum quod quis exiſtimarit, faciat. Itaque remota ſcientia, exiſtimabant impotentem opinari, quod contra faciat, eſſe bonum non ſcire.

ἀλλὰ μὴν εἰγε.] Et hanc ſententiam breuiter refellit, conſequente abſurdo: Sequeretur enim incontinentem ſeu impotentem non eſſe malum, aut reprehenſione dignum, quod repugnat primo dicto. Eius conſequentis autem hæc eſt ratio, quia ſequeretur, veniam dandam impotenti. Formula:

Si im-

Si impotentis non eſt ſcientia & firma exiſtimatio, ſed leuis duntaxat & imbecilla opinio, vt in dubitantibus.

Ergo venia impotenti erit danda, vt qui aduerſus grauiſſimas cupiditates infirma opinione obſiſtere nequeat.

τοῦ μὴ ἐν ταύταις.] ἐν ταύταις, pro ἐν ταύτῃ, ſcilicet δόξᾳ: de quo dicendi genere ſupra *lib. 1. cap. 11. in fin.* μέθοδος τούτων. Interdum enim ſingularem pro plurali veteres ponunt.

Si venia danda.

Ergo reprehenſione caret impotentia.

Formula:

Quibus venia datur, reprehenſione ſunt indigni, & proinde non ſunt mali.

At impotenti, ex opinione infirma contra bonum peccanti venia eſt danda.

Ergo nec reprehendendus.

At conſtat impotentiam eſſe improbum quiddam, & proinde nullam illi veniam dandam, vt nec vllæ rei improbę. Sic enim veteres, & Cicero quoque loquuntur, *vlla*.

φρονήσεως ἄρα.] Si, inquit, impotentis opinio non eſt imbecilla, ſed firma. Ergo erit prudentia, vt quæ ſit firmiſſima opinio, id eſt, Ergo impotens cupiditate victus diſcedet ab eo, quod prudentia ipſi agendum ſuaſerit.

ἀλλ' ἄτοπον.] Docuit modo impotentis opinionem non eſſe imbecillam. Eſt ne ergo firma, id eſt, prudentia, & ne hanc quidem eſſe docet hoc loco. Abſurdum eſt, inquit, dicere, prudentiam eſſe impotentis, tribus rationibus: abſurdum eſſet iſtud. Sequeretur enim, impotentem eſſe & prudentem, quod eſt abſurdiſſimum. Sequeretur, inquam:

Si impotens is eſſe dicatur, qui contra atque prudentia ipſi ſuaſerit, faciat:

Ergo cum prudentia impotentem eſſe, neceſſe ſit.

At non eſſe hoc tribus, vt dixi, docet rationibus. Primum, quia impotens improba faciat, quod nemo prudentis eſſe dicat. Deinde prudens agit, impotens non item: Ille quidem, quia eſt extremorum, quorum propria eſt actio, quod ſupra explicatum *libro 6. in fin.* hic impotens, agit quidem ille, nam

improba facit:non agit tamen ea, quæ recta ratio illi præſ ribat, ſed ab iis potius diſcedit, cupiditate victus, & alia a it; quia impotens, poſtquam ratio ſuaſerit hoc faciendum, lle cupiditatibus victus, potius agit ea, quam quæ ratio præſ ribat. Præterea prudens omnes alias habet virtutes, quod ſu ra *capite penultimo & vltimo, libro ſexto* explicatum, impot ns non item, vt quæ ſit vitium potius quam virtus. Atque ta hunc locum in tres rationes retexendum puto, non in du s, vt vulgo, καὶ τὰς ἄλλας ἔχων, & hæc eſt tertia ratio: qua q i-dem diſputatione de opinione, Ariſtoteles attigit etiam li-ctum quintum.

ἔτι εἰ μὲν ἐν τῷ.] Hic de quarto dicto, an continens ſit te n-perans, & contra. Et non eſſe, docet hac ratione, quia imp o-tens is eſt, qui grauibus & prauis cupiditatibus paret: conti-nens qui obſiſtit. At in temperante neutrum reperitur. Fe r-mula hypothetica:

> *Si is proprie eſt continens, qui magnis ſeu grauibus, iiſque prauis* (quæ duo diligenter ſunt attendenda) *cupiditatibus obſiſtit.* [In his enim duobus prauis & magnis tota argumenti vis conſiſtit.]
>
> *Ergo temperans non eſt continens, & contra.*
>
> *At vero illud. Ergo & hoc.*

Antecedens verum eſſe docet his verbis, ἀλλὰ μὴν δεῖ γε. Sed, inquit, oportet, id eſt, oportet cupiditates, quibus obſiſtat continens, eſſe & prauas, non bonas, & magnas, graues, vehementes ἰσχυρὰς σφοδράς, non mediocres aut infirmas ἀσθενεῖς καὶ μετρίας. Et prauas quidem: nam ſi bonæ eſſent cupiditates, quæ eis obſiſteret affectio, eſſet mala. Bono obſiſtere eſt malum, & proinde continentia, quæ bonis obſiſteret, eſſet mala. At conſtat, omnem continentiam eſſe malam. Magnas vero, quia leuibus & infirmis cupiditatibus obſiſtere, non eſt res magnifica & ſplendida, non eſt res ardua: nam facile quilibet paruas cupiditates ſuperare poteſt. At continentiam conſtat, rem eſſe difficillimam & præclariſſimam. Hinc verſus ille:

> *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.*

Hoc proprium eſt continentiæ eſt res σεμνόν τι καὶ μέγα. Ergo verum eſt antecedens. Connexi ratio, ὅτι γὰρ τὸ ἄγαν: nam neque magnum, neque prauum, quæ duo fuerunt atten-

attendenda, ſunt temperantis, id eſt, in temperante nihil eſt magni aut inmodici, omnia ſunt moderata & modica, ꝙ idem eſt in reliquis virtutibus, quas conſtat eſſe mediocritates & moderatiores, non etiam in eo eſt prauum, id eſt, in temperante nullæ ſunt prauæ cupiditates, vt neq; in vlla virtute, propterea quod in virtutibus cupiditas ſeu appetitus rationi ſemper paret Ergo ſemper bonus.

ἔτι εἰ πάσῃ.] Hic de ſecundo dicto, quo diximus contineri veram continentiæ & impotentię vim & naturam ſeu notam. Laus enim & vis in eo maxime cernitur, quod perſtet in eo, quod rectum iudicarit: impotentis, quod non perſtet, ſed aliud, quam quod verum & rectum iudicarit, ſequatur, cupiditatibus victus. Dictum eſt igitur ibi, continentem eſſe *ἐμμενετικὸν*, conſtantem, perſeuerantem in ſua ſententia; impotentem *ἐκστατικὸν*. Et hoc refellit hoc loco. Primum quidem de continente:

> *Si*, inquit, *continentia perſtare & conſtantem facit in omni opinione,*
>
> *Ergo interdum eſt mala & vitioſa, nempe ſi in falſa aut mala opinione.*
>
> *At hoc falſum* [nempe eam malam.]
>
> *Ergo & illud, ſcilicet, quod in omni.*

De impotentia paulo copioſius.

> *Si impotens nulla in re perſtat, ſemper eſt ἐκστατικός.*
>
> *Ergo accidere poteſt, vt impotentia ſit bona & laudabilis.*
>
> *At hoc abſurdum, & primo dicto repugnans communi ſeu vulgari opinione hominum.*
>
> *Ergo & illud.*

Verbi gratia, ſi in re improba aut mala opinione non perſtet, ſed ab ea diſcedat, quemadmodum olim Neoptolemus filius Achillis, qui ab Vlyſſe ad mentiendum perſuaſus, poſtea tamen deſtitit ab ea ſententia, & quidem laudabitur, vt eſt apud Sophoclem *in Philocteto*, ibi, *ἐγὼ μὲν*, &c. de quo & infra iterat Ariſtotel. *cap. 9.* Neoptolemus igitur hic etſi diſceſſit ab opinione & perſuaſione Vlyſſis, non tamen dicendus eſt impotens. nam alioqui ſit vitioſus. Affert & aliud exemplum Ariſtot. captionum ſophiſticarum. nam ſophiſtæ interdum, vt præter cæteros ſapere videantur, abſurda quædam cõcludere ſolent, falſa ex veris ſumptionibus, vtpote non ſeruata, vt

vocant, forma. Qui igitur hac captione premitur, concluſionem quidem ex præmiſſis ſeu ſumptionibus efficere videtur, quia tamen falſam eam eſſe ſcit, non audet aſſentiri, non perſiſtit in aſſentiendo, & quidem laudabiliter; alioqui dicendum ſit, non aſſentientem ſophiſmatis, eſſe impotentem, & proinde vitioſum. Vtitur Ariſtoteles hoc loco verbo ψευδόμενος. Sciendum olim varia fuiſſe captionum genera, ex quibus vnũ à Græcis dictum ψευδόμενος de quo tres libros ſcripſit Theophraſtus teſte Laertio, quod poſtea frequentarunt Stoici, vt & alterum captionis genus ſoriten, teſte Laertio *in Chryſippo*, & Cic. *in Lucullo, & in Hortenſio*, vbi mentientem reddit Latine, qui ψευδόμενος à Græcis dicitur. Huius meminit & Iuriſconſ. *in l. qui quadringenta, 88. ff. ad l. Falcid.* Exemplum Pſeudomeni ſit iſtud: Dixit olim Epimenides Cretenſis, populares omnes ſuos, ſeu Cretenſes eſſe mendaces. Quæri poteſt, an Epimenides verum dixerit. Si dicas, verum dixiſſe, referam, regeram ſeu reſpondebo nihilominus eum falſum dixiſſe & mentitum, vtpote qui ipſe ſit Cretenſis. Sin mentitum dicas, referam tamen verum dixiſſe, eadem ratione, quia ſit Cres: Hic quocunque te vertas, eſt inexplicabile. Quærit quis, an is mentiatur, qui dicat ſe mentiri, verbi gratia, de Epimenide hoc ipſum dictum an ſit verum. Si quis princeps edictum faciat, ne quis fidem ſcriptis habeat, quæ non habeant ſubſcriptionem aut ſigillum, & illud quo hic ita iubetur, careat ſubſcriptione, an huic edicto etiam ſit fides habenda. Si ſequaris ſanctionem iſtam, videtur non eſſe habenda fides huic edicto. Si voluntatem ſpectes, vult edictum ratum haberi: Eiuſmodi nugas Stoici innumerabiles habebant: Deprauarunt enim totam Dialecticam, vt & reliquas partes Philoſophiæ: In Phyſicis & Ethicis turpiſſimi: In ſeueritate conſentiebant cum Chriſtianis, ſed multa turpia habebant, putabant omnia licere, matrimonium inter matrẽ & filium. Peripatetici liberaliores erant. Nomine Dialectici ſæpe intelligebant communi nomine Stoicos olim. Illi plus quam 400. modos habuerunt figurarum Stoici, omnes erant captiones. Hæc ſi quis non meminerit, non intelliget Ciceronem multis in locis. Illi apodixin & probabilia argumenta non diſtinguunt. Verum quæri poteſt, an hæc captio, quæ à plæriſque tribuitur Stoicis, vt primis autoribus, teſte & Plutarcho *initio libri de communibus notionibus aduerſus Stoicos*, hoc lo-

hoc loco ſit intelligenda. Et quidem non videtur, tum quod Ariſtotele Stoici ſunt iuniores, poſteriores vero longe: tum quod in libris captionum Ariſtotelicis [qui extant duo Elenchi] nulla huius ſit mentio. Quare verbum ψευδόμενος, ab interpretibus hoc loco adiectiue accipitur, de omni captionum genere, non de certo. Contra videri poteſt, tum, quia ſi verbũ ψευδόμενος hic eſſet adiectiuum, nõ erat eo opus, ſatis erat dixiſſe, ratio ſophiſtica eſt ἀπορία. & I C. Aphrican° in eo loco, vt hic Ariſt. Pſeudomenõ ait eſſe ἀπορίαν: tũ, quia Theophraſti de Pſeudomeno tres adducuntur libri, cuius tamen ipſius fuerunt & alii generales de captionibus ſophiſticis; tres vero ſpeciales de Pſeudomeno: tum denique, quia quod hic Ariſtoteles Pſeudomeno, vt admiſſis ſumptionibus auditor tamen non aſſentiatur complexioni, idem aperte Pſeudomeno Stoico tribuit Plutarchus eo loco. Interpretes non mouent hæc, non vident, nihil reperietis apud Interpretes de his.

δέδεται γὰρ ἡ διάνοια.] Eleganter Ariſtoteles ἀπορίαν animi velut vinculum quoddam eſſe ait, quod idem ait *initio lib. 2. Metaphyſ.* Sic Terentius, medium teneri aliquem ait, qui ita conuictus eſt, vt elabi nequeat. Plato *in Menone*; *Scientia vinculum*, ait, *eſſe arctius, quam opinionis*, vbi vocat etiam ſcientiam vinculum.

συμβαίνει δὲ ἐκ.] Altero abſurdo refellit, quod dicitur impotentem non permanere in ſentẽtia. Hoc enim, inquit, ſi verum eſt, accidet, vt imprudentia concurrente impotentia ſit virtus, atque adeo vt impotentia ſit virtutis cauſa, quod eſt perabſurdum. Ratio connexi, cur inquam hoc accidere poſſit, redditur iſta. nam ſtultus ſeu imprudẽs & praui iudicii mala exiſtimat, quæ ſunt bona & contra, eaq; non facienda. Impotens autem omnia facit alia, quam exiſtimarit, id eſt, non permanet in ſententia [vt ſupponitur ab aduerſariis] ſiue bene ſiue male quid exiſtimarit. Formula huius rationis ſit iſta:

Impotens contra facit atq; exiſtimet; in ſententia namq; non permanet.

Ergo imprudentia mala exiſtimans quæ ſunt bona, faciet bona, non vero mala, & proinde virtutis erit autor.

Argumentum facile, hoc tamen abſurdũ, quod tamen impotentia cauſa ſit virtutis. Imprudens q̃ ſunt bona, putat mala. Sic impotens per imprudentiam bona exiſtimat mala: natura

tura enim eſt impotentis, vt à ſuo iudicio ſemper diſcedat; bona exiſtimat mala, non facienda ab illa exiſtimatione diſcedit. Neceſſe ergo eſt, vt relinquat mala, & faciat bona. Verum de hac continentiæ & impotentiæ veriſſima nota infra latius *cap. 7. & 8.*

ἔτι ὁ τῷ πείθεσθ.] Primum attingitur dictum. nam intemperantem meliorem videri impotente, ſeu vt ipſe loquitur, eum, cui de vitiis iam perſuaſum ſit, quiq; certo conſilio & deliberato agat & perſequatur voluptates turpes, quod facit intemperans, meliorem eſſe: deteriorem vero, qui eaſdem perſequatur non conſulto, ſed animi libidine & impotentia: Eius inquam rei hanc affert rationem, quod ſanari facilius [ex malis autem id melius: mala enim duo ſunt, vnum, quod facilius poſſit ſanari, vt ſupra dictum *lib. 4.* de effuſione & auaritia. hinc effuſio eſt minus malum, quia facile reuocari poteſt ad liberalitatem; illud ex duobus malis melius, quod ad ſanitatem facilius reuocari poteſt] poſſit intemperans quam impotens. Cur ita? Illi namque perſuaſum iam eſt voluptates perſequendas, huic non item. At cui perſuaſum eſt, ab eo deterreri poteſt contrariis monitis & ſuaſionibus. Intemperans ita iam eſt contractu habito informatus, vt perſuaſum ſibi habeat, voluptates, etſi turpes, tamen honeſtas eſſe & perſequendas: qui ſi melius edoceatur, ad ſanitatem redire poſſe videatur. Impotens item, ſi perſuaſum ei foret, quæ facit, ea eſſe perſequenda, monitis item reuocari poſſet, vt intemperans, at eorum quæ facit, nihil perſuaſum habet, nihil deliberato facit, omnia animi impotentia & libidine. Quid ergo, moneas eum, qui nihil dum certi ſecum conſtituit? à quo eum deterreas, qui nihil dum habet conſtituti? Certe non magis proderunt impotenti monita, quam aqua ſit opus illi qui ad iugulum vſque ea eſt plenus, vt prouerbio dici ſolet, quod ſic accommodandum & explicandum puto. Nam ſententia prouerbii huius ea mihi eſſe videtur, quæ illius; *laterem lauare,* (longe tamen aliter Eraſmus) aut *in ſyluam ligna ferre,* aut *Noctuam Athenas,* proprie ſummam faciamus hunc in modum:

> *Cui perſuaſum quid eſt; et diſſuaderi id poteſt, apud eum, inquam, monita locum habent: At hic eſt ſanabilis, & proinde melior.*
>
> *Atqui impotens nihil habet perſuaſi.*

Ergo

Ergo nec moneri, nec proinde ſanari poteſt, & proinde intemperante eſt deterior.

Scribendum igitur γὰρ ἐπίπεισο, & mox νυῦ δὲ μὴ πεπεισμένος, & ἧττον, & τοιαῦτα, ſcilicet mala. Sic enim vetus tralatio, & quidam libri veteres teſte Lambino: Et quod caput eſt, ſententia poſtulat, vti explicauimus, & infra *cap. 8.* vbi de hac re latius aperte confirmatur, intemperantem facere perſuaſum; impotentem non item. Hinc intemperans facit omnia certo habitu, putat omnia facienda: Impotens vero antequam faciat, contrarium ſibi perſuadet, ſed cupiditatibus abripitur.

ἔτι εἰ περὶ πάντα.] Hic de vltimo dicto quæritur; An verum ſit, & non videri. Argumentatur hunc in modum:

Si in omnibus, id eſt, *non tantum in voluptatibus; ſed in honore, pecunia, &c. verſatur impotentia; quis*, inquit, *erit ſimpliciter impotens*, id eſt, *ergo abſolute & ſimpliciter nullus erit impotens. At hoc falſum. nam impotentem abſolute & proprie quem reperiri, eſſe, inquam, impotentia vitium quoddam certum ab aliis diſcrepans.* φαμὲν, *inquit*, id eſt, *vulgo conſtat.*

Falſum igitur hoc.

Ergo & illud.

Ratio autem connexi, οὐθεὶς γὰρ, &c. nam ſi quis dicat, eum proprie & abſolute impotentem dici poſſe, etiam qui omnes impotentias habeat, atq; ita conſecutio non videatur bona. Reſpondet Ariſt. falſum eſſe aſſumptum, id eſt, fieri nõ poſſe, vt vnus idemq; omnes habeat impotentias. Nam voluptates, in quibus proprie impotentia, interdum inter ſe pugnant.

ἡ γὰρ λύσις τῆς ἀπορίας] Pulchra eſt gnome analytica, quæſtionis explicationem eſſe inuẽtionem, id eſt, rem ipſam cognoſci etiam controuerſiarum explicatione. Qua ratione ſemper vtitur Ariſtoteles, eamq; docendi rationem Ariſtotelicam reprehendentibus occurrendum eſt hac gnome. multi enim reprehendunt Ariſtotelem, quod multus eſt in adferendis & refellendis controuerſiis. Quando refello aduerſariam & falſam opinionem, veram etiam explico & confirmo. Refutatio eſt, εὕρεσις quædam veri & confirmatio, moderate tamen faciendum. Verum eſt, multum tempus cõſumi in controuerſiis adferendis & refutandis: non omnes quæſtiones adferendæ, ſed grauiores, & quæ pondus habent. In Italia ne minimam quæſtionem omittunt, illi menſem interdum in expo-

exponendis controuerſiis conſumunt, & ſic faciunt Theologi, &c.

CAPVT III.

COMMENTARII.

Πρῶτον μὲν οὖν σκεπτέον.] Expoſitis de continentia & impotentia iis, quæ fere dici conſuerint, iis etiam quæ controuerſiam facerent: hoc tandem loco explicationem orditur. Et hoc quidem capite ordinem primo tractationis & argumentum breuiter exponit: deinde de ſcientia & opinione continentis & impotentis copioſe explicat.

πρῶτον μὲν οὖν.] Argumentũ & ordinem vniuerſæ tractationis breuiter hic exponit. nã tres eam in partes ſecat; quarũ prima de ſcientia impotentis & continentis: altera de eorum materia, an omnibus in voluptatibus & doloribus, an vero in certis verſentur: tertia denique de comparatione earum affectionum, quæ cum his duabus cognationem quandam habere videantur, cuius generis ſunt tolerantia, mollities, temperantia & intemperantia, pertinacia & facilitas, differantur. Extrema tamen diſputatione iterantur quædam de ſcientia. Cæterum in his tribus partibus explicandis, vna explicantur & dicta, & quæſtiones illæ ſex, de quibus hactenus. Hinc πότερον ὁ ἐγκρατὴς καὶ ἀκρατὴς, an continens & impotens, εἰσὶν ἔχοντες, id eſt, ἔχουσι an habeant, διαφορὰν differentiam, τῷ περὶ ἃ, eo quod in quibuſdam: an differant ratione modi, an materiæ, in quo verſantur.

ἔστι δὲ ἀρχὴ τῆς.] Orditur hoc loco diſputationem à duabus quæſtionibus, quas prius leuiter diſſoluit (nam infra de iiſdem copioſius) quam vere rem & diſputationem ordiatur. Prior quæſtio; qua re impotentis & continentis natura potiſſimum contineatur, materia ne, an modo, an vtroque? Altera quæſtio; an impotentia in omnibus voluptatibus, atque adeo aliis omnibus rebus turpibus, an vero in iis tantum, in quibus intemperans verſetur? vtramq; diſſoluit coniunctè & ſpectãdam eſſe tam materiam quam modum: vtroq; inquam vim & materiam impotentiæ contineri. De materia ſumit eã eſſe impotentiæ, quæ ſit intemperantiæ, qua de re infra latius *cap. 4. & ſeqq.* Non igitur in omnibus rebus turpibus eſt impotentia. De modo, ita breuiter: Intemperantem & impotentẽ in iiſdem quidẽ verſari voluptatib. ſed hunc animi quadam libidi-

libidine & impotētia, illum deliberato & conſulto. Quæ differentia intemperantis & impotentis diligenter eſt attendenda. Vulgo namq; propter materiæ cognationem ſæpe has affectiones confundunt, cū differant modo, idq; infra conqueritur Ariſt. Multa ſtrato & materia conueniunt, quæ tamen, quia modo & ratione differant, non ſunt eadē. Virtus & iuſtitia vniuerſa ſtrato ſunt eadem, ratione non item, vt ſupr. dictū *lib. 5. cap. 1. in fi.* Prudentia & virtus morū in rebus agendis iiſdem verſantur, ratione tamen diſcrepant, altera ſcopum, altera ea, quæ ad ſcopū curante, vt ſupra *lib 6. in fi.* Dialectica, ſophiſtica & prima Philoſophia in iiſdē verſantur rebus, ſed ratione diſcrepant. Dialectica quidem à prima Philoſophia modo, nam hæc ſcientiæ, illa diſputationis duntaxat eſt gratia: ſophiſtica vero conſilio & proæreſi ab vtraq; differt. nam captionis & fraudis eſt cauſa, vt eleganter Ariſt. *in Metaphyſ. γ. lib. 4.* Liber enim primus eſt duplex, habet duo *α*. Sic Nomothetica & Iuriſprudentia ſtrato ſunt eadem, nempe legum & iuris, ſed ratione non item. nam illa in ferendis, hæc in explicandis legibus occupatur.

περὶ μὲν οὖν τοῦ.] Hic tandem verius diſputationem orditur, & primum quidem de impotentis ſcientia, vel opinione, quæ prima fuit controuerſia, & quinta communis de impotente opinio. Refellitur autem tota hac diſputatione maxime Plato aut Socrates, qui, vt ſupra dictū, neminem exiſtimarit facere contra, atque ſciret faciundum, & proinde impotentis nullam eſſe ſcientiam. Refelluntur & illi breuiter & initio, qui & ipſi ſcientiam quidem impotentis nullam eſſe dicerent, ſed opinionem duntaxat. Vſus autem huius diſputationis in eo cernitur, vt cognoſcatur, quæ culpa impotenti ſit tribuenda, nam per imprudentiam ſi peccaret, excuſationem mereretur. Alter huius diſputationis vſus in eo eſt, quod nobis ob oculos ponat pugnam rationis & cupiditatē, cuius pugnæ meminit & Apoſtolus Paulus, & pulcherrime *in libello de virtute morali* Plutarchus, quam Plato comparat quadrigis aduerſus aurigam in diuerſas partes intendentibus.

περὶ μὲν οὖν.] Refellit, vt dixi, initio eos, qui impotentes non ſcientia, ſed opinione dicerent ἀκρατεύεσθαι, ſeu impotenter agere: nihil inquit hoc ad rem. nam opinione præditi firma (de qua, non de infirma locutos illos ſupra docuit) non ambigunt aut dubitant, ſed vere & certe ſe ſcire arbitrantur, tanquam

tanquam ſcientia præditos. Neq; ad rem facit, quod contradici poſſit, leuiter fidem haberi & aſſenſionem opinione: nam firma opinione præditos, tam conſtanter aſſentiri iis, quæ opinantur, quam ſcientia præditos. Argumento eſt Heraclitus, qui omnia ſua decreta, etſi opinione, non ſcientia niti diceret, tamen tam pertinaciter tuebatur, & vera eſſe credebat, quam alii Philoſophi, qui ſcire ſe ſua dogmata dicerent. Sic enim accipiendus eſt hic locus, non de vna aliqua Heracliti ſententia, vt vulgo faciunt, ſed de tota eius Philoſophia, vt Ariſtoteles ipſe accipit *in Magnis*, quo pertinet, quod ſcribit Plato *in Theæteto* de Heracletiorum pertinacia in diſputando [locus pulcherrimus aduerſus homines pertinaces in diſputando ille apud Platonẽ.] Nihil igitur ad rem, quod illi inter ſcientiam & opinionem diſtinguerent. Hinc quando eſt agendum aliquid, quid ad rem, ſi ſciam bellum gerendum, domum faciendam, ſuſcipiendum magnum iter, futuram ἔκλειψιν, hoc per apodixin ſcio; alius dicit ſe opinari, quod ad factum, quod ad πρᾶξιν, nihil intereſt, quod ad ſcientiam, intereſt. τῦτο, id eſt, ſupple τὸ θεωρεῖν τε πράττειν.

ἀλλ' ἐπεὶ διχῶς.] Omiſſa igitur diſtinctione opinionis & ſcientiæ, vt cuius in rerum cognitionibus, non vero in actionibus, de quibus hic agitur, ſit vſus: ſerio hic aduerſus Platonem docere orditur, quæ impotentis ſit vel ſcientia vel inſcientia. Cuius diſputationis ſumma eſt, impotentem facere impotenter, partim ſcientem, partim ignorantem: dici poſſe, eum nunc ſcientem, nunc ignorantem facere, diſſimili ratione, & adhibita diſtinctione ſcientiæ. Adfert igitur tres diſtinctiones Ariſtoteles. Prima, cuius & ſupra facta eſt mentio *lib. 6. cap. 10.* quod ſcire dicatur dupliciter, vel habitu, vel vſu. Scire namq; & is dicitur, qui etſi præditus ſcientia, ea tamen non vtatur, ſed vel quieſcat vel aliud quid agat, vt Muſicus non ſemper canit, neq; diſputat Dialecticus. qui vero ſcientia etiam vtitur, & hic ſcire dicitur, vt ſi medicus medicinam faciat. Ex his igitur ſi ſcientiæ habitu præditus, contra ſcientiam faciat, contra atq; præſcribat ſcientia, mirum non erit, ſed vt qui ſcientia vtitur, vtendo contra faciat, fieri non poteſt. Hoc enim agit, vt ſcientiam ad vſum accommodet. Ad eundem modum impotens ſcit, quæ recta, honeſta; quæ contraria: At cum eſt agendum, peccat, & ignorat, id eſt, habitu ſcientiæ eſt præditus, vſu ignorat. Itaque ratione habitus,

impo-

impotens ſcire dicendus eſt, ratione vſus non item. non ſecus atque dormiens, inquit Ariſtot. *in Magnis*, qui ſcientiam quidem habet, ſed interea non vtitur: eaq; ratione dormiens & ſcire & non ſcire dici poteſt, etſi exemplum de dormiente infra aliter accommodat Ariſtoteles.

ἔτι ἐπεὶ δύο.] Altera diſtinctio: Diximus ſupra *lib. 6. cap. 11. & 12. in fin.* ſyllogiſmum eſſe partim Theoreticum, partim practicum. conſtat item ex Analyticis, ſyllogiſmi ſumptiones duas, alteram eſſe vniuerſam, alteram ſingularem. Iam vero, inquit Ariſtoteles, nihil vetat, quo minus is, qui vtramque licet ſumptionem habeat, non tamen vtraq; vtatur, vniuerſa quidem, ſingulari non item, vt inquam is faciat & facere dicendus ſit contra ſcientiam. Formula ſit iſta:

> *Ex duabus ſyllogiſmi ſumptionibus, qui vtramq; quidem habet, ſingulari tamen non non vtitur, is aduerſus ſcientiam facere dici poteſt. nam vt recte Ariſt.* πρακτὰ γὰρ τὰ καθ' ἕκαστα, *i. actiones ſunt rerum ſingularum. Quare qui ſingulari ſumptione non vtitur, qui inquam aduerſus hanc facit, is in rebus agendis aduerſus ſcientiam facere dicitur.*
>
> *Atqui impotens aduerſus ſingularẽ facit q̃ non facienda. Ergo aduerſus ſcientiam facere dicendus eſt, quod negabat Plato.*

Semper conſideranda duo capita, propoſitio maior & minor. Eſt mihi potandũ, hoc eſt potus. Ergo hoc mihi bibendum: de ſingulari, ſeu de minore cõſtat. Sic verbi gratia, febre laboranti medicus ſcit lac non præbendum, nouit τὸ καθόλου ignorare tamen poteſt Theonem [hunc aut illum, ICti dicunt Titium] laborare febri, eiq; præberi lac. Scit medicus helleborum bili expurgandæ omnem eſſe perutilem, ſed hoc aut illud eſſe helleborũ ignorare poteſt, q͏̃ ſæpiſſime accidit, & hinc ruinæ ſæpe. Ad eundem modũ impotens omnia turpia nouit eſſe turpia, ſed hoc aut illud turpe eſſe, aut ẽt hoc aut illud fugiẽdum eſſe ignorare poteſt: quod tamen maxime ſciendum fuit, propterea quod in eo conſiſtat actio, quam conſtat eſſe rerum ſingularum. Sic Ariſtot. ipſe *in Magnis*.

διαφέρει δὲ καὶ τό.] Obſcurus locus, quẽ alii aliter accipiunt. videtur tamen hoc dicere Ariſt. τὸ καθόλου ſeu vniuerſum eſſe duplex, alterũ in ſe, alterũ in re. Eſt namq; vniuerſum quoddam, q͏̃ non in rebus, ſed in homine & eius intelligentia tan-

quam finibus contineatur, vt omnem helleborũ eſſe purgandæ bili vtilem, omnia turpia fugienda, parricidia puniẽda. Eſt alterum καθ᾽ ἕκαστα, q̃ in rebus ipſis cernitur, & rebus ſingulis definitur, atq; adeo nihil fere eſt aliud, quam ipſæ res ſingulæ, vt cum prioris generis eſt vniuerſum, omni homini vtilia eſſe ſicca: alterius generis ſunt, huic aut illi homini hoc vel illud eſſe vtile. Iam vero prius quidem ſcit impotẽs: poſterius non item; aut ſi ſcit, eo non vtitur. De hac vniuerſi partitione *in Analyt. lib. 2. prior. & 1. poſterio.* vbi Interpp. Summa eſt, impotentem ſcire vniuerſa, & rurſus neſcire illa quidem rebus non accommodata, id eſt, vere vniuerſa: hæc rebus applicata, quæ ſunt res ipſæ ſingulæ, & hoc eſt, quod modo dictum impotentem ſyllogiſmi practici propoſitionem maiorem quidem ſcire, aſſumptionẽ ignorare poſſe, quod idem aliis quoq; accidere docuimus. vnde agat neſciens prudenſq; impotens, nec ne, ad hanc quæſtionẽ facile his cognitis reſpondere poterimus, ἀμήχανον ὅσον. Elegans phraſis apud Græcos, *nimium quantum*, id eſt, quamplurimum Latini dicunt.

ἔτι τὸ ἔχειν.] Tertia diſtinctio ſeu poti⁹ primæ ſubdiſtinctio. nam in prima dictũ fuit ſcientiam partim habitu, partim vſu [quod Barbari dicunt actu] hic habitũ ſcientiæ ipſum diſtinguit. nam alium eſſe ſolutum & liberum, de quo in prima, alium conſtrictum & impeditum, verbi gratia, medendi ſcientia in Galeno eſt habitu quidem ſoluto, i. ad agendũ non impedito, in Galeno inquam vigilante, ſano & ſicco [vulgo dicunt ſobrio] in eodem dormiente ebrio & furioſo, eadẽ ſcientia eſt habitu impedito & conſtricto. Pro huius igitur diſcriminis ratione, vnus idemq; ſcientia præditus poteſt dici & negari. Ad eundẽ modum & impotens. nam & impotens corpore afficitur cupiditatibus & animo tanquam dormientis, ebrii & furioſi. Irati ſpumas, amantis pallorem & interdum furorẽ videre licet. Quare cum cupiditatũ quib. perturbatur impotens, eadẽ ſit vis quę vini, ſomni & furoris, recte dicimus impotentem, vt ebrium, &c. etſi habitu ſcientiæ præditum, conſtricto tamen & impedito eſſe ad agẽdum, & proinde impotentem, vt dormientem partim ſcire, partim ignorare.

τὸ δὲ λέγειν τοὺς λόγους.] Refellit breuiter contradictionem quandam, qua videri poſſit impotẽs ſcientia præditus. Sic. n. occurri poterat: videre licet, impotentes multos præclaras dicere ſententias de rebus honeſtis. Ergo ſcientia præditi videtur. nam

nam qui præclara loquitur, non ignarus eſſe videtur. Reſpondet Ariſt. loqui ſententias non eſſe ſatis idoneum ſcientiæ argumentũ. Tres affert ſimilitudines, quibus doceat, non eſſe id idoneum. Prima: nã multos, inquit, videre licet, iratos aut amantes, qui verſus Empedoclis grauiſſimi Poetæ & Phyſici (cuius verſus olim, vt & Euripidis videntur ẽt vulgo in ore fuiſſe) & apodixes ſeu dicta & argumenta loquantur, non intellecta tamen. Deinde pueros quoq; multa conglometare, ſed eadẽ non intellecta. nam oportet ea vt intelligantur adoleſcere, ꝙ cum ætate & tẽpore fieri debet. Tertiò, hiſtriones deniq; & ipſi multa pronunciant, nõ tamen ex animo, ſed ficte & ſimulate. Ad eundem modũ & impotentes, multa quidem illi interdum præclara loquuntur, ſed dant, vt ait poeta, ſine mente ſonum. Multa, inquit ſupra *lib. 6.* Ariſt. *cap. 8.* loquuntur & ſonant adoleſcentes præclara, ſed ſine fructu, quia non credunt. quemadmodũ & ſupra *lib. 1. cap. 3.* eſt explicatũ, vbi diximus nullã abſq; fide & perſuaſione poſſe eſſe ſciẽtiam. Impotentis igitur quia nõ eſt perſuaſio: Ergo nec ſciẽtia veri.

ἔτι κ) ὧδε φυσικῶς.] Sententia Platonis, eiuſque concluſio hæc erat:

Nemo ſcientia praditus cõtra eam facit. Ergo nec impotẽs.

Verum Ariſt. antecedẽs refellit, adhuc duabus potiſſimum rationibus analyticis. nam illa, cum de ſcientię habitu & vſu, tũ de ſumptionibus vniuerſa & ſingulari analytica ſeu Dialectica eſſe videntur. Hoc aũt loco Phyſice idẽ refellit, & docet, quemadmodum impotens contra cõſcientiam ſeu ſcientiam faciat, tamen impotenter phyſice inquam: Nã animum hominis hoc loco pertractat penitus, eiuſq; partes, ratio & cupiditas, quemadmodum in impotente cõfligant, luculẽter oſtendit. Sic accipiendũ puto verbum φυσικῶς, ꝙ confirmat verbum *infra in fi. cap.* τ̃ φυσιολόγων, quicquid dicant alii. Eſt igitur hæc tractatio phyſica, quatenus animæ partium conflictũ attingit, ad mores tamen, vtpote ad actiones impotentium accõmodata, adminiculo ẽt prioris Analyticæ diſputationis. Eſt aũt inſignis hic locus de pugna partium animæ, rationis & cupiditatum inter ſe, quam, vt ſupra initio dictum, Plato quadrigis, vt cupiditatibus in diuerſum nitentibus, & aurigæ tanquam rationi comparare ſolet. nam vt poeta:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Vt, inquam, ibi poeta, ita & impotentẽ auferunt cupiditates,

nequicquã reclamãte ratione. Alii, vt eſt apud Plutarch. nauicam cõparare ſolent, cui moderetur quidem gubernator tanquam ratio, ſed vndiq; ſæuiant fluctus, & venti tanq̃ cupiditates. Exempla ſint in Hercule, de vitæ inſtituto deliberante, quem alio virtus ſeu ratio, alio alliceret voluptas, vt eſt apud Xenoph. *lib.2. memorabil.&c.* & Cic. *lib.2. Offic.* & apud Homer. in Achil. *lib.1. Iliad.* quem æſtuantem ira quidem ad vindictam & pœnas de Agamemnone capiendas, incitabat, ſed preſſit Minerua tanquam ratio, hoc eſt, Dea rationis.

ἡ μὲ γὰρ καθόλε.] Explicaturus pugnã partiũ animi, ex qua & cauſa cernatur, cur & quemadmodũ cõtra ſcientiã, rectamq; rationem agat impotens: prius adfert nõ de impotente, ſed de vniuerſo genere, quemadmodũ omniũ animi vel ad cognoſcendũ, vel ad agendum impellantur. Duæ igitur ſunt opiniones, quibus vel ad cognoſcendũ, vel ad agendũ ſit opus (ſumptiones vocantur in *Analyt.*) cõmunis vna, ſingularis altera. Huius, vt & omniũ rerũ ſingularũ domina eſt vis ſentiendi, illius ratio & mens ipſa. His aũt duabus copulatis, & in vnum concurrentib. i. ex harũ coniunctione duarũ, continuo exiſtit cõplexio, *τὸ συμπέρασμα*, i. vel cognitio vel actio In Theoreticis quidẽ cognitio, in aliis actio & affectio, v. g. ſi ſecũ qui cogitarit, omnẽ hominẽ eſſe animal, & Cicer eſſe hominem, continuo exiſtit cognitio, & ſcit ille, qui hoc cogitarit, Cicer. quoq; eſſe animal. Sic in practicis, qui cogitarit, omne dulce guſtandũ, & hoc vel illud eſſe dulce: cõtinuo guſtare cupit, i. ad actionẽ ſe confert. Quo mihi ſit opus, eſt efficiendũ, veſte eſt opus, Ergo efficienda: Eſt potandum: hoc, inquit ſenſus, eſt potus. Ergo hauriendus. Omni homini eſt eundum: ſe aũt quia hominẽ quoq; eſſe norit, ſtatim ad eundũ ſe confert. Ex quibus perſpicuũ eſt, concurrẽtibus duabus opinionibus, cõtinuo exiſtere cognitionẽ vel actionem, ſiquidẽ nihil ſit impedimento. nam vt actiones fiant, duo ſunt neceſſaria, inquit Ariſt. *in lib. de ſe...ſu animant.* vbi de his duabus ſumptionibus copioſe & pulcre, bonũ & poſſibile. nemo .n. mala aut *ἀδύνατα* niſi ſtultus ſuſcipere velit; [aut ẽt improbus, ſed ille putat bona eſſe] & hoc eſt, quod ait, *ἀνάγκη τὸ δυνάμενον.*

ἐν δὲ ταῖς ποιητικαῖς.] Hoc verbo Ariſt. interdum cõplectitur artes, tam quæ in agendo, q̃ quæ in efficiẽdo verſantur, vt & *hoc loco, & in Eudem. lib.1. cap.5. in pr.* vbi Medicinã & Politicã, vocat ſcientias *ποιητικάς.* nam ſciẽtias facit vel *θεωρητικάς*,

vel

vel ποιητικὰς, cõmunius, vt dixi, accepto hoc vocabulo. Sic *in Metaph. lib. 1. cap. 3.* ſapientiam [Metapyſicam primam philoſophiam, Theologiam] oſtendit eſſe ſcientiam non ποιητικὴν, ſed θεωρητικὴν. Et in eo *lib. de ſenſu animant.* hac ipſa de reharũ ſumptiones vocat ποιητικάς. Sic & Plato *in Politico* ſcientias partitur in θεωρητικὰς & ποιητικὰς, vbi Politicam in τῶν ποιητικῶν numero eſſe ait. Perperam igitur hoc loco pro ταῖς ποιητικαῖς quidam ſupponunt ταῖς πρακτικαῖς [καθόλου ſupple δόξα, ἐνῇ inſit, αὕτη δ' ἐνεργεῖ, & hæc eſt, quæ agit. ἐπιθυμία cupiditas. ἄγει trahit.]

ὅταν οὖν ἡ μ.] Hoc tandem loco pugna cupiditatũ & rationis explicatur, & quæ modo communiter, hic proprie ad impotentẽ accõmodantur. Ponatur igitur opinio vniuerſa: nullum dulce eſſe guſtandũ ex recta ratione. ponatur & altera: omne dulce eſſe iucundum. Vtramque nouit impotens. Verum neutra ad agendũ eſt idonea, etiam ſingulari eſt opus ſit igitur iſta: hoc autem eſt dulce. hic iam confligunt ratio & cupiditates. nam ratio, cuius vniuerſa opinio fuerat, nullũ dulce guſtandum, ſuadet & hoc non guſtandum, ſed fugiẽdum: At cupiditas cõtra, quia omnia iucunda perſequenda conſtituit, hoc autem dulce iucundum eſſe ſentiat, continuo id quoque perſequendum eſſe ſuadet. Impotens igitur nouit quidẽ nullas turpes voluptates eſſe perſequẽdas, ſed ad agendum cum accedere debet, minorẽ propoſitionẽ non admittit ſuadente cupiditate, & proinde aliã quoq; maiorẽ facit, hunc in modũ:

Omnes voluptates ſunt iucunda. At tali muliere potiri iucundum. Ergo potiendum.

Actiones in rebus ſingularibus, ἡ μὲν οὖν λέγει, ratio non vetat φεύγειν fugere τοῦτο minorem propoſitionem.

κινεῖν γὰρ ἕκαστον.] Obſcurius, videtur tamen ratio adferri, eius quod dictum, ἄγει: id eſt, eius quod dictum cupiditatem trahere tanquam mancipiũ, vt ſupr. & ducere rationem. nam inquit, mouere [cuius pars eſt trahere, ἄγειν] vnamquamque partem ſcilicet animæ, i. rationem etiam, atq; adeo corporis ẽt partes, ad eundum puta, aut faciendum quid, poteſt ſcilicet cupiditas, quaſi diceret, non mirũ eſt à cupiditate rapi & incitari rationẽ, vt à qua omnes animi & corporis partes incitentur, & moueantur. Alluſit autem Ariſt. ad motus animãtium cauſas, quas duas eſſe ait & oſtendit, rationẽ & appetitionem ſeu cupiditatẽ, *in lib. de motu animant.* vbi & diximus, multa,

quæ huc faciunt, afferuntur. nam quod quidam verbũ ἕκαστον recti caſus eſſe aiunt, atq; id dici ab Ariſt. quod vnaquæque pars animi ſcilicet moueat hominem & incitet, verum nõ videtur. nam pars vegetatrix non mouet, ſed ſenſus, ratio, cupiditas προαίρεσις, id eſt, ratio & appetitio. nam ſenſus ad appetitum pertinet, ὑπὸ λόγου cum ratione, καθ' αὑτὴν, non per ſe, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός, ſed ex euentu.

ὡς συμβαίνει.] Et hoc obſcurũ, maleq; vulgo acceptum: Dictum ſupra, impotentem in ſingulari potiſſimum opinione ſpectari: eam illum licet malam ſequi, ex quo efficitur impotentem quodammodo peccare cum ratione, ſingulari inquam, non vniuerſa, vt vulgo, quod diſerte Ariſt. infra extremo capite, οὐ γὰρ τοῦ κυρίως, &c. Accidit igitur contra, quam Plato exiſtimarit, poſſe aliquem cum, ſeu ex ratione peccare aliquo modo, id quod mox explicabitur.

οὐκ ἐναντίας δὲ καθ'.] Dictum impotentẽ quæ faciat, facere cũ ratione, ſequentem inquam rationem ſingularem. Cõſtat tamen & hoc, facere eũ & contra rationem, vniuerſam vtiq;. An ergo, inquiet aliquis, ratio ſibi ipſa repugnat, præſertim in eodem homine cõtra naturam contrariorũ. Ariſt. igitur huic quæſtioni occurrens, rationẽ quidem rationi non repugnare ait per ſe, ſed ex euentu, nempe, quia accidit vt cupiditas aſſit & cõcurrat cum opinione ſingulari ſeu ratione, eamq; ſecum trahat, & quodammodo vniuerſæ repugnare cogat. Singularis igitur opinio, i. ratio, vniuerſæ non repugnat per ſe, ſed ex euentu, i. ob cupiditatis concurſum, atq; ita cupiditas potius eſt quam opinio ſeu ratio ſingularis per ſe conſiderata, quæ vniuerſæ & rectæ rationi repugnet. [Nullũ .n. turpe perſequẽdum: Adulterium turpe. Ergo non, &c. Sic recta ratio argumentatur. Impotens etiam ſic argumentatur: Fac minorem, illi non talem faciunt, ſed faciunt, Adulterium eſt dulce, quatuor termini. In mente facit aliam maiorẽ: omnia dulcia perſequenda. Minor propoſitio quam facit impotens. Ratio, ſeu minor per ſe conſiderata, non repugnaret maiori, ſed cupiditas venit perturbans rectum ſyllogiſmum, & conſtituit loco recti alium. Singularis propoſitio & minor non ſubſumuntur à ratione. Cupiditas ſubſtituit falſam ſeu alienam minorem propoſitionem. Ipſa cupiditas in ipſa eſt cauſa, vt ipſa ratio in minore peccet, & repugnet priori. Vulgo dicũt, duæ ſunt maiores propoſitiones. Nullum turpe perſequẽdum, &c. omnia

dulcia

Digitized by Google

dulcia perſequenda. &c. illi nō repugnant inter ſe, de illa pugna nō agitur; ſed de pugna minoris, hoc eſt, cupiditatis, non de duarū propoſitionum pugna agitur, ſed de maioris ex recta ratione, & minoris ex cupiditate: cæterum accuratior de repugnantia ſcientiæ & rationis inter ſe [Interpretes prætereunt omnia] explicatio videatur apud Ariſt *lib. 2. prior. Analyt. ca. 21.* vbi multa ad hunc locum accōmodata. Hinc omnis ſciētia vel habitu, vel vſu. Hæc diuiſio ibi quoq; affertur: ſcientia quæ eſt vſu interdum repugnat ſcientiæ, quæ eſt habitu. Habitus ſcientiæ repugnat cum actu. Vno verbo magnam & longam diſputationem attingit Ariſtot. ſæpe. De his, quæ hic tractantur, altum apud ſcriptores ſilentium.

ὥστε καὶ διὰ τοῦτο.] Quod dictū impotentem vniuerſam ſumptionem ſeu opinionem habere, id à beluis ex contrario hic cōfirmat. Nam quia beluæ rerum tantum ſingularum notitiam, id eſt, ſenſum ſeu phantaſiam & memoriam, quæ rerū ſunt ſingularum, non vniuerſarum, habent: ea re vulgo impotentes dici non ſolent, niſi forte tralatione quadam per metaphoram vt ventum quoq; impotentem dicit Horatius. Formula:

Impotens ſcientiam habet vniuerſam.
At beluæ non habent.
Ergo non ſunt impotentes.

πῶς δὲ λύεται] Ex prioribus perſpicuum eſt, impotentem partim ſcientia, partim ignorantia peccare: ſcientem quidem vniuerſam opinionem, ignorantiam ſingularis. Ex quo & hoc perſpicuum, quæ in impotente ignorantiæ ſit ratio & modus, de quo quærendum monuerat *ſupra initio capit. 2.* εἰ δὴ ἄγνοιαν. Perſpicuum denique & hoc ignorantiæ eius cauſam eſſe cupiditatem. Iam vero ea quomodo pellatur, & ſcientiam plane recuperet impotens, hoc loco non tam explicat Ariſtoteles, quam indicat: eadem id fieri ratione, qua vel ebrius, vel dormiens ad ſe redeunt: quam enim impotentis, eam & horum eſſe rationem, vnam eandemque omnium communem, non vero huius affectionis, id eſt, impotentiæ propriam: verum quia ea ratio ad phyſicum potius pertinet, hic eam in rebus politicis attigiſſe ſatis fuit, ſic & infra *libro octauo initio, & alibi. In Magnis* tamen breuiter explicat. Vt enim, inquit, ebrii ſimul ebrietate liberati fuerint, rurſus iidem ſunt, qui ante, neque enim ratio plane iis

exciderat aut ſcientia; ſed vino oppreſſa quaſi fuerat & ſepulta. Sic & impotens, in quo ratio ceſſarit, & quaſi ſopita fuerit, non extincta, cupiditate dominante, ea tandem liberatus & ſolutus tanquam ab ebrietate, idem fit, qui ante, id eſt, ſciens prudenſque.

ὁ αὐτὸς λόγος.] Elegans dicendi genus Ariſtoteli vſitatiſſimum, eique contrarium ἕτερος λόγος, id eſt, nihil ad rem, hoc non huc pertinet, vt quod Plato de Ideis *in Politicis* diſputat, ἕτερος λόγος. Iam Ariſtoteles conatur ſuam & Platonis opinionem cõciliare. Tanquam enim aſtutiſſimus & callidiſſimus diſputator repræhenſis aliorum opinionibus primum, poſt conatur quantum poteſt, eas cum ſuis conciliare, quod in multis locis & ſæpe hic facit.

ἐπεὶ δὲ ἡ τελευταία.] Hæc verba vſque ad illa, περὶ μὲν οὖν τοῦ, &c. eodem pertinere mihi videntur. Ariſtot. quia ab aliis, quod ſæpe tamen factitat, diſſentire eſt odioſum, callidum quoddam eſt inſtitutũ, oppugnare quidem aliorum primum ſẽtẽtias & refellere, tandem tamen eas lenire, & cũ ſua quodammodo cõciliare. Sic & hoc loco de Platone, cuius etſi ſententiam adhuc oppugnauit, tamen non abſurdam, ſi cõmode accipiatur, videri poſſe oſtendit. Iterat autem initio ea, quæ ſupra, poſteriorem ſumptionem ſeu opinionẽ propoſitionem & terminum rerum eſſe ſub ſenſum cadentium, quarum, vt ſupra, dominus & arbiter ſit ſenſus: eamq; eſſe actionũ dominam & principem. Hanc deniq; impotentem aut non habere aut certe non vti, ſed ſonare potius, vt qui verſus Empedoclis aut Euripidis, ebrii & furioſi iactare ſolent. His iteratis, adiungit, quod propius ad rem facit, extremũ terminum, id eſt, poſteriorem ſumptionem non eſſe generalem, eaque propter non eſſe ad ſcientiam accommodatam. nam vt ſupra alicubi, & infra *lib. 10. cap. vlt.* Scientia eſt rerũ vniuerſarum, non ſingularium. nam vt eleganter Ariſtot. *lib. 1. Rhet & Metaphyſ. lib β.* τὸ δὲ καθ' ἕκαστον ἄπειρον καὶ οὐκ ἐπιστητόν. His igitur ita præmiſſis, quorum ſumma eſt, impotentis errorem cerni non tam in vniuerſo genere, cuius tamen propria eſt ſcientia, quam in rebus ſingulis. Ergo, inquit, effici videtur, quod voluit Socrates, impotentem non facere contra ſcientiam, vt nec quenquam alium. Formula pro Socrate ſit ipſa:

Impotens non tam contra vniuerſam, quam contra ſingularem facit ſumptionem (ea namque eſt, quæ torquetur

quetur cupiditatibus, non vniuerſa, vt ſupra explicatum, & hic iteratur.)

Ergo contra ſcientiam facere non videtur.

Connexi ratio, quod ſcientia ſit vniuerſi generis, non rerum ſingularum ſub ſenſum cadentium.

ὡς οὐκ ὢν τὸ ἔχειν.] Legendum puto *ἦν ἐν τῷ ἔχειν.* Ita namque vetus interpres & ſententia perſpicue id poſtulat: habet, inquit, impotens minorem ſumptionem, ſed quaſi in habendo, *ἐν τῷ ἔχειν οὐκ ἦν ἐπίστασθαι*, non ſit poſitum ſcire, id eſt, habet, tanquam non haberet, quia non vtatur. De ſimilibus mendis ſupra diximus initio libri huius, *ζῷον ἀνὴρ φάσιν οὕτω*, &c.

οὐ γὰρ τῆς κυρίας.] Scholiaſtes Græcus *κυρίας* etiam legi monet, & vtrumque approbat, non recte. nam repugnant libri veteres omnes & vetus translatio & ſententia. neq; enim ſcientia recte dicatur partim propria, partim non propria: hoc tantum vult Ariſtoteles in ſumptione generali proprie eſſe ſcientiam, in ea, quæ ſub ſenſum, non item.

περὶ μὲν οὖν.] Tria fere explicanda ſuſceperat, de quibus *initio huius capitis*: hæc igitur de primo, etſi de eo nonnulla etiam infra *cap. 10. &c.*

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Πότερον δ' ἐστί τις ἁπλῶς.] Quod alterum erat caput de materia harum affectionum, hic pleniſſime orditur explicare. Et hoc quidem cap. docet nihil aliud quam impotētiam proprie in iiſdem cum intemperantia voluptatibus: tralate autem ſeu improprie etiam in aliis. qua quidem explicatione diſſoluitur ſexta quæſtio, & ſextum explicatur dictum.

πότερον δ' ἐστί τις.] Iterat quæſtionem, de qua ſupra. An impotentia quædam reperiatur certo nomine, an vero nulla ſit, quæ proprie dicatur impotentia, ſed nomen ſit commune, impotentium variis in rebus, quam, vt dixi, quæſtionem diſſoluit explicatione materiæ. Sumit autē initio generalis impotentiæ materiam eſſe voluptates & moleſtias, item continentiæ & his affinium patientiæ, tolerantiæ & mollitiei. Sumit inquam id, vt certum & vulgo notum, etſi infra rationibus idem confirmat, cum, quia vulgo impotens & intempe-

rans pro eodem habeatur. Conſtat autem intemperantem ob voluptates dici, tum, quia notiſſimum ſit vulgo mollitiem, qua cum cognatio eſt maxima impotentiæ ob voluptates & moleſtias dici.

ἐπεὶ δὲ ἐστὶ τὰ μὲν.] Quia iam conſtat, voluptates & moleſtias, impotentiæ eſſe materiam ſeu ſtratum, illarum diuiſione verum exquirit, & quæſtionem diſſoluit. Voluptates igitur partim ſunt neceſſariæ, quæ & corporis, partim non neceſſariæ, vtiles tamē & ſuapte natura expetēdæ. Illius generis ſunt potionum, eſcarum, & venereæ, frictionū, ad ſummam, quæ vel tactu vel guſtatu percipiuntur: huius generis ſunt copiæ, diuitiæ, opes (nō idem copiæ & opes, vt vulgo) honos, victoria, liberi, amici, & reliqua fortunæ bona. Quid ergo inquiet aliquis de bonis ſeu virtutibus animi? Certe ea huc non pertinent: nam tametſi & illa propter ſe ſint expetenda, quia tamen in iis nimium non reperitur, & proinde, neque peccatum, neque vitium (quorum alterutrum hic eſt neceſſarium, vt mox patebit) ea re voluptate bonorum animi hic non vtimur, atque ſic nihil ad rem. Et hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, *ἔχοντα δὲ ὑπερβολήν.* nam virtutes ſunt quidem illæ *αἱρεταὶ καθ' αὑτὰς οὐκ ἔχουσι δ' ὑπερβολήν.* Qua de re extat pulcherrima diſputatio; An inquam virtutum ſit ὑπερβολή: An virtutes, vt alia fortunæ bona, quo auctiores & maiores, eo magis noceant. Sic diuitiæ quo maiores, eo magis pernitioſæ; & an prudentia, quo maior, eo magis pernitioſa, vt eſt apud Ariſtotelem *libro ſecundo Magn. capite 3. in fine*, *ἁπλῶς δὲ οὐ* non proprie & ſimpliciter, *προσθέντες*, ſed cum adiunctione.

τοὺς μὲν οὖν πρὸς ταῦτα.] Expoſita voluptatum ſeu rerum voluptatis efficientium partitione: eam iam hic accommodat ad rem, hoc eſt, ad quæſtionem, An impotentia ſit vlla propria, & quibus in rebus verſetur, ſi ſit. Ait igitur, eos qui in voluptatibus non neceſſariis rectæ modum rationis ſuperant non dici vulgo impotentes ſimpliciter & abſolute (Cicero ſic loquitur *libro ſecundo veterum Rhet. in fine.* Ariſtoteles ſemper dicit *ἁπλῶς*) ſed cum adiunctione, *κατὰ τὴν πρόσθεσιν*, hunc in modum impotentes, iræ, lucri, gloriæ, honoris, pecuniæ, &c. id eſt, animi impotentes *θυμοῦ*: vtpote alios ab iis, qui ſimpliciter impotentes dicantur, vt potius ſimilitudine quadam ſeu tralatione, quam vere & proprie,

non

non ſecus atque olim pugil fuit celebris, cui nomen hominis commune alioqui, tanquam proprium fuerit. nam vt hic ſimpliciter & proprie nomen nullum habuit ſuum (neque enim Titius aut Caius dictus fuit, ſed homo) ita & in voluptatibus non neceſſariis, qui modum ſuperat, nullum eſt ſuum peccati nomen, ſed mutuo ſumptum impotentiæ, ab iis voluptatibus, quibus id proprie vulgo attribui ſolet. De hoc autem Olympionice (raro aliquid reperitur de iſto, vocabatur ἄνθρωπος) ἀνθρώπῳ meminit præter Michaëlem Epheſium, Scholiaſtes Græcus *initio lib. 5. Ethicorum* [illius non magna auctoritas, Græcus recens interpres valde indoctus] Alexander *in librum primum Top. Ariſtotelis*, vbi hunc pugilem vocat, & huius loci meminit: σημεῖον δὲ, *argumento autem ſit.*

σημεῖον δὲ ἡ μὲν.] Signo docet, quod modo dictum, ſuperantes in voluptatibus non neceſſariis modum, ſimpliciter non eſſe impotentes, etſi ex communi loquendi vſu, quem ſubobſcure indicat Ariſtoteles verbo λέγομεν, hic quoque iam perſpici potuit (quando enim quis in voluptatibus corporis ſe continere non poteſt, hunc ἁπλῶς dicemus impotentem vel incontinentem nulla particula adiuncta.) Ratio tamen hæc eſt, quia impotens vituperatur non ſolum, tanquam peccaſſet duntaxat, ſed etiam tanquam vitioſus (inter quæ duo quid interſit ſupra *lib.* 3. & 4. aliquoties eſt explicatum) his autem in voluptatibus non neceſſariis modum ſuperans, non item. Formula:

> *Omnis vera impotentia vituperari tanquam vitium ſolet.*
>
> *At harum rerum* [*ſcilicet voluptatum non neceſſariarum*] *impotentia vituperari ita non ſolet.*
>
> *Ergo non eſt vera impotentia.*

De propoſitione infra explicabimus late *capite 8.* Hinc an impotentia vera proprie dicta ſit vitium & vituperabile; An peccatum, cui ignoſci & venia dari poſſit. De aſſumptione infra hoc capite. Debuiſſet meo iudicio clarius confirmationem aſſumptioni coniungere: tanta enim perturbatio interdum, niſi quis bene intelligat, non videbit analyſin. pono: omnis κακία, omne vitium vel eſt commune & totum, vel pars vitii; An impotentia ſit vitium generis

generis loco, an tantum ſpecies vitii, an pars vitii: hoc certum eſt, ſiue genus ſiue pars ſit, eſſe vitium quoddam. atqui impotentia in rebus non neceſſariis non eſt vitium, iam ſubiungit.

τῶν δὲ περὶ ἡδ.] Ex iis autem, qui in corporis voluptatibus (in quibus & verſatur temperans & intemperans) ex iis ille, qui non conſilio certo perſequitur, quæ nimia ſunt in rebus tamen natura iucundis, aut fugiens moleſta, famem, ſitim & frigus, & in omnibus, in quibus tactus & guſtatus, ſed tamen non certo conſilio aut mente, ille demum dicitur ἀκρατὴς, nō cum adiunctione, quod ſit in hac aut in illa re, vt dicimus hominem impotentem iræ, ſed dicitur impotens ἁπλῶς.

τῶν δὲ περὶ ἡδ.] De impotentibus cum adiunctione breuiter adhuc, nunc de proprie impotentibus. Eos igitur in corporis voluptatibus, quæ guſtatu vel tactu capiuntur (in quibus & temperantes & intemperantes, aliter tamen quam impotentes; hi namque abſque προαιρέσεως, illi cum προαιρέσει) verſari, docere primo videtur hoc ſigno, quod molles in iiſdem verſentur. nam cum mollibus ſumma eſt impotentibus cognatio, qua de re infra *cap* 7. Vt igitur molles, ita & impotentes in corporis voluptatibus verſari dicendi ſunt. Hoc igitur vnum ſignum Ariſtoteles primo videtur afferre. Penitus tamen [in receſſu dicunt vulgo] intuenti, & hæ duæ præterea rationes allatæ mihi hic videntur. Altera à loquendi vſu, quod vulgo in voluptatibus corporis abſque προαιρέσεως peccantes, impotentes dicere ſoleamus: altera quod temperans & intemperans in iiſdem verſentur, cum quo intemperante ſumma impotenti eſt cognatio, adeo vt pro eodem ſæpe ſumantur, & hoc eſt, quod ait, καὶ διὰ τοῦτο, quorum verborum hæc quidem vis eſt proprie, quia impotentes in voluptatibus corporis, & in iiſdem & intemperantes verſari iam conſtat. non abſurde igitur vulgo ea nomina confundere ſolent: Inuerti tamen eorum vis poteſt hunc in modum, quia confunduntur, id argumento quoque eſſe poteſt in iiſdem eos verſari rebus.

εἰσὶ μὲ περὶ ταῦτα.] Rectius alii, περὶ ταυτά. nam de intemperante & impotente loquitur, eos in iiſdem verſari, quemadmodum & ſupra *libro quinto* alicubi, peccatum monuimus.

διὸ μᾶλλον ἀκόλαστον.] Adiungit Ariſtot. expoſito intemperantem

rantem & impotentem in materia conuenire, quibus tamen in rebus diſſentiant. nam vt iam dictum, intemperantem peccare iudicio & proæreſi, impotentem non item. Ex qua diſſimilitudine & hæc altera exiſtit, impotentem cupiditatibus ſcindi, & rapi: intemperantem vero vacare omnibus cupiditatibus, aut certe leuibus teneri, quod infra *lib. hoc cap. 9.* late explicabitur, vbi hac de re docet Ariſtoteles impotente multo deteriorem eſſe intemperantem, qui nullis licet inſtinctus cupiditatibus, tamen turpes voluptates perſequatur. Quid enim, inquit hoc loco & illo Ariſtoteles, hic faceret, ſi cum nullis cupiditatibus inflammatus, tamen turpia perſequitur, quid inquam, de hoc fieret, ſi cupiditates inſuper accederent iuueniles, id eſt, ardentes ſeu acerrimæ. Eadem eſt & dolorum ſeu moleſtiarum ratio.

ἐπὶ τῶν ἐπιθυμιῶν.] Hoc loco aſſumptionem, de qua ſupra explicat & confirmat, ea erat, bona fortunæ ſuapte natura non vituperari, & ſic ea re impotentiam non proprie cadere in illa. Rationem affert hanc [eſt quidem longa diſputatio, ſed vis in tribus verbis conſiſtit] quia natura per ſe ſint expetenda. [Quicquid enim natura bonum, non vituperandum. At hæc bona & per ſe expetenda. Ergo, &c.] ibi, ὅτι φύσει τῶν αἱ-ρετῶν, &c. quam tamen aſſumptionem, vt planius explicet, voluptatum partitionem, de qua initio huius capitis hic iterat, quæ tamen eo loco bipartita, hic eſt tripartita, nam voluptates partim natura expetendas eſſe, partim contra naturam eſſe; partim denique medias quaſdam & interiectas. Primo genere continentur, quas ſupra neceſſarias dixit; altero, quas infra beluinas & ferinas vocabit capite proximo: tertio denique in genere ſunt, quæ non neceſſariæ quidem illæ, ſed tamen natura expetendæ, & hac re cum primis conueniunt, & de hoc extremo duntaxat genere eſt explicandum, vt in quo aſſumptio verſetur. Ait igitur ex huius generis voluptatibus, quod vel iis afficiatur, vel expetat & ſequatur, neminem vituperari, ſed quod certo quodam modo eas perſequatur, id eſt, quod nimia earum perſequatur ſeu καθ' ὑπερβολάς. Vt bi gratia, honores ſectari, turpe non eſt, aut vitio dandum: ſed ambitioſe eos ſectari eſt turpe. parentes aut liberos amare, etiam laudabile eſt: ſed ſtulte aut nimia cum indulgentia, vitioſum eſt, vt Niobes in ſuos liberos ſtultus fuit amor, & Satyri cognomento Philopatoris in parentem. De Niobe notum eſt

ex Poë-

ex Poëtis. De Satyro ſcribit Scholiaſtes Græcus eum, quia patre conciliante puella adamata eſſet potius, tantopere patrem ea re amaſſe, vt ad mortui tumulum, multis primum profuſis lachrymis tandem ſe præcipitem dederit. Hæc ille, neſcio qua fide. nam Ariſtoteles (eſt Scholiaſtes Græcus, cui nihil fere tribuo, nam indoctiſſimus eſt. In hũc & proximum librum ad finem nihil eſt in Scholiis, quod fere ſit lectu dignum, quam id, quod in priores tres libros ſcriptum eſt) ſubindicat ſtultum quendam huius Satyri in patrem fuiſſe amorem, & multa ſtulte ea re in communi vita factitaſſe (ἀδέσποτα enim ſemper commemorat Scholiaſtes, nullum affert auctorem.) Itaque in his bonis nullum proprie & ſua vi ineſt vitium, ſed ex abuſu, eaque re nemo ex iis eſt vituperandus, ſola nimia in iis ſunt mala, reprehendenda & fugienda. At impotentiæ alia eſt ratio, quæ vel ipſo nomine vitii quid continet, ſuaque vi eſt vituperanda, & ex rebus vituperatione dignis. Ex his igitur impotens proprie nemo dicatur, propria inquam. nam ſimilitudine quadam & tralatione in his nimia ſectantes, impotentes quoque dici ſolent, non abſolute, ſed cum adiunctione. Quemadmodum malus hiſtrio aut medicus quis dici poteſt, qui tamen abſolute non ſit malus aut improbus: Næuius & Suffenus ille mali fuerunt poëtæ, per ſe tamen fortaſſe mali non fuerunt. Mali fuerunt Philoſophi Epicuræi, viri tamen plærumque optimi, teſte Cicerone *libro tertio officiorum, & alibi multis in locis, &c.*

CAPVT V.

COMMENTARII.

Etiam hic de materia impotentiæ & continentiæ: pro cuius diſcrimine & aliam impotentiæ diſtinctionem adfert, partim eam eſſe abſolutam & propriam, partim beluinam ſeu ferinam, partim denique ex morbo & conſuetudine immanem. nam hoc capite nihil fere aliud, quam de ea affectione, quæ initio libri feritas ſeu immanitas dicta eſt, explicatur.

ἐπεὶ δὲ ἐστιν ἔνια.] Iucunda ſeu voluptates partim ſunt natura (quas capite proximo φυσικὰς vocat) partim contra naturam. Illæ vel ſunt abſolute, vel comparate: Illius generis ſunt

ſunt verbi gratia, dulcia, quæ omnibus omnino animantibus ſunt iucunda: comparatę ſunt pro generibus hominum aut beluarum. Verbi gratia, oleaſter capris eſt tanquam Ambroſia, inquit Lucretius, homini res amariſſima, fugit Amaracenum ſus, homini iucundiſſimum, ſed contra cœnum ſui res iucunda, homini teterrima, inquit idem Poëta *lib.6.* Afri & plæræque ad orientem gentes odoribus mirifice delectantur [inſaniunt ita odoribus; niſi exportarentur, ſe ipſos petimerent odoribus. Hiſpani imitantur aliquo modo. Aphri habent hanc naturalem voluptatem] ad Septentrionem non item. [non poſſunt bibere, quin ſemper infundant odorem] Præter naturam autem voluptates item facit bipartitas, vel θηριώδεις, ferinas & beluinas, vt νοσηματώδεις, ex morbo. nam quæ ex conſuetudine etiam huc pertinent, quod mala conſuetudo tanquam morbus ſit quidam, ne quis hoc genus tripartitum putet, quod faciunt plærique contra Ariſtotelem, cum hoc capite, tamen infra *capite proximo*, αὐτῶν δὲ τούτων τὰς διαφορὰς, &c. Ad ſummam, tria voluptatum ſunt genera; naturales, quæ & humanæ, beluinæ ſeu ferinæ, & morboſæ, ſeu quæ ex morbo.

ἐπὶ καὶ περὶ τούτων.] His voluptatum generibus iam diſtinctis ſuos cuique accommodat habitus. De primo genere perpauca: de reliquis duobus, quæ vno immanitatis genere contineri poſſunt, latius explicatur. Pontanus præclarum *de immanitate* librum edidit, eamque ponit vel in nimia crudelitate, à qua tamen differt (nam immanis ſuppliciis & crudelitatibus delectatur, crudelis non item) vel in rei venereæ, etiam cibariæ voluptate beluina. Vtriuſque generis plurima affert ille exempla. Ariſtoteles aliter. nam immanitatem vel vocat ferinam, quæ proprie eſt immanitas, vel morboſam. Itaq; Ariſtoteles non tam materiæ, vt Pontanus, quam originis & cauſæ efficientis rationem habuit. Immanitatis namq; cauſa, vel eſt natura deprauata, vel morbus grauior, vel deniq; conſuetudo. De beluina, cuius cauſa deprauata natura, vbi homo hominem exuit, exempla afferuntur hic tria. Primum eſt de muliere quadam, quæ grauidarum aluo exſecta, infantes ſanguinolentos deuorare ſit ſolita, Lamiam in Ponto fuiſſe ait Græcus Scholiaſtes [neſcio qua fide.] Alterum eſt de Barbaris, qui vel crudis veſcantur cibis, vt beluæ, vel etiam humanis carnibus, vel denique qui ad epulas liberos ſuos inter ſe

com-

commutarint, quod genus Ariſtoteles hoc loco in Ponto fuiſſe ait, nempe Achæos & Heniochos [iſtum locum reperi] quos *ἀνθρωποφάγους* fuiſſe, narrat idem Ariſtotel. *lib. 8. Polit. cap. 4.* Celebris eſt & Æthiopum & aliarum quarundam gentium *ἀνθρωποφαγία* Tertium exemplum de Phalari Tyranno, quem narrat Scholiaſtes Græcus, ſuum commeſſe filium: puto potius Ariſtotelem ad immanem huius Tyranni crudelitatem & naturæ repugnantem (hinc Phalariſmus apud Ciceronem *ad Atticum*, & *Phalarica imperia* prouerbium) ſpectaſſe. Eodem referri poſſunt immanes Semiramidis, Tyberii, Caligulæ, Heliogabali, Commodi, aliorumque libidines, quæ ſunt horrendæ, de quibus Suetonius & alii, ſed tacendæ potius. Et hæc quidem de altero genere. Tertium eſt de voluptatibus item immanibus, ſed quarum cauſa ſit morbus, Epilepticus puta, aut Melancholicus ſeu furor. Cuius generis duo hic affert exempla, alterum de eo, qui matrem immolatam commedit; alterum de eo, qui conſerui iecur, de quibus amplius quærendum, nuſquam reperi. De conſuetudinis autem immanitate hæc affert exempla, vt ſi pilos vellere quis ſibi, vel vngues præmordere, vel carbonibus & terra veſci, vel denique muliebria pati conſueuit. nam vt & hoc loco & *in problemate 27. ſectione 4.* latius, Venus nefanda partim eſt natura, partim conſuetudine. Narrat Auerroes (hoc D. Zvvingerus narrat) puellam fuiſſe, quæ tota vita radicula, quam Napellum vocant, fuerit alta, conſuetudine quadam: ſic noui quoſdam, qui tantum pane vixiſſent. Eſt quiddam immane contra naturam; narrat & Pontanus, quendam ſemper in mari, non in terra habitaſſe.

ὅσοις μὲν ἐν φύσις.] Expoſita iam voluptatum genera habituſque iis conſentaneos ad rem hic accommodat, id eſt, ad diſputationem de continentia & impotentia, An inquam habitus hi impotentiæ ſint genera (ſint ſpecies vt vulgo loquimur) docet autem non eſſe, ſimilitudine quadam aut tralatione, vt priore capite de impotẽtia, lucri, gloriæ, iræ, dictum: ita & hanc affectionem tam beluinam quam morboſam eſſe, & dici poſſe impotentiam, cum adiunctione inquam, impotentiam, beluinam ſeu morboſam, non ſimpliciter impotentiam. duabus autem rationibus: nam oratio vt aliâs, ita & hic ſatis eſt perturbata, id docere & confirmare mihi videtur. ex qua quidem diſputatione & altera demum elicitur impoten-

tiæ par-

tiæ partitio, eam partim eſſe humanam, partim beluinam, partim denique morboſam.

ὅσοι μὲν ἐν φύσις.] Priore ratione hoc potiſſimum agit, vt doceat, has affectiones non eſſe impotentiæ genera, tam beluinam, quam morboſam. De beluina quidem hæc eſt ratio, quia ex natura deprauata, vt ſupra eſt dictum. At quibus, inquit, natura eſt cauſa, eos nemo vnus impotentes dixerit. Cur ita? nam quæ ex natura, vituperari non ſolent. De quo ſupra late *lib. 3. ca. 5.* Impotentiam autem, vt vitium quoddam vituperari ſupra dictum *cap: priore, in fin.* Formula:

Omnis impotens vituperari ſolet.

At, quæ natura, vt & hæ affectiones non item. nemo enim vituperat hominem natura cæcum, ſed quæ quis culpa ſua contraxerit mala, vituperari ſolent.

Ergo in his quæ natura, & proinde in his affectionibus beluinis nulla eſt impotentia: non magis, inquit, quam fœmina dicenda ſit impudens, quæ natura instituto in rebus venereis patiatur, non agat.

Eadem eſt & morboſæ affectionis ratio. nam quæ morbo aut conſuetudine, morbo & naturæ ſimili, vituperari quoque non ſolent, quod ibidem dictum ſupra *lib. 3. cap. 5.*

τὸ μὲν ἐν ἔχειν.] Quaſi diceret, ex prioribus eſt perſpicuum, has cupiditates tam beluinas, quam morboſas vitii limites excedere, id eſt, plus quiddam, quam vitium eſſe, nō eſſe proprie vitia, quemadmodum & de feritate initio eſt dictum, pertinet autem hæc clauſula ad alteram rationem, qua hoc potiſſimum agit, vt doceat, has affectiones impotentias quidem proprie non eſſe, eſſe tamen cum adiunctione, ſeu quadam ſimilitudine. nam, inquit, habere quidem eas cupiditates, vitii limites excedere, ſed habentem ſe vel continere, vel non continere, & ſuperari, eſt vel continentia, vel impotentia cum adiunctione tamen: vt de iræ impotentia ſupra dictum. Ratio autem huius rei mox explicabitur latius.

τοῦ πάθους ἀκρατῆ.] Vetus tralatio paſſiones, incontinentem autem ſimpliciter non dicendum. Alii quoque aliter vertunt: Nos hunc in modum, quemadmodum & ira affectum, perturbationis quidem, id eſt, iræ, impotentem; impotentem autem dicere non oportet. Nihil namque mutandum, verbo tantum τοῦ πάθους intelligendum ἀκρατῆ, aut ſupplendum;

verbum autem ἀκρατῆ δὲ accipiendum tanquam dixiſſet, impotentem proprie, abſolute & ſimpliciter. hæc namque ſententia eſt: Iratum non dicendum impotentem ſcilicet ſimpliciter, ſed perturbationis, id eſt, cum adiunctione impotentem.

πᾶσαι γὰρ ὑπερβάλλουσαι.] Altera hic explicatur ratio, ſimilitudine quadam. Quæ adhuc de beluinis & morboſis affectionibus ſunt dicta, ea non de vniuerſo genere, ſed ex parte duntaxat fuerunt, nempe de voluptatibus duntaxat ſeu cupiditatibus ad intemperantiam potius ſolam pertinentibus. Hoc autem loco de vniuerſo immanitatis genere quædam aſpergit, & ab hac diſputatione ad cupiditatum affectiones, tanquam ad ſpecies argumentatur. Omnis igitur, inquit, vitioſitas nimia, & modum homini vſitatum ſuperans, partim eſt beluina, partim morboſa, quemadmodum & ſupra initio de virtute dictum, omnem virtutem, vſitatam hominib. virtutum rationem ſuperantem ſeu modum, diuinam quandam ſeu Heroicam eſſe affectionem. Fortitudo verbi gratia, in Hercule aut Camillo, prudentia in Vlyſſe, conſtantia in Catone, &c. Heroica quædam & diuina fuit virtus: Ad eundem modum in omni vitiorum genere, immanitates quoq; ſuę reperiuntur, quarum cauſa vel ſit natura deprauata, vel morbus & conſuetudo. De intemperantia & iniuſtitia, id eſt, crudelitate ſupra allata ſunt exempla. Hic de ignauia & imprudentia. nam reperiri ait quoſdam, qui vel muris ſtridorem extimeſcant, qui vt inquit, *lib. 7. Polit. in princ.* vel muſcas prętervolantes metuant.* Quæ dicendi genera, vt prouerbialia annotauit Eraſmus, ſed diuerſis in locis [non enim indicat illum locum *in Politicis.*] Sic fere & Cicero *in Piſonem extremo*: *A te ipſo deſperatum & relictum, circumſpectantem omnia, quicquid increpuiſſet, pertimeſcentem.* Idem eſt, quod hoc loco dicit, etiam ſoricis ſtrepitum vel muris pertimeſcentem:] Talis commemoratur à veterib. Piſander Tragicus, de quo Eraſmus in prouerbio, *Timidior Piſandro*, & Ghyraldus *lib. 3. de Poëtis*, & Anthemon quidam, qui teſte Heraclide Pontico *in Eclogis* Galea tectus procedere ſolebat, metuens ne cœlum rueret. Hos homines Cicero eleganter *in Epiſtola ad Q. Frat.* manes & vmbram ſuam metuere ait, & hi quidem natura meticuloſi. Sunt alii morbo, vt is, qui felem metuebat, de quo amplius quærendum. Hinc ego noui Venetiis patritium quen-

quendam nobilem magnificum, vt ibi vocantur, qui melancholia exiſtimabat ſe magnum naſum habere, adeo quidem, vt cum in Muſæo eſſet, non pateret ſibi exitus per fores, non poterat perſuaderi, vt exiret, cibaria deferebantur in cubiculum, inſaniebat. Patauii Medicus erat celeberrimus, nomine Phallopius, is vocatus, inquit, perſuadebo vt exeat. Venit idcirco ad eum clamitans. *Domine Magnifice, quantum tu habes naſum*, quaſi caudam equinam. Tunc ille nobilis: ô Domine, tu demum verum perſpicis, ego ſtultis non potui perſuadere, non ſcis remedium. Auferam tibi naſum, inquit medicus, iuſſit itaq; ſibi peluim afferre vna cum iecore bouino ſanguinolento. Scalpellũ arripuit, acceſſerat illum & ait, præcidam tibi ſine dolore, ſed neceſſe eſt, vt obuelem tibi oculos, & ſimulauit, quaſi præcideret; Sed ille motum quidem & ſonitum edidit, vt caſum partis præciſæ ſignificaret, & miſit eandem partem epatis, dicens, nõ audis naſum, poſtquam deuelaſſet oculos, oſtendit ſanguinem, deduxit eum ex cubiculo, & conualuit. De imprudentia item natura partim eſſe, partim morbo. natura namque ſunt Barbaræ gentes præter cæteras quædam ſtultiſſimæ, vt Celtas olim aduerſus maris fluctus pugnaſſe, & Pſyllos [Aphrica gens] aduerſus auſtrum narrant veteres, Ælianus, Herodotus, Ariſtoteles *in Politic.* Sic fœminæ non decumbunt poſt partum apud Tartaros, ſed mares, quod eſt ridiculum. Morbo vero melancholici aut Epileptici ſeu caduco morbo, de quibus Ariſtoteles videatur [locus omnium pulchettimus & aureus] *problemate 1. ſectione 30.* de Melancholicis. Docet Melancholiam eſſe vere cauſam, vt homo exuat hominem, verbi gratia, Plato, Pythagoras. Sic etiam ſunt, quemadmodum Bellerophon fuit melancholicus, ea de cauſa nolebat verſari inter homines, veſtigia agnorum luſtrabat. Ideo Ariſtoteles inquit infra: vel ſunt Dii, vel beluæ, hoc eſt, quiddam aliud ab hominibus. Vtrum & hoc de Monachis iam dici poſſit, iudicetur.

τούτων δὲ ἔστι μὲν.] Interiicit Ariſtoteles clauſulam, qua doceat, in his affectionibus extra naturam humanam reperiri tam continentiam, quam impotentiam. Cernere namque licet, inquit, qui habeant quidem eas aut natura, aut morbo, non pateant tamen neque ſuperentur, vt ſi Phalaris, de cuius beluina affectione cõſtat, tamen ſe contineat aliquãdo à cru-

delitate, aut crudeli & ſanguinolenta appetitione, aut Tyberius & Caligula à nefaria libidine ſeu clinopali: contra vero qui eas & habeant & cedant, ac ſuperentur, hos impotentes, illos continentes dicere licebit.

ὥσπερ ἐν καὶ μοχθηρία.] Explicationem de vitioſitate vniuerſi generis beluina & morboſa, hic tandem ad rem accommodat, vt altera ratio intelligatur propius ab vniuerſo genere ad ſpeciem ducta, qua doceatur, impotentiam beluinam aut morboſam, non eſſe veram ſeu abſolute impotentiam, ſed ſimilitudine quadam & cum adiunctione, hunc in modum. Vt igitur vitioſitas omnis eſt, illa quidem partim humana, partim extra hominem, vel beluina, vel morboſa; & hæc eſt (extra ſcilicet hominem) cum adiunctione, illa proprie & vere: ita & impotentia omnis eſt illa quidem partim humana, partim extra hominem, & hæc quidem cum adiunctione ſeu ſimilitudine quadam, illa abſolute & proprie, &c.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Ὅτι δὲ καὶ ἧττον αἰσχρά.] Duæ ſunt partes huius capitis, quarum priore impotentiam cupiditatum & libidinum, ea quam iræ, turpiorem: poſteriore ὥσθ' ὁ μὲν θυμὸς ἀγαθὸς κατὰ..., &c. immanitatem communi vitioſitate pernitioſiorem eſſe, demonſtratur, vbi & quædam iterantur de cupiditatum ſeu voluptatum partibus.

ὅτι δὲ καὶ ἧττον.] Impotentiam iræ, quam libidinis & ſimilium cupiditatum, minus eſſe turpem, docet quatuor argumentis. Primum hoc affert, quia iræ impotentia ſit cum quadam ratione, altera non item. Formula:

Ea impotentia minus eſt turpis, quæ rationis quid habet, quam quæ nihil. hæc enim [quæ nihil ſcilicet] plane beluina, illa aliquo modo humana, vtpote cum ratione videtur, & turpius eſt vinci à mera cupiditate & libidine, quam à ratione.

Atqui iræ impotentia rationis quid habet, cupiditatum nihil.

Ergo hæc illa eſt turpior.

Aſſumptionem copioſe explicat Ariſtoteles, & quidem de ira prius,

prius,de qua eleganter, eam rationem ἀκούειν quidem,ſed παρακούειν: Sic eleganter dicunt βλέπειν & παραβλέπειν, iram namque audire quidem illam rationem, ſed tanquam prætereuntem. [Sic Cicero *lib. 1.de Orat. Spectat quidem & videt, ſed ſtrictim tanquam præteriens*; vulgo tanquam per trãſcennam legunt. Apud Plautum tranſcenna ſignificat funem, multi deprauarunt hunc locum, vt apud Saluſtium. *Tranſcenna demiſit ſimulachrum*, id eſt, fune, in libris amiſſis apud Saluſtium,non qui nunc extant.] Quod duabus ſimilitudinibus elegantiſſimis explanat Ariſtoteles. Vt enim ſeruuli, inquit, velociores & paratiores prius curſitant ad perficienda, quæ vix dum intellexerint,mandata domini, & canes, qui ſimul pulſantem audierint, priuſquam notuſne ſit an contra, cognorint,latrant:ita & ira, ſimul ratio aut phantaſia ſeu imbecilla ratio [principium rationis eſt] (nam in irato non tam eſt ratio,quam phantaſia ſeu imbecilla ratio, vt & *lib 2.Rhet.* Ariſtoteles) de iniuria ſeu contemptu (ab hac namque exiſtit ira.vt eſt *libro 2.*) ſignificarit aut monuerit, continuo excandeſcit & cedit, priuſquàm mature ſecum concluſerit, eſſe iraſcendum huic aut illi; tanquam inquit, iam concluſerit & ſit ratiocinatus. Ex quibus perſpicuum eſt, iratum ratione quadam moueri & concitari ad vindictam. nam ratio ſuadet [deprauata quidem] iniuria laceſſitum, eam reponere; At in cupiditate alia eſt ratio: nam cupidus ſolæ libidinis explendæ cauſa aut cupiditatis mouetur, qua in re nulla eſt ratio.

ἐν ταῖς φυσικαῖς.] Alterum argumentum,quia iræ magis habeatur venia quam cupiditatis. Formula;

> *Cui magis venia habetur, id minus eſt turpe.*
>
> *At ira* [nam qui hominem ſua ſponte & dedita opera interfecerit, non tam excuſatur, quam qui neceſſitate coactus] *magis habetur venia, quam cupiditati.*
>
> *Ergo ira impotentia minus eſt turpis, quam cupiditatis.*

Aſſumptionis ratio, quia ira magis eſt naturalis, quam cupiditas, ea inquam, de qua hic agitur, id eſt, non neceſſaria, vt exquiſiti cibi, & vt potionis. nam cupiditas neceſſaria, vt cibi & potionis non exquiſiti, ſed quatenus natura ipſa expetit, etiam eſt naturalis, vt ira. Hinc natura expetimus ci-

bum & potum, de ea hoc loco non, verum de ea, quæ nimium aliquid in cupiditate perſequitur, qui expetunt vina delicatiora, aut explent ſe nimiis dapibus. talis cupiditas vel nimia, vel exquiſita eſt, non naturalis.] Hanc namque cupiditatem non eſſe naturalem, ſed potius naturæ repugnantem, vtpote vel nimiam, vel non neceſſariam, per ſe eſt clarum: Iram vero naturalem eſſe, ex beluis perſpicuum eſt. Ad propoſitionis autem cõfirmationem pertinent hæc verba, ἐπεὶ καὶ ἐπιθυμίαις, quaſi diceret, naturalibus appetitionibus veniam magis haberi ex eo clarum eſt, quod ipſis etiam cupiditatibus, quæ ſunt communiores, & proinde magis naturales, quaſi maior debeatur venia. Ergo & appetitionibus, qualis eſt ira. Hæc autem verba, καὶ ἐφ' ὅσον κοιναί, pertinent ad hoc quod dictum, cupiditates mereri veniam, eaſque communes, & quatenus inquit communes: cibi & potus cupiditates ſunt communes. exquiſiti autem cibi cupiditates aut Veneris beluinæ potius, quam humanæ & vſitatæ deſierunt eſſe communes, & proinde veniam non merentur. Cibi denique exquiſita cupiditas eſt ſingularis, non communis, & proinde non meretur veniam.

ὥσπερ ὁ ἀπολογούμενος.] Hæc verba ad aſſumptionis confirmationem pertinent, quibus oſtenditur, iram eſſe naturalem & nobis cognatam: oſtenditur & hoc vna, veniam mereri iram. Afferuntur autem duo exempla ex Poëta forraſſe aliquo priore, quidã verberaro patre, excuſaſſe dicitur ſe, quod & is parentem ſuum verberaſſet, & ille deinceps ſuum, atque adeo, quod & filius quoque ſuus, vbi adoleuerit, ſe aliquando ſit verberaturus, quaſi diceret, natura nobis hoc eſſe inſitum, & proinde veniam quoque mereri, vtpote quod velut à parente nobis annaſcatur. Altero exemplo, quidam commemoratur à filio tractus ad fores vſque domus, non curiæ, vt puto, etſi cõtra Græcus Scholiaſtes: quo cum eſſet pertractus, deſine, inquit; nam & ego olim hucuſque meum pertraxi. Iſte indicat, quodammodo innatum homini, quod annaſcatur à parentibus. Verum ego dixi, afferri iſta exempla duabus de cauſis, 1. vt iræ naturalitas, 2. vt venia oſtendatur. Ex his perſpicuum eſt, hæc exempla deſeruire cum aſſumptioni, tum propoſitioni confirmandæ, nempe ea, quæ naturalia, veniam mereri.

ἔτι ἀδικώτεροι.] Tertia ratio, quia cupiditas eſt inſidiatrix, ira non item. Formula:

Qui inſidiantur, omnes ſunt iniuſtiores iis, qui aperte agunt.
Atqui iratus aperte, cupidus inſidiis & dolo agit.
Ergo hic illo eſt iniuſtior.

Aſſumptio, de ira quidem, eam eſſe apertam, non occultam, vt perſpicua, non confirmatur. Voluptatem autem ſeu cupiditatem eſſe inſidiatricem, confirmat teſtimonio Homeri, qui venerem vocat δολοπλόκον, id eſt, dolos nectentem. & *Iliad.* ξ. ait, Venerem ceſto ſeu cingulo ſuo, etiam prudentiſſimis mentem adimere. Sic. & Virgil.

At Cytherea nouas artes, noua pectore verſat.
Conſilia, *libro quarto.* Irati igitur, ſimplices ſunt & aperti: cupidi, dolis & fraudibus agunt. Ergo iniuſtiores; Ergo & turpiores.

ἔτι οὐδεὶς ὑβρίζει.] Quarta ratio, quia cupiditas eſt cum iniuria & contumelia, ira non item. Formula: εἰ οὖν, &c.

Si is, cui iraſcimur optimo iure, eſt iniuſtus & improbus: certe impotentia cupiditatis iniuſtior erit, quam ira.
Antecedens perſpicuum [ea enim res, cui omnes magis ſuccenſent, iraſcuntur & reprehendunt, eſt iniuſtior & turpior, interdum confirmationes iſtæ ex vita communi petendæ, & proinde inquit Ariſtoteles pueros non aptos ad hanc ſcientiam.]
Ergo, &c.

Connexi ratio, quia cupiditati magis iraſcimur, quam iræ. Cur ita? quia cupiditas eſt cum iniuria & contumelia, ita non item. Qui ira commotus quid facit, abſque contumelia id facit, qui cum cupiditate, cum contumelia. Cur ita? quia ira cum dolore eſt coniuncta, contumelia cum voluptate. Nemo, inquit Ariſtoteles, qui in dolore, contumelia alium afficere ſolet. At iratus eſt in dolore. Ergo contumeliam non affert. Eſt quidem & ſua irato voluptas, non tamen ratione iræ, quæ ſemper eſt cum dolore, ſed ratione vindictæ [quando enim iratus inimicum poteſt vlciſci, gaudet] qua nihil dulcius eſſe, ait Iuuenalis. Contumeliam autem eſſe cum voluptate perſpicuum eſt ex vi & natura con-

tumeliæ, quæ teſte Ariſtotele *libro ſecundo Rhet.* nihil eſt aliud, quam iniuria quædam alterius quidem cum dedecore & pudore: ſua vero nulla cum vtilitate, ſed ſolæ voluptatis petulantis explendæ gratia. Eſt igitur ira cum dolore coniuncta, & proinde vacat contumelia. Iam vero cupiditas eſt cum voluptate, vt & contumelia. Quare & cupiditas ſeu cupiditatis impotentia quædam videtur eſſe contumelia. Eſt enim iniuria quædam cum voluptate cupiditas. Ex quibus perſpicuum, impotentiam cupiditatis, quia cum voluptate & proinde cum contumelia eſt coniuncta, iræ autem non item: illam hac eſſe turpiorem. Perſpicuum & hoc eſt verbum ὕβρεως & ὑβρίζειν, perperam à quibuſdam [Lambino] hic reddi ſtuprum ſeu libidinem inferre, cum valeat contumeliam, & contumelia afficere. Hinc tria apud veteres generaliter interdum ſignificat, quamlibet iniuriam, ſtuprum, contumeliam aliquam quamlibet, iniuriam quandam petulantem. αὐτῶν δὲ τούτων ſupple ἡδονῶν σωματικῶν. Τούτων δὲ περὶ τὰς πρώτας. horum autem in primis πρὸς ἄλλο ratione alterius διαφέρει differat ὕβρει καὶ τιμωρίᾳ. Idem hæc duo ſignificant. hic ὕβρις libidinem ſignificat.

αὐτῶν δὲ τούτων.] Altera huius capitis parte comparat feritatem cum vitioſitate, vt priore, impotentiam cupiditatis cum ea, quæ iræ. Primum tamen & hoc affert, beluas proprie non ſolere dici temperantes aut intemperãtes, quod ipſum vt explicet, iterat cupiditatum & voluptatum partitionem ſupra poſitam, qua dictum, voluptates partim eſſe humanas, & intra modum naturæ verſantes, partim beluinas, partim denique morboſas. De humanis quidem, quod ait, eas eſſe tam genere, quam magnitudine, ita eſt intelligendum: genere quidem, id eſt, ratione rerum ipſarum, quæ expetantur; magnitudine vero ratione modi. nam vtrumque aſſit, oportet ad conſtituendam humanam & naturæ cõſentaneam cupiditatem. Verbi gratia, humana eſt cupiditas, quæ homini vſitata expetit, cibum & potum, quæ vero inuſitata, vt carnem humanam aut picem, non item, & hæc generis: vt nec ea eſt humana, quæ quantumuis humana expetat, in modo tamen peccet, qualis fuit Tyberii libido, Phalariſmus ſeu Phalaris crudelitas, cibi & potionis delitiæ.

In his igitur humanis voluptatib. duntaxat verſatur tem-

perantia & intemperantia, quod ſupra explicatum *lib 3. in fi.* Quare nec beluæ temperantes aut intemperantes dici ſolent, niſi forte tralatione quadam; quemadmodum & prudentes & fortes interdum dicuntur, & Iuſta equa Theſſalica apud Ariſtotelem *in Polit.* Et quidem adeo dici non poſſunt proprie temperantes beluæ, aut intemperantes, vt ne quidem illæ, quæ cæteris præſtent aut libidine, aut ingluuie, proprie intẽperantes dicantur [lupus enim præſtat ingluuie] cur ita? nam rationis ſunt expertes. Atqui notum eſt virtutem aut vitium nullum eſſe abſque proæreſi, & hanc eſſe cum ratione, quod notum eſt ex prioribus [*lib.2 & 3.*]

ἀλλ' ἐξέστηκε τῆς φύσεως.] De hoc verbo ἐξέστηκε ſupra *lib 3. extremo.* dictum, id proprie dici de furioſo, quod Latine, exiſſe de poteſtate. Vt igitur, inquit Ariſtoteles, furioſi: ita & hæ beluæ in libidine aut voracitate excellentes, quaſi ἐξέστηκεν, id eſt, de poteſtate exiuerunt, id eſt, naturæ modo ſe non continent cæteris animantibus vſitato. Nam beluæ ſui natura partim ſunt feroces, partim libidinoſæ, partim aliter affectæ. Sunt & aliæ quæ interdum contra naturam ſui generis efferantur, & has naturæ modum egredi ait hoc loco Ariſtoteles. Huic autem Ariſtotelis diſputationi conſentanea ſunt, quæ ſcribunt Iuriſconſulti de pauperie ſub *Tit. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.* Homo nocens alii, damnum afferre illi dicitur, quadrupes pauperiem; eo quod, inquit Vlpianus Iuriſconſ. iniuria ſine ſenſu non fiat, id eſt, ſine proęreſi, & mente, [ſenſus eſt homonymon, interdum corporis vigorem, interdum ſenſus animi] ibidem feritatem item faciunt bipartitam, alteram commotam & contra naturam, alteram intra naturam, vt ſi canis mordeat irritatus, facit contra naturam, pecus non facit damnum iniuria, ſed pauperiem. Sic Iuriſconſulti eleganter loquuntur. Græcum vocabulum non extat.

ἔλαττον δὲ θηριότης.] Hic iam de comparatione feritatis cum vitioſitate. Ait igitur hanc illa eſſe deteriorem, & pernicioſiorem, etſi illam formidabiliorem. Rationem hanc affert, quod in hac deprauatum ſit principium, id eſt, iudicium, in illa non item. Formula:

> *Omnis vitioſitas, cui non eſt principium nocendi, innocentior eſt & minus pernitioſa, quam cui adeſt principium.*

Atqui vitioſo ſeu κακία principium adeſt nocendi, feritati non item.

Ergo illa κακία hac eſt pernicioſior.

Propoſitio ἀσινέστερα γὰρ, &c. Sic enim legendum [ἀσινὴς innocens, qui nemini nocet, apud Platonem reperitur & veteres, non recentiores] teſtibus libris ſcriptis & veteri tralatione & melioribus editionibus [Florētina & Pariſienſi] non vt in aliis ἀσθενέστερα, id eſt, imbecillior; agitur de nocendo & pernicie, non de imbecillitate. Eſt autem ea veriſſima & obſeruatu digniſſima, nam videre licet, etiam inter homines, quo ſint callidiores, eo plus nocere poſſe, id eſt, quo magis habent principium rerum agēdarum & nocendi, id eſt, mentem, vt ſupra dictum *lib. 6.*

Minor, οὐ γὰρ διέφθαρται, &c. per ſe perſpicua, vbi legēdum, ἀλλὰ οὐκ ἔχει, vt habent libri veteres, etiam editi meliores, & vetus tralatio, non vt in aliis quibuſdam, ſ. ἀλλ' ἥμαρτε ἢ οὐκ ἔχει, quod Perionius expreſſit, eumque ſecutus D. Schegkius, perperam [pace tanti viri] hunc locum explicauit. Nam his verbis alteram rationem contineri p[illegible]auit, hanc, quia in homine ſit habitus, in belua non item: οὐκ ἔχει: eaq; re vitium hominis feritate beluæ eſſe deterius. Refellitur ille prioribus verbis, οὐ γὰρ ἔχει, & infra, εἰ τοῦ μὴ ἔχοντος [non poteſt ibi ἔχοντος de habitu intelligi.] Itaque οὐκ ἔχει, id eſt, non habet ſcil. τὸ βέλτιστον: quaſi diceret, beluæ, id quod optimum, id eſt, principium ſeu mentem non habent corruptam, vt homo vitioſus, imo ne habent quidem vllam. Comparationem hanc declarat Ariſtot. duabus aliis comparationibus. Prior eſt, ὅμοιον οὖν, &c. altera παραπλήσιον, &c. Nam vt ſenſus quod expers eſt ſeu inanimum ſi comparetur cum animato, hoc quidem perſpicue deterius eſt, illud ſuapte natura, adeo quidem, vt vel mus gemma ſit præſtantior: vſus tamen ratione, id eſt, ex euentu [per accidens vulgo, κατὰ συμβεβηκός] illud hoc præſtantius eſt: ita & feritate ſuapte quidem natura deterior eſt vitioſitas, ex euentu tamen melior eſſe poteſt, nimirum, quia feritas ſit terribilior, ſeu maiorem incutiat terrorem. magis enim ea perhorreſcimus, quæ immanitate quadam licet minus grauia, mala nobis afferuntur, atq; ita maiora videntur propter terrorem. Rurſus notum eſt ex *lib. 5.* hominem iniuſtum, re & facto iniuſto eſſe deteriorem. Iniuſtus namq; eſt cum proæreſi: iniuſtum autem quidem fieri poteſt,

etiam

etiam abſque proæreſi, accidere tamen poteſt, vt iniuſtum factum grauius ſit, quam iniuria, id eſt, iniuſtum factum ab iniuſto homine perpetratum. verbi gratia, adulteriũ ſit factum abſque proæreſi, furtum cum proæreſi, & ab iniuſto homine. Hic certe illud hoc eſt grauius & deterius, non tam per ſe & ratione principii ſeu proæreſεως, ſed ex euentu potius, quia maius ſit damnum in adulterio quam furto. Atque ita hæc explicanda exiſtimo cum D. Schegkio, vt verbo ἀδικίαν intelligatur vel ἀδίκημα, improprie ſumpto: vel eius loco plane ἀδίκημα ſcribatur. nam proprie ἀδικία differt ἀπὸ τοῦ ἀδικήματος, vt ἄδικος ab ἀδίκημα. τοῦ ἀδίκου propria eſt ἀδικία, non ἀδίκημα. [vulgo aliter dicunt, hanc de ἀδικία comparationem ſic intelligendam, ἀδικία eſt habitus iniuſtitiæ, iniuſtus eſt præditus eo. Iniuſtitia ipſe habitus eſt ſnapte natura non tam malus, quam habitu præditus. habitu præditus ſuapte natura deterior habitu. habitus ipſe non habet proæreſin, non eſt propenſus ad mala, & ad malum, quod ſuapte natura ita ſemper eſt. homo iuſtus plurimum nocere & detrimẽti facere poteſt, qui habet proæreſin, qui mentem habet ipſam, pernicioſior ob mentem & calliditatem quam habet, nocere poteſt. verum non ſatis cõmoda explicatio. Elegantior comparatio hominis ad factum iniuſtum, non ad habitum] ἐπίμετρον prioribus adiici poteſt, quod ex iis eliciatur, impotentiam quoque humanam multo eſſe deteriorem & pernicioſiorem beluina, vt dictum eſt, feritate pernicioſiorem & improbiorem eſſe vitioſitatem. Demum facit hæc res ad diſputationem, quæ ſæpe occurrit in iudiciis, de diſputatione de pœnis. Sumptum eſt ſupplicium ab eo, qui beluina peccauerat libidine, quæſtio eſt; vter grauius puniendus, qui adulterium, an vero belluina qui ſe polluat libidine, &c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τοὺς δι' ἁφῆς κ.] Initio hunc librum in duo capita ſumus partiti: prius in tres partes, quarum duabus iam explicatis, ſupereſt tertia, de tollerantia, mollitie, & quibuſdam quæſtionibus ſupra propoſitis. Hoc igitur capite de tollerantia & mollitie potiſſimum diſputatur, qua explicatione diſſoluitur & quæſtio tertia, An idem ſit continentia quod tolle-

rantia,

rantia, idem impotentia, quod mollicies. affertur extremo capite impotentiæ quædam partitio. hoc autem caput mendoſiſſimum eſſe videtur. Itaque vix caput in toto opere tot mendis ſcatet, quam hoc.

περὶ δὲ τὰς.] Hæc ita cenſeo vertenda: *In voluptatibus autem & moleſtiis tactus & guſtatus atq; in cupiditatibus & fugis, in quibus & temperantia & intemperantia: ita ſe habere licet, &c.* nam hæc verba, διῃρέθη πρότερον puto inducenda, tum quia phraſis non ſit bona διῃρέθη περὶ τὰς ἡδονὰς, dicendum potius fuerat περὶ τῶν ἡδονῶν: tum quia hoc ἔστι μὲν οὕτως nimis alioqui ſit præciſum, atque adeo pendeat & aptum ſit omnino ex primis verbis, περὶ δὲ τὰς, &c. quod ipſum clarius ex ſententia perſpicietur. Affert igitur initio Ariſtoteles materiam, in qua verſentur hæ duæ affectiones hic explicandæ, tollerantia & mollicies, ex qua materia ſtatim cognoſcatur, quid inter ſe differant, quid item ab aliis cognatis affectionibus temperantia, & intemperantia & impotentia. Ait igitur in voluptatibus & moleſtiis, inq; cupiditatibus ſeu expetitionibus & perſecutionibus. [Sic vertimus ἐπιθυμίας: ſic Cicer. ſemper vocat] & fugis (in quibus notum eſt verſari temperantiam & intemperantiam ex fine *lib 3.*) ita ſe comparare & gerere quis poteſt, ita eſſe affectus, vt ſuperetur ab iis, in quibus plærique & maior pars hominum ſit ſuperior: contra vero vt ſuperet, in quibus plærique ſuperentur. Et ille quidem [ſcilicet qui ſuperatur] ſiquidem in voluptatibus, proprie is eſt qui impotens dicitur: ſin vero in moleſtiis, is eſt qui mollis. hic autem in voluptatibus quidem eſt is, qui continens; in moleſtiis, is qui tollerans ſeu patiens. Sunt & nonnulli, qui inter hos medium quodammodo locum obtinent [locus difficilis, male explicatus] vergant tamen potius ad deteriorem partem, verbi gratia, impotentem diximus, qui à voluptatibus ſuperatur: mollem, qui à moleſtiis & laboribus iis, quos maior pars hominum ſuperat, vincit, perfertque. Quid ergo, ſi ſint voluptates ſummæ, & exquiſitiſſimæ, quæ etiam conſtantem hominem permouere poſſint? quid item ſi grauiſſimi dolores & labores? Certe his qui ſuperantur, vix impotentes dixeris, aut molles, vt infra hoc capite Ariſtoteles, vbi de Philoctete [qui grauiſſimos cruciatus ex morſu aſpidis ſufferre non potuit, non tamen impotens dicendus] habent tamen cum vere impotentibus & mollibus cognationem,

nem, quia non obſiſtant aut perferant, & hoc eſt, quod ait, hos medios & interiectos habitus ad deteriores vergere, ad ipſam impotentiam, aut molliciem ſpectare.

καὶ μέχρι τινός,] id eſt, aliquouſque, non ſupple *ἀναγκαίας, ὑπερβολὰς τῶν ἡδέων*, nimia rerum iucundarum, *ἢ διὰ προαίρεσιν*, legendum *εἰ*, id eſt, ſi.

ἐπεὶ δὲ ἔνιαι.] Accuratius hoc loco orditur diſputationem de tollerantia & mollitie; quæ diſputatio omnis fere in eo conſumitur, vt cognoſcatur harum affectionum & his cognatarum, temperantiæ & intemperantiæ, atq; continentiæ & impotentiæ, diſſimilitudo. Vulgo namque hæc verba, impotentiæ, intemperantiæ & mollitiei, & contrariarum his affectionum ſæpenumero confundi ſolent. Subtiliter igitur & acute eas Ariſtoteles ſecernit, partim ratione materiæ, partim formæ, id eſt, *προαιρέσεως* atque expetitionis ſeu perſecutionis & fugæ. De materia igitur voluptatum (eadem & cupiditatum & moleſtiarum eſt ratio) diuiſionem affert, ēt ſupra *lib. 3.* expoſitam, vbi dictum voluptates partim eſſe neceſſarias, partim non neceſſarias. Neceſſariæ ſunt potus, cibi, veſtis, &c. non neceſſariæ ſunt deliciarum exquiſitarum potionum & ciborum, etiam beluinæ & morboſæ huius ſunt generis, de quibus ſupra: & hæ fere non ſunt neceſſariæ. Neceſſariæ igitur ſunt, & aliquouſque neceſſariæ, id eſt, ad certum modum, quem ſi ſuperes vel deſeras, exiſtunt nimia & ea quæ parum in voluptatibus. His ita diſtinctis, & hoc tenendum eſt diſcrimen inter perſequi & fugere: tenendum eſt & hoc, cōſilio & proæreſi quædam expeti, quædam abſq; conſilio. Iam igitur is, qui nimia voluptatum *προαιρέσει*, ſeu conſilio, & propter ſe, id eſt, quia ita exiſtimat faciendum, nulla etiam propoſita vtilitate, perſequitur, is intemperans ſeu *ἀκόλαστος* dicit: qui *ἐλλείψεις*, ſeu ea quæ parum perſequitur *προαιρέσει*, is *ἀναίσθητος* ſeu ſtupidus priori contrarius, dici poteſt: medius eſt temperans. Et hæc quidem de iis, qui voluptatum nimia, & ea quæ parum perſequuntur proæreſi. Quid de iis, qui fugiunt moleſtias? & hi quoque ſi proæreſi fugiant, non vero imbecillitate quadam & impotentia, intemperantes dicendi ſunt. Et hactenus quidem de iis, qui perſequuntur, vel fugiunt voluptates vel moleſtias, proæreſi & conſilio omnes. Nunc de iis, qui abſque proæreſi, qui duorum ſint generum, ratione materiæ, voluptatis & moleſtiæ: nam qui voluptatem perſe-

perſequuntur, aut ab ea ſuperantur, abſque proæreſi tamen impotentes dicuntur: qui à doloribus & moleſtiis ſuperantur, hi molles & delicati dici ſolent. Ex quibus perſpicuũ eſt, has omnes affectiones inter ſe diſcrepare, intemperantiam quidem à cæteris duabus mollicie & impotentia, proæreſi: cæteras autem duas intet ſe, quod mollicies ſuccumbat moleſtiis, & dolotibus; impotentia voluptatibus.

ἢ διὰ προαίρεσιν.] Scribendum εἰ διὰ, quomodo & plæriq; interpretes Latine reddiderunt, Arg ropylus omiſit, non male, vt infra ὁ φεύγειν.

τὴν ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας.] Ait mollem fugere moleſtiam, quæ exiſtat ex cupiditate, nimirum, quia re cupita ſeu expetita non potiatur, etſi hæc verba fortaſſis rectius abſint, vt non neceſſaria.

παντὶ δὲ ἂν δόξειε.] Quid hæ affectiones differant, iam expoſitum; hic adiungit alteram quandam differentiam inter impotentiam & intemperantiam. nam hac illam eſſe deteriorem & nequiorẽ: rationẽ hanc affert, quia hæc nullis perturbationibus & cupiditatib. lactetur, illa nõ item. Syllogiſmum affert Ariſt. ipſe, omiſſa tamen aſſumptione, hunc in modum:

Improbior eſt omnium iudicio is, qui nulla licet cupiditate ſtimulatus, aut certe leui, tamen flagitium faciat, q̃ is qui grauibus cupiditatib. ſtimulatus idem faciat.
Atqui intemperans, nulla aut leui cupiditate ſtimulatus flagitium facit, impotens graui & vehementi.
Ergo hoc ille eſt improbior.

Propoſitionẽ confirmat exemplo ſtrati. nã hunc facilius veniam mereri, qui ira inflammatus alium verberarit, quam qui non, de qua re ſupra *lib. 3. initio cap. 1. in fi.* nam vt, ꝙ & ſupra *cap. 4.* commemoratũ, vbi & huius loci facta eſt mentio, qui turpiter facit, nulla cupiditate incenſus, quid facturus eſt, ſi accedet cupiditas? & vt paulo infra accuſabilior eorũ eſt improbitas, qui leui cupiditate aut libidine excitantur ad flagitia, quam qui graui [vt vulgo dicimus, ſi ſpectemus furẽ, qui furatus ſit 1000. coronatos, & furem qui tantum 100. quęſtio exiſtit, vter maiori ſupplicio afficiendus? Si animũ ſpectes, ille maiori ſupplicio afficiendus, qui tantum 100. verum Reipub. quoniam politici animum non ſpectant, vt philoſophi & theologi: animum interiorem theologi ſcrutantur, politici non.] De aſſumptione infra. nam & ſupra dictum, intemperantem

rantem nullis amplius diſtrahi cupiditatibus vt nec vllo fere vitio premitur. in his enim dictum rationem cũ perturbationibus non pugnare amplius, vt nec in virtutibus; ſed in vitiis praua, in virtutibus recta iam dominatur ratio. Eſt igitur intemperantia deterior quam impotentia. Sed quid de mollitie? Eadem quæ impotentiæ ratio. Verum infra capite proximo, & etiam hoc capite aliis modis oſtendetur: Intemperantiam impotentia eſſe deteriorem.

τῶν δὴ λεχθέντων.] Vna fere eademq; eſt ſcriptura, librorum manu formiſq; deſcriptorum [imprimere non Latinum, formis deſcribere Latine.] In veteri tamen tralatione pro *μαλακίας* eſt *κακίας* [malitiam vertit, ſignificat *κακία* vitium] deinde pro hoc vno verbo *ὁ δὲ ἀκόλαστος*, ibi ſunt hæc; *ὁ δὲ ἀκόλαστος ἀντίκειται τῷ ἀκολάστῳ* Argyropylus pro *ἀκόλαστος* legit *ἀκρατής*. Turnebus legendum putat, pro *ὁ δ' ἀκόλαστος*, *τὸ δὲ ἀκολασίας*, vt prius *τὸ μὲν μαλακίας*. Dionyſius Lambinus & D. Zuingerus probant Argyropylum. nam Ariſtotelem orſum dicere de mollis & impotentis diſtinctione, & horum cum intemperante diſcrimine, mox interpoſuiſſe illa, *πάντη δὲ αὖ δόξει*. Quibus breuiter expoſitis reditur ad inſtitutum de impotente & molli ſermonem, his verbis, *τῶν δὲ λεχθέντων*, id eſt, *eorum igitur, de quibus inſtitueramus dicere*, nimirum qui abſque proæreſi agant, alter quidem mollis, alter non intemperans; (vt vulgo legitur, qui eſt cum proæreſi) ſed impotens dicitur. cui argumento eſt particula *δὴ*, qua vtimur in oratione, interiectionibus interrupta, contexenda, cui reſpondent Latina: Ergo, igitur, inquam. Quæ explanatio, etſi non incommoda videtur, tamen qualitatibus omnibus repugnat, nõn temere eſt admittenda, præſertim cum dicendi genus remaneat nõ ſatis elegans, *τὸ μὲν εἶδος μαλακίας ὁ δὲ ἀκρατής*; elegantius fuerat, *τὸ δὲ ἀκρασίας*. Certum tamen & hoc eſt, *ἀκόλαστος* eſſe vitioſum, clarum quoq; ex veteri tralatione mendum aliquod hic ſubeſſe. Quare ob veritatem ſcripturæ, genus dicendi, & quia hæc non ſint neceſſaria, fortaſſe rectius omnia ſint inducenda, hic interiecta, vt alias ſæpe ob orationis conciſionem.

ἀντίκειται δὲ τὸ μὲν.] Hic accuratius perſequitur diſputationem de tollerantia & mollicie: & de illa quidem prius, hoc tantum affert, eam differre quid à à continentia, quod verbi notatione ſeu vi & poteſtate docet. nam *ἐγκράτεια* nomen

habet

habet à *κρατεῖν*, *καρτερία* vero à *καρτερεῖν*, atque hæc duo *καρτερεῖν* & *κρατεῖν* differunt, quantum victoriam obtinere & non ſuſtinere cladem. Plus eſt in prœlio eſſe victorem, quam non vinci, aut cladem ſuſtinere nullam. Ad eundem modum plus eſt *κρατεῖν*, id eſt, ſuperare & reprimere, ſeu vincere perturbationes, moleſtias, aut voluptates, quam *καρτερεῖν*, id eſt, reſiſtere iis ſeu obſiſtere. Vt igitur aliud eſt *κρατεῖν* ab eo, quod *καρτερεῖν*, ita & alia eſt *ἐγκράτεια* à *καρτερία*. Ex qua diſſimilitudine & hoc elicit Ariſtot. præceptum, continentiam tollerantia eſſe præſtantiorem. vt *κρατεῖν* amplius diximus eſſe, quam *καρτερεῖν*. Verum hæc ſubtilis & limata diſtinctio vulgo ſæpe confundi ſolet, qui continentes & patientes pro iiſdem: Contra vero molles & impotentes, languidos, remiſſos, effœminatos ponere ſolent,

ὁ δὲ ἐλλείπων.] Expoſita breuiter tollerantia, cuius eſt moleſtias perferre (nam hæc fere de tollerantia adhuc ſunt dicta, eam verſari in moleſtiis, eſſe abſq; *περὶ αὐτὸ*, eſſe in obſiſtendo, *ἐν τῷ ἀντέχειν*: differre à continentia, eaque eſſe inferiorem) nunc de ea affectione, quæ non obſiſtat, quæ ſit *ἐλλείπουσα*, id eſt, ſuccumbat, de qua hoc affert potiſſimum, eam cerni in moleſtiis non perferendis, quas tamen plærique maiorque pars hominum ferat. Quæ clauſula, *Quas plæriq; ferant*, vim huius affectionis totam fere continet, eaq; re accurate ab Ariſtotele explicatur ea particula. Quæ clauſula eadem, & in continentia & impotentia locum habet. nam ſi voluptates ſint, aut moleſtiæ acerrimæ aut grauiſſimæ, quibus non niſi ſummi viri & *καλοὶ κἀγαθοὶ*, id eſt, omnis virtutis genere exculti & ornatiſſimi obſiſtant: his inquam, ſi qui ſuperetur, non continuo aut impotens, aut mollis dicendus erit. Qualis commemoratur Philoctetes ab Theodecte Tragico Ariſtot. diſcipulo, qui ob grauiſſimos dolores, ex ſerpentis ictu, non ſatis conſtanter eos pertuliſſe, magnoſque eiulatus ediđiſſe dicitur. quod cum Theodectes ille in fabula, tum alii quoq; poetæ ſcripſerunt. nam & Cicero idem commemorat *lib. 2. Tuſcul.* vbi de dolore tollerando: *Aſpice Philocteten, cui concedendum eſt gementi, &c.* vbi & Herculis eiulatus ex Trachiniis Sophoclis afferuntur. Talis eſt Cercyon [latro inſignis apud Athenienſes] ab Carſino Tragico, cuius & hic, & in arte poetica meminit Ariſtotel. & Suidas in vita eius. Fingitur eiulatus ediđiſſe in Tragœdia Alope, dicta à Cercyonis filia

filia [hæc vocabatur Alope, veriſimile eſt propriam filiam incluſam in carcere fame necaſſe, proprium filium feris obieciſſe deuorandum, fortaſſe in ea Tragœdia edidit doloris & clamoris ſigna] ob hos igitur grauiſſimos dolores, nemo quis temere mollis dicatur. veniam namque merentur potius, quam reprehenſionem, qui acrioribus voluptatibus aut doloribus obſiſtant. Quare & impotentia & mollities in voluptatibus ac doloribus vſitatis & peruulgatis cernuntur, iis inquam, quibus vulgo plærique reſiſtant, non tamen & his omnibus. nam ſunt quidam, quibus vel natura, vel morbo id aſſit, vt obſiſtere nequeāt; verbi gratia, Philoctetes, teſte Sholiaſte Græco in Thucydidem [locus diligenter notandus] muliebri morbo affectus dicitur ob interfectū Paridem. Scythę quoq; plæriq; muliebri & molli morbo laborarunt, ꝙ hic de eorū regibus Ariſt. Herodot. de omnib. Scythis *lib 1.* commemorant, ἤλιαν νόσον vocat Herodotus, i. muliebrem [Valla male vertit, laborarunt Helia morbo, attingit hiſtoriam abſcōditam de Scythis. Sybaritæ molles. adeo vt in ciuitate tota noluerint habere gallum gallinaceū, quia canebat nocte, ne interrūperetur ſomnus.] Huius aūt morbi Scytharū cauſam narrat Herodot. eſſe ſacrilegium in æde Cereris cōmiſſum, ſed corporū laxitati (& Liuius Gallorum corpora fluentia & laxa ſæpe cōmemorat) ex humida regione & frigida, & ſtudio equitandi (de quo & Ariſt. in problematis molles & libidinoſos homines effici narrat) attribuit Hippocr. *in libr. de Aere*, &c. vbi ἀνανδρείην effœminationē vocat, Perperam igitur hoc loco contra omnem librorū fidem & ſentētiam Fœlicianus & Lambinus pro σκυθῶν ſupposuerūt περσῶν. nā Perſas luxu quidē diffluxiſſe notū eſt, non tamen morbo, ſed cōſuetudine & inſtitutis. Scytharū igitur hæc ex morbo mollicies, non eſt ea, de qua hic agitur, affinis & gemina mollicie mulierum. Nam & harum naturam virili eſſe effœminatiorem & molliorem, vt Scytharum cæteris gentibus notum eſt. Scythis non abſimiles fuerunt Sybaritæ, quorum tanta fuit mollicies, tam effœminata & delicata natura, vt artes opificum ſtrepitū edentes, vt fabros ahenarios, &c. omnes ex vrbe remouerint, etiam gallos gallinaceos, ne ſomnum interrumperent, teſte Athenæo *lib.12.* horum ciuis fuit celeberrimus ille Smindirides, cuius mentionem reperi apud Herodotum *lib.6.* Athenęum *lib.6. & 12.* Ariſtotelem *lib.1. Eudem. cap.5.*

cap.5. Ælianum *lib.12.* atque apud Cleomenem *lib. 2.* vbi de Epicuro in fine, & Senecam *lib. 2. de Ira, cap.25.* vbi tamen vulgo perperam Myridem; rectius in manuſcriptis Mindyridem, quo modo & Cleomenes eo loco illum vocat. nam vt Græci dicunt μικρὸς & σμικρὸς, μίδρ☉ & σμίδρ☉, ita & hic dictus videtur, alias Smindyrides, alias Mindyrides. hic igitur, inquit Seneca, cum vidiſſet fodientem, & altius raſtrum eleuantem, læſum ſe iri queſtus, & vt Athenæus ait, latus ſibi dolere, vetuit illud opus in ſuo conſpectu facere: bilem habere ſæpius queſtus eſt, quod foliis roſæ duplicatis incubuiſſet. [alioquin non eſt notus iſte Smindyrides, ſed adduxi iam loca. Athenæus de quodam, qui tam delicatus, vt coquus quando facturus placentam & aliquid intriturus, iuberet chirotheca veſtire digitos, ne fortaſſe aliquid ſudoris aut pulueris immitteret.] Hos tamen Sybaritas non tam morbo, quam ſtudiis molles, & proinde vere molles exiſtimandum eſt. Gallos quoque ſæpe hoc nomine perſtringit Liuius, vt laboris, viæ, æſtus, ſitis, vigiliarum impatientes, *libr.28.25.23.* intollerantiſſima laboris corpora. Huc pertinent lecti molliter ſtrati, pauimenta ſeu ſola tapetis vt mollior ſit ingreſſus, inſtrata [in Demetrio Phalereo grauiſſime reprehenditur hoc.] Molles vocant veteres, qui in hyeme non tantum caput, pedes & corpus, ſed manus etiam chirothecis obuelent, vt eſt apud Athenæum *eo libro:* in æſtate vero vmbras non arborum ſolum aut rupium conſectentur, ſed in his ipſis alias vmbras & trigulas [pergula non vocatur officina, taberna eſt, vt Apelles ſtabat in ſua pergula pingens] quærebant, mollibus deniq; & multis ſtragulis ſeu centunculis qui equos inſternerent. [apud Liuium & alios centunculi ſtragula equorum] quæ omnia molliciei facta commemorat Xenoph. *lib.8. de Cyri pædia.* Contra vero tollerantia cernitur in contrariis, qua virtute excelluiſſe olim Lacedæmonios, Perſas, [Perſæ primum excelluerunt, poſtea degenerarunt:] & milites Romanos copioſe exponit Cic. *lib.2. Tuſcul.*

καὶ γὰρ ἡ τρυφὴ.] Apud Græcos hæc duo τρυφὴ & μαλακία plærumque coniungi ſolent, quaſi idem valentia: differunt tamen, quod & ſupra dictum, nam mollitia eſt velut genus, deliciæ ſeu τρυφὴ ſpecies. mollis omni moleſtiæ & labori ſuccumbit; delicatus in veſtibus potius & cibis ſpectatur. Affert autem exemplum mollis Ariſtot. vt ſi qui veſtem, ne ex ea attollen-

tollenda moleſtiam capiat (olim enim veſtis laciniam interdum in humerum iniicere ſolent, vt hodie fere] trahat. [Apud veteres trahere veſtem mollis hominis indicium. ea de cauſa Iulius Cæſar adoleſcens repræhendebatur, monitus ſenatus à Sylla, vt metueret puerum illum,] Qui, inquit Ariſtoteles, etſi melius ſecum hac ratione agi putat, tamen reuera non vacat moleſtia: exiſtimat quidem miſerum ſe non eſſe, imitans tamen laborantem & feſſum, ei plane eſt ſimilis. nam & trahendo laborem ſuſtinet. Hinc noui quendam qui aliquando cum equitaret, tam ſtulte agebat, eſt doctus alioquin, ipſe habebat ſarcinulam, cum videret feſſum equum, ſumpſit ſarcinulam, ne oneraret equum, & impoſuit ſuo humero, quaſi eo equus exoneraretur. Si eo modo qui trahunt, non putant ſe laborare, cum tamen trahētes etiam laborent.

οἷον συνέπεσε ξενοφάντῳ.] Hoc pertinet ad vehementiores cupiditates, ſeu voluptates. nam his voluptatibus ſi quis tandem fractus cedat, non continuo repræhenſionem meretur. Hi namque ſimiles ſunt illis, qui riſum cohibere conati, tandem amplius reprimere ſe cum nequeant, in maiorem cachinnum effunduntur, quod Xenophanto accidiſſe, narrat hic Ariſtoteles [hiſtoricos noſſe eſt difficile, multa vno verbo indicat Ariſtoteles] de quo puto me mentionem reperiſſe apud Senecam *lib. 2 de Ira*, vbi narrat Alexandrum Magnum Xenophanto canente, manum ad arma miſiſſe, quibus locis comparatis videtur Xenophantus Alexandri fuiſſe tibicen & familiaris, & paraſitus, & proinde Ariſtoteli notus: nuſquam præterea mentionem reperi.

ἡ γὰρ παιδιὰ ἄνεσις.] Planius ita ſcriberetur, *ἄνεσίς ἐστιν ἣν ἀνάπαυσις.* Vis enim argumenti Ariſtotelici, quo doceat, mollem eſſe, non vero intemperantem eum, qui ludis ſit deditus, tota in verbo *ἀνάπαυσις* conſiſtere videtur. Ludus quædam eſt quies ſeu requies. nam eſt remiſſio quædam ſeu *ἄνεσις.* Si eſt requies, vt eſt, quod & infra *lib. 10. cap. 6. in fin.* Ergo à labore & moleſtia, [requies eſt ceſſatio à labore] in qua cernitur mollitia, non intemperantia aut impotentia, quæ in voluptate. Itaq; luſibus deditus, etſi vulgo intemperans, vt & apud Cic. *lib. 1. Offic.* dici ſolet, proprie tamen mollis eſt potius, quam intemperans aut impotens. nam non diſplicet cuiuſdam coniectura, vt pro *ἀκόλαστος.* legatur *ἀκαρτερής,* etſi nihil temere mutandum.

ἀκρασίας δὲ τὸ μὲν.] Duo hic facit impotentiæ genera, quorum alterum temeritas: alterum dicatur imbecillitas. cuius partitionis & infra *cap. 8. & 10.* fit mentio, vbi explicatur, horum impotentiæ generum vtrum altero ſit melius aut deterius: hic de eorum vi & natura, de eadem partitione & in Magnis, vbi de iis, tam de natura, quam de præſtantia, eodem loco agitur. Imbecillitas igitur eorum eſt, qui in principio quidem recta ratione in conſilium aduocata, conſtituerint, non ſequi voluptates: poſtea tamen non perſtent in conſilio, ſed fracti & victi cupiditatibus, eas potius quam rationem ſequantur, quod genus etſi vitioſum eſt, & quidem altero, vt infra, vitioſius; vtile tamen eſt, ita ſecum diſputare, & cum ratione tanquam conſilium capere, prius quam occurrant voluptates. nam ſæpe qui audierit, verbi gratia, venturam aut præteritura formoſam mulierem: ſi prius ratione ſe hic præmunierit, animumq; & conſilium velut excitarit, quam illa veniat, non temere quicquam turpe admittet, neque ſuperabitur aut ſuccumbet, quantumuis res ea aut iucunda, aut aſpera & moleſta fuerit. non ſecus, inquit Ariſtoteles, atque illi, qui cum ſeipſi antea titillarint, aliis poſtea titillantibus vix moueantur. Alterum impotentiæ genus in iis eſt, qui nulla antegreſſa deliberatione, tacitaque ſecum diſputatione & præmunitione, ſed continuo ſimul aſpexerint, verbi gratia, formoſam mulierem, aut rem iucundam ſenſerint, commouentur, & hoc motu incitati faciunt ea, quæ fieri non oporteat. Quod genus, inquit Ariſtoteles, ſunt acuti fere & melancholici, hi quidem ob vehementiam: illi ob celeritatem. nam melancholicorum motus, quam ſint acres & vehementes, & pene furioſi, explicat doctiſſime Ariſtoteles *in problem. 30. ſectione problem. prima*. Acutos accipiunt eos, qui acuta bile, quos cholericos vocant, ſunt affecti, quos item conſtat, facile huc illuc excitari & impelli, celereſque eorum eſſe motus. Quare vt huius generis fere ſunt cholerici & melancholici: ita illius erūt, qui vulgo ſanguinei & phlegmatici, vt quorum motus non tam ſunt acres & furioſi, ſed lentiores & conſideratiores. Mirum tamen Ariſtotelem *in Magnis*, melancholicos & frigidiores homines, infirmæ impotentiæ; ingenioſos autem & meliori indole præditos, temerariæ attribuere, &c.

***

CAPVT

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Comparatur hic intemperantia cum impotentia, vtra altera ſit nequior & vitioſior, & eadem opera diſſoluitur quæſtio quinta,& explicatur ſententia prima:adiicitur & comparatio duorum impotētiæ generum, vtrum altero ſit vitioſius. Extremo autem capite hoc accurate explicatur, cur impotens de ſententia facile deducatur & ſit mutabilis, intemperans non item, quod idem initio capitis attingitur.

ἔϛι δὲ ὁ μὲν ἀκόλαϛος.] Supra in quæſtionibus diſſeruit, intemperantiam videri malum eſſe ſanabilius q̃ impotentiam, id quod hic falſum eſſe oſtendit, & hoc vna eademq; opera, intemperantiam impotētia eſſe deteriorem, ꝙ quidem ipſum & priore cap. iam ratione vna docuerat, iſta, quia tēperantia ſit cũ proæreſi, impotentia non item, quia ea, quæ fiunt cum proæreſi, ſint vitioſiora illis quæ non. Hoc aũt loco tres præterea rationes adfert, quibus idem confirmet, oēs à medicis petitas. Prima eſt, quia impotentia ſit ſanabilior, q̃ intemperantia:quæ ſanabiliora, conſtat eſſe meliora. Antecedēs confirmatur hac ratione, [cur impotentia ſit ſanabilis, intemperantia inſanabilis, eſt medicorum vocabulum] initio capitis, quia intemperans, vt & priore cap. dictum fere initio, ἀνάγκη γὰρ τοῦ τῶν, &c, eſt, οὐ μεταμελητικὸς, impotens aũt μεταμελητικὸς, i.illum quidem ſuarum actionum turpium non pœnitet, hunc aũt pœnitet : ille permanet in ſententia, hic non item. cur ita ? [quæ eſt ratio differentiæ] id infra hoc cap. extremo. Falſum eſt igitur ꝙ ſupra in quæſtionibus dictũ intemperantem videri ſanabilem, impotentē non item, cũ omnia potius ſint alia, id eſt, cum plane res contraria ſit, vt eleganter in prouerbio dicitur. Altera ratio, ἔοικε γὰρ, &c. quia intēperantia ſimilis eſt tabi aut aquæ inter cutem, impotētia vero comitiali potius morbo. Similitudo in eo eſt poſita, quod vt aqua inter cutem & tabes morbi ſunt perpetui, comitialis interruptus, ſuaq; habens interualla ſeu inducias [vt ICti loquũtur morbus habet inducias] ita & intemperantia eſt perpetuũ vitium, impotentia non item. nam impotens eo eſt tempore, quo voluptati oblatæ paret, eamq; ſequitur, poſtea ad ſe redit tanq̃ ebrius aut furioſus:intemperans aũt habitu quodam iam impreſſo eſt affectus & informatus. Quare vt perpetuus morbus & diuturnus interrupto eſt deterior, ita & intemperantia eſt

deterior, quam impotentia. Tertia ratio, ἡ μὲ γὰρ κακία, quæ ra-tio etſi ab Ariſt. eo potius accōmodatur, vt doceat impoten-tiam non idem eſſe, ꝙ vitioſitatē, (qua de re & ſupra *cap. 1. ὅτι γὰρ ὡς*) tamen & ad diſputationē de intēperantia & impotētia accōmodari poteſt. vitioſitas, inquit, eſt occulta, impotentia non item. Ergo nō eadem eſt affectio: Ergo impotentia pro-prie nō eſt vitium. Ita quidem primo Ariſt. ſed accōmodatur hunc in modū priori diſputationi, intemperantia, vtpote pars vitii eſt occulta, impotētia non itē: Ergo hæc illa eſt deterior. Antecedentis ratio de vitio quidē & intemperantia, quia qua-litas eſt quædam animo impreſſa: quia etiam occulte agit in-temperans, & per inſidias, vt ſupra dictū *cap. 6.* vbi de Venere δολοπλόκῳ. De impotētia vero, quia ſit qualitas nō ita animo impreſſa, ſed inchoata duntaxat affectio, & agat impotens nō diſſimulanter aut occulte, maxime iratus, de quo illo *cap. & infr. cap. 10.* impotēs, inquit, οὐκ ἐπίβουλος, inſidiatur, vt ſup. *cap. 6.* iratus, inquit, οὐκ ἐπίβουλος, ꝙ ibi in ſpecie, hic in gene-re. Ratio connexi, quia mala & morbi occultiores, grauiores ſūnt, ꝙ perſpicuū. mala enim quæ noſcuntur, poſſunt curari, ignota non: ſic vulnera ſecreta ſunt periculoſiora. His igitur tribus rationib. perſpicuū eſt, intēperantiam impotentia eſſe deteriorē. Quartam de proæreſi ſupra expoſuit cap priore, & paulo infra attingit, τὸ μὲ γὰρ παρὰ, &c. Quintam quoq; affert infr. *hoc cap. & in Magn* iſtā, quia intēperans principio eſt or-batus, impotēs non itē, ſed hoc ipſo hoc cap. infr. explicabit.

αὐτῶν δὲ τούτων.] Expoſito impotentem intemperante eſſe meliorem: hic, quia priore capite duo ſunt allata impoten-tium genera, quorum alter temeratius, alter imbecillus, ex-quirit, horum ipſorum vter ſit melior. Ait igitur temerarium altero eſſe meliorem, duabus rationibus: quarum prior, quia ab leuiore motu & cupiditate vincatur imbecillus, grauiore & acriore temerarius. Formula:

> *Qui leuiores animi motus non reprimit, & à leuioribus voluptatib. ſuperatur, deterior eſt eo, qui acriores ha-bet motus, & grauioribus demum ſuccūbit volupta-tibus, quod explicat ſupra cap. priori.* πανὴ δὲ αὖ δό-ξειε, &c. & οὐ γὰρ οὐ τῆς ἴχυρον, &c.
>
> *Atqui imbecilli motus ſeu perturbationes ſunt leuiores, temerarii motus & cupiditates ſunt acriores.*
>
> *Ergo hoc ille eſt deterior.*

Aſſum-

Aſſumptionis ratio explicata eſt ſupra cap. priore extremo, μὲν γὰρ διὰ τὴν, vbi dictũ temerarios partim acutos eſſe, partim melancholicos, quorum illi celeres & intenſos, hi graues & acres habeant animi motus: lentiores vero & ſedatiores motus eſſe eorũ impotẽtium, quos imbecillos diximus. Eandem aſſumptionem ſimilitudine quadam explicat Ariſt. hoc loco ſupr. & infra *cap. 10.* impotẽs omnis ebrio cõparatur. Notum aũt alium alio facilius vino tentari & inebriari. vt igitur exiguo quidem vino nõnulli inebriantur: ita & imbecille impotentes leui de cauſa cõmoueri ſolent. Sic accommodandam in his verbis, ὅμοιος γὰρ ὁ ἀκρατὴς, ſcil. imbecillus, ſimilitudinem puto. Altera ratio, καὶ οὐκ ἀπροβούλευτοι, [difficile enim eſt reſoluere libros Ariſtotelis, quia ſunt fragmenta, Ciceronem & Platonem propter bonũ ordinem explicare facilius, παντολογίαι innumerabiles in Ariſtotele] quia imbecillus non ſit abſque conſultatione, temerarius contra. Formula:

Qui deliberato peccat, eo qui non deliberato, eſt deterior, de quo ſupra lib. 3.

At imbecillus deliberato peccat, temerarius nõ item, hoc ſupra priore cap. οἱ μὲν γὰρ βουλευσάμενοι, *&c.*

Ergo hoc ille eſt deterior.

Et hanc rationem quidem attingit Ariſt. *in Magn.* vbi monet virum bonum non temere ſeu facile [non temere dicunt veteres facile: hoc perſpicuum, alterum elegantius, non temere redderet hoc loco obſcuritatem] imbecille impotentem eſſe, propterea quod deliberatione quadam & conſulto is peccet.

ὅτι μὲν οὖν κακία.] Expoſita breuiter impotentiũ inter ſe cõparatione, redit ad priorem de cõparatione impotentiæ & intemperantiæ, atq; adeo vitioſitatis, qua explicatum fuit, intemperantiam impotentia eſſe deteriorem [multa hic iteranda vt perpetuitas orationis, & diſputationis Ariſtotelicæ cernatur.] Atq; adeo impotentiam proprie non eſſe vitiũ, quod idem poſterius hic rurſus & quidem diſtinctius explicat. nam proprie quidem nõ eſſe vitiũ, docet hac ratione, quia hoc ſit cum proæreſi, illa non item; [ſic vitium omne cum proæreſi, impotentia non eſt cũ proæreſi] conuenire tamen aliqua ex parte cũ vitio, ſeu eam eſſe vitiũ aliqua ex parte: πῃ, vt loquitur Ariſt. nempe factorũ ratione. Impotentia inquam ratione habitus non eſt vitiũ, ratione factorum ſeu actionũ ex habitu

promanantiũ eſt vitium. nam impotentes nõ ſunt illi quidem vitioſi, vitioſe tñ faciunt: nõ ſunt illi iniuſti, iniuſta tamen faciunt. Alludit .n. ad ea, quæ ſupra *lib.5.* ꝙ eleganti Demodoci Mileſii in ciues ſuos epigrammate explicat. nam Mileſios ille ſtultos quidẽ & imprudentes nõ eſſe dicere ſolet, ſtulte tamen & imprudenter facere: quemadmodũ & olim de Athenienſibus Laco, ſcire quidẽ eos, quæ recta ſint, ſed facere nolle, vt eſt apud Cic. *lib. de Senectute.* Demodoci aũt huius meminit & Laert. *in Biante*, quem vocat eo loco Demodicũ Alerium.

ἐπὶ δὲ ὁ μὲν τοιοῦτός ἐστιν.] Sit hæc velut altera huius capitis pars. Nam priore quidem poſtquam docuit hoc potiſſimum, impotentiam leuius, intemperantiam grauius eſſe malum, atque adeo illam vix eſſe vitium, vbi initio dictum intemperantem ſuorum factorum non pœnitere, ſed permanere in propoſito, impotentem contra: hoc loco eaſdem affectiones rurſus inter ſe comparat, ea parte, qua dictum, alterum in ſententia permanere, alterum non item, & explicatur huius differentiæ ratio latior, cur inquam impotens de ſententia & propoſito facile deſiſtat, intemperans non item. Quo pertinet quæſtio quarta ſupra *cap.6.* Ratio igitur, cur impotens ſit εὐμετάπειστος ἀκρατικὸς facile de ſentẽtia deſiſtat, intemperans non item, hæc eſt, quod huic plane perſuaſum ſit voluptates perſequendas eſſe, illi non item. Formula:

Cui quid eſt perſuaſum, ægre is deduci de ſententia poteſt: cui nihil, facilius, quod per ſe eſt perſpicuum.

At intemperanti perſuaſum eſt voluptates eſſe perſequendas, impotenti non item.

Ergo hic illo de ſententia facilius deducitur.

Propoſitionis ratio. nam & D. Auguſtinus hoc principio docet, cur Chriſtiani olim religionem ſuam difficillime deſeruerint. Hinc ethnici facile deſerunt, ſtatim abnegant, diſcedunt de ſententia: Chriſtiano vero ſumma & æterna gloria propoſita. perſuaſum eſt Chriſtiano, ethnico non; non habent enim diſciplinam aliquam de religione, quæ in opinione leui erat à maioribus accepta, ea de cauſa facile poterant depelli. Sic hodie, qui firmiter inſtituti in præceptis veræ religionis, mille mortes malunt perpeti. Pontificii ſtatim diſcedunt, malunt viuere confeſſores, quam mori martyres.

Aſſumptionis ratio, ἐπεὶ ὁ μὲν τοιοῦτος, quia intemperans ita eſt af-

eſt affectus & informatus, impotens non item, vt perſuaſerit, aut non perſequendas ſibi eſſe voluptates. Ita autem affectos eos eſſe, argumento eſt, quod in intemperante principium ſit extinctum, in altero non item. Cur ita? quia principia conſeruantur virtute, amittuntur vitio, de quo mox. Iam vero notum eſt intemperantiam eſſe vitium, impotentiam non item. Principia autem harum rerum ſeu diſputationem eſſe extrema ſeu fines rerum agendarum, ad quos conſilia omnia ſpectent & referantur, notum eſt ex *lib. 1. cap. 12. & lib. 5.* Nam vt in mathematicis ὑποθέσεις, tanquam fundamenta & principia omnium diſputationum mathematicarum, quibus non conceſſis aut poſitis, ne latum quidem vnguem progredi poſſint mathematici: ita & in Politicis, extrema rerum agendarum ſunt earundem principia. [Verbi gratia turpe eſt, procedere muliebri veſte in publicum, eſt principium Politicum; nefarium munus afferre parenti.] Dicet aliquis, quid ergo? quid virtus aut vitium ad principia? an alia ratione ea cognoſci non poſſunt, aut teneri ea nequeunt, quam virtute, amitti quam vitio? minime: neque enim principia, vt & in Mathematicis aliiſque omnibus diſciplinis, vt ratione doceri non poſſunt, ſed vel inductione & ſenſu, vel vſu percipiuntur & tenentur, quod ſupra explicatum, *lib. 1. cap. 7. in fin.* ita & Politica principia ratione doceri nequeũt, ſed virtus eſt illa, quæ principiorum Politicorum notitiam affert & fidem rectumq; de iis iudicium: Virtus inquam tam naturalis, quam vſu parta ſeu moralis, qua de re ſupra *libro 6. capite extremo, & cap. 8.* Itaque principia Politica, quia vſu & virtute tenentur, ratione vero non docentur, perſpicuum eſt eos, in quibus nulla virtus principia quoque cernere non poſſe, neque vlla ratione aut diſputatione ad meliora perduci; cuius generis eſt intemperans: contra vero, in quo ſaluum eſt principium, neque vitiis plane extinctum, poſſe eum de ſententia dimoueri, & ad meliora perduci, cuius generis eſt impotens. Ariſt. igitur confecta hac de principiis digreſſiuncula, eam accommodat priori diſputationi, ꝙ ipſum nos iam fecimus. Is igitur inquit, in quo principiũ eſt ſaluũ, atq; adeo, in quo virtus, vt de principio recte iudicet, in voluptatib. quidẽ eſt temperans: in quo periit, eſt intemperans. In quo denique perturbatio cum recta ratione ſeu principio confligit, idque efficit, vt impotens contra rectam rationem perturbationi cedat, non tamen per-

ſuaſerit plane ſibi ita agendum, vt intemperans, is inquam eſt impotens: qui vero perturbationi non cedit, eſt continens. Ex his duo hæc ſunt ſummopere obſeruanda. Alterum in impotente ſaluum remanere principium, id eſt, rationem & rectum iudicium non eſſe vitiatum; qua maxime re, ſeu nota differat impotens ab intemperante. Alterum eſt, perturbationum in impotente eam quidem eſſe vim & poteſtatem, vt abducat impotentem ad facta rectæ rationi repugnantia: non tamen vt auferat ipſam rectam rationem, vt impotenti perſuaſum ſit, ea eſſe facienda, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

In comparatione harum affectionum, quia ſæpe mentio eſt facta permanſionis in ſententia, & contra, accuratius de ea re hic explicat, quo diſſoluitur quæſtio quarta, ad quam & ſecunda ſentẽtia. Hoc igitur primum, quo explicato ad eandem comparationem redit, atque ita duæ ſunt ſummæ huius capitis partes, de poſteriore infra, ἐπεὶ δὲ ἐστί τις, &c. priore duo fere explicantur: Alterum, de continente & impotente: alterum eſt de iis, qui cum illis cognationem quandam habere videantur.

πότερον οὖν ἐγκρατὴς.] Quærit igitur, & quærentis more explicat, quod idem & ſupra quæſitum *cap. 4.* cum priore capite dictum ſæpe ſit, permanere in ſententia intemperantem, neque poſſe vlla ratione deduci; impotentem vero & illum quidem eſſe mutabilem & ſui ſe facti pœnitere. Quærit igitur; An continens is ſit, qui cuiuſq; modi in ratione tam falſa, quam vera, in quouis propoſito tam recto, quam prauo perſtet, impotens qui non perſtet. An vero ille quidem, qui in vera ratione & recto propoſito, hic in falſo & prauo non permaneat. Diſſoluit eam quæſtionem Ariſtoteles vſitata diſtinctione, qua eſſe aut fieri quid dicimus per ſe, vel ex euentu. per ſe id vocat, quod aliàs fere ἁπλῶς ſimpliciter & abſolute; ἁπλῶς δὲ λέγομεν, &c. qua clauſula ſubindicare videtur id, quod per ſe, idem eſſe proprie & vere, alterum non item. Per ſe autem id dici ait, cuius cauſa ſeu natura aliud expetitur; hoc autem quod alterius cauſa expetatur ex euentu, εἰ γάρ τις, &c. verbi gratia, exercitatio ſeu medicamenta, quæ valetudinis cauſa

cauſa expetuntur, ſunt illa ex euentu, hæc per ſe: omnes denique omnium rerum fines & extrema ſunt per ſe, ea quæ ad fines, ex euentu. Ad hunc igitur modum per ſe & vere continens is erit, qui in ratione aut dogmate vero non falſo, atque in proæreſi recta & iuſta permaneat non ſuccumbens perturbationibus aut voluptatibus: ex euentu autem is continens erit, qui alia qualibet in ſententia, etiam falſa pertinaciter inhæreat. Contra impotens erit per ſe, qui de vera ratione & recto propoſito voluptatibus aut cupiditatibus detorqueatur facile: ex euentu, qui etiam de qualibet vera licet aut proba ſententia deſiſtat. Ratio autem huius diſtinctionis ab Ariſtotele quidem prætermiſſæ hæc mihi eſſe videtur, quod continentia quædam ſit virtus inchoata, impotentia vitium. Ex quo efficitur, vere continentem eſſe eum, non qui in ſententia, vel improba, vel falſa (hoc enim vitioſum) ſed qui in vera & virtuti conſentanea perſeueret. Conſtantia igitur & permanſio in ſententia per ſe laudem non meretur, ſed ex euentu: quæ ſi ſit in re laudabili, iam per ſe eſt bona; ſi in vitioſa, iam per ſe eſt accuſabilis & improba.

εἰσὶ δὲ τινες οἱ τοῖς.] Alterum eſt prioris partis membrum, quo prius velut exemplis explanatur & confirmatur. Eſt autem hoc de iis continentibus & impotentibus, quorum quoſdam non per ſe, ſed ex euentu tales eſſe iam diximus. De continentibus quidem prius: Sunt, inquit, qui in ſententia permaneant, qui Græcis dicuntur *ἰσχυρογνώμονες*, latine Pertinaces. Nam peruicaces his affines in bonis rebus ſæpe dicuntur [pertinaces ſemper in malis] teſte Poëta Pacuuio apud Nonium in verbo *peruicacia* [peruicax & in bona & in mala re ſumitur] horum [pertinacium] naturam & ingenium elegãter hoc loco depingit Ariſtoteles. 1. eſſe eos *δυσπείστους καὶ οὐκ εὐμετάπειστους*, quibus vix aut ne vix quidem perſuadere quid poſſis: cuius generis ſunt, qui Græce *ἰδιογνώμονες* eleganter dicuntur, quos puto eſſe, qui ſpretis vſitatis, nouam ipſi rem aut opinionem inuenerint, eamque pertinaciſſime tueantur. [Sunt elegantiſſima vocabula, non poſſumus latine dicere.] Hoc enim genus homines eſſe pertinaces, notum eſt, de quibus eleganter Ariſtot. eos ita tueri ſua inuenta ait, tanquam leges & *ψηφίσματα*: & eum imitatur Cic. *in Lucullo*, ſed generaliter de omnium Philoſophorũ decretis ſeu dogmatis; *quorum*, inquit, *nullum ſine ſcelere prodi poteſt*. Cum enim decretũ

prodi-

proditur, lex veri rectiq; proditur. Et *lib. 2. de fi. nobilis*, inquit, *eſt Philoſophi ſua decreta audacter tueri* [deridet ibi Epicuræos.] His Idiognomonibus affines ſunt, qui in Magiſtrorum præcepta iurare vulgo dicuntur, quales grauiſſime reprehendit Plato *in Theæteto* Heraclitios [Heracliti ſectatores] omnia mordicus tuebantur, nihil largiebant.] Ex hoc pertinacium genere ſunt & homines indocti & imperiti, vtpote qui nihil recte factũ putent, quam quod ipſi fecerint, inquit Poëta, atque ſint plærumque impudentes, inquit Thucydides, & p inde audaces, præfracti & pertinaces. Ex eadem claſſe ſunt & homines agreſtes, ſeu inhumani, de quibus dictũ illud Terentii verius accipiendum videatur; *homines*, inquam, *rerum & hominum imperiti, in congreſſibus moroſi & difficiles*, de quibus ſupra *lib. 4. cap. pen.* nam vt præclare Plutarchus *in vitiis* hominem Politicum nulla fere virtus magis decet, quam eſſe patientem, non pertinacem, non ſolum velle ſapere. De Catonis quoque pertinacia ſæpe conqueritur Cic. ſuam vero in regenda ſententia moderationem & pro temporum varietate mutationem exponit *lib. 1. epiſtolarum ad Lentulũ*. Socrates quoq; à Laërtio dicitur *ἰσχυρογνώμων* aduerſus improbos fuiſſe. Pertinaces igitur ſunt illi quidem continentibus ſimiles, vt profuſus liberali; audax forti, in eo nimirum, quod vterq; in ſententia perſtet, diſſimiles tamen, quia cum duabus fere fiat rebus, vt de ſententia diſcedamus, aut ratione edocti melius puta, aut perturbatione victi, nempe voluptatibus aut doloribus. Quod inquam continens non hoc ſed illo: pertinax verò non illo ſed hoc potius modo de ſententia diſcedat. Continẽs namq; perturbationibus reſiſtit, neq; ab iis patitur ſe detrudi de vera ſentẽtia: perſuaderi tamẽ ſibi ratione, ſi qua vt ſit melior afferatur, facile patitur. At pertinaces nullam audiunt rationẽ, qui tamen cupiditatibus ſæpe tentantur, & voluptatib. abripiuntur & auferũtur. Multos enim videas pertinaces, qui de vita potius, vt inquit ille, quam de ſententia diſcedere malint, ſi ratione cum iis pugnes, iidem voluptatũ eſca aut queſtu irretiti, ſæpe de ſententia deſiſtunt. Ex iis autem pertinacibus qui idiognomones, perſpicue nõ tam honeſti aut rectæ rationis tuendæ cauſa, quam ob voluptatem aut dolorem ſeu moleſtiam in ſententia perſtant. Gaudere namq; hos videas tanquam victores, ſi perſtent, neq; refellantur: dolere contra, ſi ſua tanquam leges aut decreta abrogentur & euertantur.

Itaque

Itaque hi non tam continentes, quam ſimiles ſunt impotentibus, vt qui peræque voluptatibus & moleſtiis commoueantur. Non ſunt igitur pertinaces vere continentes, vt qui rationem non audiant, ſed impotentes potius, qui voluptatibus & moleſtiis commoueantur.

εἰσὶ δέ τινες.] Non vere continentium aut impotentium, alii ſunt, qui permaneant in ſententia, de quibus dictum eſt. Nunc de iis, qui non permaneant, quod impotentiæ quidem eſt proprium, qui tamen vere non ſint impotentes. Et hi duorum ſunt generum. nam ſi honeſta quis voluptate permotus, non perſtet in propoſito, non propterea erit impotens, qualis fuit Neoptolemus, de quo & hic & ſup. dictũ *c. 2.* vbi de quæſtionibus. Is namq; intemperãs, improbus aut vere eſt impotens, nõ qui honeſtas, ſed qui turpes voluptates perſequatur.

ἐπεὶ δ' ἐστί τις.] Alterum eſt genus non permanentium in ratione, qui & ipſi tamen non vere ſint impotentes, vitioſi licet; qua re à prioribus differunt. Hi ſunt qui minus quã oporteat, voluptatibus corporis capiantur, ne honeſtis quidem & rectæ rationi cõſentaneis, ſtupores potius quã homines & ἀναίσθητοι, de quibus ſup. *lib. 3. in fin.* dictum eſt, vbi tamen de iis, qui perfecto iam habitu, hic qui inchoato ſint præditi. Hi igitur ab ratione diſcedunt; neq; tamen vere ſunt impotentes; quia hi ob nimias, illi ob nullas voluptates rationem deſerant. Iam vero, quia hi duo, alter ob nimias, vt dictũ, alter ob nullas voluptates, neuter certe in recta perſtet ratione: continens inter hos duos, velut medius eſt interiectus & perſtat, neq; mutat δι' ἕτερον, nempe, neq; ob nimium, quod facit vere impotens, neq; ob parum, quod facit alter, ſed perſtat potius in ratione, eamq; ſequitur, neq; in hanc, neq; in illam partem voluptatibus aut cupiditatibus detorquẽdus. Eſt igitur, vt aliæ virtutes, & continentia mediocritas quædam, inter impotentiam, vt nimium & ſtuporem inchoatũ, vt parum, interiecta. Quarum trium affectionũ, quia media perſpicue eſt bona & laudabilis: cæteras duas inter ſe contrarias malas eſſe, vt & vulgo habẽtur φαίνονται & accuſabiles neceſſe eſt. Harũ tamen altera, quia in paucis reperiatur, & vix appareat (rari namq; ſunt, quos nulla attingat voluptas, quod ſup. dictũ *lib. 3.* vbi de ſtupore) ea re fit, vt & nomine vacet, & non tam huic quã alteri: quæ impotentiæ, vulgo videatur contraria eſſe cõtinentia, quod idem de temperantia & intemperantia accidere hic ait Ariſt. & ſup. explacuit *lib. 3. latius.* ἐπεὶ

ἐπὶ δὲ καθ' ὁμοιότητα.] Altera huius cap. parte, rurſus de comparatione harum affectionum temperantiæ & continentiæ, intemperantiæ & impotentiæ, de qua & modo agi cœptũ. Vulgo, quod & ſup. *c.4.* dictum, qui temperantes, dici quoq; ſolent continentes, confuſis nominibus Hoc, inquit Ariſt. ex ſimilitudine accidit, vt multa alia, de quibus ſup. *lib 3* vbi de fortitudine & alibi, multi dicuntur fortes propter ſimilitudinem, qui tamen non ſunt. Nam vterque verſatur eadem in re, corporis videlicet voluptatibus, vterque rectæ rationi congruenter. Hactenus igitur conueniunt: differunt tamen. Primũ, quod continens cupiditatibus ſeu perturbationibus afficiatur, temperans vacet omnibus perturbationibus, quod & ſupra dictum *cap. 2. quæſt. 3. & c. 4.* & mox ex Plutarcho dicetur. Deinde quod temperans nulla delectetur turpi voluptate quæque rectæ rationi aduerſetur: continens vero delectetur illa quidem, ſed non ſuperetur. Sic igitur continens & temperans conueniunt & differunt, qua de re mox latius. Contra & intemperans & impotens aliqua ex parte ſunt ſimiles. nam & hi in materia conſentiunt, vterq; corporis voluptates perſequitur: differunt tamen, quod intemperans corrupto iudicio eas ſibi perſequẽdas plane arbitretur, impotens non item. Vt autem ſummã vniuerſæ prioris diſputationis faciamus, quod quidem ad ſimilitudinem & diſſimilitudinẽ harum affectionũ pertinet: intemperantia quidem eſt cum proæreſi, impotẽtia non item *cap. 3. 4. 6. 7.* illa vacat cupiditatibus, hæc perturbatur. Sic & temperantia tota eſt tranquilla, cõtinentia non itẽ, *cap. 4. & 7.* illa putat voluptates etiam turpes perſequendas, atque adeo ſibi iam perſuaſit, hæc non item, *cap. 3. 8. & 9.* illa gaudet, hæc dolet in voluptatibus perſequendis. Sic & temperans plane aſpernatur turpes voluptates, cõtinens non plane aſpernatur *cap 9.* illa deterior & nequior eſt, quam hæc *ca. 7. & 8.* illa inſanabilis, hæc contra *cap. 8. & 7.* illa immutabilis, hæc contra *cap. 8* illa perfectum vitium, hæc inchoatum, *cap. 8. 9. 10.* illa principio, id eſt, recta ratione penitus eſt orbata, hæc non item *cap. 6. & 8.* Plutarchus *in libello de virtute morali* copioſe de hac affinitate, & diſſimilitudine harum affectionum explicat: nam temperãtiam quidem rationem habere, quæ plane dominetur perturbationibus, volentibus & parentibus: continentis autem rationem perturbationibus imperare tanquam equis indomitis, & quibus freno ſit opus, inquit,

inquit; eaque re, quia inquam in illa cupiditates plane rationi ſint accommodatæ, in hac non item, illam quidem perfectam eſſe virtutem, hanc inchoatam, eandemque eſſe rationem intemperantiæ & impotentiæ; quas tam rebus & factis, quam dictis & oratione inter ſe diſcrepare, factis quidem, quod in impotente ratio vincatur à perturbationibus, in intemperante ne repugnet quidem: in illo ratio cupiditates ſequatur, ſed contradicens, in hoc adiuuans & conſentiens: ille doleat. hic gaudeat peccatis; inuitus quidem ille, hic volens. Sic & in dictis, intemperans quidem ait: *Ede, bibe, lude, cras enim moriemur.*

At impotens:

Video meliora, proboq; , deteriora ſequor.

Videantur & aliorum Poëtarum apud Plutarchum teſtimonia. Obſeruandum eſt autem & hoc capite afferri & aliam impotentiæ & continentiæ diuiſionem; alteram namq; eſſe per ſe & ſimpliciter, alteram ex euentu. Atque ita, vt & huius rei ſummam faciamus, duæ ſunt continentiæ diuiſiones, impotentiæ tres. Continentia namque partim eſt abſolute & proprie, partim cum adiunctione *cap. 4. & 5.* Rurſus partim eſt per ſe, partim ex euentu, *hoc cap.* Impotentia vero eſt & illa partim abſolute, partim cum adiunctione, & hoc quidem bifariam. Nam impotentia partim eſt humana, partim beluina, partim denique morboſa. Humana rurſus partim eſt abſolute, partim cum adiunctione, atque ita pars quædam humanæ impotentiæ eſt ſimplex & abſoluta: cæteræ omnes ſunt cum adiunctione, ſupra *cap. 4. & 5.* Rurſus impotentia partim eſt temeraria, partim imbecilla *cap. 7.* Eſt denique vel per ſe, vel ex euentu *hoc cap.* &c.

CAPVT X.

COMMENTARII.

οὐδ' ἅμα φρόνιμον καὶ ἀκρατῆ.] Duo potiſſimum hic afferuntur: prius de cognatione aut diſiunctione prudentiæ & impotentiæ; alterum de bonitate impotentiæ & vitioſitate. Priore quidem membro explicatur quæſtio ſup. *cap. 2* expoſita, fierine poſſit, vt vnus idemq; ſit prudens & impotẽs: & non poſſe quidẽ, docet duabus rationib. Prior eſt, quia prudens nemo ſit, niſi vir bonus, de quo ſupra *lib. 6. cap. vlt.* Impotentem a.

vitioſum

vitioſum eſſe aliqua ex parte, notum eſt, & mox explicabitur, vbi de bonitate & vitioſitate. Altera ratio, quia prudens non is eſt, qui quæ ſint agenda, norit dũtaxat, ſed practicum quoque, hoc eſt, agere & ipſum oportet, de quo & ſupra *lib. 6.* At impotens videt & nouit meliora, non tamen agit, ſed ſequitur deteriora, de quo ſupra *cap. 3.* Cæterum etſi vnus idemq; prudens & impotens eſſe nequit, poteſt tamen vnus idemque eſſe impotens & δεινὸς callidus, vafer & ſolers, cui, quia cum prudente magna eſt cognatio, exiſtimauerant alii, impotentem poſſe eſſe & prudentem, ſed perperam. Nam differunt ſolers & prudens, non quidem ratione materiæ; vterque namque in rebus eſt agendis, ἐν τοῖς πρακτοῖς, ſed προαιρέσει & cõſilio. nam prudens ſemper bonum ſpectat ſcopum, ſolers nõ ſemper, vt ſupra dictum *lib. 6. ca. vlt.* Ex his perſpicitur, quod ſupra latius eſt explicatum *cap. 3.* Impotentem ſcire quidem, quæ ſint agenda, quæ ſint facienda, non tamen ita ſcire, vt & ad vſum ſcientiam accommodet: *non ſcit*, inquit Ariſtoteles, *& contemplatur, ſed eſt tanquam ebrius aut dormiens.* nam contemplari eſt agere. Sit igitur & non ſit pro diſcrimine habitus & vſus; qua de re ſupra.

καὶ ἑκὼν μὲν τρόπον.] Hic alterum ſit membrum, quo docet, impotentem non eſſe perfecte vitioſum, hac ratione, quia ſit abſque proæreſi: nullum autem vitium conſtat eſſe abſque προαιρέσει ſupra *lib. 3. cap. 4. & 5.* non eſt igitur cum proæreſi impotens, mala vtique & improba. quia tamen ſponte & ſciens quodammodo, id eſt, generaliter, nõ ſingulariter (de quo ſupra *cap. 3.*) ea re eſt, inquit, ἡμιπόνηρος ſemimalus. Adiungit impotentem quoque non eſſe iniuſtum, quia fraude & inſidiis non vtatur, quod & ſupra dictum *cap. 6.* Cur ita? nam impotens eſt omnis vel temerarius vel imbecillus: ille non conſultat, hic conſultat quidem, ſed in conſultatione non perſtat. neuter igitur vere conſultat. At fraudes, inſidiæ, & doli abſque diſputatione & deliberatione non fiunt. Formula:

In quibus non eſt conſultatio, in iis nec fraus, & proinde nec iniuria.

At in impotente nulla vere eſt conſultatio, de quo ſupra cap. 3. in fin.

Ergo in impotente neq; fraus neq; erit iniuria.

Quare eleganter Ariſtoteles, impotentem comparat ciuitati,

cuius

cuius bonę quidem & præclaræ ſint leges & inſtituta, quarum tamen vix vlla vtatur. Quemadmodum & Anaxandrides (de cuius comici moroſa ſenectute Athenæus *lib. 9*) in Athenas illudens: *Vrbs*, inquit, *deliberat, cui leges non ſunt curæ.* Huic igitur ciuitati ſimilis eſt impotens; at vere improbus ei ciuitati eſt ſimilis, quæ legibus illa quidem vtatur, ſed malis & improbis.

ἔςι δὲ ἀκρασία.] Hoc ſupra explicatum *cap. 7.* quod videlicet impotentia cernatur in iis voluptatibus, quas plærique mortales poſſunt reprimere, non in voluptatibus, quibus interdum boni obſiſtere nequeunt, ſed etiam in iis, vbi plæraq; pars & multitudo ſe continere poteſt. Continens, vbi plærique ſe non continent, ille tamen ſe continet.

διὰ ποτέρα δὲ τῶν.] Etiam hic de impotentiæ vitioſitate, verum prius, impotentiam cum vitio, hic impotentiæ genera inter ſe comparat. nam cum ſint duo, temerarium vnum, alterum imbecillum, ait temerariam imbecilla eſſe meliorem & ſanabiliorem. Ratio eſt, quia hæc ſit cum deliberatione, illa non item, ſed hoc & ſupra explicatum *c. 7. in fin. & 8.* Rurſus impotentes conſuetudine iis, qui natura, de quo diſcrimine ſupra *cap. 5.* item eſſe ſanabiliores & meliores. Ratio hic affertur, quod natura difficillime, & ne vix quidem ex vi poſſit, conſuetudo contraria conſuetudine tolli poſſit. nam naturam difficilius tolli quam conſuetudinem, cum per ſe eſt clarum, tum ex eo, quod & hoc ipſum, cur conſuetudo difficulter plærumque tollatur, ex eo fieri dicatur, quod pene altera ſit natura, & in eam tandem abeat, vt eleganter Euenus Poëta ait: cuius hic verſus hac de re, & alios eiuſdem *libro 2. Eudem. cap. 5. & lib. 1. Rhet.* affert. Certe hac ipſa ratione Ariſtoteles *in Magn. lib. 2.* docet, intemperantiam impotentia eſſe deteriorem, quod illa ſit velut naturalis vitioſitas, hæc conſuetudine parta, &c.

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Virtutibus & vitiis, iis videlicet, quæ proprie ad Ethicen pertinent, abſolutis; tractatus de voluptate & amicitia incipit.

περὶ δὲ ἡδονῆς καὶ λύπης.] Adhuc explicatum eſt de virtutibus tam morum, quam rationis, tam perfectis, quã inchoa-

tis:qua confecta explicatione, videri poterat perfecta omnis de moribus tractatio. Verum, vt ea tamen perfectius abſoluatur & plenius: duo præterea explicanda ſuſcipit his libris Ariſtoteles, de voluptate & amicitia. Et de voluptate quidem, cur explicandum ſit in his libris *initio cap. 11.* huius rationes affert. De eadem & infra *libro decimo primis 5. capitibus* explicatur, *& in Magn. libro ſecundo & capite ſeptimo.* Quæ explicatio de voluptate vt melius intelligatur, præter interpretes videantur ex veteribus Plato *in Philabo, Protagora, & libro nono de Republica*, ſed maxime *in Philabo*, quem totum Dialogum hic refellit Ariſtot. [plus enim quam 20. Dialogos Platonis, his libris Ethicorum & Politicorũ refellit Ariſtot.] *libro 2. τῶν ἀπομνημονευμάτων.* Cicero *lib. 1. & 2. de fin. & 3. Tuſcul.* Ex recentioribus Marſilius Ficinus *lib. de voluptate*, [præclarus liber, adoleſcens ſcripſit, ſatis longus copioſus. ille omnia Ariſtotelis contra Philæbum refellit] Eraſmus *in colloquio extremo*, & Flamminius, nobilis Italus [Duos habuit elegantes Italia Philoſophos, Flamminium & Vincentium Magium, hi ſcribunt eleganter, reliqui ſunt barbari] in libris de voluptatibus omnium pulcherrimis. Ariſtotelis autem de voluptate diſputatio, duas in partes ſecari poteſt. quarum in priore, quæſtiones & controuerſiæ, altera explicationes, vſitato Ariſtoteli more, exponantur. Et quidem hoc capite de priore agitur.

περὶ δὲ ἡδονῆς.] Quia quæri poterat [Ariſtoteles non ſolet alienum admiſcere ſuis diſputationibus, quod imperiti Dialectici faciunt, qui neſciunt, quid quoq; loco dicendum, cum incipiunt tractationem de moribus, addũt Theologica, Phyſica, ita confundunt artes. Ariſtoteles itaque, quando nouam orditur, quæſtionem mouet, an ſit aliena diſputatio, priuſquã ad rem accedat de methodo præmittit, & de voluptate agendum etiam in his libris oſtendit] quæri, inquam, poterat, an diſputatio de voluptate ad Politicam ſcientiam, quæ his libr. explicatur, pertineat, aut certe de ea hic ſit explicãdum quoque, id initio monet. Et quidem de voluptate quoque in Politica explicandum eſſe docet duabus rationibus, quas & infra *libro decimo, capite primo, & in Magn. libro 2. cap. 7.* iterat. Prior eſt, quia ea quæ ad finem ſeu de ſummo bono explicare proprium ſit Politici, quod ſupra eſt demonſtratum *lib. 1 cap. 1. & 2.* Atqui voluptas vel ipſa eſt beata vita multorum iudicio,

cio, vel hæc certe abſque illa eſſe nequit, quod infra maxime *lib.10.* copioſe explicabitur. Formula:

De beata vita ſeu fine explicare, eſt Politici [non vt barbari loquuntur Ethici.]
Voluptas autem eſt vel beata vita, vel certe cum ea.
Ergo & de voluptate agendum eſt Politico.

Et hoc eſt, quod ait, ὅτος γὰρ τοῦ τέλους ἀρχιτέκτων: vbi quod ait, ex fine cenſeri quid bonum, quid rurſum ſit malum, explicatum eſt ſupra *lib.1. in princ. & lib.3.* vbi de voluptate [*cap.5.* ni fallor, quod nemo poſſit ſcire, an aliquid ſit rectum, an prauum: an turpe, an honeſtum, an bonum, an malũ: niſi ex ipſo fine. Fine propoſito bono & honeſto, ſtatim diiudicamus, an eius poſtea facta collinient ad ſcopum tanquam ad finem: mala vero προαιρέσει propoſita, malæ ſunt actiones] *& lib. 6. cap. pen & vlt.* Altera ratio, ἔτι δὲ καὶ τῶν ἀναγκαίων, qua docet Ariſtot. non tantum vtile eſſe politico de voluptate diſputationem (quod prior voluit ratio, qua ſola veteres Philoſophi ſunt vſi, teſte Ariſtotele *lib. 2. Magn. cap. 7.*) ſed etiam neceſſariam, quia virtutes & vitia in voluptatibus, & doloribus moderandis, tanquam in materia verſari ſupra explicatum, *lib. 2. cap. 3. & alibi.* Quare vt virtutum & vitiorum, de quibus in his libris potiſſimum agitur, cui & natura melius cognoſcatur, de voluptatibus profecto & moleſtiis agendum fuit. Formula:

Quæ ad virtutes & vitia pertinent, his in libris ſunt explicanda.
Voluptas autem & dolor, vt materia virtutum & moleſtiarum, ad has pertinent.
Ergo hic explicanda.

Subindicat & tertiam rationem infra *lib. 10.* quia de voluptate diſputatio ad vitam humanam pertineat. atqui notum eſt ex prioribus his libris explicari philoſophiam humanam. Quærunt autem interpretes, cur de voluptate Ariſtot. partim hoc libro, partim *lib. 10.* & non potius omnia vno eodemque loco explicarit. Reſpondẽt, diſſimili hoc factum ratione. nam hoc lib. de voluptate explicandũ fuiſſe, tanquã de materia & ſtrato continentiæ & impotentiæ: tollerantiæ & molliriæ, de quibus priore huius lib. parte eſt explicatũ. At *lib. 10.* quo lib. *de beatitud.* diſſerere conſtituerat, ea parte de voluptate explicat, qua videat vel eſſe ipſa beatitudo vel ei⁹ certe comes. verũ

meo quidem iudicio melius fuerat, vno in loco omnia complecti, quod ipſum & *in Magn.* ipſe fecit Ariſtoteles, & ni fallor *in Eudem.* Quare vel hoc aſſecutus eſſet Ariſtoteles, ne iterationibus (plæraque enim, quæ hic, ibi iterantur) longior eſſet, & obſcurior.

διὸ καὶ μακάριον.] Quod dictum beatitudinem eſſe cum voluptate, vel ipſam potius quorũdam iudicio voluptatem (qua de re infra copioſe *lib. 10.*) leuiter hic verbi Græci notatione confirmat. nam Græcorum *μακάριον*, dictum quaſi *μαχαίρεον*, ſeu propius quaſi *μαχαίρεον, παρὰ τὸ χαίρειν*, & particula *μα, αὐξητικὴ* auget & affirmat magis.

τοῖς μὲν οὖν δοκεῖ.] Expoſito breuiter ordine; nunc ad rem. Affert igitur tres diſſimiles de voluptate ſententias philoſophorum ſuæ ætatis. nam eſſe quoſdam primum, quibus nulla voluptas bonorum in numero habenda videatur, neq; per ſe, neque ex euentu (hoc infra explicabitur capite proximo) quibus inquam non idem videatur bonum & voluptas, *οὐ γὰρ εἶναι τὸ αὐτό.* nam hæc à Platone ſumpta eſt phraſis *in Philebo.* [callidiſſimus omnium Philoſophorum Ariſtoteles] Eſſe & alios, quibus voluptates partim bonorum habeantur in numero, partim non item, hoc eſt, qui voluptates alias faciant bonas, alias vitioſas. Eſſe denique, quibus voluptas bonum quidem eſſe videatur, ſed non optimum. In his tribus confirmandis & refellendis vertitur tanquam in cardine tota Ariſtotelis diſputatio. non habet hanc rationem Methodicam Ariſtoteles, quam Stoici. Omnis diſputatio à definitione proficiſcitur: An vero in omnibus libris exordiendum à definitione. Pulcherrima pars Dialecticorum librorum *μεθοδικῶν* periit in Ariſtotele, & nunc in ſcholis.

ὅλως μὲν οὖν.] Hoc loco priores ſententias ſuis quamque rationibus deinceps ordine confirmat, ſed poſtea non refellit. Nam voluptatem in bonorum non eſſe numero, ſex confirmat rationibus hoc quidem loco; duabus aliis *lib. 10.* duabus denique aliis *in Magn. lib. 2. cap. 7.* quæ rationes certe principes [primariæ, potiſſimæ, vt vulgo] ex Philæbo Platonis ſunt petitæ, quem hac diſputatione refellendum Ariſtoteles ſibi ſumpſit. Prima ratio, quia voluptas omnis eſt ortus [*γένεσις*, generatio barbari. Cicero vertit ortum ſemper.] Formula:

Omne bonum eſt perfectum ſeu ad finem & perfectionem pertinet, hoc ſupra explicatum *lib. 2. c. 4. aut 5.*

Nullus

Nullus autem ortus eſt perfectus, ſeu (vt hic ait Ariſtoteles) fini non eſt cognatus, à fine eſt remotus.
Ergo nullus ortus eſt in bonorum numero.

Aſſumptionem confirmat Ariſtoteles exemplo domus. nam vt ædificatio nulla eadem eſt cum domo, ſeu non eſt domui abſolutæ cognata, ſed ab ea remota: ita & nullus ortus fini eſt propinquus & cognatus. Nam ædificatio eſt ortus ipſius domus. Confirmari eadem aſſumptio poteſt, alioqui per ſe facilis, quod rei finis ſeu perfectio omnis, alia profecto eſt à cōfectione ſeu factione ipſius rei ſeu molitione. Atqui ortus eſt molitio, pergens & tendens ad perfectionem & finem rei. Non eſt igitur ortus in bonorum numero, quia non perfectus. Iam vero voluptas ex horum ſententia Philoſophorum nihil eſt aliud, quam ortus ad naturam, qui ſenſu percipiatur, de qua definitione Platonis proximo capite, vbi & hanc & Ariſtotelis veriorem voluptatis definitionem explicabimus, dicetur. Formula:

Nullus ortus bonorum eſt in numero.
Voluptas eſt ortus.
Ergo non eſt in bonorum numero.

Hæc præcipua ratio, qua nitebatur Plato *in Philebo*, reliquæ ſunt faciliores & magis populares.

ἔτι ὁ σώφρων.] Altera ratio, quia temperans voluptates fugiat. Formula:

Quod vir bonus fugit, non eſt bonum.
Voluptatem fugit temperans vir bonus.
Ergo voluptas non eſt bonum.

Quæ bona, expetuntur à bonis, & quæ mala, vitantur à viris bonis. Sic temperans ille, qui ſe continet à voluptatibus, fugit voluptates.

ἔτι ὁ φρόνιμος.] Tertia ratio, quia vir prudens expetat & perſequatur indolens ſeu indolentiam, non vero iucundum ſeu voluptatem. nam, vt eſt apud Platonem *in Philebo*, res omnes vel ſunt iucundæ, vel moleſtæ, vel neutræ ſeu mediæ, & has duntaxat perſequi prudentem, hoc loco ait Ariſtoteles, vt cui ſatis ſit abeſſe à moleſtiis & doloribus, medio ſtatu cōtentus. [Vir enim prudens non quærit iſtas delitias, ſatis habet, ſi poteſt ſe tueri, ne ſit in moleſtiis & calamitatibus, non cupit dolores ſeu aſperas res, cupit medium ſtatum.] Itaque voluptas, vt quam prudens, qui idem & vir bonus eſſe debet

[hinc nullus vir prudens, quin ſit vir bonus] vt ſupra dictum *lib. 6. cap. vlt.* non perſequatur aut expetat.

ἔτι ἐμπόδιον.] Quarta ratio, quia voluptas menti & ſapientiæ ſit impedimento, & quidem quo maior, eo maiori: quod cernere licet in rebus Veneris, quarum voluptate captum videmus, nihil mente præclari agere aut cogitare poſſe. nam vt & Cicero *de ſeneƈt. impedit enim conſilium voluptas* [conſilium apud veteres mentem, rationem apud Ciceronem ſignificat ſæpe] *rationi inimica, ac menti*, vt ita dicam, *perſtringit oculos*, & Plato *lib. 8. Politiæ de voluptate:* βλαβερὰ μὲν, &c id eſt, nocet quidem corpori voluptas, ſed & animo, πρὸς τε φρόνησιν, καὶ πρὸς τὸ σωφρονεῖν ſcilicet ad ſapienter & modeſte viuendum. Impedit igitur mentis actiones, ſeu θεωρίαν voluptas. Impedit & πρᾶξιν, id eſt, non ſolum rebus contemplandis, ſed rebus quoque agendis impedimento eſt voluptas. Quod cum per ſe perſpicuum eſt, tum ex omnibus omnium gentium hiſtoriis intelligi poteſt. Nam Romanos & Lacedæmonios voluptatibus minime deditos, maxime in rebus gerendis excelluiſſe, notum eſt. Nam & Martem ipſum belli Deum fingunt Poëtæ voluptatis vinculis à Vulcano irretitum; nihil præclari gerere potuiſſe. Exemplo & illuſtri ſint Perſæ, de quibus Xenophon *libro octauo de diſciplina Cyri.* Imperium enim totius orbis tenuerunt, omiſſa veteri vita poſtquam ſe voluptatibus Medorum dediſſent, exuti omnibus imperiis. Idem Romanis accidit. Poſtquam enim voluptates ſectari cœperunt, Gotthi, Longobardi, Franci, & aliæ Germanicæ nationes, exuerant eos omni imperio. Luxus iam cœpit pullulare in occidentali parte, etiam in Germania. Locus hic eſt pulcherrimus.

ἔτι τέχνη οὐδεμία.] Quinta ratio, quia voluptatis ars nulla eſt: voluptas arte non patitur, ſed natura potius. Formula:

> *Quicquid bonum, arte efficitur ſeu paritur, artis eſt opus.*
> *Atqui voluptatis nulla eſt ars.*
> *Ergo non eſt in bonorum numero.*

Propoſitionis ratio, quia bonum recti rationi (quam artem dicimus) vt ſit conſentaneum, oportet, & hac quidem ipſa ratione *in Gorgia* Plato docere conatur Rhetoricam, quia non tam ſit ars, quam peritia quædam ſeu vſus, non eſſe in bonorũ numero habendam; quem tamen Platonem Ariſtides Rhetor

in 1. orat.

in 1. orat. aduerſus Platonem refellit. [Hic.n. ſcripſit 3. quibus defendit Rhetoricam aduerſus Platonem] neque verum eſſe, nihil eſſe bonorum in numero habendum, niſi quod ab arte proficiſcatur. Nam vt vaticinia furore à Pythiis prodita, non arte aut meditato, bonorum tamen etiam in numero, etiam optimorum & diuinorum eſſe, nemo negare audeat. Verum Ariſtidi reſponderi poteſt, hic agi de bonis humanis, non de diuinis, non de bonis quæ extra rationem & ſupra hominem, ſed de iis, quæ rationi conſentanea & naturalia, quæ timus. Aſſumptionis ratio ab Ariſtotele prætermiſſa, hæc eſt, quod voluptatis nullæ extant aut reperiantur artes.

ἔτι τὰ παιδία.] Sexta ratio, quia voluptates, & pueri & pecudes perſequuntur, ſiue vt *in Magn.* ait Ariſtoteles, quia voluptates ſint tam in improbis, quam in bonis, in pecudibus denique & beluis. Formula:

Bonum non eſt commune improbis aut beluis.
At voluptas etiam communis in iis eſt.
Ergo non eſt bonum.

Et hæ quidem ſex ſunt rationes huius loci: ſunt & aliæ quatuor. nam *in Magn.* & hæc affertur, quia voluptas optimum aut ſummum bonum eſſe nequeat, quæ ratio meo quidem iudicio valde infirma & imbecilla videtur. multa namque videas, quæ tamen non ſint optima, vt bona corporis & fortunæ ſunt bona, non tamen optima. Deinde, quia voluptates etiam quædam ſint vitioſæ. Ergo voluptas non eſt bonum. Quod autem bonum, nunquam vitioſi naturam inducere poteſt. In libro autem 10. infra hæ afferuntur. 1. quia voluptas eſt qualitas, ſcilicet non natura. 2. quia voluptas eſt infinitum quiddam [Capit enim magis & minus, intentionem, & remiſſionem] quæ rationes eo loco explicabuntur. Ex his autem decem rationibus tres familiam ducunt [ſunt *κυριώταται* ſummæ] prima, quarta, & vltima: eaque re in iis explicādis, vt quas & Plato *in Philebo* potiſſimum attulerit, omnis Ariſtotelis conſumitur opera.

τοῦ δὲ μὴ πάσας.] Altera hæc eſt de voluptate Philoſophorum ſententia, exiſtimantium, voluptates partim eſſe honeſtas, & in bonorum numero, partim turpes & vitioſas. Rationem afferebant (quam proximo capite refellit Ariſtoteles) Sententiam enim non refellit, ſed confirmationem eorum & diſputationē oſtendit eſſe vitioſam: quia iucunda morbum &

peſtem ſæpenumero afferant; Hinc res etiam optimæ interdum nocent. Scientiæ nocent, quando quis ſe nimiis maecerat ſtudiis, acceſſunt quandoque & morbum. Ergo ſcientiæ partim vitioſæ, partim &c.

ὅτι δὲ οὐκ ἄριστον.] Tertiæ de voluptate ſententiæ ratio & confirmatio hic affertur breuiter, quia voluptas ſit ortus, non finis ſeu perfectio. Formula:

Summum bonum eſt τέλος, *quadam perfectio & finis.*
[τέλος latine reddi nõ poteſt, propterea Varro ſemper retinuit τέλος, Cicero dicit finem.]
Atqui voluptas non eſt τέλος.
Ergo non poteſt eſſe ſummum bonum.

Hoc argumento concidunt omnes diſputationes Epicuri, quæ poſt Ariſtotelem extiterunt. Cicero refellit Epicuri argumenta duo, *in lib. 1. de Fin.* cum Epicurus dicit voluptatem bonum ſummum. Verum de hac ſententia, in qua Ariſtotelis ætate erant Ariſtippus & Eudoxus [Socratis diſcipuli. Stoici enim centum annos primum nati poſt Ariſtotelem.] Et poſtea Epicurus infra copioſe *lib. 10. & capite proximo*, nonnihil tamen attingit. Nam *lib. 1. & 2. de fin.* ibi breuiter explicabimus *lib. 3 de virtutibus, & 4. lib.* primo explicauimus. Ciceronis *lib. 6. & 7.* de Ariſtotelis inſtituto eum in grauioribus primum videre, quæ in controuerſiam ſoleant reuocari, de re tractanda: Deinde quæ vulgo dici ſoleant, hoc fecit hoc quoque loco, iam ſubiungitur refutatio & explicatio, &c.

CAPVT XII.

COMMENTARII.

Ὅτι δὲ συμβαίνει διὰ ταῦτα.] Hæc altera eſt huius de voluptate tractationis pars: quæ & ipſa perſpicuitatis gratia bimembris conſtituatur. Priore namque membro, de quo hoc capite, quæ priori parte ſunt allata, omnia breuiter refelluntur: altero (de quo proximis duobus capitibus) eadem latius refelluntur & explicantur. Reprehendendis autem iis [hoc eſt, dum Ariſtoteles ea quæ hactenus priore diſputationis parte ſunt allata, reprehendit] voluptatis quoque diuiſiones & definitiones affert & explicat.

πρῶτον μὲν, ἐπεὶ τὸ.] Affert primum voluptatis diuiſionem: nam

nam aliam eſſe abſolute & vere, aliam cõparate, ſeu huic aut illi, nõ omnibus. Qua quidẽ partitione opus fuit, propterea ꝙ q̃ſtio ſit, An voluptas bonorũ in numero ſit collocãda. Atqui bonũ nõ eſt vnius modi, ſed vel eſt abſolute & ſimpliciter, vel alicui. Itaq; vt q̃ſtio intelligať princeps, diſtinguenda fuit voluptas. Ratio aũt hu9 partitionis & origo ex boni diſtinctione ſumitur. Boni namq; vim & naturã ſequũtur & imitantur habitus & naturæ, & ꝓinde motiones quoq; & ortus, proinde deniq; voluptas [ſcil. imitatur rationẽ boni.] Verba hæc ſunt phyſica, natura, habitus, motus & ortus. Notũ eſt aũt ex phyſicis, motũ & ortum eſſe tanq̃ progreſſiones ſeu ἐνεργείας inchoatas ad naturas ſeu res ipſas & habitus. Priores his eſſe illas ἐνεργείας, has eſſe velut τέλος & perfectiones quaſdam, illas imperfectiones. Iã vero voluptas in illis poni ſolet ab aduerſariis, qui voluptatem dicant eſſe ortum ſeu motum, non vero naturam ſeu οὐσίαν & habitũ. Hinc Plato dicit, voluptates nõ eſſe οὐσίαν, neq; φύσιν, neq; ἕξιν, dicit eſſe imperfectum, motum, ortum, quo tendatur in perfectionem, hoc eſt, in habitum. Cur autem boni naturam aut diſſimilitudinem hæc quatuor imitẽtur, hæc eſt ratio, quia (de natura & habitu hęc eſt ratio, nam de motu & ortu, ex quibus priora duo manant, eadem poſtea perſpici poterit:) quia, inquam, naturæ ſeu res & habitus ad bonum omnes feruntur, eiq; ſe accommodant. Eſt igitur voluptas, vtpote ex illorum ſententia motus ſeu ortus, partim abſolute, partim nõ item, ſed alicui modo. Abſolute eſt ea, quæ vera dicitur voluptas, & eadem eſt omnibus, vt quæ ex virtutibus aut bonis actionibus capitur. Altera eſt vei bi gratia ea, quæ vel in ægrotantibus aut fame aut ſiti laborantibus, aut ſcabie titillatis eſſe ſolet. Et hæ quidem voluptates poſteriores Ariſtoteli mox duorũ ſunt generum. Nam vel ſunt eæ ſimpliciter quidem malæ & vitioſæ, ſed huic aut illi non item, quin potius optabiles & expetendæ huic vel illi: cuius generis voluptates ſunt beluarum & hominum improborum. Alteræ ſunt, quæ nõ quidem ſint expetendæ huic aut illi, præterq̃ exiguo tempore: huius generis ſunt voluptates, potus, cibi, veneris, medicamentorum, ægrotantium, hydropicorũ, melancholicorum, fœminarum carbones & cretas adamantiũ, citta laborantiũ. hi namq; eas voluptates expetunt illi quidem, ſed dum vel ſiti aut fame, vel morbo laborant, alias non item. Veræ namq; & abſolutæ voluptates ex-

petuntur ab omnibus. Sunt homines, qui delectantur guſtandis carnibus humanis. ſunt alii, qui morbis deprauati, vt intemperantes, qui delectantur voluptatibus ſecundi generis, quæ huic aut illi, ſed ad certum tempus, diſſoluto morbo, aut fame, ſtatim non amplius expetunt. Et huius quidem poſterioris generis voluptates non tam eſſe, quam videri, ait Ariſt. propterea quod ſint cum moleſtia quadam. nam ex medicinis quæ capiuntur voluptates, perſpicuum eſt eas eſſe cũ moleſtia; quæ item ex cibo, aut potu & venere deniq; capiuntur; eaq; re Plato eas præclare vocat impuras; quæ ex virtutibus & ſcientiis capiuntur, puras & liquidas. In omnibus denique corporis voluptatibus ſemper dolor admixtus, & moleſtia coniuncta. Itaq; ab iis temperandum, & eæ perſequendæ, in quibus nihil moleſtiarum. Huc pertinet diſputatio Ariſt. *in Magn.* qua docet voluptates partim eſſe rectas, & veras, partim vitioſas, ratione eorũ, in quibus voluptates, i. ratione naturarum. nam vt naturæ partim ſunt bonæ, partim malæ (lupi, v. g. natura eſt mala) ita & voluptates proborum hominũ erunt iuſtæ & rectæ, improborum turpes & vitioſæ. Atque ita hunc locum diuidendum atq; intelligendum, alioqui difficilimum puto, collatis iis, quæ infra *cap. vlt. & lib. 10. cap. 3. 4. & 5. in Magn lib. 2. cap. 7. fere in princ.* ab Ariſtot. & iis, quæ *in Philebo* à Platone afferuntur. Aliorum explanationes de hac voluptatum partitione & vitioſæ, & Ariſtotelis ſententiæ non congruentes, illa cum verbis Ariſtotelis comparata, facile refelli poterunt. Itaq; legendum puto, *καὶ αἱ ὑγιεῖς, καὶ αἱ μὲν ἁπλῶς φαῦλαι.* Nam verbum *ἀκολουθήσουσι* ineleganter [nõ eſt Ariſtotelicum] inculcatum, inducendum eſt; & pro his *αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι.* legendum, *αἱ μὲν ἁπλῶς,* &c. ex veteri tralatione & ſententia jam explicata. Hoc demum capite intellecto, intelligitur tota de voluptate tractatio.

ἔτι ἐπεὶ τοῦ ἀγαθοῦ.] Altera vt boni, ita & voluptatum diſtinctio. nam boni partim eſſe opus & munus ſeu *ἐνέργειαν*, partim habitũ, verbi gratia; bonum quiddam eſt ſcientia & contemplatio, hæc tamen *ἐνέργεια*, illa eſt habitus. vtrumq; hoc boni genus eſt per ſe & abſolutum, etſi quæ ex habitu exiſtit *ἐνέργεια*, bonum eſt perfectius. Eſt aliud boni genus, quod & *δύναμις* ſeu facultas, & motus ſeu ortus dici poteſt, minime perfectum. Ad eundem modũ voluptates, quæ vel ſunt *ἐνέργειαι*, vel certe ex habitu perfecto manantes, voluptates ſunt

perfe-

perfectæ, plenæ & per ſe. [locus obſcuriſſimus, iudicabitis, an bene explicatim.] Quæ autẽ tanquam motiones vel ortus ad habitũ perficiendum perducũt, proprie & per ſe voluptates nõ ſunt, ſed ex euentu. bona dicit Ariſt. partim energia, partim habitus. hæc eſt gradatio in rebus naturalib. aut moralibus. I. Eſt principium, initium alicuius rei conficiendæ, domũ volo ædificare, iam dum conficitur ipſa ædificatio aut confectio, vocatur à Phyſicis motus, quo peruenitur ad ædificii complemẽtum. Deinde ſequitur domus perfecta, poſtq̃ perfecta eſt domus, ſequitur *ἐνέργεια*, in domo ſequitur vſus. Sic in Phyſicis, cum videl. vna res ab alia mutatur in aliam, eſt motus. Cum mutata eſt res, definit mutatio: re conſtituta, ſequitur eius energia. Sic in moribus virtus ſuis actionibus longa conſuetudine paratur, parta virtute habitu ipſo, ſequitur effectus, bona facta in vita humana. Ortum ſeu motum vocamus omnia, quæ præcedunt rem conſtitutam. In ſcientiis præcedunt quædã, deinde naſcuntur habitus, poſtea illis virtutib. vtimur, illa quæ energia ſunt perfectiora, quam quæ ad habitũ illum perducunt eadem ratio in voluptatibus, vt aliæ aliis perfectiores ſint. Illæ ſunt perfectiores, quæ affinitatem cum bonis perfectioribus habent, vt bona ſunt quædam imperfectiora, quæ neq; energia neq; habitus, ſed perducunt tantũ eo: ita voluptates quæ perducunt ad rem perficiendam, non ſunt plenæ, non ſunt perfectæ.] Huius generis ſunt illæ, quæ naturam ad perfectionẽ ſeu ſtatum ſuũ perducunt, vt cibi, potus, veneris. Alterius generis ſunt, quæ ex virtutibus, ſcientiis, auribus, oculis, & odoratu capiuntur, teſte Ariſtotele *lib. 10. cap 3.* & *in Magn.* [cum abſque loci allegatione cito, *Magna moralia libri 2. caput. 7.* intelligo] & *hoc lib. cap. vlt.* quas inter voluptates, & hæc inſignis differẽtia, quod quæ ex euentu, ſunt cum antegreſſo dolore & moleſtia, alteræ non item, quod ipſum ſupra iam attigimus. Sic qui voluptatẽ capit ex cibo, ille ſine dubio antea affectus fuit moleſtia quadam & dolore. Ariſtot. *in Magnis*, qui capit voluptatẽ ex euentu ſolet prius dolere, ſed in aliis, quas dicimus proprie & per ſe nulla antegreditur moleſtia. nam quæ capitur voluptas ex virtute, certe virtus nemini moleſta. ex virtute, ex ſcientia ſumma voluptas. Anne in ſcientia ante voluptatem dolor? ad conſequendam virtutem aut ſcientiam, præceditne moleſtia? voluptas quę ſequitur, naſcitur ex habitu virtutis & ſcien-

ſcientiæ.] Ex qua differentia etiam argumentum capi poteſt, eius quod propoſuimus, cõfirmandi. nam, quia quædam ſunt cum dolore, alteræ non item. hinc certe effici poſſe videtur, has per ſe, illas ex euentu eſſe voluptates: Quare hæ liquidæ, illæ impuræ dici ſolent. Adfert & aliud argumentum Ariſtoteles à rebus voluptatem efficientibus ſumptum: quia & hæ res partim ſint ex euentu iucundæ & ſuaues, partim per ſe & ſua natura. per ſe quidem iucundæ ſunt eæ, inquit Ariſtoteles infra *cap. vlt.* ex quibus voluptas ſeu ἐνέργεια perfecta & ſuauiſſima oriatur. Ex euentu vero quæ ad curationem & medicinam adhibentur. Quo nomine complector non tantum voluptates laborantium, ſeu ægrotantium, ſed fame quoque aut ſiti, veneris deniq; cupiditate laborantium: has autem res quæ ab his expetantur, ex euentu eſſe iucundas, ex eo perſpicuum eſt, quod ſæpe ſint, & expetantur ab iis res acres, amaræ aut acerbæ, vel ad gulam irritandam, vel continuo explendam, quod in pharmacis & medicamentis etiam clarius perſpicitur. Hæc autem tota diſputatio eo pertinet, vt Platonis ſententiam refellat, qui voluptatem dixerit eſſe ortũ duntaxat, aut motionem, eſſe expletionem duntaxat ἀναπλήρωσιν & reſtitutionem naturæ, in ſuam cuiuſq; ἀποκατάστασιν, ſeu ſtatum. Ariſtoteles oſtendit voluptates quidem eſſe, quæ dici poſſint & ortus & expletiones ſeu reſtitutiones: ſed has ex euentu potius eſſe voluptates: eſſe alias, quæ cum per ſe ſint voluptates, tum neque ſint ortus, neque expletiones, neque reſtitutiones. verbi gratia, qui fame laborat, ſi ſaturetur & expleatur, capit voluptatem. & hæc expletio dici poteſt, vt ab expletione nata: poteſt & dici reſtitutio ἀποκατάστασις, quia natura eius, qui fame laborarit, præbito, & ſumpto cibo inſtauretur, ſuumque in ſtatum reſtituatur tanquam in integrum. Verum expletus iam & ſaturatus, ſæpe alias quærit voluptates, vt aurium, oculorum, &c. aut ſcientiarum, quæ certe voluptates, ex natura non deſiderante aut explenda & reſtituenda, ſed perfecta iam & reſtituta exortæ, aliæ profecto ſint, oportet, à prioribus. Itaque voluptatis genus non eſt expletio ἀναπλήρωσις ſeu inſtauratio & reſtitutio, vt Plato exiſtimauit *in Philebo & Gorgia*, quod ipſum & infra *lib. 10. cap. 3.* eodem fere modo refellitur. Et hæc quidem de expletione, nunc de ortu.

ἔτι δὲ ἡ ἐνέργεια.] Huius clauſulæ obſcurioris ſentẽtia hæc mihi

mihi eſſe videtur, earum voluptarum, quæ ex euentu, & quibus natura reparetur [hoc eſt, voluptatū cibi, potus, &c.] ἐνέργειαν ſeu opus & munus eſſe cū cupiditate quadam, (nam qui fame laborat, deſiderat aliquid & concupiſcit) & cū dolore ſeu moleſtia: ſeu manant ex iis, vbi ſubeſt quædam moleſtia, vt in cibo, potu. ꝙ ſupra dictum. Harū igitur ex euentu voluptatū comites ſunt cupiditas ſeu ἐπιθυμία & dolor, eaq; re ſunt impuræ, ꝙ idem extremo hoc cap. cōmemoratur, τὰς μετ' ἐπιθυμίας ἢ λύπης, &c. Itaq; non ὑπολίπου, id eſt, indigētis, vt vetus habet tralatio, ſed ὑπὸ λύπης, id eſt, eius, quæ cum moleſtia eſt, vt habent libri ſcripti & editi, vt fortaſſe ἐπὶ λύπης, i. quæ in moleſtia (quo verbo infra *lib 10 ca 5.* vtitur. Voluptates namq; partim ſunt ἐπίλυποι, vt potus, partim ἄλυποι vt virtutum) infra *lib. 10. cap. 3.* ſcribi debet.

οὐδὲ γινομένων.] Supple φύσεων aut ἕξεων, meo iudicio. συμβαίνουσιν πασῶν ſupple ἡδονῶν.

ἔτι οὐκ ἀνάγκη.] Expoſitis iam voluptatum generibus, hic demum (qua in re peccant Interpretes, qui prioribus verbis quoque id tribuunt) orditur refellere tres illas de voluptate ſententias, de quibus priore capite: Et de vltima quidem primum, admixta etiam prima. nam quod illi dicebant, voluptarem non eſſe ſummū bonum vel optimum, eſſe aliquid voluptate melius, vt ortu finem (nam ortus fine eſt deterior, vt perfecta actio, inchoata) ſuppoſito ex eorum ſententia, voluptatem eſſe ortum. At hoc falſum eſſe ait Ariſtoteles: voluptates namque, ſaltem omnes (nam eas quæ ex euentu Ariſtot. ortus quoq; eſſe admitrit) non eſſe ortus, ſeu potius τέλος, perfectionem quandam & ἐνέργειαν, neque eas exiſtere hominibus ſeu naturis & habitibus naſcentibus γινομένων, ſed etiam vtentibus. nā, vt infra *cap. vlt.* loquitur τῶν πλειουμένων, id eſt, perficiendis, id eſt, voluptates tū demum exiſtunt, non cum in ortu eſt natura ſeu habitus, ſed ad exitū iam eſt perductus, & ad vſum, vt habitus iam ſit vſus, vtpote perfecti, & natura item, vt perfecta iam ipſa rebus vti poſſit, quaſi diceret, voluptas non eſt opus, ſed τέλος. nam τέλος à voluptatibus non differt, vt illi exiſtimarunt, nempe veris: differt tamen ab iis, quæ ex euentu, vtpote quæ non tam ſint τέλος, quam ortus: differt, inquit Ariſtot. ab iis voluptatibus, quæ habitus aut naturas, ad exitum & perfectionem perducunt, nempe quæ ex euentu. Perperam igitur illi, voluptatem ſummum

mum bonum negare ſolent, quia ſit non τέλος, ſed ortus. Perperam & illi, qui eadem ratione adducti dicerent, voluptatem ne quidem in bonorũ numero habendam, quia non ſit τέλος, ſed ortus. Ex quibus rebus perſpicuum eſt, priores diſtinctiones quemadmodum huic diſputationi deſeruiant: nam Platonem eo ſolo lapſum, quod ad eas diſtinctiones non attenderit, neq; veras ab iis, quæ ex euentu, diſiunxerit.

διὸ καὶ οὐ καλῶς.] Hic Ariſtot. de voluptatis definitione breuiter explicat. Et primum quidem Platonis definitionem falſam eſſe, ex iis quæ modo dicta, effici ait, ea eſt. Voluptas eſt ortus ad naturam, ſub ſenſum cadens, vt ſupr *cap. priore*. Ariſtotelis autem hæc eſt. Voluptas eſt actio habitus naturæ cõſentanei, non impedita. Nam Platonis genus ORTVS, quàm ſit falſum, ex prioribus iam conſtat, & infra *lib. 10. cap. 3. & 4.* copioſiſſime explicab.tur. Eius igitur loco Ariſt. ACTIONEM ſtatuit. Differentiæ autem Platonicæ, quæ eſt ſub ſenſum cadens, conſtituit, *non impedita*, de qua mox & capite proximo latius. Nam non omnis voluptas ſub ſenſum cadit, nempe veriſſima, ea quę ex euentu fere ſola ſub ſenſum cadit. Quare & falſa eſt Cic. definitio *lib. 2. de fin. voluptas*, inquit, *iucundus eſt motus, quo ſenſus hilaretur*. Illud autem in Platonis definitione AD NATVRAM εἰς φύσιν, valet ad naturæ inſtaurationem ſeu reſtitutionem. Alludit namq; ad ea, quæ paulo dicta ſunt ſupra, de expletione ſeu ἀναπληρώσεως. Itaque & hæc particula falſa eſt, iam enim dictum ſupra, voluptatem non eſſe ex ἀναπληρώσεως Quare Ariſtot. rectius eius particulæ loco hanc conſtituit, HABITVS QVI SECVNDVM NATVRAM, id eſt, habitus bene affecti. Nam morbo laborantis habitus non eſt ſecundum naturam. Ad ſummam, voluptas nihil eſt aliud, quam actio quædam habitus optime affecti, non impedita. Affert & Cicero Stoicorum definitionem item vitioſam. Et Alexander *lib 2. Top.* affert quinq; voluptatis definitiones, in quibus & has duas, Platonis vnam, alteram Ariſtotelis. Affert denique & ipſe Ariſt. alteram *lib. 1. Rhet.* ſed non exquiſitam, vt ibi teſtatur, Platonicæ conſentaneam. Voluptas enim tum demũ fit, quando natura eſt in optimo ſuo ſtatu. Si oculus eſt bene affectus, optime poteſt videre, ſed aliquid requiritur, ne ſit obſtaculum aliquod. Sic ſi natura optime affecta, & nihil impediat, tum percipit veras voluptates. Quæ voluptas, quia eſt bipartita, vel in mente, vel in ſenſu, vtriuſque habitum ſeu affectio-

affectionē optimo in ſtatu, beneq; affectam eſſe oportet κατὰ φύσιν, inquit Ariſt. vt exoriatur voluptas & minime impeditam re externa, vel non conſentanea. Verbi gratia, ſenſus oculorum optime affectus, ſi rem obiectam ſibi cōſentaneam, vt pulchram mulierem aut tabulam pictam, nullo obſtaculo interpoſito, cernat. incredibilis exſiſtat voluptas neceſſe eſt, qui ſenſus ſi vel male ipſe ſit affectus, vel eius officium re externa impediatur, nulla exſiſtit voluptas. eadem eſt & mentis ratio. Nam ſi quis contempletur, vel mente quid agat, & id quod propoſuit, aſſequatur, mente bene ſana & nullo impedimento prohibeatur ad aſſequendum aliquid contemplando, agendo; ſi aſſequatur hoc inquam ſine impedimento, maxima exſiſtit voluptas. Inde homines tantam voluptatem capiunt ex ſcientiis, vt non videantur rationem habere aliorum ſenſuum. Perperam ergo Plato, Stoici, Cicero, & alii.

δοκεῖ δὲ γένεσίς τις.] His verbis Ariſtoteles cōmemorat rationem quandam, qua Plato confirmari putarit, voluptatem eſſe ortum, hanc, quia opus & munus ſeu ἐνέργεια ſit ortus, illorum ſententia. Formula:

Omnis ἐνέργεια eſt ortus. Voluptas etiam ex Ariſtotelis ſententia eſt ἐνέργεια. Ergo eſt ortus.

Verum propoſitio eſt falſa. nam opus & munus ſeu ἐντελέχεια eſt duplex: altera inchoata, quæ motio ſeu ortus, altera perfecta, quæ Græce ἐνέργεια ſpecialiter dicitur. At voluptas eſt quidem ἐνέργεια, non tamen eſt motio ſeu ortus, i. inchoata ἐντελέχεια. [voluptas eſt ἐντελέχεια quædam. Ergo ἐνέργεια, ſic Plato. Nego conſequentiam, inquit Ariſtot. non ſtatim quod ἐντελέχεια, ἐνέργεια erit, poteſt quid eſſe motus, vt tamen non ſit ἐνέργεια. Si inuertas, voluptas eſt ἐνέργεια. Ergo eſt motus; dicit Plato: Nego conſequentiam. Si dico, hoc eſt iuſtitia. Ergo ĕt eſt fortitudo, nō ſequitur. Ergo nō ſequitur, quia voluptas ſit ἐνέργεια, eam propterea eſſe γένεσιν. Hæc aūt verba, ὅτι κυρίως ἀγαθὸν plane inducenda puto. nam his verbis ratio quædam Platonis ſignificatur, quæ tamen eſt nulla, cum potius Platonis ratio in his ſit, τὴν γὰρ ἐνέργειαν. ſimiliter peccatum eſt apud Ciceronem *libr. 1. Offic. in princip.* vbi de duobus iniuſtitiæ generibus, nam & ibi decem circiter verba ſunt delenda, & inducenda, quibus ratio quædam contineatur, quæ tamen ſubſequentibus potius eſt expreſſa. verba inducenda ſunt hæc [mirifice hic locus in omnibus libris deprauatus, 11.

aut 12,

aut 12. verba ſunt inducenda] *nam dum alterum iniuſtitiæ genus*,&c. cæterum de hac quæſtione; An voluptas ſit ortus, infra diſtinctius & copioſius *lib 10. cap. 4 & 5.*

τὸ δὲ εἶναι φαύλας.] De ſecunda ſententia Ariſt hic interiicit, nondum explicata prima plene. Nam quod dicebant, voluptates quaſdam eſſe malas, quia quæ voluptatem afferant, quædam morborum ſint efficientia, id, inquit Ariſt. non ſatis eſſe argumenti. nam & ſalubria, etſi ſua natura bona, nempe ad ſanitatē, non tamen omnes res ſunt bonæ nempe ad artem pecuniariam, ſeu ad pecuniam conficiendam. Hac igitur parte, id eſt, quia ad hoc vel ad illud iucunda & ſalubria non ſunt bona,) mala dici poſſunt, etſi ſuapte natura alioqui bona, mala dici poſſunt, etſi ſuapte natura alioqui bona. Sic & aliæ ſunt res natura bonæ, quæ tamen interdum noceant, & hac parte malæ videantur vt ſtudium ſcientiæ & contemplatio, etſi per ſe bonum & præclarum, ſæpe tamen valetudini nocet. [non ſequitur voluptates malas, quia quædam mala ex voluptate exiſtant:] Itaque voluptas, qua voluptas bonum quiddam eſt, etſi euentu poteſt eſſe malum.

ἐμποδίζει δὲ οὔτε.] Hic rurſus de prima ſententia. Refellit namq; argumentum, voluptatem non eſſe bonū quiddam, quia rebus gerendis & contemplandis ſit impedimēto, quod antecedens falſum eſſe ait Ariſt. Nam voluptatem neq; ſapientiæ, neq; vlli habitui, id eſt, arti aut virtuti eſſe impedimento. Verum quia voluptates duorū ſunt generum, aliæ ſuæ & propriæ, aliæ vero alienæ: has quidem ait Ariſt. eſſe impedimēto, illas non item, quin potius illas eſſe adiumento. videre namq; licet ſua quemq; in arte, qui ex ea voluptatem capiat, magis excitari ad eam excolēdam: contra vero, qui dolorem ex ea capiat, aut faſtidiū, plane illum iacēre, neq; quidquam agere. Verum alienæ voluptates eæ demum ſunt, q̄ ſint impedimento v. g. voluptas ex potu remoratur ſtudia ſapientiæ, quia ab his aliena. Ad ſummam: Omnis aliena voluptas altera alteram tanquam clauus clauū expellit, & actionē inſtitutam vt omittamus, facit. Sed hac ipſa de re & infra latius *lib. 10. cap. 5.* Deniq; ſi quis ſpectet hiſtriones eleganter ludentes, & prætereant tympana, vel quæ alia, vel funambulus, ſtatim relictis hiſtrionibus, decurrunt ad funambulum. Vna voluptas expellit alteram. verum propriæ voluptates magis adiumento ſunt, opifices ſi voluptatē capiunt ex eo quod agunt, ſtudioſe & multo diligentius id agunt.

τὸ

τὸ δ' τέχνης μὴ.] Hic ad quintum primæ ſententiæ argumentum reſpondet. Nam quod nulla voluptas artis ſit opus, optima id fieri ratione: artem namque actionis ſeu operis & muneris non eſſe, ſed poteſtatis potius, quod præceptum vt præclarum, bene eſt intelligendum & retinendum. Eius ſententia hæc mihi videtur, artes non pertinere ad opera & munera ſeu energias, ſed ad poteſtates. Notum eſt hæc tria, poteſtatem, habitum, & opus ſeu munus, ſe deinceps ſequi. [hoc eſt, præcedit δύναμις, ſequitur habitus, habitum ἐνέργεια.] Iam vero habitus non eſt operis & muneris, ſed poteſtatis, id eſt, poteſtas perficitur ex habitu: omnis inquam vis habitus in perficienda poteſtate ponitur: ex quo iam perfecto habitu, tandem emanat actio. Vt igitur nullus habitus eſt actionis, ſed poteſtatis, ita nec artes, quæ & ipſæ ſunt habitus, ad actionem pertinent, ſed potius ad poteſtatem. Si igitur artes non ſunt actionum, merito nec voluptatis, quæ & ipſa eſt actio, ars erit. Sic voluptas eſt actio. Actionum non ſunt artes. Ergo voluptas non eſt ars. In hoc laborat habitus vt perficiat ſuam poteſtatem.

καί τοι καὶ ἡ μυρεψικὴ.] Hic amplius docet Ariſtoteles etiam artes quaſdam voluptatum reperiri: ita vt concluſionis aduerſariorum huius:

Voluptatis non eſt ars.

Ergo neq; bonum.

Et antecedens & conſecutio ſit falſa. Artes autem voluptatum commemorat Myropolarum [Apothecarios vocant] & obſonatorum. Quo in genere artium voluptuariarum etiam coronarios & epularum ſtructores ponit *in Magn.* de quibus & Cic. *lib 1. offic.* minimeq; artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, cetarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores: vt ait Terentius *in Eunucho*: adhuc ſi placet, vnguentarios, ſaltatores, totumq; ludum talarium.

τὸ δ' τὸ σώφρονα..] Tres nodos, ſecundum, tertium & ſextum, vno eodemq; velut gladio diſſoluit, nimirum diſtinctione voluptatum bonarum per ſe & ex euentu. Nam has, quæ ex euentu, quæ vere non ſint bonæ, etiam pueros & beluas perſequi: Harum quoq; vacuitatem doloris cupere & perſequi prudentem. Nam & *ſupra* dictum & hic iteratur has non eſſe abſque dolore. Earundem voluptatum nimia, ex quibus intemperantes dici ſolent (qua de re *ſupra cap. 7. & 8.*) fugere

ſolent temperantes. Alteras vero voluptates, quæ per ſe, ignorant pueri & beluæ, eaſdem non fugit temperans, imo non poteſt, quin habeat, cum ſua cuique virtuti ſit voluptas *ſupra libro 1. ca. 8. & li. 2. cap. 3. & 4.* Eadem & prudentis eſt ratio, cui & ſuæ ex prudentia manantes ſunt voluptates veræ & liquidæ.

CAPVT XIII.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν ὅτι καὶ λύπη] Eadem quæ *ſupra* explicantur, an voluptas ſit bonum, & an optimum & ſummum.

ἀλλὰ μὴν ὅτι.] Voluptatem eſſe bonum docet hoc capite tribus potiſſimum argumentis. De duobus extremo capite, φανερὸν δὲ καὶ ὅτι. Poteſt & quartum ſumi ex altera capitis parte, qua docetur, voluptatem etiam ſummum eſſe bonum. Ergo & bonum. Prima ratio, quia dolor eſt malum. Formula:

Si malum dolor: Ergo voluptas bonum.
Verum primum.
Ergo & ſecundum.

Nam contrariorum contraria eſt ratio & conſecutio. Antecedens, id eſt, dolorem eſſe malum & fugiendum, inter omnes conſtare ait Ariſtoteles. Nam dolor vel abſolute & ſimpliciter, ſuaque natura eſt malum, quod ex ordine ſeu συστοιχίᾳ Pythagorica, de qua *ſupra libro primo & ſecundo*, liquet, vel modo quodam πῇ, nempe qua parte vim impediendi habet bonas & præclaras ſæpe actiones. Eſt igitur dolor modo quodam malum, eſt & modo quodam bonum, vt ſuppliciorum, [non per ſe & ſua natura] quibus iuſtitiæ ſatisfit, & improbi corriguntur, & conſeruantur Reſpubl. Et hæc quidem concluſio fuit Eudoxi, ſummi Mathematici & Philoſophi diſcipuli Socratis, teſte Ariſtotele *lib. 10. cap. 2. infra.* Speuſippus [natus ex ſorore Platonis, ex generoſiſſima familia antiquiſſima totius vrbis Athenienſis] autem eam Eudoxi cõcluſionem reprehendit hac ratione: non, inquiebat, ſi voluptas & dolor ſunt contraria, quorum alterum conſtet eſſe malum, continuo alterum vt ſit bonum, neceſſe eſt. Nam vtrumque malum eſſe poteſt. Malum namque & malo eſt contrarium, & vtrum-

vtrumque bono: quemadmodum maius minori eſt contrarium, & vtrumque æquali. Et in virtutibus & vitijs extrema tam inter ſe ſunt contraria, quam vtraque medio, vt audacia ignauiæ eſt contraria, & fortitudini vtraque, qua de re *ſupra lib. 2.* Ad eundem igitur modum hæc duo, voluptas & dolor, & inter ſe contraria, & vtraque mala, vtraque denique tertio bono ἀλυπίᾳ ſeu doloris vacuitati contraria eſſe poſſunt. Nam Plato & Speuſippus hunc medium ſtatum ἀλυπίας vt tranquillum probarunt: Ariſtoteles contra Speuſippi reprehenſionem refellit, & Eudoxum tuetur duplici ratione. Primum namque efficeretur voluptatem ſua natura eſſe malum, non effectu ſolo, aut alia ſimili ratione, quod tamen Speuſippus & Platonici aſſerebant. Formula:

Si Speuſippi reprehenſio eſt vera.
Ergo voluptas vere erit malum, non ſecus atq; extrema vtraq; vere ſunt mala, bono medio.

At hoc falſum, etiam ex Platonicorum ſententia, vt diximus, qui voluptatem bonum negarent, non tam natura & ratione definitionis, quam vel quia honeſtas actiones impediat, vel inchoatum ſit quiddam, vt motus. Falſum igitur conſequens. Ergo & antecedens, id eſt, ipſa reprehenſio. Sic accipio particulam ὅπερ τι, qua Ariſtoteles certam rei naturam & definitionem exprimere ſolet, ὅπερ τι κακὸν, id eſt, vere & ſua natura malum, atque ita & Thomas & D. Scheckius: alij aliter. Deinde quia efficeretur, voluptatem quoque eſſe fugiendam. Cur ita? nam ſi vtrumque dolor, & voluptas eſt malum, vt Speuſippus voluit. Ergo fugiendum vtrumq;. At hoc falſum: dolorem namque fugiunt omnes, voluptatem non item. Ergo & falſa Speuſippi reprehenſio, neque ſatis accommodata, inquit Ariſtoteles *infra lib. 10. cap. 2. in fine.*

ἄριστον δὲ οὐδὲν κωλύει] Hic de altero huius capitis membro, voluptatem videri ſummum & optimum eſſe bonum. Initio autem refellit argumentum, quo id negari poſſit. Sic enim argumentati ſunt nonnulli.

Quædam voluptates ſunt vitioſæ.

Ergo nulla poteſt eſſe ſummum bonum.

Cuius concluſionis conſecutio ab Ariſtotele reprehenditur, exemplo ſcientiarũ. Nam tametſi & ſcientiæ quædã ſunt con-

temptæ & viles, (id valet φαῦλον, non vt alij exiſtimant, malæ aut vitioſæ, teſte ipſo Ariſtotele *in Magn. li. 2. cap. 7. in medio.*) vt opificum, nihil tamen vetat, quo minus & quædam ſit ſumma & præſtantiſſima, quæ ſapientia dicitur.

ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον.] Hoc remoto obſtaculo, tandem hic affert argumenta, eaque duo potiſſimum, quibus doceat, voluptatem ſummũ eſſe bonum, attingit & tertium leuiter, ſignum potius, καὶ διὰ τοῦτο, &c. Primum igitur argumentum, cur beatitudo ſit voluptas, vel contra, hoc affert, quia beatitudo actio eſt habitus libera & non impedita. Monet autem initio Ariſtoteles, εἴπερ ἑκάστης ἕξεως, habituum ſuam cuiuſque actionem non eſſe impeditam, quod perſpicuum eſt. Nam habitus bene affecti, tanquam vmbra comes eſt actio libera & non impedita. Formula:

Habituum ſua cuiuſque actio non impedita, eſt voluptas.

At beatitudo, vel omnium, vel certi habitus, nempe virtutis, aut animi virtute affecti eſt actio, eaq; non impedita.

Ergo beatitudo eſt voluptas ſiue (quod idem valet) voluptas eſt beatitudo, vel ſummum & optimum bonum.

Propoſitio ex priore capite eſt nota. Aſſumptio confirmatur his verbis, οὐδεμία γὰρ ἐνέργεια. Ratio inquam aſſumptionis, cur beatitudo ſit non impedita actio, hæc eſt, quia beatitudo eſt perfectum quiddam ſeu perfecta actio, imo perfectiſſima, vt *ſupra lib. 1.* Iam alia concluſio:

Nulla perfecta actio eſt impedita.

Atqui beatitudo eſt perfecta actio.

Ergo non impedita, &c.

Quod ipſum per ſe eſt perſpicuum. Nam quæ impedita ſunt, certe perfecta vix dici poſſunt. [Hinc impedimentum aliquod, eſt impedimentum perfectionis. Seruus non perfectus homo, quia non habet liberas actiones, vi & conditione impeditur, ea de cauſa dicit Ariſtoteles, beatitudo non cadit in ſeruum.] Itaq; quædam voluptas, ſummum erit bonum: etſi aliæ nonnullæ, vt luxurioſorum & intemperantum voluptates, vt fit, etiam ſimpliciter & abſolute ſunt vitioſæ, quod pertinet ad obſtaculum illud, de quo *ſupra*.

καὶ διὰ τοῦτο πάντες.] Tertium hoc vocauit argumentum ſeu

Digitized by Google

ſeu ſignum potius, à communi ſenſu ductum. Omnes namque de beata vita ſic exiſtimant, eam eſſe iucundiſſimam, & omni voluptate affluentem. Quare cum iudicio omnium beatitudinis & voluptatis ſumma ſit coniunctio, eadem eſſe videtur, qua de re dictum eſt *ſupra* latius *libro primo, capite octauo.*

διὸ προσδεῖται ὁ εὐδαίμων.] Modo dictum beatitudinem eſſe actionem non impeditam, ex quo ſtatim elicit Ariſtoteles, & hic interijcit: Beatum igitur bonis & corporis, & fortunæ opus habere, ne his orbatus impediatur honeſte agere. Nam hæc bona actionum humanarum ſunt velut inſtrumenta & organa [ſine his enim organis eſſet velut impedita actio] quod *ſupra* latius eſt explicatum *lib. 1. cap. 8.* Itaque grauiter eos falli ait Ariſtoteles, nihil eos dicere, qui ſummis quantumuis calamitatibus oppreſſum, etiam in rota torquendum, eſſe nihilominus beatum dicant, quos illo capite iam refellet latius: in quo errore fuerunt & poſtea Stoici, de quibus Cic. *lib. 5. Tuſcul.* vbi de Theophraſti libro *de vita beata*, in eo etiam libro putatur dicere Theophraſtus, in rotam, (id eſt, genus tormenti apud Græcos) beatam vitam non aſcendere. Rota demũ fuit genus tormenti, qua de re falluntur multi, nos quoque habemus rotam. Rota apud Græcos non erat ſupplicium, quod apud nos, toto cœlo errant. Tormentum eſt, veteribus notum, hodie ignotum.

ὅπως μὴ ἐμποδίζηται] Scilicet εὐδαίμων, & ταῦτα quaſi περὶ ταῦτα, id eſt, vt ne beatus impediatur his bonis fortunæ & corporis, nempe orbatus ijs. Dionyſius Lambinus vertit, ne impediantur hæc ſcilicet bona. ταῦτα eſt accuſatiui caſus, id eſt, περὶ ταῦτα, phraſis vſitatiſſima.

οὐδὲν λέγουσι.] Hoc eſt, *nihil dicunt, falluntur.* Elegans hoc eſt dicendi genus, quo modeſte aliquem errare dicimus. Plato *in Cratylo*: ἢ οὐδὲν δοκῶ λέγειν, de quo genere & Simplicius *in Categorias* Ariſtotelis. Cicero item, nihil dicere reddidit, vt *lib. 2. Tuſcul. Omittamus igitur hunc nihil prorſus dicentem.* Eadem notione dicit & nihil afferre, [quando aliquis quid abſurdi affert] *in Catone maiore, & 3. de Natura Deorum.*

διὰ δὲ τὸ προσδεῖσθαι.]. Quia dicunt, beato opus eſſe fortunæ bonis, hinc manaſſe opinionem ait, beatitudinem & bonam fortunam, ſeu εὐτυχίαν & εὐδαιμονίαν, idem plane

eſſe, quod ipſum & *ſupra* commemorauit *libro primo, capite octauo.* Verum non rectè, propterea quod fortuna nimia etiam ſit impedimento, id eſt, quia nimijs diuitijs & opibus rectæ actiones impediantur, vt quibus plærique luxuriare & à vero aberrare conſuerint, mediocres diuitiæ ſeu modicæ beato ſeu viro bono ſunt vtiles, immodicæ pernitioſæ, qua de re *infra libro decimo, capite octauo,* & *ſupra* attigimus *libro ſexto in fine.* Quare cum fortuna bonis actionibus ſit impedimento, certe beatitudo eſſe non poteſt. Etſi, quod adiungit Ariſtoteles, nimia hæc fortuna, vix *εὐτυχία* ſeu bona iam dicenda erit, eo quod bona fortuna dicatur bona ratione beatitudinis: ad beatitudinem, inquit Ariſtoteles, bonæ fortunæ eſt finis, id eſt, definitur bona fortuna, & circumſcribitur beatitudine: quatenus beatitudini fortuna deſeruit, eatenus bona eſt dicenda, alias non item.

ϰαὶ τὸ διώκειν] Alterum argumentum, cur voluptas ſummum bonum eſſe videatur, quia ab omnibus expetatur, tam beluis, quam hominibus. Formula:

Quod ab omnibus expetitur, eſt ſummum bonum, quod ſupra explicatum initio lib. 1.
Voluptas ab omnibus expetitur.
Ergo ſummum eſt bonum.

Quo argumento olim vſus eſt Eudoxus teſte Ariſt. *infra li. 10. c. 2.* & poſtea Epicurus [ſcil. poſt Ariſt.] de quo apud Cic. *l. de Fin.* [Hinc duo ſunt argumenta apud Ciceronem toto] *lib. 1.* nihil aliud agit, quam vt doceat voluptatem ſummum bonum. Videtis pueros ſtatim nihil aliud expetere, quam voluptates, fugere moleſtias & dolores. Hinc naturam hominis ex pueris & beluis perſpicere poſſimus, quam ex viris perfectis. Alterum argumentum, (quia omnes quicquid agunt, referunt ad voluptatem. Ergo ſummum bonum. Eſt enim ad quod omnia referuntur, iſtud ad aliud non refertur). refellit Cicero *libro ſecundo de Fin.*] Refellitur tamen ibidem ab Ariſtotele & à Cic. *lib. 2. de Fin.* Ariſtoteles hic non tam proprie, quam Cicero refellere videtur.

φήμη δὲ οὔ τι.] Heſiodi verſiculo ex *libro ſecundo, ἔργων ϰαὶ ἡμερῶν*, argumenti modo allati propoſitionem confirmat. Nam vt fama, quæ ab omnibus celebratur, non eſt de nihilo, ſeu vt Eraſmus extulit, non omnino temere eſt, quod vulgo dictitant: [fama, quæ à multis celebratur, non temere

reji-

rejicienda] ita & ſummum videtur bonum, aut certe inſigne, quod ab omnibus expetatur. Hinc qui refragantur tempori, & ab omnibus vſitatis, contra eos eſt elegans locus: vt hodie contra eos, qui vocantur Theophraſtiani.

ἀλλ᾽ ἐπεὶ οὐχ] Quod modo dictum voluptatem ab omnibus expeti, quia in controuerſiam reuocari poterat, eam hic diſſoluit. Occurri namque poterat, videri eam non ab omnibus expeti, quod ſæpe cernere liceat, quæ ab vno expetantur, eique ſunt iucunda, alterum fugere, eique eſſe odioſa & moleſta. Reſpondet Ariſtoteles, verum hoc eſſe, eiuſque ipſius cauſam quoque adiungit, fieri id propter diſpares naturas aut habitus: ex quorum diſſimilitudine, etiam voluptates exſiſtere diſſimiles, *ſupra* docuimus *initio capitis duodecimi.* Verum igitur alium quidem alias perſequi voluptates, quia alius alio ſit ingenio, aut habitu, vel affectione præditus: non tamen hinc efficias, quin voluptas ab omnibus expetatur. Nam tametſi non eandem voluptatem, tamen omnes perſequuntur, alius aliam, quin immo & eandem, non quam ipſi vel arbitrentur, vel fortaſſe dicturi ſint, ſed eandem tamen. Nam multos videas, qui arbitrentur, voluptates corporis ſe perſequi, aut interrogati idem dicerent, qui tamen reuera omnes ad vnam eandemque voluptatem contendant, veram nempe, quæ eſt in actione mentis ſeu contemplatione: ad quam perſequendam omnes natura & diuinitus quodammodo ſumus facti, quiſque diuini quid in ſe continet, quo ad perfectiſſimam illam mentis voluptatem, etſi ipſe aliam ſe putet perſequi voluptatem, rapiatur. Omnes igitur voluptatem perſequuntur, quod ad genus, id eſt, vt actionem non impeditam & ſuauem, non eandem tamen: alius enim aliam; imo & eandem, ne quidem quam ipſi vel putent, vel dicturi ſint, (corporis namque voluptatem, vt quam ſolam norint vulgo, quia vſitatiſſima & ad quam plærique ſint procliues, quare & ſola fere vulgo dicatur voluptas, hanc igitur dicturi ſint & exiſtiment ſe perſequi) non igitur quam ipſi dicturi ſint, ſed ad quam diuinitus ſint propenſi, vt modo explicatum. Obſeruandum autem & hoc, voluptatem corporis ſolam fere vulgo voluptatem haberi & dici, & vt eleganter Ariſtoteles ſolam velut nominis huius hæreditatem habere, [creuiſſe, cernere hæreditatem, pro acquirere dicunt Iureconſulti apud Ciceronem aliquoties] & cur: nempe quia

ſit frequentiſſima, eaque etiam de cauſa vulgo notior. Corporis demum voluptates innumerabiles, & alius aliam expetit; illi, quia non norunt aliam, reſponderunt ſemper de corporis voluptatibus. Verum Ariſtoteles dicit eſſe aliam, videlicet contemplationem mentis, quæ eſt actio quædam non impedita, hanc expeti ab omnibus.

[φανερὸν δὲ καὶ ὅτι.] Hæc ad prius membrum huius capitis, quo voluptatem bonum eſſe, refero. Nam & hic duo præterea argumenta ei rei confirmandæ ab abſurdo ducta adferuntur. Prius eſt, quia niſi bonum ſit voluptas, efficeretur, beatum non viuere iucunde. At hoc abſurdum. Nam & modo & *ſupra libro primo, capite nono*, dictum, beatos ſumma in voluptate eſſe. Ergo & illud. Ratio connexi, quia voluptas ſi non eſt bonum, certe beato ea non erit opus. Nam quæ non bona, ea ſibi beatus adiungere & acquirere negligit, ipſe optimus. Quare ſi beato non aderit voluptas, iucunde certe non viuet.

ἀλλὰ καὶ λυπηρῶς.] Imo, inquit, etiam moleſte ſeu cum moleſtia viuet beatus, quaſi diceret, non tantum in voluptatibus nullis erit beatus, ſed hoc amplius etiam in moleſtijs. Hoc igitur alterum eſt argumentum, cuius formula:

Si voluptas non eſt bonum.
Ergo beatus erit in moleſtijs.
At hoc abſurdiſſimum,
Ergo & illud.

Ratio connexi, nam ſi voluptas neque bonum eſt, vt hic ſupponit, neque malum, vt ſupra docuimus. Ergo nec dolor, qui ſi malus non eſt, nil vetat, quin beato adeſſe poſſit. Poterit igitur in dolore eſſe beatus, quod eſt abſurdiſſimum.

οὐδὲ δὴ ἡδίων.] Quod modo in priore argumento dicto de beato, id hic iteratur de viro bono, huius vitam non fore iucundam, niſi ſi & actiones eius item ſint iucundæ, &c.

CAPVT XIV.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ δὴ τῶν σωματικῶν.] Quod ſupra cap. 12. dictum voluptates eſſe, & quæ plane ac per ſe ſint expetendæ, vt honeſtæ, & quæ non item, vt corporis, & eæ, in quibus intemperans: id

hoc

hoc capite etiam pertactat. De veris quidem ſeu honeſtis pauca extremo capite: de alteris hæc duo potiſſimum: Primum, cur & quemadmodum & hæ bonæ dici poſſint, & expetendæ: deinde, cur vulgo magis, quam veræ expetantur.

ἐπισκεπτέον πῶς λέγουσιν.] Exiſtimat Petrus Victorius *libro 21. variarum lect. cap. 8.* [vir doctiſſimus Italorum omnium] Ariſtotelem hic refellere opinionem eorum, qui nullam corporis voluptatem expetendam dicerent: non recte: neq; enim verbum πῶς λέγουσιν ad alios referendum eſt, argumento ſit verbum ἐπισκεπτέον, quod perſpicue ad Ariſtotelem pertinet, vt ſæpe alias σκεπτέον, *ſupr. lib. 1. cap. 8. initio*, & ſæpe alias. Itaq; ἐπισκεπτέον, id eſt, amplius exquirendum, diſputandum [non dicit σκεπτέον, quia ſupra iam dixerat hac de re] πῶς λέγουσιν, ſcil. nobis qui dicimus [nobis dicentibus] ſcil. *ſupr. cap. 12. initio.* Docet autem hic initio, corporis quoque voluptates cur & quomodo expetendæ aut bonæ dici debeant & poſſint. Cur debeant? hanc affert rationem, quia dolores corporis ſint in malis. Formula:

> *Contrariorum alterum ſi eſt malum: alterum certe vel eſt bonum, vel certe non malum.*
> *Atqui dolor, cui contraria eſt voluptas, eſt in malis.*
> *Ergo voluptas corporis non eſt in malis.*

Quomodo igitur, inquiet aliquis, bona, hæc voluptas dici potent? Duos affert modos Ariſtoteles; alterum his verbis, ἢ οὕτως ἀγαθαὶ αἱ ἀναγκαῖαι: nimirum, qua ratione non malum dicitur etiam bonum, eadem & hæc corporis voluptas, neceſſaria tamen (qua de re diſtinctum ſupra *cap. 4.*) [Sunt quædam voluptates corporis neceſſariæ, cum bibo, comedo tantum, quantum neceſſitas naturæ poſtulat; cum vltra naturæ deſideria me repleo, & exquiſitos cibos quæro, hæ ſunt non neceſſariæ & ſuperuacaneæ, & ſunt in malis.] bona dici poterit. Quod enim non malum, quia remotum à malo, huius remotionis ſeu orbationis ratione, bonum quoque dici ſolet, non tamen proprie. Nam vere bonum non eſt orbatione mali, ſed contra potius malum orbatione ſeu priuatione boni. Alter modus his verbis, ἢ μέχρι τοῦ, quo non omni ex parte, ſed fine quadam, [quod Græci μέχρι τοῦ, nos Latine fine quadam] ſeu aliquatenus ſint bonæ, nempe quia omnes aliquatenus hæc expetant. Finis autem eſt, quatenus ratio præſcribit & naturæ deſiderium, quod ſi non teneatur & obſeruetur,

ſtatim deſinunt eſſe bonæ. Hactenus igitur erunt bonæ, qua ſe continebunt intra naturæ terminos. Sciendum namque, voluptates has corporis partim eſſe modicas, partim immoderatas: cuius rei hæc eſt cauſa, quod bonorum corporis & modus & immoderatio quædam ſeu nimium eſſe poſſit. Formula:

> *Quorum habituum ſeu motionum, eius quod melius ſeu boni eſt aliquod nimium, erit & voluptatis eorundem habituum.*
>
> *Atqui bonorum corporis eſt nimium quoddam.*
>
> *Ergo & voluptatis corporis nimium quoddam erit*, id eſt, nimiæ & immodicæ, vt & modicæ, corporis voluptates reperientur.

Qua in re longiſſime diſtant ab animi voluptatibus, quarum nullum eſt nimium.

Propoſitio explicata ſupra *cap. 12. in principio.* [voluptates imitantur habitus.] Aſſumptio per ſe item eſt plana: nam omnibus eſt notũ, bona corporis infinite excreſcere, vt & diuitias, vnde bona corporis alia aliis meliora, maiora & numeroſiora. Iam vero vulgo dici non ſolet improbus, qui corporis voluptates expetat neceſſarias, ſed qui nimias. Quare & hac fine eædem dici quoque poterunt bonæ, extra eam finem non item.

ἐναντίως δ᾽ ἐπὶ τῆς.] De voluptate corporis modo dictum, eius eſſe nimium, & hoc duntaxat fugiendum; hic de dolore, in quo, inquit, ſe contra res habet. Eius namque non ſpectari nimium, cumque non nimium duntaxat, ſeu grauiſſimum, ſed omnem eſſe fugiendum ac malum. Cur ergo, inquiet aliquis, voluptas quoque non omnis eſt expetenda, ſed modica duntaxat, contra naturam contrariorum? Reſpondendum ex Ariſtotele, οὐ γάρ ἐστι, &c. hic non eſſe contraria: nam dolor voluptatis nimio non eſt contrarius: dolor enim, qua dolor, voluptati, qua voluptas, eſt contrarius, non qua nimia eſt voluptas, non, inquam, habita ratione nimii aut magnitudinis: dolor igitur omnis eſt fugiendus, voluptas vero expetenda, non omnis, neque enim nimia, ſed modica & neceſſaria. Dolor quoque nimiæ voluptati, nempe qua nimia, non eſt contrarius, proprie ſcilicet & per ſe: alioqui ratione voluptatem perſequentis, vt eſt intemperans, etiam nimiam, poterit eſſe contrarius. Intemperans namque immodera-

deratas voluptates etiam expetit, tanquam contrarias dolori expellendo. Qua de re infra. Locus hic valde eſt obſcurus: tota enim quęſtio in eo, quod cum dolor omnis fugiendus, cur non voluptas omnis expetenda? Reſpondet Ariſt. nullam hic eſſe contrarietatem, propterea quòd hic agatur de nimio, & ratione magnitudinis non expetenda, ſi diſtinguas voluptatem, quaſdam eſſe neceſſarias, quaſdam non, & ſic argumenteris: Omnis dolor fugiendus; Ergo etiã quædam nimiæ voluptates ſunt expetendæ, tamen, inquit Ariſtoteles, non ipſum nimium voluptatis, ſed ratione eius, qui expetit, incipit illud nimiũ etiã contrariũ eſſe dolori. Intemperantes nimias voluptates perſequuntur, quia dicunt eas dolori contrarias, tanquam clauum clauo, magnis voluptatibus magnos expellunt dolores. Fit igitur, vt aliquo modo videatur nimium voluptatis contrarium dolori.

ἐπεὶ δ᾽ οὐ μόνον.] De voluptatibus corporis, cur & quatenus ſint expetendæ aut fugiendæ, in bonis aut malis numerandæ, earum deniq; eſſe nimium, adhuc eſt explicatum. Nunc de iiſdem, cur eas, etſi non veras, & animi voluptatibus longe deteriores & minores, plærique tamen acrius & vehementius perſequantur. Quod priuſquam explicet, præceptum affert methodicũ quoddam peregregium. In rerum explicationib. non tantum quid verum, ſed falſi quoq; cauſam & fontẽ aperiẽdũ: huius præcepti vtilitatẽ hanc ait eſſe maximã, ꝙ ſua vero fides confirmetur magis, falſo nõ tantũ reprehenſo, ſed origine ipſa erroris & fonte quoq; patefacto. Hinc valet ad fidẽ, quãdo aliquid explicamus, quando veritatẽ explicauimus, ſi hoc addamus, hæc eſt veritas ipſa; ſed ego velut corollarii loco afferã tibi, quæ res in errorẽ te adduxerit, fontem tibi aperiam: hoc ſæpiſſime in omnib. diſputationib. accidit, & magis meretur fidẽ apud eos, quibus aliquid perſuaderi velimus. Aureũ igitur præceptum. Itaq; & Ariſt. hoc loco, poſtquã docuit, errare vulgus, qui voluptates corporis magis putent expetẽdas quam animi, cauſas quoq; eius erroris aperire voluit. Cum.n. plurimũ refert hanc opinionẽ hominib. plærisq; à natura pene inſitã exurere, & alteram inurere: tum per eſt difficile, quia, vt dixi, natura fere nobis ſit inſita. A pueris namque ſtatim voluptates corporis deguſtare incipimus, animi, non niſi longo poſt interuallo, & alioqui plærique à labore, inquit Terentius, procliues ſumus ad libidinem. Duas igitur huius erroris cauſas affert, duas

duas item alias doctiſſimus Nobilius *lib. 2. de voluptate.* quas breuitatis cauſa prætermittam. Ariſtotelis prior cauſa hæc eſt, cur, inquam, voluptates corporis auidiſſime omnes perſequantur, quia his velut extrudatur dolor, quem omnes manibus pedibuſque à ſe depellere ſtudent: atque hoc optime fit per iſtas voluptates corporis, qui dolor ſi fuerit acrior, etiam acrioribus opus eſt voluptatibus. Eas igitur perſequuntur acriores, atque adeo omnes corporis voluptates, non acriores tantum, tanquam medicinæ gratia. Vt enim medicina morbus: ita voluptatibus dolor, tanquam clauus clauo pellitur; fames cibo, ſitis potu, Venere alia deſideria.

σφοδραὶ ἢ γίνονται.] Obſcurior locus, cuius tamen hæc fere affertur ſententia, quia dolores, ſi ſunt graues, grauibus quoque eiiciendi ſunt voluptatibus, tanquam medicina, vtpote dolori contrariis: ea re magnas ab omnibus voluptates expeti. Verum mihi non probatur hæc ſententia, ſed non habeo meliorem, videtur mihi latere mendum, eſt mirabilis Ariſtoteles in parentheſibus, multa interiicit, & ob id fit difficilimus.

καὶ οὐ σπουδαῖον.] Quia modo dictum, voluptates corporis eſſe dolorum tanquam medicinam: huius verbi medicinæ occaſione attepta, interiicit Ariſtoteles, eas non eſſe in bonis, ſed hoc ſupra explicatum *capite duodecimo*, vbi & de hoc loco, tum, quia ſunt medicinæ, tum, quia pendent ex malis naturis.

ἔστι ἔχειν βέλτιον.] Melius eſt, inquit, habere, quam fieri, id eſt, melius eſt non eſurire, nullaque re egere, quam ſatiari & expleri. Quod quia accidit voluptatibus corporis, quas expletiones quaſdam eſſe ſupra docuimus: eâ re voluptates hæ non optimæ cenſendæ ſunt, atque adeo non bonæ, niſi ex euentu.

ἔτι διώκονται διὰ τὸ.] Altera eſt ratio, quia cum ipſæ ſint magnæ, tum qui eas expetunt & perſequuntur, alias præterea nullas habent, quibus ſe oblectent. Hac igitur de cauſa quoq; fit, vt eas tam acriter perſequantur, adeo quidem, vt nonnulli vltro etiam ſibi earum velut ſitim faciant, & cupiditatem quærant, quemadmodum cibo expleti interdum acriora quædam appetunt, quibus cupiditas veſcendi rurſus excitetur. Quia tamen nullas ibi alias habent aut norint voluptates, non nimis reprehendendi fuerint, ſi innoxias perſequantur ſaltem: nam ſi noxias & pernitioſas, id certe & malum & accuſabile eſt. At, inquet aliquis, etſi aliæ ipſis non ſuppetunt voluptates, non id tamen

tamen ſatis cauſæ ipſis videatur, cur has tam acriter perſequi debeant, cum ſatis ipſis eſſe deberet, ſi modo nullo ſint in dolore, ſi medio, qui dicitur, in ſtatu conſiſtere ipſis liceat, qui indolentia ſeu ἀλυπία, & hic ab Ariſtotele τὸ μηδέτερον, vt à Platone οὐδέτερον dicitur? Reſpondet Ariſtoteles, & hunc vitæ ſtatum medium, plæriſque etiam moleſtum eſſe tribus fere de cauſis, διὰ φύσιν, δι' αὔξησιν, διὰ κρᾶσιν. Primum namque, vt nullo alioquin perſpicuo in dolore eſſe videamur, dum in hoc medio ſumus ſtatu, ſemper tamen ſubeſt aliqua moleſtia & labor. Animal namque ſemper laborat, & aliqua ex parte fatigatur, quod vel ex ſenſibus perſpicuum fit, quorum munera dolore non vacare, ſcribunt Phyſici, ipſum, inquam, cernere & audire non vacat dolore, vt eſt apud Ariſtotelem *libr. 2. de Anima*, quos labores & Hippocrates *lib. 2. de Diata*, κατὰ φύσιν vocat, vt hic Ariſtoteles διὰ φύσιν: natura igitur ipſa medius hic ſtatus, labore & moleſtia non vacat. Et hæc communis eſt cauſa omnium hominum, etiam animantium. Duæ alteræ ſunt ſingulares [prima enim eſt communis] & propriæ, quarum prior eſt incrementum corporis, quæ adoleſcentum eſt propria: hos enim corporis incrementum ſtimulat & vrit, adeo quidem, vt corpora eorum æſtuent commotis humoribus; ſpiritibus & calore, non ſecus atque ebrii vaporibus concuti ſolent. Huc accedit, quod ipſa per ſe adoleſcentia ſit iucunda, vt triſtis ſenectus: non mirum igitur adoleſcentes ad has corporis voluptates eſſe propenſiores, ſed eo eſt præclarius iis reſiſtere. Altera cauſa eſt corporis conſtitutio ſeu κρᾶσις, [complexio vulgo] quæ eſt Melancholicorum. Ea namq; horum eſt conſtitutio corporis, vt ſemper voluptatibus, tanquam medicamentis opus habeant, vtpote quorum acriores ſint humores, quibus eo corpora vri & morderi nunquam deſinant, & qui in continuis fere iiſque acerrimis verſentur plærumque cupiditatibus, & appetitionibus, de quibus ſupra *cap. 7. in fin. & cap. 10* Quare cum omnes homines, tum adoleſcentes, præſertim & Melancholici etiam in medio ſtatu quærunt voluptates, quibus eos naturæ, ætatis, κράσεως labores & moleſtias, aut leniant, aut tollant.

ἄν τε ἐναντία ᾖ] Hoc ad priorem rationem pertinet, qua dictum, voluptates corporis dolorum eſſe velut medicinam, ſiue ea voluptas, inquit hoc loco, ſit contraria, quod ſupra explicatum, ſiue qualiſcunque, id eſt, etiam non contraria, modo vehemens:

hemens: nam voluptas eſt illa quidem omnis dolori contraria genere, non tamen ſpecie: verbi gratia, dolori animi voluptas corporis ſpecie tenus non eſt contraria. Sic iratum ex contumelia, qui dolor eſt animi, ſæpe placari videas Muſica, quæ aurium eſt voluptas.

καὶ διὰ τοῦτο ἀκόλαστοι.] Hæc ad Melancholicos duntaxat vulgo referuntur, quos, quia acrioribus cupiditatib. impellantur, intemperantiores & deteriores cęteris hic dicat Ariſt. Mihi, vt priora, ita & hæc verba generalius accipienda videntur, nimirum, homines fieri plærosq; intemperantes & malos, ex eo, quod tam acriter voluptates corporis perſequendas ſibi exiſtimẽt, & perſequant. Deniq; videntur mihi hæc generalia omnino: videmus n. plęrosq; melãcholicos remotos ab intẽperantia.

αἱ δ' ἄνευ λύπης.] Hac velut altera huius capitis parte, poſtquam priore de voluptatibus corporis, iam de iis, quæ animi, quas hic vocat abſque moleſtia, quod ſupra explicatum *capite duodecimo*. De iis hoc primum; earum nullum eſſe nimium, cuius rei hæc eſt ratio, quia bonorum, ex quibus manant, nullum item ſit nimium, nempe virtutum. Itaq; vt in virtute nullum reperitur, quod de gratitudine commemorat Cicero *in Planciana*, [elegans locus ad hunc Ariſt. explicandum, ſicut Ariſtotelis ad Ciceronis.] quæ quo magis creſcit, eo eſt perfectior & laudabilior, ita nec in voluptate, quæ ex virtute aut ſcientia oritur. Quare & ab omni periculo vacui ſumus, ne magis quam oporteat vſibus harum voluptatum gaudeamus, quod contra vſuuenire in voluptatibus corporis ſupra hoc capite dictum. Alterum, eas capi ex rebus natura iucundis, non ex euentu, quod ſupra explicatum *cap. 12.* vt & hæc verba, *λέγω δὲ κατὰ συμβεβηκός*, &c.

ὅτι γὰρ συμβαίνει.] Et hoc obſcurius: Cuius tamen hæc mihi videtur ſententia: Dictum modo, ea, quæ curationis cauſa adhibentur, ex euentu eſſe iucunda. At inquiet aliquis, imo ne iucunda quidem videntur, vtpote vbi nulla ſubſit actio, ſed perpeſſio potius: nam qui curatur, non tam agit, quam perpetitur. Reſpondet Ariſtoteles, etiam in eo, qui curatur, actionem quandam ſubeſſe, non quidem eius, quę curatur & laborat partis, ſed quæ reliqua ſubeſt ſanæ partis, & hoc eſt, quod ait, *τοῦ ὑπομένοντος ὑγιοῦς*, &c. pars autem hæc ſana, ſenſus ipſe eſſe videtur, voluptatem percipiens, ſenſus autem eſt actio quædam & *ἐνέργεια*.

φύσ

φύσις δ' ἡδέα.] Et hoc ſupra *cap. 12.* explicatum.

οὐκ ἀεὶ δ' οὐδὲν] Quia modo dictum, quędã natura eſſe iucunda: conſtet autem ea, quæ natura, eſſe vniuſmodi & perpetua; videri poterat, iucunda hæc natura ſemper eſſe eadẽ. Adiungit igitur Ariſt nihil eſſe quod idem ſemper ſit iucundũ, hominib. quidẽ. Rationẽ reddit, quia hominũ natura nõ ſimplex ſit & vniuſmodi, ſed duab. ex rebus mixta & tẽperata, animo & corpore, quorũ altero tandẽ ẽt homines corrũpantur & intereant. Quare cũ ex duabus his rebus & naturis conſtet homo: mirũ nõ eſt, nõ eandẽ ſemper illi pmanere voluptatẽ, non vna eademq; illi eſſe iucunda, quin potius, q vni iucundũ, id alteri ſæpè eſt moleſtũ; vt contẽplatio menti eſt iucunda, eiuſq; naturæ conſentanea, ſenſibus, maxime phantaſiæ hac re laboranti, non item. Sic cibi ſumptio famelico quidem eſt iucunda, ſaturo moleſta. Quod ſi autem hæ duæ partes vtraq; ex æquo voluptatem capiat, iam fiet, vt homo neq; doleat, neq; voluptate perfundatur. Nam quantum quæq; pars ex ſua voluptate gaudet, tantum ex diuerſa rurſus dolet, ita vt neque vere doleat, neque gaudeat homo, & hoc eſt, quod ait, ὅταν δ' ἰσάζῃ, ſcilicet vtraque hominis pars, æquabiliter agat, gaudeat vel doleat. Denique ſunt duo, alter alterum læſit, tu me, ego te, quia tu me læſiſti, ego dolorem capio, quia ego te, voluptatem capio: ita eſt quaſi quoddam æquilibrium, & homo non vere dolet, neque vere gaudet: quando animus gaudet, corpus dolore afficitur, tum plane homo non dicitur proprie gaudere nec dolere. Si ſingulas partes ſpectes, ratione animi gaudet homo: verbi gratia: Poſidonius, qui laborabat articulari morbo, podagra, tamen diſputabat, ex diſputatione illa voluptatem capiebat, ex morbo dolorem. Sic neque dicendus eſt homo proprie gaudere, neque dolere.

ἐπεὶ εἴ τοῦ ἡ φύσις.] Eſt quaſi antitheſis eius, quod modo dictum, hominis nullam eſſe ſimplicem voluptatẽ, & vniuſmodi, quia neq; naturam. Nam, inquit, ſi natura eius ſit ſimplex, certe & actio eius ſemper ſit eadem, eaq; iucundiſſima: naturam namq; actio quæq; ſuam imitatur, & proinde & voluptas.

διὸ ὁ Θεὸς ἀεὶ.] Deum vna & ſimplice frui voluptate, à contrario docet, vt cuius natura ſit ſimplex & vniuſmodi, ea eſt ex Ariſtotelis ſententia contemplatio, ſi quidem & hæc eius eſt actio, qua de re *infra lib. 10. capite octauo.* At, inquiet aliquis, Dei nulla eſt actio, vtpote immobilis, teſte Ariſtotele *libro 12.*

Meta-

Metaphyſ. & in quiete conſtituti; quies autem actioni contraria videtur. Si nihil agit. Ergo nulla eius eſt voluptas. Reſpondit Ariſt. actionem nō tantum eſſe motionis, ſed etiam quietis, quod cernere licet in contemplatione, quæ certe eſt actio ſeu ἐνέργεια, ſine motu tamen, quin imo, voluptas quietis ea, quæ in motu multo eſt præſtantior, atque adeo magis eſt in quiete, quam in motu, vera & liquida, non inchoata, quod ſupra explicatum contra Platonem.

μεταβολὴ δὲ πάντων.] Redit ad humanas voluptates, quas non eſſe vniuſmodi, ex natura docuit. Nunc adiungit quaſi alteram huius rei cauſam, quod homo natura non ſit bonus, & opus habeat mutatione, vtpote non bonus. Nam mali argumentum eſt eſſe inconſtantem & mutabilem. Quare cum homini mutatio ſit iucundiſſima, vt ait Euripides *in Oreſte* eleganter, id totum eius naturæ prauitati eſt aſcribendum. Ad ſummam igitur, Hominis voluptates, quia eius natura neque eſt ſimplex, neque bona, non ſunt vniuſmodi, & perpetuæ ſeu mutabiles. Contra fit in Deo Opt. Max. & in cœleſtibus animis, vt quorum natura ſit ſimpliciſſima & optima. Ex quibus perſpicuum eſt, humanas voluptates, cœleſtium & diuinarum vix vmbram aut ſimulachrum eſſe. Et ſic intelligenda, quæ ſæpe canunt Poetæ, Sophocles *in Trachiniis*, de voluptatum humanarum inconſtantia & breuitate, atque adeo impuritate, &c.

FINIS LIBRI VII.

LIBER

LIBER VIII.

ARGVMENTVM.

DVobus his libris 8. & 9. de Amicitia accuratiſſime explicatur. In 8. quidem de vi & natura, atque partibus: in 9. de Diremptione, & de iis, quæ cum Amicitia cognationem quandam habeant. Afferuntur & in vtroque quæſtiones aliquot, maxime in 9. De Amicitia videndi ſunt præterea Plato in Lyſide, & in Sympoſio ſeu de amore. *Cic.* in Lælio. *Plutarchus* in Commentario de diſcrimine amici & adulatoris. *& in* περὶ πολυφιλίας, in amatoriis narrationibus, *& in* Erotico *denique, Eraſmus etiam* in colloquio de Amicitia.

CAPVT I.

COMMENTARII.

DVo ſunt huius capitis partes, quorum priore, cur in his libris de Amicitia explicetur, vbi & de Amicitiæ fructibus & oportunitatibus [vtilitatibus vulgo] altero controuerſiæ de Amicitia exponuntur.

Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ.] Duas (non ſex, vt vulgo Interpretes,) affert rationes, cur in his libris de Amicitia ſit differendum; & cur Politico agendum de Amicitia. Prior hæc eſt, quia amicitia vel ſit virtus, vel certe cum virtute, id eſt, vel certe quæ nulla abſque virtute vera eſſe poſſit, quæ, vt inquit Cic. *in Lælio*, ex virtute manet & contineatur. Formula:

De virtutibus hic explicatur.
Amicitia eſt virtus, vel, &c.
Ergo & ea hic explicanda.

De aſſumptione, quæ amicitiæ cum virtute ſit cognatio, explicabitur infra. [*In Magn.* expreſſe nominat amicitiam virtutem, hic non item.]

ἔτι δ᾽ ἀναγκαιότατον.] Altera eſt ratio, quia amicitia ad vitam maxime ſit neceſſaria. Formula:

Quæ ad vitam humanam pertinent, ea hic ſunt explicanda, vt vbi tota Philoſophia humana pleniſſime explicetur, id eſt, Politica, qua de re ſupr. lib. 1. ſæpius.

Atqui amicitia vel maxime ad vitam humanã eſt vtilis.

Ergo hic explicanda.

Aſſumptio copioſe explicatur ab Ariſtotele: qua re non animaduerſa, Interpretes aſſumptionis confirmationes nouas putarunt eſſe rationes.

αὐδὲ γὰρ φίλων.] Docet igitur, amicitiam neceſſariam eſſe priuatim & publice: publice ἔοικε δὲ καὶ τὰς πόλεις: priuatim quidem, tam diuitibus, quam tenuibus, adoleſcentibus quam ſenibus, viris denique ipſis, tam domi, quam foris, etiam beluis, id eſt, tam hominibus quam beluis.

ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθά.] Ait etiam omnibus bonis affluēti neceſſariam & optabilem tamen eſſe amicitiam. Qua de re infra tamen, an beato opus ſit amicis. Similis eſt locus apud Cic. *lib. 1. Offic. extremo,* vbi comparat theoreticas cum practicis ſcientiis & virtutibus. Dicit enim Cicero, & præfert practicas ex ſententia Dicæarchi: fuit enim magna diſputatio inter Theophraſtum & Dicæarchum; vtra vita præſtantior, practici, an theoretici. Dicit ibi Cic. *Etſi quis in omnibus ſcientiis verſetur: tamen ſi in ſolitudine conſtitutus, non habeat cum quo conferat ſuas præclaras ſententias, certe vita huic dura videbitur.*

καὶ γὰρ πλουτοῦσι.] Diuitibus neceſſariam eſſe amicitiam (ſub his & honoribus, & opibus ſeu imperiis florentes complectamur) oſtendit duabus rationibus, tum quia alioqui nullus pene huius εὐετηρίας, id eſt, copiæ bonorum aut opum affluentiæ futurus ſit vſus, ſublata beneficentia, quæ amicitiæ eſt ἐνέργεια ſeu vſus, [Latine vſum ἐνέργειαν. Ergo ſi tollis amicitiam, tollis & beneficentiam, hoc eſt, aliis non poſſes benefacere, aliis aliquid largiri. Si tollis beneficentiam, ad quem finem tua bona habebis. Vt iis itaque bene vtaris, opus eſt amicis.] præſertim quæ beneficentia maxime ſit aduerſus amicos. Formula:

Vbi non eſt beneficentia, ibi bonorum fortunæ fructus perit.

At vbi nulli amici, ibi nec beneficentia, vt quæ ſit aduerſus amicos potiſſimum: nam iis ſolemus benefacere, hoc eſt, quod dicunt Iuriſconſulti: nemini quicquam legato in teſtamento, niſi ſit is amicus. Amicitiæ gradus multi.

multi. Inter ciues eſt quædam etiam amicitia politica, generaliter accipiendo.

Ergo vbi non ſunt amici, ibi & bonorum fortunæ fructus perit.

Tum quia abſq; amicorum præſidio eadem illa fortunæ bona ſeruari vix poſſint, magna præſertim: nam, vt eleganter Ariſt. ὅσῳ γὰρ πλείων, quo eo maiora, eo maiori periculo obnoxia, eo plures iis inſidiantur: cuius poſſeſſio, inquit Cic. *lib.6. Paradox.* quo maior eſt, eo plus requirit ad ſe tuendam.

ἐν πενίᾳ δὲ κ.] Hic de tenuibus & calamitoſis; quibus neceſſariam eſſe amicitiam, omnibus eſt notum, qui paupertati, exilio, & id genus calamitatibus, maximum in amicis præſidium poſitum, eamque eſſe tanquam perfugium & aſylum quoddam exiſtiment, qua de re infra latius.

καὶ νέοις δὲ πρὸς.] Adhuc de fortuna & caſu; nunc & omni ætati vtilem eſſe amicitiam docet. Adoleſcentibus quidem, ne peccent, adiuuantibus vtique ope, conſilio, amicis. [Sic loquuntur Iuriſconſulti, ope, conſilio breuiſſime.] Senibus autem, qui propter imbecillitatem corporis ſe & ſua curare, reſq; obire nequeant, ad obſequia & rerum adminiſtrationem ſeu curationem, & quaſi ſubſidium. Viris denique, ſeu iis, qui conſtante ætate (quos Græci ἐν ἀκμῇ vocant) ad res præclaras gerendas & contemplandas, ad omnem deniq; honeſtam actionem, tam in agendo, quam contemplando. In contemplationibus quantū adiuuet συζήτησις ſeu ſtudiorū cum amicis communicatio, etiā prouerbio eſt notū ex Euripide. Ad alias res agendas, quantum adiumenti adferat, fidus amicus aut ſocius, exemplo ſit Diomedes, qui nocte ſpeculatū iturus Troiam & caſtra Troiana, ſociū ſibi adiungi voluit: nā vt eſt apud Homer. *Iliad.κ.* σύν τε δύο ἐρχομένω: qui verſiculus in prouerbium abiit, quo & Cic. *in Epiſt. ad Varronem & Attic. lib.9.* eſt vſus.

φύσει δ᾽ ἐνυπάρχειν.] Quam late pateat vis amicitiæ, etiam belluarum exemplo docet: nam & in his, vt auibus quibuſdam inter ſe, turturibus, columbis, aliiſq; animantibus, &c. (de quibus videatur Eraſmus in colloquio *de amicitia.*) maxime eiuſdem generis inter ſe eſſe amicitiam. Sed hanc eſſe naturalem, ſeu natura inſitam, quæ & eſt parētum erga liberos: atq; adeo magis elucet in hominibus, quos præterea & vulgo φιλανθρώπους Græci vocant. Cæterum hæc amicitia naturalis non tam eſt amicitia quam amor, de quo diſcrimine infra latius.

ἴδοι δ' ἄν τις καὶ] Hic amplius oſtendit vſum amicitiæ, nempe in aberrationibus à via & peregrinationibus. Nam in his, dum alter alterum in viam reducit, vel egenti neceſſaria ſubminiſtrat, ſatis eſt argumenti, magnum inter homines vſum eſſe amicitiæ. His tamen verbis hoc directe videtur agere Ariſt. vt oſtendat, non tam amicitiæ vſum, quam eſſe quandam inter homines amicitiam, & naturæ quaſi cognationem: & vt eleganter Papinianus ICtus *in l. ſeruus ea lege. D. de ſeruis export.* & Cic. *lib. 3. Offic.*

ἔοικε δὲ καὶ &c.] Adhuc priuatim, nunc publice quam ſit vtilis & neceſſaria amicitia, exponit: nam amicitia ciuitates omnes contineri. Cui rei argumento eſt, quod legum ſcriptores hoc vel maxime ſtudent, vt ciues inter ſe ſint amici, aut certe concordes, vt ſit in ciuitate concordia. At hæc amicitiæ eſt pene gemina & ſimilima. Qua de re infra *libro nono*, adeo quidem concordiæ ſtudent legum ſcriptores, vt magis in ea elaborent, quam in iuſtitia ipſa, propterea quod iuſtitia vix opus videatur, quibus inter ſe eſt concordia & amicitia. Hac tamen etiam, inter quos eſt iuſtitia, nihilominus ſit opus. Inter amicos namque, quia nullæ exiſtunt iniuriæ, nulla quoque cernitur iuſtitia, vt nec inter Deos, inquit Ariſtoteles *libro decimo*. Inter eos autem, apud quos eſt iuſtitia, niſi aſſit & concordia, certe vna conſiſtere nequeunt. Alterum argumentum; concordia ciuitates contineri, in eo eſt poſitum, quod diſſenſionibus ſeu diſcordiis & ſeditionibus omnes funditus euertantur. Cicero *in Lælio: Id ſi minus intelligatur, quanta vis amicitiæ concordiæq; ſit, ex diſſenſionib. atq; ex diſcordiis percipi poteſt: quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma ciuitas eſt, quæ non odiis atq; diſſidiis funditus poſſit euerti, &c.* Vtiliſſima igitur, & maxime ciuitatibus neceſſaria eſt amicitia ſeu concordia. Qua de re præclarus eſt locus apud Xenoph. *lib.* ἀπομνημονευμάτων [*dictorum & factorum Socratis*] ἀλλὰ μὴν καὶ, &c. vbi Xenophon commemorat, nullam fere Græciæ ciuitatem eſſe, quæ non complexa fuerit caput de concordia in ſolenni ciuium iureiurando, quod pertinet ad prius argumentum de ſtudio legum ſcriptorum. Pollux *lib. 8. Formularum* Politicam iuriſiurandi ciuitatis Athenienſis adducit.

οὐ μόνον δ' ἀναγκαῖον.] Adhuc docuit, amicitiam vitæ humanæ plane eſſe neceſſariam: quod idem pulcherrime Cic. eodem modo *in Lælio: Tales igitur inter viros amicitia tantas opportu-*

nitates

nitates habet, quantas vix queo dicere. Principio [nemo, inquit Ariſtoteles, viuere ſine eo velit] cui poteſt eſſe vita vitalis, &c. Sic enim legendum puto, non qui poteſt eſſe, &c. manauit vitium ex eo, quod olim *cui* ſcriberent, *qui*, [*cui* & *qui* eodem modo ſcribebant. Paruus ille libellus *Lælius* ſcatet mendis plurimis.] Adhuc igitur eam eſſe vitæ neceſſariam oſtendit: hic adiungit eſſe & honeſtam, & rem præclaram; tum quia ſit laudabilis. Laudari namque & vulgo ſolent, qui Græce dicuntur πολύφιλοι & πολυφιλία. Qui namque nulli eſt inimicus; omnibus charus, prædicari vulgo ſolet, tum quia eoſdem viros bonos quidam vulgo dictitent, quos amicos, quos in amicitia conſtantes & candidos. Ergo, quia amicitia eſt laudabilis, & viri boni, etiam res eſt honeſta & præclara.

καὶ τῶν δικαίων.] Ait ex iuris generibus ſummum & optimum maxime ad amicitiam pertinere, in eo maxime cerni amicitiam, id eſt, ius politicum ſeu ciuile, vt ſupra dictum *lib.5.ca.6.* Huius rei ratio hæc eſſe videtur, quod maxime id ſit æquabile, ſed hac de re infra latius *cap.9. & ſequentib.* hoc autem eo pertinet, vt cernatur, magnum etiam in ciuitatibus & rebus politicis amicitiæ eſſe vſum.

τοὺς γὰρ φιλοφίλους.] Sic habent plærique libri: Græci φιλοφίλους vocant, qui ſuos amicos non ficte ſed vere amant, ſinceros & candidos amicos, de quibus & infra *cap.7.* In aliis libris, nempe in editione Turnebi, & vt in veteri tralatione, eſt πολυφίλους, vt & mox πολυφιλία, quomodo & nos explicabimus. De πολυφιλία item infra *lib.9.*

Διαμφισβητεῖται δέ.] Altera huius capitis parte afferuntur quædam de amicitia eo tempore vſitatæ cōtrouerſiæ ſeu quæſtiones, quas ipſas & Plato *in Lyſide* diligenter explicat. Prior quæſtio eſt de amicitiæ natura ſeu definitione & origine ſeu cauſa, [eodem pertinent hæc omnia:] altera de eius partibus. De priore variæ fuerunt veterum ſententiæ. Alii namque amicitiam ſimilitudinem quandam, alii diſſimilitudinem eſſe dicebant: nam eos inter ſe amicos fieri, quos inter ſimilitudo quædam ſit, quorum ſententia prouerbiis aliquot confirmetur. Duo hic affert Ariſtoteles: alterum ex Homer. *lib.9.Odyſſ.* τὸν ὅμοιον φασιν, &c. ***Similem Deus ducit ad ſimilem.*** alterum, κολοιὸν, ***Graculus aſſidet graculo: Similes habent labra lactucas,*** de quo Eraſmus, qui & alia affert: ***Æqualitas amicitiæ parens***

mater: Simile expetit ſimile. & apud Ciceronem: *Pares cum paribus.* Hinc videre licet adoleſcentes cum adoleſcentibus, improbos cum improbis habere conſuetudinem. Alii item ſuam ſententiam prouerbiis confirmare ſunt ſoliti, vt verſiculo Heſiodi, quem & ſupra *lib. 2. & in Rhetor.* affert; *Figulum inuidere figulo*, quaſi dicerent, inter ſimiles aut pares potius inimicitiam eſſe, quam amicitiam, inter impares amicitiam. Sic inquit Plato, *Pauper diuiti eſt inimicus, imbecillus forti, infirmus medico.*

καὶ περὶ αὐτῶν τούτων.] Eaſdem ſententias ſuam quiſq; confirmare nitebatur, etiam Phyſicis argumētis, Aridā namq; terram expetere imbrem. Inane, inquit Plato, expletionem: frigidum calorem, & contra, vt præclare Euripides, cuius verſuum (quos integros & multos affert Athenæus) fragmenta quædam hic Ariſt. attulit: nam verbum ξηρανθεῖσαν non eſt Euripidis ſed Ariſtotelis, ab eo breuitati ſtudente interiectum, loco integri Senarii & dimidiati, quibus tamen Poeta nihil aliud exprimere voluerit, quam quod Ariſt. hoc vno verbo. Sic enim Poeta, ἐρᾷν μὲν ὄμβρου, &c. Ex Phyſicarum igitur rerum ſimili natura, quas contraria inter ſe expetere, aut diſſimilia viderent, concludebant alteri, amicitiam quoque eſſe inter diſſimiles. Heraclitus quoque Phyſicus in ea fuit ſententia de rebus phyſicis, atq; adeo omnibus, eas gigni ex quadam principiorum diſcordia, quę res inter ſe inimicæ tandem conueniant: pulchra quodammodo harmonia, atq; ita gignantur. Dicebat igitur Heraclitus τὸ ἀντίξουν, id eſt, τὸ ἐναντίον ſeu contrarium, [ille vſus obſcuriſſimis verbis in poemate de rerum natura, vt & Lucretius.] συμφέρον, id eſt, concurrens & connaſcens eſſe rerum omnium principium: hinc, inquam, res fieri, ſi ea, quę ſuapte natura ſint contraria, connectantur & coaleſcant: hanc eſſe tanquam rerum harmoniam, vt ex graui & acuto cōflatā. Quod ipſum de Heraclito commemorat & Plato *in Sympoſio.* Priorum autem ſententia, & ipſa Phyſicorum auctoritate quorundam confirmari ſolet: nam cum alii, nempe Heſiodus & Parmenides Philoſophus, teſte Ariſt. *lib. 1. Metaphyſ.* tum Empedocles potiſſimum rerum principium, non diſcordiam, vt Heraclitus, ſed amicitiam potius, ſeu concordiam conſtituebant. Empedocles namq; omnium rerum originem, amicitię ſeu φιλίᾳ, interitum νείκει ſeu ἔριδι contentioni, liti ſeu inimicitiæ & diſcordiæ attribuebant. Ariſtoteles *in Metaphyſ. libr. 2. de ortu & in-*

& interitu. 3. de cœlo. 1. de Anima. Plutarchus *in commentario de Homero.* De quibus Philoſophis & Plato *in Gorgia*: φασὶ δ' οἱ σοφοὶ, aiunt, inquit, Philoſophi, cœlum, terram, homines, omnia deniq; ſocietate quadam & amicitia contineri.

τὰ μὲν ἐν φυσικά.] Ariſt. hanc diſputationem, vt Phyſicæ magis propriam, quam Politicæ (qua in re Platonem notat *in Lyſide.*) aſpernatus, quæſtiones affert magis proprias Politicæ, quæque ad res humanas, ad mores & affectiones pertineant. Primum, an amicitia in omnibus reperiatur, etiam improbis inter ſe. Qua quæſtione tamen prior illa intelligitur: Vtraque namque de amicitiæ natura agitur. Altera eſt quæſtio de amicitiæ generibus. Fuerunt namque, qui vnum duntaxat eſſe exiſtimarint, hac adducti ratione, quia in amicitia reperiatur quod magis & minus. Formula:

Quod ſpecie differt, in eo non eſt id, quod magis aut minus.
At in amicitia eſt magis & minus.
Ergo ſpecie non differt, id eſt, Ergo non plures eius ſunt ſpecies, ſed vna duntaxat.

Ita illi: Ariſtoteles de aſſumptione nihil: eam namque tacite probat, quod amicitiæ certæ altera, vt honeſti, verior & perfectior ſit ea, quæ eſt vtilis. Propoſitionem igitur, vt non omni ex parte veram, reprehēdit. Eſt quidē & illa plæruinq; vera: quæ namq; ſub eodē ſunt genere ſpecies contrariæ, in his vere nō eſt id quod magis aut minus: neq; enim homo magis eſt animal, quā equus: aut color magis albus quam ater: ſunt. n. contrariæ ſpecies ſub eodē genere coloris. Verū reprehenditur tamē ſæpe hæc propoſitio: nā & ſunt, quæ cum ſpecie inter ſe differant, tum id quod magis aut minus, in his reperiatur. Cuius generis aliquot ſ, ſe attuliſſe memorat Ariſt. Quænam ea ſint, non conſtat. De his inquit Schol. Græc. in libris Eth. amiſſis egit perabſurde: nam initio docuimus, opus hoc Ethicorū eſſe ex omni parte plenū & perfectū. Videt igitur quibuſdā intelligere virtutū ſpecies diſcrepantes, in quib. tamen quod magis & minus reperiatur, vt liberalitas magis in dando, quā in accipiendo (quæ duæ videantur liberalitatis ſpecies) cernitur. Supra *lib. 4. initio*, Temperantia magis in voluptatibus reſeruandis, quam in doloribus: fortitudo magis in rebus formidoloſis, quam in fiduciam adferentibus, [in contrariis.] Quæ explanatio etſi videtur probabilis; haud ſcio tamen, an non rectius intelligi poſſint, primum extrema virtutum, quæ ſunt illa quidem vitia ſpecie diſcrepan-

tia, ſed quorum alterum altero ſit magis, alterum ſit minus vitioſum, prout magis aut minus diſcedunt à medio. Qua de re dictum ſupra *lib. 2. cap. 8.* vt effuſio [prodigalitas vulgo] & auaritia liberalitatis ſunt extrema, vtraque quidem vitioſa, ſed hoc, nempe auaritia, illo magis & minus. Eadem eſt & ſtuporis ſeu indolentiæ & intemperantiæ ratio. Præterea de voluptatibus dictum eſt ſupr. de ipſis etiam virtutibus. De fortitudine *ſupr. lib. 3. cap. 8.* de continentia & impotentia *lib. 7.* Eas alteram altera magis eſſe aut minus, voluptates aut virtutes, alias per ſe & proprie, alias ex euentu. Notum eſt autem, his illas eſſe magis. Quemadmodum & infr. Ariſt. docet, amicitias partim per ſe, partim ex euentu, & illam hac magis eſſe amicitiam, id eſt, veriorem & perfectiorẽ. Falſa eſt igitur quibuſdam in rebus propoſitio, non ſolum politicis, de quibus diximus, ſed Phyſicis etiã & Metaphyſicis. Illis namq; forma magis eſt natura, quam materia *lib. 2. ἀκροάσεως Phyſica.* Hic vſus ſeu ἐνέργεια melior & perfectior eſt poteſtate, [Diſputatio de actu & potentia, vt vulgo, eſt Metaphyſicæ] & natura ſeu ſubſtantia magis eſt τὸ ὄν, ſeu id quod eſt [ſic redditur à Cicerone, Ens dicunt vulgo] quam euentum ſeu accidens. Mire hic hallucinantur Interpretes. De hoc dictum ſupra. Thomas dicit ſupra, id eſt, infra, hoc eſt, explicabitur in proximis capitibus, &c.

CAPVT II.

COMMENTARII.

EXplicatur de rebus, quæ ſub amicitiam cadunt, & de amicitiæ definitione.

Τάχα δ' ἂν γένοιτο.] Ait, quæſtiones de amicitia modo allatas, poſſe explicari commodiſſime, ſi primum de rebus, quæ amantur, explicetur. Quemadmodum enim ex rebus ſub ſenſum cadentibus (obiecta vulgo vocant.) Senſuum quoq; ipſorum genera colligunt Phyſici: & ſ. iuſtitiæ genera, ex iis, in quibus ius & iuſtitia verſatur, diſtinxit Ariſt. *lib. 5. initio.* Voluptatis quoq; *lib. 7.* ad eundem modum & amicitiæ genera ex ipſis rebus amabilibus recte colligenda iudicauit Ariſt. hanc namque meliorẽ & certiorẽ eſſe viam ac rationẽ de amicitia diſſerendi, quã Platonicã, de qua modo dictum, eam potius eſſe Phyſicam quam Politicam. Præterea Plato de perſonis potius, Ariſtoteles de rebus amicitiæ vim & naturam diiudicandam putauit.

τοῦ φι-

τȣ̃ φιλητȣ̃.] Res quæ amantur, quæque amoris & amicitiæ ſunt cauſa, ab Ariſtotele dicuntur *τὰ φιλητὰ*, à Platone *τὰ φιλα*: latine vſitatius quidē chara, planius tamen ob verbi amicitię cognationem ſeu coniugationem, amabilia dicantur. Nam & Cicero *ad Trebatium, Amabilior*, inquit, *mihi Velia fuit, quod ab ea ſenſi te amari.* [eſt oppidum.] Et *libr. 1. de Natura Deorum. Nihil eſt amabilius virtute, quam qui adeptus fuerit, vbicunq; erit gentium, diligetur.* Alioqui *amabile* fere Ciceroni idem eſt, *quod iucundum, ſuaue, & amœnum.* [Hinc amabiles mores, amabiles litteræ.] *In Magn.* Ariſtoteles duo affert verba, φιλητὰ & φιλητέα, illa per ſe, hæc alicui chara. Verum hoc loco ea omnia vno φιλητȣ̃ vocabulo continentur. Certe ea diſtinctio φιλητȣ̃ & φιλητέȣ, vt βȣλητȣ̃ & βȣλητέȣ, non temere alibi reperiatur. Auſim hoc amplius dicere, verbum φιλητὸν non tam eſſe commune, quam Ariſtotelis aut Philoſophiæ proprium. Sic enim ſolent appellare ea, quæ vulgo obiecta & ſubiecta dicuntur, vt γνωστὰ, νοητὰ, αἰσθητὰ. Quare & Plato eo vocabulo abſtinuit, vſus communi τȣ̃ φίλȣ.

δοκεῖ γὰρ ȣ̓ πᾶν.] Expoſita breuiter methodi ratione, rem ipſam iam explicat. Non omne, inquit, amari videtur, ſed id ſolū, quod Græci φιλητὸν, latine dicitur amabile ſeu charum. Sola, inquit, amabilia diliguntur, alia non item, mala puta aut iniucunda. Amabilia autem tria numero videri ait, bonum, iucundum, & vtile. Cur ita? Amabile namque, cum ſit ποθεινὸν, inquit Plato: ſeu optabile vel expetibile. Rerū autem expetendarum tria hæc conſtet eſſe genera, de quibus *ſupra libr. 2. cap. 3.* triplex quoque vt ſit, neceſſe eſt, præſertim cum amor & ipſe ſit appetitio quædam, ex quo amicitia.

δόξειε δ᾽ ἂν χρήσιμον.] Singulatim de ijs hic explicat: & de vtili primum, videri id eſſe, quo bonum & iucundum pariatur. Quæ enim vtilia, expetuntur, vel ad voluptates, vel ad bonum quod aliud aſſequendum. Expetuntur, inquit Cicero *libr. 1. offic.* [ſic inſcribitur ille liber in veteribus libris] diuitiæ, cum ad vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. Bonum igitur & iucundum duo hæc amabilia ſunt tanquam fines: tertium, vtile, ex ijs quæ ad finem. Sic in omnibus noſtris actionib. conſideramus duas partes, finem & media, quibus finem aſſequamur, *ſupra* hac de re ſæpiſſime. De quo diſcrimine, finis, & eorum quæ ad finem, ſæpe dictum *ſupra.*

Rr 5 πῶν-

πότερον ἐν πάγαθόν.] Hic de bono & de iucundo. Bonum namq;, (eadem & iucundi eſt ratio) quia aliud eſt abſolute & ſimpliciter bonũ, aliud ſibi, q̃ inter magna ſæpe eſt differentia, vt *ſupra* dictũ *li. 5. c.* . quæri poteſt, vtrum hic ſit intelligẽdum, vtrum inquam, ſit amabile. Sic virtutes p̃ ſe, abſolute bonum quiddam, ſed multa ſunt tãtum comparate bona, huic aut illi ſcil. vt corporis & fortunæ bona, verbi gratia, adoleſcenti pecunia non eſt bonum, vinum febricitanti non bonum, ſtomacho vero imbecillo optimum, iuueni peſſimũ & deterrimum, ſeni præclariſſimum & optimum. Reſpondet Ariſt: id quemq; bonum amare, q; ſibi bonum, cuius rei ratio hæc mihi eſſe videt̃, q; in ſua q̃q; vis & natura, ſibiq; accommodata rapiatur & feratur, aſpernetur & fugiat contraria, ſeu aliena, verbi gratia, cuiuſq; oculi ea cernunt, nõ q̃ alijs, ſed q̃ ſibi ſint aſpectabilia. [Oculi mei feruntur non ad ea, q̃ alius poſſit, ego nõ poſſim videre. Sic aures ad ea audienda, q̃ ego poſſim audire, ſenſus aurium non eo rapit̃. Sic appetitus ad ea fertur, q̃ iudicet vel ſibi bona aut vtilia, non conſiderat, quid ſit tam generaliter bonũ, ſed quid ſibi magis ꝓprium & accõmodatum.] Abſolute tamẽ bona, & ipſa abſolute erunt amabilia, vt quæ ſibi bona, ſibi amabilia. Verum quia ſæpe nobis bona videantur, quæ reuera non ſint: quia inq̃ bona, vel ſint vera, vel opinabilia: quæri rurſus poteſt, vtra hic ſint accipienda: voluptates .n. corporis etiam dulciſſimæ hominibus intemperantib. videntur optime, reuera non ſunt.] Qua de re dictũ & *ſupra li. 3. c. 5. aut 6.* vbi de voluptate. Reſpondet Ariſt. amare quem non q; reuera ſibi ſit bonum, ſed q; videatur. Amor namq; eſt appetitio q̃dam: hæc autem non fertur, niſi in id quod viſio ſeu phantaſia ipſa fuerit complexa. Quare quod phantaſiæ φαίνεται bonum, id eſt, bonum φαινόμενον ſeu opinabile, non τὸ ὂν ſeu verum duntaxat, amatur. Verum diſcrimen hoc ad hanc de amicitia diſputationem nihil aut parum valet, modo conſtet etiam opinabile bonum, non tantum verum, eſſe amabile. Alias magni id eſt momenti: hic ſatis ſit noſſe vtrumq; tam verum quam opinabile eſſe charum & amari.

τριῶν δ᾽ ὄντων.] Accedit iam Ariſtoteles ad Amicitiæ definitionem, cuius tres partes deinceps exquirit & explicat, quaſi aliud agens. Nam explicato de tribus amabilibus, adiungit, cum inanimis nullam reperiri amicitiam homini. Rationem hanc affert bipartitam: cum, quia inanimorum aduerſus nos nullus

nullus mutuus ſit amor: tum quia nos illis bona non velimus ipſorum cauſa. Ad amicitiam autem hæc duo in primis ſunt neceſſaria, mutuus amor & boni voluntas ipſius qui amatur cauſa. Neutra autem hæc in illis reperiri, perſpicuum eſt. De mutuo quidem amore certiſſimum, de altero ridiculum, inquit, ſit, velle vino quid boni. Nam quod conſeruari id volumus, non tam vini, quam noſtri id cauſá volumus.

τοῖς δὲ βουλομένοις.] Explicat iam definitionis partem, quæ eſt de mutuo amore, qui amor niſi aſſit mutuus, non tam erit amicitia, quam quædam beniuolentia [ita ſcribendum apud Cicer. & antiquis ſemp beniuolos & beniuolentia.] Nam beniuolos eos vulgo dicunt, qui bona ſibi velint: amicos vero non niſi id ipſum velle, & viciſſim fiat. Quare & AMICITIAM vulgo definiunt beniuolentiam cum remuneratione & viciſſitudine. Quam tamen definitionem Ariſt. negat eſſe plenam. Addendum namq; illi, non obſcuram, ſeu perſpicuam, confirmat hoc additamentum hac ratione, quod alioqui ſequeretur, etiam inter ignotos eſſe amicitiam, qꝫ eſt abſurdum. Cur. n. ſequeretur, hinc planum eſt, qꝫ ſæpe etiam ijs, quos nunq̃ vidimus, ob virtutem aut eruditionem ſingularem bene cupiamus, bene aduerſus eos ſimus affecti, qꝫ beneuolentiæ eſt ꝓprium Fieri quoq; poteſt, vt idem ille, quem nos tacita huiuſmodi beneuolentia ꝓſequimur, & ipſe nos quoq; ſimili ꝓſequatur, vt tamen alter alterũ non norimus. Quare etſi beneuolentia erit mutua, nõ tamen continuo eſt amicitia. Ariſtotelis igit̃ vt huius loci & diſputationis ſummam faciamus, amicitiæ definitio hæc eſt, eam eſſe beneuolentiã perſpicuam, ſeu nõ obſcuram, qua quis alteri bonum velit illius ipſius cauſa, cum mutuo amore ſeu viciſſitudine. Huic pene gemina eſt & Ciceronis *lib. 2. Rhetor.* iſta, amicitia eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſa cum eius pari voluntate. Vbi tamen Cicero illud, *perſpicua*, omiſit, quod tamen verbo *voluntatis* intelligi poteſt. In qua definitione qa multũ momenti ad totã diſputationem eſt poſitũ, non explicatis iam Ariſtotelis verbis, ipſam paulo accuratius conſideremus. Tres igit̃, nõ quatuor, vt vulgo putãt, huius definitionis ſunt partes ſeu notæ. Prima eſt velut genus amicitiæ, beneuolentia perſpicua, voluntas à Cic. dicitur, vbi tamen beneuolentiæ vocabulũ generalius ſumitur. Nam proprie beniuolentia qddã eſt ab amicitia diſiunctũ, vt modo dictũ & *inf.* explicabit̃ lati⁹ *l. 9. c. 5.*

Recte

Recte igitur Amicitia, non ſimplex beneuolentia, ſed perſpicua, definitur. Beneuolentia eſt occulta & obſcura, & vt Ariſtoteles ait *infra lib. 9. cap. 5.* eſt ignaua quædam amicitia. At amicitia eſt pſpicua, actuoſa &, vt Cic. ait *in Lælio*, officioſa. Amici namq; non eſt tantum bene velle, ſed multo magis bene facere, inquit Ariſtot. *lib. 2. Rhet.* definiens τὸ φιλεῖν, amare. Itaque officijs ſublatis, quod ſæpe locorum longo interuallo & ſilentio fieri ſolet, qua de re *infra hoc libro, cap. 5.* tollitur quoq; omnis amicitia. Altera amicitiæ nota ſeu definitionis pars, docet amicum amico bene velle, & bene facere, nõ ſua tamen cauſa, ſed amici duntaxat. Quod & Cicero expreſſit, & Ariſtoteles tanquam vulgo tritum & celebre commemorat τῷ δὲ φίλῳ φασὶ, &c. & *in Rhet. libr. 2.* hac nota & proprie definit *amare*, ἔστω δὴ τὸ φιλεῖν τὸ βούλεσθαι, &c. quæ certe nota eſt præclariſſima & veræ amicitiæ. In vulgari enim & falſa priuatæ vtilitates fere ſpectantur, non eius qui diligitur dignitas, quam notam attigit & Paulus Apoſtolus, ita definiens: *Charitas*, inquit, *non quærit, quæ ſua ſunt*. Huius certe notæ argumento Cicer. *libr. 2. de Finib. & 1. de Natura Deorum in fine*, Epicurum grauiter refellens. *Amicitia vero*, inquit, *locus vbiq; eſſe poteſt, &c.* Quid autem eſt amare, è quo nomen amicitiæ ductum, niſi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamſi ad ſe ex his nihil redeat. Vt autem priore nota ab amicitia ſeiungitur mera beneuolentia, ita hac altera ab ea diſiungitur vulgares, fictæ & adulatorum amicitiæ. Ad priorem & hoc pertinet, quod prætermiſimus, Ciceronis in Lælio. *Nam hoc præſtat*, inquit, *Amicitia propinquitati.* [malo veterum verbis explicare ſcripta veterum, quam meis.] *quod ex propinquitate beneuolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt. Sublata enim beneuolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet.* Hinc amicitia ex virtute parta, antecellit amicitiæ, quæ naturalis, hoc eſt, inter propinquos, inter illos poteſt exſiſtere odium, imo fratrum gratia rara eſt, inter amicos ſi beneuolentiam tollis, tolles amicitiam, amicitia propinquorum non vera. Tertia Amicitiæ nota eſt de mutuo amore, de redamando, Græci ἀντιφίλησιν vocant, latine quidam redamationem, vt φίλησιν amationem, quo verbo & Plautus vtatur. Malim ego φίλησιν amorem, & ἀντιφίλησιν mutuum amorem dicere latine. Amatio namque & redamatio, ſint illa quidem planiora, aut certe ad

græca

græca verba propinquiora. Plautinæ tamen ſunt potius proſapiæ quam Ciceronianæ[prouerbium apud veteres, *eſt Plautina proſapia*, hoc eſt, obſoletum, obſcurum, ignotum] ſunt, inquam, inuſitata, altera inuſitatiſſima, eaque re magis perſpicua. Hæc autem nota vt eſt ſuauiſſima teſte Plauto [iucundiſſimum enim eſt, quando in amore mutuum faciunt. Quando contrarium fit, eſt crux acerbiſſima, inquit adoleſcens ibi:] & æquiſſima. Par enim eſt, amico in amore reſpondere, iuſtum benefacienti reddere beneficium: ita & maxime neceſſaria amicitia, vt docte oſtendit Plato *in Lyſide*. Nam ſequeretur alioqui, etiam odium inter amicos eſſe, quod eſt abſurdiſſimum, ſi inter ſe non ament mutuo, ſed alter duntaxat. Propter hanc autem notam vulgo amicitiam cum æqualitate & iure maximam affinitatem habere aiunt, qua de re *infra cap. 9*. Et hæc quidem veriſſima ac perfectiſſima eſt amicitiæ definitio Ariſtotelica. Nam quæ & altera eius à Laertio profertur, amicitiam eſſe æqualitatem beneuolentię mutuam ſeu reſpondentem *ἀντίστροφον*: & quæ *in lib. 2. Rhet.* Amare ſeu τὸ φιλεῖν (vnde amicitia) nihil eſſe aliud, quam velle alicui, quæ putet bona, illius ipſius nō ſua cauſa: hæ, inquam, definitiones, qua parte non ſint plenæ, ſatis perſpicitur ex ea, quam *ſupra* explicauimus. Quare nec Ciceronis *in Lælio* hæc definitio, amicitia eſt diuinarum humanarumq; rerum ſumma cum beneuolentia & charitate conſenſio, ſatis plena aut bona videtur. Omiſit namque *mutuum amorem*, omiſit & *voluntatem boni illius ipſius amici cauſa*. Quæ duæ ſunt veræ definitionis partes: tertiam duntaxat expreſſit de beneuolētia. Quod autem amicitiam vocat conſenſionem, ne hoc quidem ſatis recte, vt *infra* explicabitur *lib. 9. cap. 6*. Deniq; concordia & conſenſus non idem, quod amicitia. Ficinus affert quandam Platonicam, vt ipſe ait, in Platone non reperitur. Eſt amicitia honeſta, perpetua voluntatis communio. Apud Platonem nulla extat amicitiæ definitio. *In Lyſide*, vbi conſtituerat reperire definitionem nihil perfecit: ibi exquirit inter quos exſiſtat Amicitia.

CAPVT III.

COMMENTARII.

EXplicato quæ ſint chara ſeu amabilia, vbi & de definitione, quæſtiones priore capite propoſitas, qui quibus ſint amici,

amici, & quæ amicitiæ ſint genera, aliaq; ad amicitiam pertinentia, ex hac amabilium diſtinctione explicare iam orditur. De poſteriore quidem quæſtione prius duobus his capitibus, de altera item duobus capitib⁹ 5. & 6. de qua tamen & 4. nonnihil. Hoc igitur capite tria eſſe amicitiæ genera, quorum per ſe vnum, duo reliqua ſint ex euentu: & illa quidem ſit ſtabilis, hæc mutabilis, oſtendit. Hæc autem prima eſt amicitiæ diuiſio, in eam quæ per ſe & ex euentu, cui pene gemina eſt Ciceronis hæc *in Lælio* partitio, vbi amicitias partim veras & perfectas, partim vulgares & mediocres eſſe ait. Plutarchi *in Erotico* diuiſio quadripartita (naturæ, *φυσικὴ*; cognationis *συγγενικὴ*; ſociorum, *ἑταιρικὴ*; & amoris *ἐρωτικὴ*) *infra* melius intelligetur *cap. 12.*

Διαφέρει δὲ ταῦτα.] Quia ex prioribus conſtat, tria eſſe rerum amabilium genera, bonum, vtile & iucundum: ergo & amoris tria erunt genera. Cur ita? quia vt *ſupra* dictum obiectorum, vt vocant, varietatem ipſæ actiones ſequuntur, vt de ſenſibus *ſupra* dictum: quot enim ſint obiecta, totidem & actiones. Amor autem eſt actio. Si igitur tres ſunt *φιλήσεις* ſeu amores. Ergo & tres amicitiæ. Cur ita? nam ſua cuiuſque habitus eſt actio. Quare cum actio habitus quidã videatur, qua de re *ſupra ca. 2. in fine.* huius ꝗ. habitus actio ſit amor: certe quot amoris, totidẽ & amicitiæ ſint genera, neceſſe eſt. Sunt igitur tria, multũ tamen inter ſe diſcrepantia, qua de re mox.

οἱ δὲ φιλοῦντες ἀλλήλους.] Hic ea amicitiæ tria genera ad duo reuocat: nam ex ijs vnum docet eſſe per ſe, reliqua duo ex euentu. Nam eos demum vere eſſe amicos, qui ita inter ſe ament, vt alter alteri bona quæ velit, ea re velit, quia amet, nullam aliam ob cauſam. Itaq; qui vel vtilitatis, vel voluptatis cauſa inter ſe amant: hi duo, quia alter alteri bona quæ vult, non ea cauſa velit, quia amet, ſed quia amet, ſed quia vtilitatem aliquam aut voluptatem capiat, certe non per ſe, ſed ex euentu amici erunt. Quod certe de ijs qui ob vtilitatem aut voluptatem inter ſe amant, verum eſſe perſpicuum eſt, vt pauper amat diuitem; indoctus doctum; non quia ipſe quem amat, ipſi ſit charus, ſed quia id, quod ab eo exſpectet, diuitias aut eruditionem. Sic homines facetos amamus non tam propter ipſos, quam propter facetias. Itaq; hi non per ſe, ſed ex euentu dicendi ſunt amici. Ea namq; ex euentu dicuntur, quæ quia aliquid hoc vel illud eueniat, aut conſequatur, conſtant;

per

per ſe vero, quæ nulla rerum externarum ſeu aduentitiarum habita ratione, ſuapte ſponte conſtant. Tantum vtilitatem & voluptatem ſpectant hæ duæ amicitiæ: nam ille non tam amat aliquem propter ipſum, ſed quæ ab ipſo exſpectet, talis amicitia ex euentu dicenda.

εὐδιάλυτοι δὴ αἱ.] Nota eſt ſeu proprietas amicitiarum ex euentu, eas non eſſe ſempiternas aut ſtabiles, ſed fluxas, & quæ facile diſſoluantur. Cuius rei hæc eſt ratio, quod res ex quibus hæ amicitiæ conglutinantur, ſint fluxæ & mutabiles. Vtilitas certe non manet ſemper eadem: vtilis eſt nauta in mari, terra non item. In mari igitur charus erit, domi non item. Eadem & rerum iucundarum eſt mutabilitas: vnde facetus non eſt ſemper charus, in conuiuijs ſunt chari, in vehiculo, in itinere: in rebus ſerijs, & grauioribus obſtrepunt, ſunt odioſi. Itaque & Cicero eleganter *in Lælio. Nam ſi vtilitas amicitias conglutinaret, eadem conglutinata diſſolueret. Sed quia natura mutari non poteſt, iccirco veræ amicitiæ ſemper eæ ſunt.* Vbi Cicero diſputat, non conglutinari ex rebus propter vtilitatem. omnes interirent: ſublata enim ea re, quæ conglutinat, diſſoluatur neceſſe eſt.

μάλιστα ϛ᾽ ἐν τοῖς.] De amicitijs ob vtilitatem aut voluptatem, cur non veræ, ſed ex euentu, cur item facile diſſoluantur, dictum hactenus. Hic inter quos eæ potiſſimum reperiantur. Et primum de ea quæ ex vtilitate, in ſenibus fere hanc reperiri. Propterea quod ſenes non tam iucunda, quam vtilia quærant. Sunt, inquit Ariſtoteles *lib 2. Rhet.* φιλοκερδεῖς μᾶλλον, hoc eſt, vt ait Terentius, ad rem attentiores. Quare & in viris quoque, ſi qui ad rem erunt attentiores, hæc amicitia reperitur, quos Ariſtoteles hic vocat τοὺς ἐν ἀκμῇ. Nam hæc, ἢ νέων, rectius mihi videantur abeſſe poſſe, tum quia & in veteri tralatione abeſt καὶ, tum maxime quia νέους diſtinguant ab ijs, qui ἐν ἀκμῇ. Homines namque ſunt vel πρεσβύται, vel ἐν ἀκμῇ viri, vel νέοι iuuenes ſeu adoleſcentes. In prioribus quidem duobus hanc ex vtilitate amicitiam, in tertio ſeu in adoleſcentibus eam, quæ ex voluptate reperiri docet.

οὐ πάνυ δὲ οἱ τοιοῦτοι] Eſt & hæc amicitiæ ex vtilitate nota. Nam cum vera amicitia maxime conuictum & conſuetudinem amet, hanc ex vtilitate conuictu non gaudere hoc loco ait Ariſt. ſeu quod idem valet, huius generis amicos: tum quia id genus homines, iucniones, vel ſunt natura ſæpe nō hilari,

iucun-

iucunda & ſuaui, ſed triſti & dura, vt fere ſenes & auari: tum quia eatenus ſunt iucundi, ſi qui ſunt quatenus vtilitatem ſperant, quæ vtilitas ſi nulla erit, non iucundi quoque amplius erunt. A quibus namque vtilitatem nullam ſperant, aduerſus eos quoque iucundos & hilares præbere ſe non ſolent. At vbi nulla voluptas aut iucunditas, ibi certe conuictus nullus aut conſuetudo, cuius conciliatrix & conſeruatrix, & quaſi condimentum eſt iucunditas. Cum hominibus denique triſtibus, ſeueris, moroſis, auaris, ſenibus vix vllus conuictus, & ſic vbi nulla iucunditas, ſuauitas ſermonis, morum, ibi non eſt, vt vulgo dicimus, conuerſatio.

εἰς τοιούτους δὲ καὶ.] Amicitiæ eſt genus quoddam, quam Græci vocant ξενικὴν, hoſpitalem Romani, de qua hoc loco Ariſtoteles, eam amicitiæ ex vtilitate eſſe ſimilimam. Hoſpites namq; amicitiam vere inter ſe colunt commodi & diuertendi vel adiumenti alicuius cauſa. Sed de hac re *infra* latius *cap. 12. initio.*

ἡ δὲ τῶν νέων.] De ſenum amicitia dictũ: nunc de adoleſcentũ, & ea quæ ex voluptate ſeu iucunditate. Ait igitur adoleſcentum amicitiam vere eſſe ex voluptate propterea quod turbulentis fere animi motibus, non ratione ducantur, cum inquã, & ea quæ iucunda ſibi, & quidem in præſentia, non in poſterum, de quo non laborant, perſequantur. Recte igitur Ariſtoteles *in Rhet.* Adoleſcentes oſtendit minime lucri eſſe cupidos, ſed omnia fere vel ad voluptatem, vel ad gloriam & animoſitatem referre.

τῇ ἡλικίᾳ δὲ.] Hic iterat, quæ ſunt *ſupra* dicta de facili huius amicitiæ interitu ſeu mutatione: ait, ea quæ iucunda, alia atque alia exſiſtere pro mutatione ætatis; hac, inquam, mutata, mutari & iucunda. Neque enim eadem adoleſcenti quæ puero, neque iuueni, quæ ſeni ſunt iucunda. Quare cum iucunda hæc facile mutentur; amicitia quoque ex ijs conciliata, facile interest neceſſe eſt. Ea quoq; cauſa eſt, cur adoleſcentes cito diligere & incipiant & deſinant. Sint, vt ait Ariſtoteles *lib. 2. Rhet.* ἀψικοροι, id eſt, amata relinquere pernices, inquit Horatius *in arte poetica.* Sic ſtatim qui exſaturati aliqua re, dicuntur ἀψίκοροι, amata relinquere pernix.

καὶ ἐρωτικοὶ δὲ.] Eſt amicitiæ quoddam genus, quam Græci vocant ἐρωτικὴν, latine dicamus amatoriam, quæ eſt amantium & amaſiarum: cuius & modo ex Plutarchi Erotico meminimus.

minimus. De hac igitur, quia de adoleſcentum amicitia agatur, & hoc loco adiungit Ariſtoteles, eam fere in adoleſcentibus reperiri: hos eſſe amatorios. Rationem adiungit hanc, quia huius amicitiæ amatoriæ magna fere pars in perturbatione ſeu affectu & in voluptate ſit poſita. Atqui iam dictum hæc ipſa duo, affectus & voluptatis deſideria in adoleſcentibus maxime reperiri. Cæterum amicitiam hanc amatoriam in affectibus & voluptate potiſſimum cerni, non eget longiori confirmatione.

συνημερεύειν δ' ἐ.] Ait adoleſcentes conuictũ amare, quod ex eo amicitiæ vtilitatem capiant. Nam vt *infra cap. 5. magna vis amicitiæ in conuictu eſt poſita.* Etſi igitur hæc duo amicitiæ genera in eo conueniunt, quod vtraq; ſint ex euentu, vtraque mutabilia ſeu inſtabilia: differunt tamen, quod ea quæ ex vtilitate, non gaudeat conuictu, quæ ex voluptate, gaudeat.

τέλεια δ' ἐστὶν.] Adhuc de amicitijs vulgaribus, ſeu leuibus, vt Cicero, de ijs inquam, quæ ex euentu, vt Ariſtoteles vocat. Hic de tertio amicitiæ genere, quam Cicero pulcherrimam & maxime naturalem, Ariſtoteles vero perfectam vocat. De qua hoc loco duo fere docentur. Eam & eſſe perfectiſſimam ſeu veriſſimam & maxime ſtabilem, & hoc tertium leuiter, eam eſſe rariſſimam. Duo priora iiſdem fere rationibus confirmantur iiſq; tribus, [locus hic obſcurus.] Prima igitur ratio, cur ea, quæ inter bonos, ſeu ex virtute eſt amicitia, ſit omnium præſtantiſſima, veriſſima, perfectiſſima, eſt hæc, quia eſt ea per ſe, non ex euentu: Eſſe autem eam per ſe, ex eo docet, quod boni, ſeu ex virtute amici, inter ſe ament non alia de cauſa, quam qua ſint boni. Neque enim viri boni vtilitates aut voluptates ſpectant, ſed virtutem ipſam, & ob hanc ſolam inter ſe amant. Atqui boni ſunt per ſe: vtiles autem & iucundi alio ſpectant ſeu alio referuntur. Virtutis namque hæc vis eſt, vt in quibus ineſt, ipſos afficiat & bonos reddat; vtilitas alio ſpectat. Vtiles proprie, qui alijs ſint vtiles, vt & iucundi dicuntur. Formula:

Qui per ſe amici, hi ſunt veriſſimi & perfectiſſimi.
At ex virtute qui amici, ſunt per ſe.
Ergo & veriſſimi ſeu perfectiſſimi.

De propoſitione dictum initio capitis, vbi & hoc dictum, eos

Ss maxi-

maxime amicos, q amicis bona velint illorum ipſorum cauſa, de quo & *cap. ſecundo.* Aſſumptio autem qua dicimus, ex virtute amicos, inter ſe amare per ſe, id eſt, quatenus virtute ſint præditi ſeu viri boni, & quod eodem recidit, qui amicos ament propter ipſos, non propter aliam cauſam, confirmatur his verbis, ἀγαθοὶ δὲ εἰσὶ καθ᾽ αὑτούς. Nam vt diximus, virtus, quia habitus, eum ipſum afficit, in quo ineſt, intra ſe vertitur ſeu vt loquitur Ariſtoteles, boni ſunt per ſe, cum vtilitas alio omnis ſpectet & ſic in categoria collationis. Vnde quæritur nonne vir bonus aliquid in vſum vitæ communis profert? hoc non pertinet proprie ad habitum virtutis. Omnium hæc eſt habituum natura, vt afficiant rem, in qua inſint. Quod autem huius habitus ſunt quædam actiones, ſpectantes foras, ſunt tanquam fructus redundantes ex perfectione habitus. Sic viri boni, per ſe boni ratione habitus, qui intra ſe verti, & intra ſe perfici ſolet. Viri boni alter alterum propter ipſum amat, ſui ipſius illius, non ſua cauſa: hi ergo ex virtute amici, veriſſimi. Propoſitio igitur huius concluſionis eſt in his verbis, οἱ δὲ βουλόμενοι τἀγαθὰ, qui per ſe amant, qui amicos propter ipſos amant, ſunt veriſſimi. Aſſumptio autem in his: οὗτοι γὰρ τἀγαθὰ ὁμοίως. Complexio denique, τέλεια δέ ἐστι ἡ τῶν ἀγαθῶν. Integer ſyllogiſmus, quod rariſſimum in Ariſtotele.

Διαμένει οὖν ἡ τούτων] Altera ratio, cur ex virtute amicitia ſit veriſſima. permiſcetur ab Ariſtotele alteri de hac amicitia capiti de ſtabilitate. Nam, vt & initio diximus, huius amicitiæ præſtantiam & diuturnitatem iiſdem pene confirmat argumentis. Itaque hæc ratio vtrique rei accommodat ab Ariſtotele, & quidem apertius diuturnitati. Amicitiam igitur hanc inter bonos eſſe maxime ſtabilem & diuturnam, docet tribus rationibus. Prima eſt, quia ſit ex virtute, cauſa vtrique ſeu fonte ſtabiliſſimo & perenni. Nam de virtutis conſtantia & ſtabilitate explicatum eſt & *ſupra libro primo, capite decimo.* Sic & Cicero *in Lælio fere extremo. Virtus*, inquam, *Cai Fanni & tu Quinte Muti, & conſilia & amicitias conſeruat: In ea eſt enim conuenientia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia.* Altera ratio, cur hæc amicitia ſit ſtabiliſſima, quia, quæ in amicis requiruntur, in hac vna iuncta reperiuntur omnia, nempe, bonum, vtile & iucundum.

dum. Amicitiæ namque omnes expetunt vel bonum (quo & vtile hic & infra aliquoties continetur) vel iucundum, eaque vel per ſe, ſeu abſolute & ſimpliciter, vel comparate, id eſt, ſibi amanti, ſimilitudine quadam. Nam quæ non vere bona aut iucunda, eâ ſimilitudine quadam ita dicuntur. Sic amicitiæ ex vtilitate & voluptate non vere ſeu ſimilitudine quadam ſunt amicitiæ. Hæc igitur ſunt duo, quæ ab omnibus amicitijs expetantur: eaque iuncta repetiuntur in vna hac vera amicitia, quare & erit ſtabiliſſima. Formula:

Ea eſt firmiſſima, in qua nihil deſideretur eorum, quæ ab amicis peti ſolent.

At in bonorum amicitia omnia aſſunt, nihil eorum abeſt,

Ergo hæc eſt firmiſſima ſeu ſtabiliſſima.

Propoſitio per ſe eſt perſpicua Cur enim diſſoluas eam, in qua, quæ ab vllo exſpectes, inſunt omnia Certe nihil eſt, quod hic conqueraris, nullæ hic exſiſtere poſſunt querelæ, quibus alioqui diſſolui ſolent amicitiæ, qua de re *infra capite penultimo.* Aſſumptio iteratur his verbis: συνάπτει γὰρ ἐν, &c. & hic, ταύτῃ δὲ πάνθ', &c. Cuius ratio ſeu confirmatio in his verbis, καὶ ἔστιν ἑκάτερος, eſt hæc, quia viri boni ſimul & vtiles ſunt & iucundi, tam ſimpliciter ſeu abſolute, id eſt, ſibi ſecum, quam inter ſe reſpectiue, ſiue breuius, quia virtus omnis iunctam habet vtilitatem & voluptatem, omnis eſt & vtilis & iucunda. Cur ita? De vtilitate nihil, quia boni nomine, vtile quoque continetur, Quare & hæc tria, bonum, vtile & iucundum ad duo hic reuocat, bonum & iucundum, vt & modo dictum alioqui virtutem eſſe vtiliſſimam, neque vnquam otioſam, ſed aliquid ſemper boni adferentem *ſupra* eſt explicatum *libri quinti initio fere.* Iucunda autem cur omnis ſit virtus, ratio his verbis, ἑκάστῳ γὰρ, &c. hæc redditur, quod ſuæ cuique actiones, atque adeo non ſuæ tantum, ſed aliorum quoque, modo tales, id eſt, eiuſdem generis, ſint iucundæ. Quare & virtutum actiones iucundas eſſe, neceſſe eſt. De antecedente explicatum *ſupra libro ſeptimo, multis in locis.* Habet igitur coniunctam voluptatem virtus. Iam vero

 quia

quia bonorum actiones ſunt tales, id eſt, eiuſdem generis ſeu ſimiles: hinc fit, vt inter eos propter ipſam bonitatem, voluptas quoque exſiſtat: & hoc eſt, quod ait, τῶν ἀγαθῶν δὲ. Eſt & altera confirmatio Ariſtotelis *in magnis*. *Si*, inquit, *improbi, alter alteri iucundus eſt*, vt ait Euripides, *quanto aequius eſt bonos inter ſe iucundos eſſe*. Verum igitur in hac amicitia, quia ex virtute, etiam vtilitatem & voluptatem ineſſe. Nam, vt diximus, virtutem ſequitur vtilitas & voluptas, vtilitatem autem aut voluptatem non ſequitur virtus, vt eleganter Ariſtoteles *in Magnis libro ſecundo*, & Cicero *in Lalio extremo*: Amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla vtilitate quæſita; quæ tamen ipſa effloreſcit ex amicitia, etiamſi tu eam minus ſecutus ſis. Et alio loco: non igitur, inquit, vtilitatem amicitia, ſed amicitiam vtilitas conſecuta eſt, ſcilicet ratione virtutis: & alibi, ſed quamquam vtilitates multæ & magnæ conſecutæ ſunt.

ταύτῃ γὰρ ὅμοιαι.] Quidam libri ταῦτα γὰρ ὅμοιοι, quidam, ταύτῃ γὰρ ὅμοιαι: quidam, ταῦτα γὰρ ὅμοια: vetus tralatio, ταύτῃ γὰρ ὅμοιαι; quod mihi magis probatur, id eſt, hac enim, id eſt, ratione huius ſcilicet amicitiæ ex virtute, ſeu potius virtutis ipſius ſimiles ſcil. ſunt amici iſti ex virtute, etiam in reliquis ſcilicet vtili & iucundo, quaſi diceret, virtutis hoc ratione ſeu vi fieri, vt viri boni inter ſe amici, non tantum virtute ſint ſimiles, ſed etiam voluptate & vtilitate.

τό, τε ἁπλῶς ἀγαθόν.] Hæc clauſula ad aſſumptionem pertinet, qua dicitur, ſimpliciter bonum eſſe quoque ſimpliciter iucundum, quæ clauſula hic iteratur, vt hæc ratio, quam nos ſtabilitati iam accommodauimus, etiam præſtantiæ accommodetur, qua de re primo agebatur. Accommodetur igitur hunc in modum, quia in hac ex virtute amicitia concurrunt hæc omnia, bonum per ſe, & iucundum per ſe (quæ quidem conſtat eſſe maxime amabilia, magis certe, quam ea quæ ex euentu.) Ergo & hæc omnium erit præſtantiſſima, & hoc eſt, quod ait, μάλιστα δὲ ταῦτα, &c. Sic legendum, non δή. Contra mox legendum, φιλεῖν δή, non δέ. Sic & paulo *ſupra* legendum puto, ἡ τοιαύτη δὴ φιλία, non δέ. Sæpe enim in his duabus particulis erratā, δὴ particula eſt concluſionis, δὲ in aſſumptione ponitur.

ἀσπανίας

σπανίας δ' εἰκὸς.] Interijcit hic Ariſtoteles, quam *ſupra* diximus, poſſe eſſe tertiam huius amicitiæ notam. Ait igitur, hanc ex virtute amicitam eſſe rariſſimam. Ratio, ὀλίγοι γὰρ, quia pauci ſint tales, id eſt, viri boni, quia, inquam, hi ſunt rari, quos inter ſolos tamen hæc amicitia eſſe poteſt: merito & ipſa ſit rara, neceſſe eſt, quod ipſum & Cicero præclare *in Lælio*: *digni autem ſunt amicitia* [explicabimus Ciceronem per Ariſtotelem, & Ariſtotelem per Ciceronem] *quibus in ipſis ineſt cauſa, cur diligantur. Rarum genus, & quidem omnia præclara rara, nec quicquam difficilius, quam quod ſit ex omni parte in ſuo genere perfectum, reperire*. Et paulo ante: *Sunt igitur firmi & ſtabiles, & conſtantes eligendi, cuius generis eſt magna penuria, &c.* Et alibi: *Qui igitur vtraque in re grauem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maxime raro hominum genere iudicare debemus, & pæne diuino.* Itaque, inquit, alibi, *veræ amicitiæ difficilime reperiuntur, in his, qui in honoribus Reipublicæ verſantur.* [illi ſcilicet ciuiliter tantum amici. Hic liber aureus.] Ex his & tertia poteſt elici ratio, cur hæc amicitia ſit præſtantiſſima, quia rariſſima.

ἔτι δὲ προσδεῖται.] Tertia eſt ratio perfectionis amicitiæ veræ, & præſtantiæ quoque. Nam hæc verba non ad raritatem, vt vulgo putant Interpretes, Thomas, Acciaiolus & alij, ſed ad præſtantiam, & perfectionem amicitiæ demonſtrandam pertinent. Ait igitur, amicitiæ huic tempore quoque eſſe opus & conſuetudine, eaque re, id eſt, tempore, vt & alijs rebus, de quibus iam dictum, perfectiorem eſſe præſtantiorem cæteris amicitiæ generibus. Cur autem amicitia hæc vera non ſubito aut repente, ſed interpoſito demum tempore naſcatur, hanc adiungit rationem, quod amici inter ſe eſſe nequeant, qui prius inter ſe non norint, quique prius tanquam equos, vt inquit Cicero, ſe inter ſe non tentarint & ſint periclitati, digni ne ſint, qui amentur & redamentur, & quibus fidatur. Formula:

> *Nulla abſque cognitione & periclitatione poteſt eſſe amicitia.*
> *Atqui hæc duo tempore opus habent & conuictu.*
> *Ergo & amicitia.*

Propoſitionem confirmat Ariſtoteles prouerbio, quod & Cicero

cero *in Lælio* expreſſit, verumque illud eſt, quod dicitur, inquit, MVLTOS MODIOS SALIS SIMVL EDENDOS ESSE, VT AMICITIAE MVNVS EXPLETVM SIT. Quo modo & Plutarchus *in libro de Amore fraterno*. Perperam igitur Budæus *in commentariis græcæ linguæ* ἅλας, conuictum & conſuetudinem ſemper valere putat, etiamque in hoc prouerbio. Eandem propoſitionem copioſiſſime explicat Marcus Tullius *in Lælio*, vbi de amicorum dilectu, [delectu vulgo] illud potius præcipiendum. Aſſumptio eſt per ſe perſpicua. Itaque vt *ſupra libro primo* tempore ſeu vitæ diuturnitate beatitudinem quoque perfici, dictum eſt: ita & hoc loco recte Ariſtoteles amicitiam quoq; temporis diuturnitate perfici ait.

οἱ δὲ ταχέως] Occurrit velut quæſtioni. Nam quod quidam, inquit, etiam nullo interpoſito tempore officia amici inter ſe alter alteri præſtant: non hoc ſatis eſt argumenti, nullo amicitiæ opus eſſe tempore. Hi namque etſi officia amicorum præſtant, non tamen continuo ſunt amici. Non magis, inquit, quam ſunt chari aut φιλητοί: neque enim ſtatim & chari ſunt vere inter ſe, qui etiam officia amicitiæ præſtant. Vt ergo non continuo ſunt inter ſe chari, ita nec amici, qui nulli eſſe poſſunt, niſi prius fuerint chari. Voluntas igitur & cupiditas amicitiæ ſeu ſtudium cito eſſe poteſt, amicitia non item.

αὕτη μὲν οὖν.] Breuis eſt concluſio diſputationis de vera amicitia, eam eſſe, cum aliis rebus, bonis, inquam, & iucundis, tum tempore perfectiorem cæteris duabus: eam omnia hæc, bonum, iucundum & vtile in ſe complecti: eam denique, quod amicorum eſt proprium, pariter officia amicis inter ſe vltro citroque præſtare, hoc eſt, in hac veram eſſe officiorum viciſſitudinem, & remunerationem, quam amicitiæ notam conſtat eſſe veriſſimam, vt *ſupra* dictum *capite ſecundo*, & ex Cicerone.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Verius meo iudicio, fuerant hæc à prioribus non diuellere: nam particula δὲ ſe refert ad illa priora. αὕτη μὲν οὖν, hunc in modum.

modum. Et hæc quidem perfecta eſt amicitia: quæ autem ex voluptate & vtilitate, ſimilitudinem quandam cum illa habet. Præterea quod & *ſupra* dictum, vt priore, ita & hoc capite, nihil aliud, quam vis & natura horum trium amicitiæ generum, explicatur: in hoc tamen eius maxime, quæ ex euentu.

ἡ δ᾽ διὰ τὸ ἡδύ.] De ijs igitur quæ ex euentu. Primum, ſimilitudinem eas quandam cum vera habere, oſtendit hac ratione, quod vt boni quos inter vera locum habet, ſint quoque inter ſe & vtiles & iucundi, ita & has duas conglutinat, partim voluptas, partim vtilitas. Itaq; & *infra* has ſimilitudine quadam duntaxat amicitias vocat. Qua enim ſimile quid continent veræ amicitiæ, eatenus tantum amicitiæ nomen merentur. Vera enim, quia ex bono inter bonos, hæ autem ex vtili & iucundo, quæ bona quædam, oriuntur: certe hactenus hoc ſine, vt dicunt ICti, veræ quoq; ſimiles dici poſſunt.

μάλιστα δ᾽ καὶ ἐν τούτοις.] Quæ dictum *ſupra* veram amicitiam eſſe maxime ſtabilem, reliquas non item, id hoc loco paullum mitigat. Adfert namq; duos modos, quibus fieri poſſit, vt & hæ ex euentu ſint ſtabiliores, prior eſt, ſi quod dicitur, paria plane inter ſe faciant amici, id eſt, ſi par pro pari reddatur, non ſi aliud, vt ſi voluptas pro voluptate, vtilitas pro vtilitate, non ſi voluptas pro vtilitate aut contra, reddatur. Sed ne hoc quidem ſatis. Addendum namque, ex eodem ſeu ex eadem cauſa, vt faceti voluptatem alter ab altero capit eiuſdem rei ratione, hoc eſt, ex facetijs vterque mutuis. Amantes autem, ἐραστὴς amator, & ἐρώμενος amaſius, voluptatem quidem & hic alter ab altero capit, non eandem tamen, non eadem ex cauſa: hic namque ex obſeruantia & cultu ſeu obſequio (θεραπείαν Græci vocant) quando quis omnibus in rebus deſeruit, adeſt, blanditur, latine, obſeruare aliquem, amatoris, qui contra ex amaſij non obſeruantia, ſed aſpectu ſolo & oculis voluptatem capit. In oculis habitat cupido, ex his naſcitur amor, qua de re *infra* latius *li. 9. cap. 5.* Non igitur ex eadem cauſa voluptatem hi capiunt, vt faceti, eaque re non tam firmiter amici, quin immo plærumque fit, vt ne quidem voluptatem amantes vterque ab altero capiat. Amator voluptatem quidem ſemper quærit ab amaſio, ſed hic ſæpius vtilitatem. Qua re & horum amicitia non tam ex vo-

luptate, quam ex vtilitate dicenda videtur. Quod & ipſe ait Ariſtoteles *infra capite octauo, & libro nono, capite primo*, quos ipſos his verbis, ἡ δ' μὴ τὸ ἡδὺ, &c. hoc loco ſignificat. Verbi gratia, ſi amaſius, pro voluptate, quam amatori præbet, munera ab amatore captet & auferat. Quæ plane impar eſt comparatio ἀντικαταλλαξις, ſeu viciſſitudo [redditur ſic à Cicerone *in Lælio*.] Et hos recte ait Ariſtoteles, min⁹ inter ſe eſſe amicos, minusq́; ſtabiles, vtpote impares viciſſitudine. Eadem eſt & vtilitatis ratio, quæ ſi eadem plane & æqualis reddatur, ſtabilior & ipſa diuturniorq́; efficitur. Verum, quia hoc difficilimum, & omnes ad πλεονεξίαν ſint procliues: ea re fit, vt hæc ex vtilitate ſit firmiſſima, quæ ſtatim pereat ſublata aut deminuta vtilitate, vtpote qua ſola fuerit copulata, diſſoluto nodo & copula, res ipſa diſſoluatur, neceſſe eſt. Nam vt eleganter Ariſtoteles, hi non ſe ipſi inter ſe amant, ſed fructus potius & emolumenta [Catullus poeta cuidam amico nolebat credere niſi interpoſito fundo, erat amicitia plebeia, quæ non amicorum, ſed vtilitatis cauſa contrahitur] quod & *infra* iterat Ariſtoteles *lib. 9. cap. 3.*

πολλοὶ δὲ αὖ διαμένουσιν.] Alter eſt modus, quo amicitiæ ex euentu, per ſe alioqui infirmæ, reddantur ſtabiliores, ſimilitudo morum. Nam ſi longa conſuetudine ſeu conuictu inter ſe periclitati alter alterius mores adamare cœperit, quia inter ſe congruant: certe hi non facile poſtea mutant aut diſcedunt ab amicitia. Sic nequam & luxurioſi amant inter ſe, auari quoque & lucriones ſeu lucri cupidi, pulchre conuenit improbis Synetis, inquit Catullus. Quo namque ſunt ὁμοηθέστεροι, & συνηθέστεροι, inquit Ariſtoteles, *infra capite duodecimo*, eo facilius & congregantur & permanent. Similitudo & æqualitas, parens eſt & conſeruatrix amicitiæ. Quæ eſt ratio vtriuſque modi diuturnitatis iam explicati, quia amicitia etiam paritur, & retinetur æqualitate & viciſſitudine.

δι' ἡδονὴν μὲν.] *Supra capite primo* quæſitum fuit, qui quibus ſint amici, an inquam inter malos, an malis quoque cum bonis poſſit eſſe amicitia. Hanc quæſtionem hoc loco breuiter diſſoluit. Ait igitur & inter malos inter ſe, & inter bonos & malos, & inter neutros, id eſt, neque prorſus bonos

bonos aut malos, tam inter ſe, quam cũ vel bonis, vel malis, poſſe eſſe amicitiam. Cauſam vel rationem non tam affert, quam ſignificat his verbis, δι' ἡδονὴν μὲν: quaſi diceret, quia dictum eſt, amicitiæ quædam eſſe genera, quæ ſola vel vtilitate, vel voluptate concilientur: certe hæc duo, ſi in malis reperiantur, mirum non erit, amicitiam quoque inter eos ob hæc ipſam conciliari. Formula:

Suaues aut vtiles inter ſe poſſunt eſſe amici, ex euentu.
Malus autem alter alteri, vel ſuauis, vel vtilis interdum eſſe poteſt.
Ergo & amicus.

Eadem ratione & bono amicus poteſt eſſe malus: nam cum bono ſuaue quoque & vtile ſint annexa, omnia inſunt bono. Ergo ſi ſuauis aut vtilis bono interdum erit malus, hac certe ratione inter ſe amici erunt. Eadem & neutrorum eſt ratio, quos intelligit Ariſtoteles his verbis, καὶ μηδέτερον, &c. [miſerrime hoc explicat Schegkius, etiamſi doctiſſimus vir.] Hanc igitur concluſionem Ariſt. vt dixi, hoc loco ſignificat, *in Magn.* explicat. Erunt igitur & improbi inter ſe, & his boni quoq; amici, ex euentu tamen, quia ratione vtilitatis aut voluptatis: per ſe autem ſoli boni, vt qui qua ratione amabiles, id eſt, boni inter ſe ament, non qua vtiles aut iucundi, quod Ariſt. & hac concluſione *in Magn.* confirmat: Verus, inquit, amicus, fidelis eſt & conſtans. Atqui malus ſeu improbus infidelis eſt & multiplex, ac varius. Ergo amicus non eſt verus.

καὶ μόνη δὲ ἡ τῶν.] Et hæc magna eſt inter veras & vulgares amicitias differentia: illas namque eſſe ἀνεγκλήτους, has ἐγκληματικάς, id eſt, in illis nullas eſſe criminationes, in his eſſe plurimas, maxime in ea, quæ ex vtilitate. Rationes affert duas, tum quia de iis, quos longo iam tempore ſpectaris, nõ facile credas crimina aut calumnias afferentibus: tum quia in illis, veris, inquam, omnia quæ deſiderare poſſis, reperias: nullæ ibi iniuriæ, ex quibus alioqui querelæ & crimina naſci ſolent. At in his, quæ ex euentu, omnia alia, exigui temporis conſuetudo, iniuriæ nullæ, nulla aut perexigua, quæ deſideres: ſed de hoc capite infra latius *cap. 13.*

ἐπεὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι.] Particula γὰρ, vt alias, item hoc quoque loco, idem valere videtur, quod δὲ, [Vir inſigniter eruditus putat legendum, ἐν ἐπεὶ γὰρ, id eſt, *cum autem.*] Agit autem h.l. de

amicitiæ vocabulo. Docet igitur ſe recte feciſſe videri, qui non eos tantum, qui ex virtute, ſed etiã qui vel ex voluptate, vel ex vtilitate inter ſe amant, amicos vocarit. Vulgo namque ita fieri: nam ciuitates vulgo inter ſe fœderatæ (quod vtilitatis fere cauſa fieri ſolet) amicæ vulgo dici ſolent: pueros quoque inter ſe amicos vocant, qui voluptatis & ludorum cauſa inter ſeamant, quos & Terentius ait, leues ſæpe ob cauſas grauiſſimas gerere inimicitias. Ariſtoteles igitur vitæ conſuetudinem & ſermonis vſum, quæ in rebus politicis ſpectari maxime ſolent & debent, ſecutus, reprehendi non debet: Plato potius, quem hic tacite perſtringit, qui *in Clitiphonte* nullam niſi quæ ſit inter bonos, amicitiæ nomine dignam iudicarit. Sic & quæ paulo ſupra attulit, malos & inter ſe, & bonis quoq; poſſe eſſe amicos, Platoni repugnant in Lyſide & Phædro. Conciliari poſſunt hæc: Plato de vera ſemper loquitur amicitia, neminem poſſe colere amicitiam cum improbo, neque inter improbos poſſe eſſe veram amicitiam, ait ille. Sunt igitur non vnum, ſed plura amicitiæ genera; ex quibus tamen ea, quæ inter bonos, prima ſit & vere ſeu proprie; reliquæ ſimilitudine duntaxat quadam, quod ſupra explicatum *cap.* 3.

οὐ πάνυ δ᾽ αὗται] Quod ſupra dictum de vera amicitia, in hanc omnia concurrere, bonum, vtile, & iucundum: hic contra de iis, quæ ex euentu, vix has concurrere ait, neque reperiri facile, qui idem ſint amici propter vtile & propter iucundum. Vix reperias, inquam, qui ob vtrunque ſimul vel amet, vel ametur. Iucundi namque, vt faceti, plærumque ſunt vtiles: contra vtiles rebus gerendis plærumq; non ſunt ioculares, vt recte infra Ariſt. *cap.* 6. Rurſus voluptatis amantes, vt luxurioſi, & nepotes, de vtili aut quæſtu parum laborant: contra quæſtuoſi & luciones, vt auari & ſenes fere non curant voluptates. Raro igitur hæc duo concurrunt. Rationem adiungit ſatis obſcuram, quia ea, quæ ex euentu raro concurrunt & copulantur, non quo euenta interdum non concurrant, (idem namq; & Muſicus & albus eſſe poteſt, doctus & improbus) ſed quod non in omnibus vniuerſe. Quod contra fit in iis, q̃ per ſe, quorũ alterum, quia ex altero ſoboritur & conſequitur neceſſario, vt ex virtute voluptas & vtilitas: fit, vt in omnib. in quib. vnum eſt, reperiatur & alterum, id eſt, concurrant. Denique nunquam accidentia neceſſario & vniuerſaliter in omnibus hominibus eadem cõcurrunt, ſed illa per ſe, ſi in vno, in omnibus

bus reperiuntur. Virtutis actiones ſemper coniunctam habent voluptatem. Ergo in quocunq; virtus, in eo voluptas & beatitudo: neceſſario enim illa, quæ per ſe, in omnibus copulantur.

εἰς ταῦτα δὲ τὰ εἴδη.] Hic iterat quod ſupra explicatum, malos quidem & improbos amicos fore, cum inter ſe, tum bonis, partim ex vtilitate, partim ex voluptate, non quidem per ſe, ſed ſimilitudine quadam, quia his duabus rebus ſimilitudinē quandam habeant cum vera amicitia, in qua dictum eſt, & in ipſa ineſſe & voluptatem & vtilitatem, bonos vero propter ſe, id eſt, qua boni ſint.

CAPVT V.

COMMENTARII.

Ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀρετῶν.] Explicatur hoc capite de conuictu & conſuetudine amicorum, qua de re tamen infra latius *libro nono, capite vltimo.* Affertur & differentia inter amorem & amicitiam, vbi quædam de amicitiæ genere, ſitne habitus, an affectus, an quid aliud.

ὥσπερ δ' ἐπὶ.] Diuiſionem quandam amicitiæ ſeu amicorum adfert initio: nam amicos partim eſſe habitu ſeu poſſeſſione, partim vſu & actione. Quemadmodum, inquit, boni partim ſunt habitu (quod vel dormientibus eſſe licet) partim vſu, quod ſupra eſt explicatum *lib. 1.* vbi dictum, beatitudinem in virtutis non habitu, ſed vſu & actione conſiſtere. Sic & ſupra *libro 7.* de ſcientiis dictum, eas eſſe partim vſu, partim habitu. Multis namq; rebus cōmunis eſt hæc partitio. Amici igitur vſu ſeu actione ſunt, inter quos viciſſitudo eſt officiorum, conſuetudo & conuictus. Amici contra habitu ſunt vel dormientes, vel abſentes; vel ad conuictum inepti, vt inſuaues & acerbæ naturæ homines, auari, ſenes, Demeæ, &c. Abſentia namq; ſeu locorum diſtinctio non diſſoluit illam quidem, inquit eleganter Ariſt. amicitiam, ſed vſum tamen interrumpit. Quæ tamē ſi diuturnior fuerit, nō vſum tantū, ſed ipſam quoq; amicitiam ſit extinctura. Quod prouerbio confirmat, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν, &c. de quo videatur Eraſmus *Chiliad. 2. centuria 1. prouerbio 26.* vbi ex Athenæo *libro quarto* elegantes verſiculos, quibus ille amicitiam quoque interire voluit, niſi ſi menſæ communicatione interdum velut retentetur, [antiquum vocabulum.] Videatur & alterum prouerbium; longe habitantes amici non ſunt amici. Sunt alii item

habitu,

habitu, non vſu amici, vt inter quos conuictus quoq; ſeu conſuetudo eſſe nequeat: hi ſunt plærique ſenes, & omnes acerbæ naturæ homines, omnes, inquã, inſuaues & iniucundi ſeu moleſti. Cum his namq; nulla poteſt eſſe conſuetudo ſeu conuictus, propterea quod abſque voluptatis ſeu ſuauitatis condimento is eſſe nequeat. Formula:

Vbi nulla ſuauitas, ibi neque conuictus.

At in ſenibus & acerbis ac duris, quos Græci στρυφνοὺς vocant, nulla eſt voluptas aut ſuauitas.

Ergo neque conuictus.

Si nõn conuictus.

Ergo nec vera amicitia.

Nihil namque magis proprium eſt amicitię quam conſuetudo ſeu conuictus. Nota eſt hæc amicitiæ veriſſima, ad *ἀντιφίλησιν*, de qua ſupra *capite ſecundo*, pertinens. Ex conuictu cernitur mutuus amor. Quare hoc loco & infra *cap. prox. & lib. 9. cap. 9 & cap. vlt.* recte monet Ariſt. abſq; conuictu nullam fere poſſe conſiſtere amicitiam. Rationes *eo cap. vltim.* adfert varias: hic ſignum duntaxat à beatis ſeu rebus omnibus affluentibus, & contra à tenuibus ſeu egenis ſumptum: nam conuictum amicitiæ maxime eſſe proprium, hoc argumẽti eſt, quod pauperes quidem vtilitatem in amicitia maxime ſpectent, quod & infra commemorat, quæ ollaris amicitia prouerbio dici ſolet, ſed beati maxime quærant conuictum. Cur ita? propterea, quod (ſic enim à contrario ſubiungit Ariſt.) ſolitariis iis eſſe minime conueniat. Solitudo ab amicis maxime repugnat vitæ beatæ. Cuius rei rationes infra explicabit Ariſt. *lib. 9. cap. 9.* Si igitur beatus amat conuictum, vt amat: Ergo conuictus amicitiæ maxime eſt conſentaneus. Ratio connexi, quia quæ inter beatos eſt amicitia, non vtilitatis eſt, ſed veriſſima. Beati namque non ſunt abſque virtute.

συνδιάγειν δὲ μετ' ἀλλήλων.] Hæc verba nõ ad beatos, de quibus proxime, ſed ad acerbos illos pertinent. His .n. verbis ratio cõtinetur, quã & iam explicauimus, cur inter hos cõuictus eſſe nequeat, quia ſint inſuaues ſeu iniucundi, & alter alterius conſuetudine non gaudeat: quod cõtra pſpicue cernit̃ in amicitiæ eo genere, ꝙ Græci ἑταιρικὴν vocãt, Latine ſodaliũ, de qua *inf. c. 12.* Hi namq; ſodales quã mutua conſuetudine gaudeant, & alter alteri voluptatẽ afferat (qua ſola re ea amicitia coaleſcit & continetur) adoleſcentibus maxime eſt notũ. Quid ergo? certe

ſenum

ſenum & acerborũ nõ tam erit amicitia, quã beneuolẽtia quædam. Nam volunt quidem & hi inter ſe bona, & temporibus difficilibus alter alterum ſubleuare non recuſat: quia tamen conuictu non gaudent propter naturæ aſperitatem, amici vere dici non poſſunt, & hoc eſt, quod ait & infr. Ariſt. *cap. prox.* perperam ab iſto diuulſo, initio, ἐν δὲ τοῖς στρυφνοῖς, &c.

μάλιστα μὲν οὖν.] Hæc ſupra ſunt explicata *cap. 2. & 3.*

ἔστι δ᾽ ἡ μὲν φίλησις.] Hæc velut altera huius capitis eſt pars, qua amor ab amicitia diſtinguitur, & de genere amicitiæ, licet aliud agens, explicare videatur Ariſtoteles. Ait igitur, amorem & amicitiam differre, quod hæc habitus, illa πάθος ſeu perturbatio potius eſſe potius videatur. Cur autem amicitia habitus potius eſſe videatur quam πάθος, duas affert rationes: prior eſt, quia eſt cum προαιρέσει. Cur ita? quia in amicitia neceſſarius eſt mutuus amor ſeu ἀντιφίλησις *ſupr. cap. 2.* At hic mutuus amor non eſt abſq; proæreſi, argumento hoc eſt, quod amor ſit quidem etiam aduerſus inanima, ſed ipſa non redament. Non eſt igitur mutuus amor, niſi in ratione præditis, vt nec proæreſis. Itaq; qui redamat, ratione & proæreſi præditus ſit, neceſſe eſt. Si igitur mutuus amor non eſt abſq; proæreſi. Ergo nec amicitia. Ratio cõnexi iam dicta, quia amicitia non eſt abſq; mutuo amore. Altera ratio, καὶ τἀγαθὰ βούλονται, &c. quia amici amicis bona volunt propter ipſos, non propter ſe, *ſupr. c. 2.* Atqui amare alios propter ipſos non eſt παθητικόν. Cur ita? quia πάθος ad appetitum pertinet in ſenſu poſitum. At hic appetitus, vt ita dicam, ſenſitiuus, ſua duntaxat bona curat, ea appetit, quæ ſibi ſint vtilia, non quæ aliis. In beſtiis diuerſum videmus, non laborant hæ, quod aliis, ſed quod ſibi iucundum, vtile aut moleſtum curant, rationalem aut προαιρετικὸν appetitum non habent. Iam quia πάθος proprie ad illum ſenſitiuum appetitum pertinet: certe amicitia quæ ſpectat, non ſolum quæ ſibi, ſed etiam quæ aliis vtilia propter ipſos, non eſt παθητική. Amicitia igitur, quia non ſibi ſolum quæ vtilia, ſed quæ amicis propter ipſos, ſpectat, πάθος eſſe nequit. Erit ergo habitus. Verum huic loco valde repugnare videntur, quæ *in Rhet. lib. 2.* vbi perſpicue inter perturbationum genera explicatur & amicitia: & quæ *in Eudemiis Rhetoricis lib. 3.* vbi aperte Ariſtoteles amicitiam ait eſſe non virtutem, quia ſit abſque proæreſi, ſed πάθημα ſeu πάθος: & quæ ſupra *lib. 4. cap. 6.* vbi aperte negat, amicitiam eſſe abſque πάθει ſeu perturbatione, nempe abſque ὀργῇ ſeu propenſio-

penſione animi. Omnis autem στοργὴ eſt πάθος. Respond puto, hanc eſſe Ariſt. h.l. ſententiam, amicitiā quidē habi ſe viciniorem & ſimiliorē, q̄ perturbationi, propterea φ ſi ἀπροαιρέτος, nō tamē plane perturbationis eſſe expertē, aut ſit abſq; στοργῇ [nulla amicitia vacat στοργῇ, ſtudio & prop ne animi, amor eſt στοργὴ] ſtudio, amore & animi propen & proinde ne quidem plene eſſe habitum. Quare ita de a tiæ genere exiſtimandū puto, eam dici poſſe, partim habi partim πάθος ſeu perturbationem, vtrunquē tamen non p Rationē diximus, φ ſi nō vacat omni perturbatione ami virtus quoq; eſſe vere nequit, vt quam conſtet affectionē e mni perturbatione vacantem. Etſi igitur Stoicorū ſenten ſecutus M. Tullius *initio libr. 1. Offic.* Iuſtitiæ hanc parte ſpeciem facit, quod idē Platonicos quoq; feciſſe, ſcribit Fr ſcus Patricius *lib. 8. de regno, cap. 6. in fine.* Et initio quoq; l libri Ariſtoteles ipſe id velut controuerſum exponit: vir ſit amicitia, an cum virtute. Conſentaneum tamen mag riſtotelis ſententiæ mihi videtur dicere, amicitiam vere eſſe virtutem. Primum, quia non expers ſit perturbationis inde, quia ſua cuiuſque virtutis ſint facta, vt liberalitatis, ralia, fortitudinis fortia, &c. quæ amicitiæ ſunt nulla, pr id eo & ſua. Nam amicitiæ quæ ſunt facta ſeu officia, om virtutum ſunt communia: præterea, quia virtutum facta ſunt mutua ſeu reciproca, quod contra ſit in amicitia, quæ xime cernitur in officiorum viciſſitudine, vt quādo quis li ter donat, non expectat munus ab alio, quod cum fecit, ex u t munus liberalitatis, non expectans munus ab alio. Am facit liberaliter, iuſte, & omnia huiuſmodi; rurſus oportet datur illi tantundem aut amplius, niſi fiat viciſſitudo, no amicitia. Eſt tamen cum virtute: nam vt ſupra dictū, vera, inter bonos ſeu virtute præditos, & niſi in bonis & virtute præditis eſſe nequit. Cæterum eſt affectio quædam amic valde ſimilis & pene gemina, vacans nomine, amicitia tam terdum dicitur ob ſimilitudinē; & hæc vera eſt virtus: q̄ ta quibus in rebus ab amicitia vera differat, ſupra eſt explica *lib. 4. c. 6.* Deniq; nonnulli libri Ariſt. difficiliores libris Eth rum. Ariſtotelis iſti interpretes tantum ſunt in ſcholis, no rebus ciuilibus verſati, aut politicis, ideo tam pauci etiam terpretes difficiliora prætereunt: in his nihil argumenti, iam explicamus, habemus ab Interpretibus.

κ φιλοῦντες τὸν φίλον.] Quod ſupra *capite 2. & 3* & hic paulo ſupra dictum, id quemq; amare, quod ſibi ſit bonū: hoc quia reprehendi poſſet hac ratione, q̄ amicus amicū amet, nō ſua, ſed illius cauſa, quod iam ſæpe dictū, & proinde non q ſibi bonum amare videat. Huic igitur q̄ſtioni tacitæ occurrens Ariſt. ait, eos, qui amicū diligunt, amare nihilominus quod ſibi bonum, quod hunc in modū docet: Vir namq; bonus, inquit, factus alicui amicus, eidē quoq; bonum eſt. Id namq; virtutis eſt proprium, vt non ipſi ſolum, in quo ineſt, ſit bonū, ſed aduerſus alios quoq; ſe explicet, ſit bona, & alijs vtilis & iucunda, quod ſupra ſæpe dictum *ca. 3.* Ex quo efficitur, amicos, quod ſibi bonum, vtrinq; amare, atq; ita par pro pari referre, officiiſq; inter ſe certare, tam voluntate pares. Alter enim alteri vult & cupit bonum, quā genere ſeu ſpecie (ſic enim legendum cum vetere tralatione, & libris ſcriptis, editiſq; melioribus legendū, inquam, εἴδει, non vt in alijs ἡδεῖ, i. iucundo) ſpecie, inquam, boni & officiorum, quæ paria paribus reddunt & æqualia, aut etiam cumulatiora, qua de re tamen infra latius. Quam officiorum paritatem confirmat Ariſt. & prouerbio, ſeu potius dicto Pythagoræ peruulgato. Hic enim, teſte Laertio, amicitiam definiebat æquitatem *ἰσότητα*, cuius dicti & infra fit mentio *cap. 7. & 8.* & infra *lib. 9. cap. 8.* & à Platone *lib. 6 de legibus*. Videatur & Eraſ. *in prouerb.* quod tamen vere non eſt prouerbium, ille facit.

μάλιστα δὴ τῇ τῶν.] In libris & in vetere tralatione fere eſt δὴ, id eſt, *igitur*, quaſi diceret Ariſt. quia bonorum virorum hæc eſt ratio, vt & ipſi ſint chari tam per ſe, quam propter vtilitates, & inter ſe paria pro parib. reddere poſſint. Igitur hæc illi, quæ bonorum eſt amicitiæ, maxime inſunt. Sic vulgo explicant. Sed malim cum Argyropylo pro δὴ, δὲ, id eſt, autem: nam puto nihil aliud dicere Ariſt. hac clauſula quam breuiter admonere, quod ſæpe iam dictum, hæc nempe, ea duo, quæ iam diximus, [charum eſſe & ſibi & aliis, par pari reddere.] ineſſe ſeu reperiri maxime in ea amicitia, quæ eſt inter bonos. Et ſic Græci has duas particulas *μάλιστα δὲ*, in extrema diſputatione coniungere ſolent.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Ἐν δὲ τοῖς στρυφνοῖς κ πρεσβυτικοῖς.] Initium huius cap. male à priore diuulſum, *ſup.* oſtēdimus & explicauimus. In reliquo afferuntur

runtur quædam de πολυφιλία, de beatorum & potentum amicis, vbi & de comparatione duorum amicitiæ ex euentu generum inter ſe. Extrema capitis pars proximo omnino capiti eſt adiungenda ſeu anteponenda.

πολλοῖς δ' εἶναι.] Grauis eſt quæſtio, an multis amicus quis eſſe debeat, aut poſſit multos habere amicos, de qua quæſtione *infr. lib. 9. cap. 10.* accuratius: hic tamen eadem fere omnia breuiſſime complectitur. Sententia igitur Ariſtotelis eſt, πολυφιλίαν inter veros amicos partim eſſe pnitioſam, partim ἀδύνατον: in reliquis amicitiæ generibus contra. Rationes affert quatuor de vera, non tres, vt vulgo putant, [hac in re omnes errãt.] Prima ratio, quia vera amicitia eſt præſtantia ſeu excellentia quædam (ſic vertendum τὸ ὑπερβολῆ, non, vt quidã, nimium: hoc loco enim in bonam partem ſumitur.) Vera namq; amicitia in ſummo gradu eſt poſita. Atqui excellẽtiæ non in multos, ſed in vnum fere, vt ſummum cadere ſolent. Quare & Cicero *lib. 2. Offic. & in Bruto*, multos quidem ait fuiſſe mediocres Oratores & ICtos, eximios non item, ſed ſingulos ſingulas fere ætates ferre. Formula:

Nulla excellentia in pluribus, ſed in vno eſſe ſolent.
At vera amicitia eſt excellentia quadam, vtpote omnibus numeris abſoluta.
Ergo non eſt multorum ſed paucorum hominum.

[ille piſcis paucorum hominum, elegantiſſime Latine dicimus.] Hanc rationem & infra iterat Ariſtoteles. Altera ratio, πολλοὺς δ' ἄμα, &c. hæc eſt, quia multos eidem valde placere non ſit facile: & hæc infra iteratur, valde, inquam: nam diſtinctam neceſſe eſt eſſe amicitiam, quæ ſit cum multis: & cum varia ſint hominum ingenia, fieri vix poteſt, vt multi ita conſentiant, vt vni eidemque omnes placere & chari eſſe poſſint. Tertia ratio, ἴσως δ' οὐδ', &c. quia vere amicos omnes oporteat eſſe viros bonos, quod eſt difficilimum, vt & ſupra *capite tertio, in fine*. Quarta ratio, δεῖ δὲ καὶ, quia veræ amicitiæ neceſſaria ſit conſuetudo, & longi temporis periclitatio, vt ſupra eo capite. At hoc in multis & cum multis eſt difficilimum, multos periclitari valde eſt laborioſum, & longi temporis opus, cum multis quoque verſari propter ingeniorum varietatem & diſparitatem humanorum non minus eſt difficile. Et hæc quoque ratio infra attingitur. Afferuntur & aliæ, de quibus eo loco.

διὰ τὸ χρήσιμον.] Hic de iis amicitiæ generibus, q̃ ex euentu, in quibus πολυφιλίαν eſſe poſſe, docet duabus rationibus: tum, quia ob vtilitatem & voluptatem: quarum qui ſunt ſtudioſi, reperiuntur innumerabiles, multis placere, & charus eſſe quis poteſt: tum quia his longo tempore non ſit opus, vt ſupra dictum *cap.3.* infra tamen & ab his πολυφιλίαν excludit, vt incommodam & inutilem.

τούτων δὲ μᾶλλον.] Comparat inter ſe amicitias, quæ ex euentu: nam eam, quæ ex voluptate (ſi modo inter eos ſit, qui inter ſe gaudeant, alterque altero delectetur, qui iiſdem rebus voluptate, inquam, vtrinque, vt pueri fere luſibus, non vero ſi alii gaudent aliis rebus, vt inter amantes fere, quod ſupra explicatum *capit. quarto.*) Hanc igitur ex voluptate verius amicitiæ nomine dignam eſſe, quam eam, quæ ex vtilitate: cum quia ea, quæ ex voluptate magis videatur ingenua & liberalior, altera, vt lucri cupida, magis ſordida & quaſi cauponaria. At hoc, illud cum vera amicitia maiorem habeat cognationem: tum, quia ea, quæ ex voluptate vtantur & quærant etiam beati, alteram non item. Quare cum maior huius ex voluptate ſit vſus, & ab iis, qui rebus omnibus & copiis circumfluunt, expetatur, merito ea alteri antecellere dicenda erit. Formula:

Si beati eam, quæ ex voluptate quærunt, non alteram.

Ergo hæc illa eſt præſtantior, & amicitiæ nomine dignior.

Rationem connexi attulimus. Antecedens paulo latius explicatur ab Ariſt. beatos ſeu μακαρίους Græce & Latine, dicimus interdum diuites & copioſos. Horat.

vt Naſidieni iuuit te cœna beati.

Cicero *in Lælio*, & calamitoſi, quam ii, qui putantur beati. De horum igitur amicitia breuiter hoc loco eos quærere amicos, vere iucundos duntaxat, non vtiles aut bonos. Quid ita? quia conuictu gaudent, qui cum hominibus non iucundis nullus eſſe poteſt: nam adeo quidem, vt ne ſuos bonos quidem quis ferat facile aut diu, ſeu virtutem ipſam aut quodlibet bonum, ſi idem fuerit iniucundum, triſte & moleſtum. Grauiter tamen hallucinantur beati & errant, qui bonos non quærant amicos. Nam & hos quoque conſtat eſſe iucundos iis, quibus ſunt amici, quod ſupra ſæpe explicatum. Beati igitur iucundos quidem illi quærunt, ſed bonos potius quærere oportuerat, vt qui & ipſi ſunt iucundi ipſis αὑτοῖς, id eſt,

beatis ſeu iis, quibus ſunt amici, & hoc eſt, quod ait, δεῖ δ' ἴσως, &c.

οἱ δ' ἐν ταῖς ἐξουσίαις.] Modo de beatorum ſeu diuitum amicis: nunc de potentibus, ſeu de iis, qui in imperiis & magiſtratu. Locus eſt pulcherrimus de Regum, Principum & omnium, qui in imperiis, amicitia. Quem locum & Cicero *in Lælio* explicauit, *tantumq; abeſt, &c.* & alibi in eodem libro: *Sin vero erunt aliqui reperti, &c.* Summa autem Ariſt. ſententia; horum amicos vel eſſe ex vtilitate, vel ex voluptate, nullos aut certe raros ex virtute. Nullos autem veros habent amicos imperiis aut poteſtatibus florentes. Quam horum miſerrimam conditionem & Lucanus Poeta attigit *lib. 1.*

Nulla fides regni ſociis, omnisq; poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Ait igitur, hos vti diuerſis amicis, pro rerum diuerſitate: nam ad voluptates quidem facetis & vrbanis hominibus, histrionibus, adulatoribus, morionibus: ad res ſerias autem hominibus gnauis & induſtriis, quos Græci δεινοὺς vocant. Hæc duo autem in eundem hominem vix concurrere, vt idem ſit & voluptatis auctor ſeu hiſtrio aliquis, & ad res agendas ſolers & gnauus, ſupra quoque eſt explicatum, & hic iteratur. In eundem igitur hæc duo non concurrunt, niſi in virum bonum, quem ſupra docuimus eſſe & iucundum & vtilem. Ergo dicet aliquis, fieri poterit, vt imperio potentes non diuerſis, ſed iiſdem etiam amicis vtantur ad res diuerſas, contra atque modo eſt expoſitum, nimirum, ſi viros bonos habeant amicos, ex quibus & voluptatem & vtilitatem capiant. Reſpondet Ariſtoteles, vix hoc accidere, vt vir bonus poteſtate prædito fiat amicus. Inter hos namque amicitiam coaleſcere non poſſe, [locus difficilimus, peſſime vulgo acceptus,] niſi quanto virum bonum ſuperat quis imperio, tanto & virtute ſuperet. At hoc difficilimum & rariſſimum, vt Principes, quo ſunt aliis imperio & poteſtate, tanto & virtutibus ſint ſuperiores. Tales, (inquit Ariſtoteles οὐ πάνυ) vix reperiri ſolent. Ergo nec amicitia imperio præditis, cum viro bono, niſi rariſſime coaleſcit & conglutinatur. Cur autem qui imperio ſunt ſuperiores, vt virum bonum amicum habeant, virtute quoque excellere debeant: ratio ſubindicatur ab Ariſtotele his verbis, εἰ δὲ μή, οὐκ ἰσάζει, id eſt, quod alioqui nō ſit futura æqualitas. Quid ita? nam ex Politicis *lib. 1. cap. vlt.* [pulcherrimus ibi locus, hodie

die non eſt in vſu, quod grauiter deplorandum,] & *lib. 7. cap. 4.* Qui aliis præſunt, quanto poteſtate & imperio, tanto & virtutibus antecellere debent. Itaque vt inter bonũ & imperio præditum fiat æqualitas (ſine qua nulla conſiſtit amicitia) vt ergo inter hos fiat æqualitas, non quidem ſimplex, vt inter pares & ſocios, ſed analogica, vt inter ſuperiorem & inferiorem: (de hoc duplici æqualitatis genere & ſupra dictum *libro quinto.*) neceſſe eſt, vt qui imperio, idem & virtute ſit ſuperior. Atque ita his conſtitutis, vtilitas poſtea & voluptas capietur æqualis, non, vt dixi, ſimpliciter, ſed analogice: nam vt proximo capite amicitia inter impares non ſimplici, ſed analogica æqualitate continetur. Formula:

Vbi nulla æqualitas, ibi nec amicitia.
At inter poteſtate ſeu imperio præditum, & inter virtute præditũ nulla eſt æqualitas, niſi, qui imperio, idem & virtute alterum ſuperet, quod genus eſt rariſſimum.
Ergo inter hos non eſt amicitia.

Inter impares analogice poteſt eſſe amicitia: inter pares ſimpliciter. Cum deberent Principes hodie excellere prudẽtia, legunt prudentes viros, &c. ſic omnia gerunt per alios, cum ipſi ſint ſimulachra: deberent excellere fortitudine, legunt fortes viros, duces, &c. Male & perperam hic locus acceptus. Inſignis locus apud Platonem: Principes rari, qui aut virtutem veram, aut amicitiam liquidam vnquam guſtarint, &c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Εἰσὶ δ' ἓν αἱ εἰρημέναις.] De capitis ſectione dictum ſup. poteſt enim hic conſtitui caput 7. Iam quia ſæpe dictum ſupr. amicitiam eſſe æqualitatem, dictum & modo, amicitiam quoq; eſſe poſſe, etſi rarius, inter imperio ſuperiorem & inferiorem, quæ certe amicitia eſt impar. Hac arrepta occaſione, Ariſtoteles aliam hic affert amicitiæ diuiſionem, eamque bimembrem: Amicitiam namque vel eſſe æqualitatis, vel excellentiæ ſeu præſtantiæ. De priore adhuc explicatum, vbi quædam de eius partibus, quæ ex euentu. De altera hæc afferuntur hoc capite: Quos inter ea ſit, Eius cauſa ſeu ortus, Qui re contineatur & intereat, vbi differentia quædam inter ius & amicitiam; Tandem & quæſtio; an amici maxima etiam bona ſibi inter ſe cupiant & velint.

εἰσὶ δ' ἔναι.] De iis igitur, quæ in æqualitate, adhuc explicaſſe ſe ait: eas, inquam, de quibus hactenus, eſſe æqualitates, vt in quibus vel eadẽ prorſus, voluptatem pro voluptate, vtilitatem pro vtilitate, vel permixtim pro vtilitate voluptatem alter alteri cupit & præſtat. Hanc meminit rationem Ariſt. hoc l. & *infr. h. cap.* vbi de excellentia amicitiæ commemorat, quia, inquam, par pro pari reddatur. Eſt & altera cum priore tamen concurrens, quæ & attingitur ab Ariſt. *infr. c. 13. initio*, quia ſint inter pares, vt inter ſocios, quorum alter alterum non antecellat vel dignitate, vel imperio. Hæc autẽ verba, εἰσὶ δ' ἔναι, &c. ſunt illa quidã proprie de amicitiis ex euentu accipienda, quod ex iis, quæ ſequuntur, fit perſpicuum: eadem tamen & veræ amicitiæ eſt ratio, teſte ipſo Ariſt. *infr. cap. 13. initio.* Nam vt alius alio vtilior & iucundior, ita & melior eſſe poteſt, quod excellentiæ eſt proprium: contra, vt vtiles & iucundi, ita & boni pariter eſſe poſſunt, quod ad amicitiam æqualitatis pertinet. Sunt igitur, inquit, hæ ex euentu amicitiæ æqualitatis, cum vel eadem plane, vel alterum pro altero, par tamen pro pari redditur. Has autem ex euentu minus eſſe amicitias, eamq; per ſe magis, hoc eſt, illas leuiores, hanc veriſſimam eſſe. Et rurſus, illas minime diuturnas, hanc eſſe ſtabiliſſimam, ſuprà eſt explicatum. Cur autem hæ ex euentu amicitiæ nomen mereantur, ſupra quoq; eſt explicatum propter ſimilitudinem cum vera. Eleganter autem h. loco Ariſt. eas propter eiuſdem rei ζωτῆ, nempe veræ amicitiæ ſimilitudinẽ & diſſimilitudinẽ ait eſſe & non eſſe amicitiæ nomine dignas. Nam qua parte ſunt ſimiles veræ, vt quia partim vtilitatem, partim iucunditatẽ complectuntur, quæ duæ res & in vera inſunt, hactenus amicitiæ eſſe videntur: qua vero parte veræ ſunt diſſimiles, vt quia vera eſt ſtabilis, & querelis atque ſuſpicionibus vacans; cum illæ ſint & fluxæ, & criminibus ac ſuſpicionibus refertæ, vt ſupra explicatum, hactenus amicitiæ vix eſſe videtur. Paucis certe in rebus hæc cum vera conueniunt, quas iam attulimus: differentiæ vero ſunt complures. Vera namque per ſe, ex virtute, inter bonos vere, tempore & periclitatione egens, ſtabilis, rara, paucorum hominum, ſumme iucunda & vtiliſſima. Alteræ ex euentu, ex vtilitate vel voluptate, id eſt, vtilis tantum altera, altera iucunda, nonnulla vel exigua cum periclitatione, nullo egent tempore, fluxæ, crebræ & multorum, non ita denique vtiles aut iucundæ.

ἐπειδὴ

ἕτερον δ' ἐστὶ φιλίας.] Adhuc igitur de amicitia parium; nunc de ea, quæ inter impares, de qua videatur & locus inſignis apud Ciceronem *in Lælio*. Sed maximum eſt in amicitia, ſuperiorem parem eſſe inferiori. Priorem quidem Ariſtoteles vocat, ἐν ἰσότητι, hanc, καθ' ὑπεροχὴν. Cicero præſtantiam & excellentiam eo loco nominat. Quibus verbis reſpondet verbum ὑπεροχή: nos vocemus amicitiam æqualitatis & excellentiæ, ſeu præſtantiæ. Videntur autem Ariſtoteles & Cicero non leuiter diſſentire in hoc amicitiæ genere, qua de re mox. His autem verbis Ariſtot. exponit, quos inter hæc amicitia coaleſcat. Adfert igitur duo excellentiæ genera, ætatis vnum, alterum imperii. Ætatis quidem, vt ſenis aduerſus adoleſcentem, patris aduerſus filium, præceptoris aduerſus diſcipulum: imperii vero mariti aduerſus vxorem, magiſtratus aut regis aduerſus ciuem, ſeu, vt loquitur Saluſt. parentem ἀρχόμενον, [vulgo ſubditum aut ſubiectum, non Latine, non ſatis eleganter. Saluſtius: quemadmodũ imperantes, ita etiã parentes, elegãter: habet ille multa vocabula, q̃ nolim imitari: parentem Cic. vocat ſemper ciuem Romani laborant valde inopia ſermonis interdum] vel eos omnes, qui ſunt in alicuius imperio. Etſi & patris & præceptoris excellentia ad imperium quoq; referri poteſt. Horum igitur amicitiæ non in æqualitate, ſed in diſparitate potius cernuntur. Quæ quidem amicitiæ & ipſæ rurſus differunt cum ratione generis excellẽtiæ, tum eorum ratione, inter quos eſt excellentia, etiã eadẽ. Nam pro excellentiarũ generib. ſeu differentiis & amicitiæ iſtæ diſcrepant: verbi gr. alia eſt amicitia patris & filii, alia mariti & vxoris, alia deniq; magiſtratus & ciuis. Rurſus in eodem etiam excellentiæ genere, alia eſt patris aduerſus filium, alia huius aduerſus patrem amicitia: alia vxoris aduerſus maritum, alia mariti aduerſus vxorem, qua de re infr. Huius autem diſcrepantię ſeu diſſimilitudinis cauſas ſeu rationes Ariſtoteles adiungit duas, ἑτέρα γὰρ ἑκάστῳ, &c. Prior eſt, quia horum, inter quos hæc excellentiæ eſt amicitia, non eadem omnium ſit virtus, non idem officium ſeu munus & opus, ſed alia huius, alia illius ſit virtus & officium, mariti alia eſt virtus & officium, alia vxoris: Magiſtratus alia eſt virtus, alia ciuis. Contra atque putauit Plato, quem diuine refellit Ariſtoteles *libro primo & ſecundo Politicorum*. Si ergo alia aliorum eſt virtus & officium. Ergo & alia amicitia, & non eadem omnium. Ratio connexi, quia virtutum comes eſt amicitia, quod ſupra

explicatum *cap.5*. Altera ratio, ἑτέρα δὲ καὶ, &c. quia alia in aliis ſunt amabilia. Non eadem namq; de cauſa diligitur vxor qua filius, non eadem vxor etiam qua maritus, filius qua mater: ergo nec eadem omnium poteſt eſſe amicitia. Formula:

Si chara ſeu amabilia τὰ φιλητὰ non ſunt eadem.

Ergo nec amicitia.

Connexi ratio, quod ex amabilibus exiſtat amicitia, & hæc illa prorſus ſequatur, iis ſe accommodet, & pro eorum varietate variet, quod ſupra dictum *capite ſecundo & tertio, initio*; [Inter impares interdum ſingularis exiſtit amicitia; vt inter Catonem ſenem, & Scipionem & Lælium adoleſcentes. Inter Epaminondam Imperatorem, iuuenem, & Lyſidem præceptorem Epaminondam vitricum ſenem, de quo Cicero *lib 1. Offic. in fin.* vbi quidam perperam legunt *Lyſian*, cum legendum *Lyſidem*.

τὰ αὐτὰ μὲν δὴ] Adhuc de ortu ſeu cauſa huius amicitiæ generis dictum; nunc de officiis, reliquo toto capite, quod vt intelligatur, iterandum eſt primum, æqualitatem officiorum amicitiæ eſſe propriam, paribus eam, vt Cicero loquitur, officiis definiri: deinde, æqualitatis duo eſſe genera, quarum altera dicatur κατὰ τὸ ποσὸν, quantitatis, vt ita dicam, quæ & ſimplex & abſoluta, & Arithmetica dicitur; dicitur & magnitudine ac numero, vt duo duobus ſunt paria numero, linea ſex pedum, alteri totidem pedes longæ magnitudine eſt æqualis: altera dicatur κατ' ἀξίαν dignitate ſeu meritis, & λόγῳ ſeu ἀναλογίᾳ, ratione ſeu proportione Geometrica denique, de quo diſcrimine dictum eſt ſupra *capite quinto*. His [vt Theologici loquuntur, prælibatis,] præmunitis, ait Ariſtoteles: In hac excellentiæ amicitia non eadem ſeu paria vtrinque peti, & præſtari alteri ab altero officia; Satis namque eſſe, ſi liberi parentibus, quæ par ſit, & hi contra liberis præſtent: hoc enim ſi fiat, & veram & conſtantem inter hos amicitiam fore, vt paria plane non ſint officia. Eadem eſt & aliorum Magiſtratuum aduerſus ciues, vxoris & mariti inter ſe, ratio. Hæc autem officiorum inæqualitas amoris & amicitiæ ipſius diſſimilitudinem, de qua modo dictum, conſequitur. Nam ſi inter diſpares amicitia & amor quoque eſt diſpar. Ergo & officia, amicitiæ tanquam fructus & vſus, non erunt eadem.

ἀνάλογον δ' ἐν ἁπάσαις] Expoſito, paria hic non eſſe officia,

cia, hoc loco iam exponit; quænam igitur & qualia officia eſſe debeant, an nulla plane in his paritas aut æqualitas deſideretur. Nam nulla ſi adſit æqualitas, amicitia certe eſſe nequit, quam ſupra definiuimus eſſe æqualitatem quandam. Ait igitur, in his excellentiæ amicitiis officia definiri ἀναλογίᾳ, quod idem ſupra *capite priore*, & infra *capite octauo, nono & duodecimo*, & maxime *capite 13. & libro nono, capite primo, initio*, iteratur: neque id immerito. Nam in hoc vis omnis diſputationis de amicitiis excellentiæ eſt poſita. Amicitiæ igitur hæ, ἀναλογίᾳ ſeu proportione, id eſt, officiis analogice præſtandis continentur. Neque enim paria plane officia, vtrinq; vel petenda, vel ſunt præſtanda, ſed proportione quadam pro dignitate perſonarum & meritis, κατ' ἀξίαν, inquit Ariſt. verbi gratia: vt melior, [ſunt qui reddunt Latine ἀμείνω, qui potior: duo ſignificat, interdum virum bonum, ἀγαθὸς, interdum virum aliqua re præſtantem, vt inſignē pictorem, etiamſi improbiſſimus ſit. Bonus ſic etiam duo ſignificat, hoc loco alterū pro altero ſumſerunt. ſignificat autem h.l. virtute præſtantē. Sic quinquies aut ſexies hoc repetitur libro, ſemper ſit intelligendū, nunquā potior,] vt vtilior, vt iucundior, vt maiore dignitate aut imperio, aliis denique fortunæ, ingenii, virtutis bonis præſtantior. Magis, inquit Ariſtoteles, ametur quam amet. Nam in amari, quam in amare maior ineſt honos, infra proximo capite. Magis igitur rebus his præſtantes & ſuperiores amari, hoc eſt, obſeruari & coli debent. Rurſus non eadem obſeruantia colendus eſt pater, qua Deus, alia item maritus, alia Magiſtratus. Non eodem deniq; modo maritus vxorem, quo hæc maritum obſeruare debet. Ex quibus perſpicuum eſt, dignitatis hic rationem habendam eſſe, hoc eſt, analogiæ. Eſt igitur & in his amicitiis æqualitas quædam, non illa quidem ſimplex & abſoluta, ſeu Arithmetica, ſed analogica ſeu comparata & Geometrica. Cicero tamen in hac diſputatione ab Ariſtotele diſſentire videtur. Nam neque inter pares Arithmeticam plane æqualitatem (his verbis *in Lælio, conſtituendi autem ſunt, &c.*) hoc eſt, paria plane & ſtricte vtrinque officia, neque inter ſuperiores & inferiores ſeu diſpares, Geometricam plane æqualitatem (his verbis *in Lælio, Sed maximum, &c.*) prorſus probat, [magna enim prærogatiua amari: homines indocti doctos amant. Ergo vt quis ametur, in eo eſt poſitus cultus, honor & obſeruantia.] Perionius [Monachus, primus Ethica

Ariſtotelis eleganter vertit Latine, ſcripſit librum *de ratione interpretandi.*]putat Ciceronem ab Ariſtotele & in hoc diſcrepare, quod Ariſtot. hanc inter diſpares amicitiam ex alio fonte ſeu cauſa, Cicero ex alio manare dicant. Nam Ciceronē afferre præſtantias fortunæ, ingenii & virtutis, Ariſtotelem afferre alias præſtantias, quales ſunt inter parentes & liberos, vxorem & maritum. Non recte: nam & Ariſtotelis præſtantiæ, vt & Ciceronis ad hæc tria genera, virtutis, fortunæ, ſeu vtilitatis, & iucunditatis ſunt referenda.

οὐχ ὁμοίως δ' ἐστὶ τὸ ἴσον.] Locus eſt obſcurus, & ab Interpretibus meo quidem iudicio perperam acceptus, ob ambiguitatem verborum, *πρώτως* & *δευτέρως*, quæ hic non ordinem, vt illi putant, ſed præſtantiam, dignitatem, & poteſtatem valent. His igitur omiſſis, Ariſtoteles hoc mihi dicere videtur, æqualitatem Arithmeticā ſeu ex magnitudine in amicitia potiſſimum, Geometricam vero maxime in iure ſpectari; ſiue, vt loquitur Ariſt. in iure quidē æqualitatem quantitatis ſecundo loco, dignitatis primo & maxime ſpectari: in amicitia vero contra, id eſt, maxime quantitatis, ſecundo loco ſpectari dignitatis æqualitatem. In iure namque vis omnis in analogica æqualitate eſt poſita. De iure quidem in honoribus & præmiis, pœniſque tribuendis poſito, res eſt certa, in hoc dominari æqualitatem Geometricam: in altero iuris genere, quod in commerciis & permutationibus verſatur, analogiam quoque neceſſariam plane eſſe ſupra docuimus *libro quinto, capite quinto.* In iure igitur maxime ſpectatur æqualitas analogica ſeu Geometrica. In amicitia autem contra vſuuenire, hoc eſt, eius vim & naturam cerni, maxime in æqualitate Arithmetica, ea, inquam, paribus vtrinque definiri officiis, mutuoque contineri amore, eoque æquabili & pari, confirmat hoc loco Ariſtoteles à contrario. Nam, inquit, magna diſtantia virtutis, diuitiarum ſeu copiarum, & voluptatis, aut plane impediri ortum amicitiæ, aut iam ortam diſſolui. Quod exemplo Deorum, Regum, excellentium denique ſapientia, vel qua ſimili re virorum, perſpicuum fieri ait. Nam inter Deos & homines propter ſummam diſiunctionem ſeu diſtantiam & inæqualitatem (bonis namq; omibus homines Dii ſuperant) nullam eſſe amicitiam. Sic & cum regibus longe inferiores amicitiam non contrahunt, neque adeo cupiunt,

vt nec

vt nec cum ſapientibus aut virtute præſtantibus viris, homines nihili aut nulli rei. Si igitur magna diſtantia & imparitas, impedimento eſt amicitiæ. Ergo paritas ſeu ſimilitudo & æqualitas, quo fuerit maior, eo magis & amicitiam conglutinabit & continebit. Atqui ſumma æqualitas eſt ea, quæ Arithmetica. Ergo hæc amicitiæ eſt magis propria. Cæterum de amicitia Dei & hominum, quod adfert Ariſtot & *in magnis moralib.* vbi de amicitia, initio latius explicat, & *infra* quoque attingit *cap. 12.* amari quidem Deos ab hominibus, ſed non contra. Eſt id quidem Ariſtotelis Philoſophiæ, qui prouidentiam diuinam aduerſus homines omnem ſuſtulit, teſte Laertio *in vita Ariſtotelis*, conſentaneum, ſed impium, falſum, & Platonis quoq; ac Stoicorum, etiam prophanorũ hominum [Philoſophorum] decretis contrarium. Nam tametſi non humano (quem fortaſſe ſpectauit Ariſtoteles) ſed ſuo & diuino more, quin tamen Deus & ſe, & opera ſua, in his homines maxime amet, non tantum rationib⁹, ſed rebus ipſis confirmari poteſt. Videatur Cic *lib. 2. de Natura Deorum.* Deniq; excellentiæ amicitiæ, ſunt plæræq; vel ob vtilitatem, vel voluptatem, & proinde vera amicitia cernitur in æqualitate arithmetica Quo magis diſceditur à ſimilitudine & paritate, eo magis labefactatur vera amicitia.

ἀκριβὴς μὲν ἐν.] ὁρισμὸς eſt definitio ſeu circũſcriptio. Quod .a. quæri poterat, ſi diſtãtia ſeu diſiunctio bonorũ, vt modo dictum, vel impedit, vel dirimit amicitiam, quanta tandẽ ea diſtantia eſſe debeat, vt vel maneat vel non maneat amicitia : id continuo arripit Ariſtot. & ait, eos diſtantiæ gradus definiri exquiſite non poſſe. Hoc tamen vniuerſe tenendum non diſſolui ſtatim amicitiam, etiam cum multa ab amicorũ altero detrahantur, quibus alteri fiat diſpar, ſed tum demum vbi maxime, qualis eſt hominis à Deo, facta fuerit diſiunctio Finge duos inter ſe amicos, ætate, virtute, genere, diuitijs & honorib. pares: quorum alter poſtea omnib⁹ & honoribus & diuitijs & generis deniq; imaginibus excidat, hi certe neq; tum amici eſſe deſinent. Quod ſi & improbus quoque vel ex parte eſſe cœperit, alter vero etiam maioribus honoribus & virtutibus augeri: vix iam video, quæ inter hos amplius eſſe poſſit amicitia.

ὅθεν καὶ ἀπορεῖται.] Quia modo dictum amicitiam dirimi, ſi amici alter altero infinitis partibus ſit ſuperior. Hinc exſiſtit quæſtio: An amici bona etiam ſumma & maxima, vt immor-

talitatem & diuinitatem alter alteri cupiat & velit. Diſputat in vtramq; partem Ariſtoteles, diſſoluit tandem, & non velle alterum alteri etiam maxima bona. Confirmat hac ratione, quia ſequeretur, vt ſibi quis malum velit, ſiue, quod idem valet, bono quodam orbatum. Formula:

Si alter alteri vult ſumma. Ergo ſibi vult mala.
At hoc abſurdum: omnes namq; ſibi bene eſſe cupiunt.
Ergo & illud.

Ratio connexi, quia amicum (vt enim modo dictum ſumma diſtantia interit amicitia) ſumma illi, optando amittat, & proinde bonum quiddam. Amicus namq; eſt bonum, atq; adeo vt dicitur, alter alteri eſt Deus. Non igitur alter alteri vult ſumma. Sed huic repugnat, quod *ſupra* ſæpius iteratum hoc loco affertur, amicos alterum alteri bona velle, non ſua ſed illius cauſa. Ergo nō ſpectandum, an hac diſtantia alter qd mali capiat, ſed potius quid boni alteri accedat. Quare amici inter ſe videntur manere, qualiſcunq; tandem alter fiat amicus, quibus tandemcunq; cumuletur & excellat bonis. Præterea hinc ſequitur, alterum alteri etiam ſumma cupere & velle debere. Diſſoluit tandem Ariſtoteles & ait, Amicos alterum alteri maxima quidem bona cupere & velle debere, vt homini tamen, hoc eſt, non tanta, vt Deus potius quam homo ſit futurus: non omnia igitur illi bona ſumma & maxima optabit, propterea quod quiſq; ſibi meliora ſemper velit. Omnes ſibi melius eſſe volunt magis quam alteri, inquit Terentius. Ita igitur votorum inter amicos modus erit, ne vel nimium optando dirimatur amicitia, vel alteri plus quam ſibi optetur quod vtrumq; & ſtultum, & rationi, & ipſi deniq; amicitiæ eſt contrarium, &c.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Οἱ πολλοὶ δὲ δοκοῦσι διὰ.] Duo hoc capite potiſſimum explicant: prius de amicitia, eiuſne vis omnis in amando altero, an vero in alterius erga ſe amore ſentiendo ſit poſita. Vtrum, inq̄, amicitiæ magis ſit proprium, amare quam amari, an contra. Alterum de amicis, qui, quibus ſint chari & amici, vtrum ad diſtinctionem amicitiæ inter pares & inter impares pertinet. Inter impares namq; de vtroq; maxime quæri ſolet: & prius certe inter impares maxime locum habet, teſte Ariſt. *in Magn. li. 2. c. 11.* ἢ δὲ ἐν ἀνισότητι videatur & *Eudem. li. 7. c. 4. & 5.*

Digitized by Google

οἱ πολλοὶ δὲ δοκοῦσι.] Prius, vtrum amicitiæ magis proprium, amareне an amari, hic explicatur. Et primum quidem eſſe ait multos, qui ſola ducti ambitione, amari malint quam amare. Quare & *in Eudem.* huius generis amicos ambitioſos fere eſſe ait. Et *in Magn.* eos qui vel opib. & diuitijs, vel honoribus vel qua ſimili re excellant. Cur autem hi amari potius q̃ amare alios velint, ratio his verbis, *τὸ δὲ φιλεῖσθαι*, redditur iſta, quia amari prope eſt, vt ita dicam adhonorari. Amor eſt obſeruantiæ & honoris quædam ſpecies. In eo ꝙ amantur honorem, cuius hi ſunt cupidiſſimi, eſſe poſitũ. Affertur & altera *in Magn.* ratio, quia excellentię ſeu præſtãtiæ, cuius item cupidiſſimi ſunt ambitioſi, quia excellentes admiratione affici ſolẽt, in admiratione valde eſſe cupiunt ambitioſi. Quia igitur excellentiæ eſt amari. Nam excellentes vel diuitijs vel honorib. vel voluptatibus aut virtutib. amare & admirari ſolent, q rebus ijs careant. Ambitioſi igitur ita fere ſunt affecti. Cui rei & hoc argumento eſt, ꝙ idem ſint *φιλοκόλακες*, & vt *in Eud.* ait Ariſt. apud hos pluris ſæpe ſit aſſentator, q̃ amicus non alia ſane de cauſa, quã ꝙ ab aſſentatorib. coli & obſeruari conſuerit. Aſſentator namq; eo eſt ingenio, vt ſi vel nõ ſit inferior (ꝙ tamen fere fieri ſolet. Generoſi namq; vix aſſentantur, ſed humiliores) tamen & ſe talẽ eſſe ſimulet & eos, quibus adulatur amare potius q̃ amari ab ijſdem ſtudeat, admiratur eos, omnia q; ijs tribuit, ſibi nihil.

καθ' αὑτό.] Interijcit hoc loco Ariſtot. diſtinctionem inter amari & honorari, quæ duo paullo ante valde finitima eſſe dixerat. Differunt igitur, quod honor ex euentu, nempe ſpe vtilitatis fere, Amicitia vero per ſe, nulla propoſita vtilitate expetatur. De amicitia quidẽ iam *ſupra* eſt explicatum. De honore confirmat duob. argumentis ſeu ſignis. Prius eſt, ꝙ multi inferioris conditionis homines à ditiorib. aut potentiorib. honore quodam ſe affici cupiant, non tam ꝙ honorem ipſi expetant, quam ꝙ ſpem inde capiant, fore vt ab ijſdem aliud quid conſequantur. Sic habent amicos magnates inferiores, cum ſibi deferri honorem ab illis, ſibi aliquid tribuere, vel ſalutare, bene ſperant, putant ſe id conſecuturos quod ſperant, honoris delationo indicium aſſequendæ rei q̃ cupiunt, non tam honor, quam ꝙ ex indicio honoris ſibi promittunt, ſectantur. Alterum ſignũ à ſuperioris cõditionis fere homin b. eſt ſumtum: quos videas multos hoc ſtudere, vt ab alijs honorẽt, nõ alia de cauſa, q̃ q a exiſtimẽt, ſe, dũ honore afficiũt, eo ipſo haberi in viris bonis &

excel-

excellentibus: ſtudent inquam opinionem, quam de ſe quoq; habent ipſi, eſſe ſe viros bonos, eam hoc extremo aliorum velut teſtimonio confirmare, alijs ſtulte certe credunt, ſe viros eſſe bonos, ipſi incerti, ac decipi, qꝺ *ſupra* eſt explicatum *li. 1. c. 5.* vbi hunc locũ adduximus. Itaq; honor, quia alterius rei cauſa eſt, non tam p ſe, q̃ ex euentu expetitur. [etiam in hoſte, inquit Cic amamus virtutẽ.] Ex quibus & hoc tandẽ efficit Ariſtot. amari melius eſſe q̃ honore affici, quia hoc ex euentu, alterum ſit p ſe. Vtrum .a. ſit melius amare an amari, explicat Ariſt. *in Magn.* vbi melius eſſe amare, tribus his confirmat rationibus. 1. Quia amare eſt q̃dam actio, amari ꝑpeſſio. Atq; notum eſt actionem ei, in quo eſt, voluptatem quandã afferre, & proinde eſſe bonũ. 2. Quia melius eſt cognoſcere, q̃ cognoſci. Nã hoc & inanimis, illud in ſolis animatis reperit᷑. Quare & eos maxime laudare vulgo ſolent, qui etiam mortuos, non deſinant amare. Hi namq;, qui mortuos amant, cognoſcunt quidẽ, ſed non cognoſcunt᷑ amplius, inquit Ariſt. *in Eudem. li. 7. ca. 4. in fin.* 3. Quia beneficio afficere, laudabilius profecto eſt quam affici. Atqui & noſſe, & beneficio afficere, eſt eius, qui amat.

δοκεῖ δὲ ἐν τῷ φιλεῖν] Nunc vere diſſoluit quæſtionem. Ait igitur amicitiæ vim magis cerni ἐν τῷ φιλεῖν, q̃ ἐν τῷ φιλεῖσθαι. Argumentum affert vnum ab amore materno erga infantes ſumptum. Matres namq;, quibus aduerſus liberos amor eſt & amicitia ſumma, amant illæ quidem eos, ſcientes eſſe ſuos, nõ laborant autem, vt redamentur, ſi fieri id nõ poſſit, vt quia ſint infantes liberi, qui nec matres quidem norint. Satis eſſe enim matribus, videre liberos ſanos & ſaluos, & bene ſe habere, etiamſi nihil ab ijs contra ſibi tribuatur. Amicitia igitur ἐν τῷ φιλεῖν potius, quam ἐν τῷ φιλεῖσθαι conſiſtit, argumento maternæ amicitiæ. Eodem & accommodari poſſunt tres illæ rationes, quas *ex Magnis* adduximus, ex quibus rationib alterũ quoq; argumentum ſumi poteſt. Nam cum amicitiæ vtpote virtutum comiti, ea magis conueniat, quæ ſint præſtantiora: certe & amare magis iam decebit, quam amari.

μᾶλλον δὲ τῆς φιλίας.] Priore huius capitis membro de amicitia, hoc altero de amicis (Sic enim & initio diſtinximus:) agitur: qui, quibus ſint amici ſtabiles & firmi, qui nõ ſint. De quo tamen priuſquam explicet, differentiam illam inter amare & amari, quam *ſupra* de amicitia explicauit, hic & amicis accõmodat. Nam & horum quoq; vim ſeu virtutem ἐν τῷ φιλεῖν

potius,

potius, quam ἐν τῷ φιλεῖσθαι cerni cum iiſdem rationibus, tum & hoc præcipue, quod τὸ φιλεῖν laudabile etiam vulgo habeatur. Laudantur enim vulgo, qui græce dicuntur φιλόφιλοι, qui quos habent amicos, amant, non tam curantes vt redamẽtur, de quibus & *ſupra cap. 1.* Amicitiæ igitur & amicorum vis omnis & virtus in eo poſita, vt ament quam vt amentur (etſi contra fere fit in ambitioſis) & hoc eſt, quod eleganter Ariſtoteles *in Eudem. lib. 7. cap. 4.* ὁ φιλητικὸς [ad amicitiam aptus] gaudet magis τῷ φιλεῖν: ὁ φιλότιμος vero τῷ φιλεῖσθαι. Hoc igitur breuiter expoſito, vt ex prioribus apto: nunc id ipſum alteri quoq; huius capitis quæſtioni accommodat his verbis, ὥστ᾽ ἐν οἷς τοῦτο. Itaque in quibus hoc inquit, id eſt, τὸ φιλεῖν potius quam τὸ φιλεῖσθαι. De qua quidem quæſtione *ſupra* iam fuit explicatum *cap. 3. & 4.* nonnihil. Sed hoc loco vtroque amicitiæ genere, tam eius, quæ inter pares, quam quæ inter impares, iam explicato, diſtinctius diſſeritur. Quod vt melius & ordine nos explicemus, Ariſtotelem ipſum *in Eudem. lib. 7. cap. 5.* imitati, repetendum duximus, quod *ſupra cap. 1.* quæſitum fuit. Qua re potiſſimum conglutinentur amicitiæ, ſimilitudine an diſſimilitudine & contrarietate. Nam vtriq; ſui fuerunt autores. Id igitur Ariſtoteles hoc loco diſſoluit & explicat, in ſimilitudine quidem maximam amicitiæ vim conſiſtere: veram ex ſimilitudine coaleſcere: eam vero quæ ex euentu contrarijs in rebus cerni. *In Eudemiis* breuiter Ariſtoteles, amicitias ex virtute & voluptate, ſimilitudine: eam quæ ex vtilitate, diſſimilitudine & contrarietate potiſſimum coaleſcere & contineri. Hoc loco primum de ſimilibus, eos demum ſtabiles firmoſque amicos, ſtabilemq; eorum fore amicitiam, qui non tam amari quam amare gaudeant. & quærant, idque pro dignitate ſeu analogice, nimirum inter impares. Nam & hos ea ratione pares effici, *ſupra* cap. priore diximus: Æqualitas autem & ſimilitudo in amicitia maxime eſt neceſſaria. Eſt ea enim nihil aliud quam amicitia ſeu parens amicitiæ & nutrix. Similitudo igitur ea eſt, quæ & parit & tuetur amicitias, etiam inter impares. Verum ea maxime quæ eſt inter virtute præditos & viros bonos, virtute amicos. Sic enim Ariſtoteles paulatim progreditur ab vniuerſo genere ad partes amicitiæ. Nam quod ſummatim & vniuerſe dixerat, ſimilitudine contineri amicitiam, id mox ſingulis amicitiæ generibus accommodat. Viros igitur bonos, quia per ſe ipſi & ex ſe ſunt ſtabi-

les

les (hoc enim virtutis eſſe proprium *ſupra* explicauimus *cap.* 3.) quia inquam viri boni mores facile non mutant, inter ſe quoque ſtabiles permanere amicos. Nam cum rebus alijs omnib⁹ abundant. cum bona, inquam, omnia in ſe complectũtur, vt *ſupra* eſt explicatum *cap. 3.* tum mala neque ipſi poſtulant, neque alios poſtulantes admittunt, etiam amicos, atque adeo prohibent potius iniuſta poſtulantes, quibus verbis Ariſtoteles præclarum locum (quouſq; amor in amicitia progredi debeat) attingit, explicat pulcherrime Cicer. *in Lælio, magna item diſſidia, &c.* vbi & hæc Ciceronis præclara ſunt verba, huc facientia. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris. Viri igitur boni, quia ipſi in ſe propter virtutem ſunt ſtabiles, amici quoque ſtabiles eſſe ſolent: contra improbi, qui, quia idem non ſunt manè & veſperi, inquit eleganter Ariſtoteles *in Eud.* quia per ſe ipſi non ſunt ſtabiles, certe nec amici ſtabiles eſſe poſſunt: & quamdiu alter ex alterius improbitate voluptatem quandam capit, non diutius amici permanent. Cæterum verbum ἀπαρεστεῖν puto inducendum vt minime neceſſarium.

οἱ χρήσιμοι δὲ &c.] De viris bonis & improbis iam dictum, illos quidem diutiſſime & conſtantiſſime, hos minime permanere. Hic de reliquis duobus generibus, de vtilibus, inquam, & iucundis, inter bonos & improbos, quo ad diuturnitatẽ ſeu ſtabilitatem, quodammodo medijs. Hos namq; diutius permanere, quam improbos, nimirum quamdiu & vtilitas & voluptas permanebunt, quod *ſupra* eſt explicatum *cap. 4.*

ἐξ ἐναντίων δὲ, μάλιστα.] Adhuc de ſimilibus: nunc de diſſimilibus ſeu contrarijs. Ait igitur, eam maxime amicitiam ex contrarijs oriri, quæ eſt ex vtilitate. Contraria namq; contrarijs ſunt vtilia, ſimilia ſimilibus infructuoſa. Sic diues pauperi, doctus indocto eſt vtilis & amicus. Sic humidus ſicco, calidum frigido eſt vtile & amicum, vt *ſupra* dictum *c. 1.* Eodem in genere poni poteſt & amantium amicitia, vt quæ & ipſa ex vtilitate vere conſtet, quod & *ſupra* dictum *cap. ſecunda.* Quare & ridiculi interdum videntur, & merito ridentur amatores, qui ament quidem ipſi ardenter amaſios, ſtomachentur poſtea cur non redamentur, cum nihil in ſe habeant, cur redamari debeant. Par quidem & æquum eſt dignos pari amore quo amant redamari: nihil autem eiuſmodi habentes, idem tamen cupere eſt ridiculum, vt recte hic Ariſtoteles

ex Platone *in Lyſide*. Ex qua re & hoc perſpicitur, hanc inter amantes amicitiam ex vtilitate exſiſtere. Hæc namque ſi nulla erit, ridiculi fiunt amatores, neque eos à quibus nullam capiunt vtilitatem, redamabunt Amaſij.

ἴσως δὲ οὐδὲ ἐφίεται.] Quod modo dictum de contrariorum amicitia, quod dictum, inquam, contrarium à contrario adamari: id hic diſtinctione adhibita diligentius explicat. Nam amari quidem contrarium à contrario, non tamen per ſe, ſed ex euentu. Contraria tanquam extrema, ex euentu expetunt, vt ad medium peruenire poſſit, quod per ſe, et vere bonum, & tanquam finis expetitur, cum altera ſint tanquam ad finem, vt ait Ariſtoteles *in Eudem.* verbi gratia, quod ſiccum, non tam humidum cupit fieri, quam humectari aliquatenus, vt ad medium & rectum ſtatum redigatur. Sic calidus, frigidus quidem eſſe expetit, non tamen vt frigeat plane, ſed vt ne nimis caleat, hoc eſt, medium aſſequatur. Sic ſonus acutus velut expetit grauem ad harmoniam ſeu concentum, tanquam medium temperandum. Sed hæc, vt aliena à Politicis & Phyſicorum propria omittantur, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ἔοικε δ᾽ καθάπερ ἐν ἀρχῇ.] Duæ adhuc allatæ ſunt amicitiæ diuiſiones: his quatuor capitibus adfertur & explicatur tertia, ſumpta à generibus communitatum ſeu ſocietatum, id eſt, à ſubiecto, vt vulgo loquuntur. Eſt autem tripartita, vel ſodalium, vel cognatorum, vel ciuium denique, ſiue ſocietatum generalius. Hoc autem capite docet Ariſtoteles, amicitiam in communitate ſeu ſocietate omnem conſiſtere: ſocietates autem omnes eſſe principis ſocietatis, quæ politica ſeu ciuilis dicitur, partes, & proinde amicitias quoque ad ſocietatis politicæ genera eſſe accommodandas. Sic enim argumentatur:

Omnis amicitia eſt in ſocietate ſeu communitate.

Omnis autem ſocietas ad ciuilem, vt principem ſocietatem, pertinet & accommodatur.

Ergo & amicitia ad politicæ ſocietatis genera accommodari & dirigi debet.

Hunc autem præclarum de amicitia cum iure ſeu iuſtitia, &

& cum ſocietate ſeu communitate politica, alijſq; ſocietatum generibus, affinitate, & coniunctione, diligenter & copioſe explicatur quoq; à Cicerone *lib. 1. offic.* vbi de iuſtitia. Sed quæ naturæ principia ſint communitatis & ſocietatis humanæ, repetendum videtur altius, &c. Hoc quoq; docetur, magnam eſſe amicitiæ cum iure affinitatem.

ἔοικε δὲ ἐν καθάπερ.] Ius & amicitiam (de quorum affinitate & *ſupra* mentionem fecit *ca. 1.*) in eadem re verſari, nempe in communitate ſeu ſocietate, primo oſtendit. De iure certum eſt ex *li. 1.* nullū id eſſe poſſe, niſi in commuoitate aliqua, vt, quod eſſe nequeat, niſi cum alteto. De amicitia, eam eſſe in ſocietate docet, non tribus, vt vulgo hic ἀναλύσεις vtuntur, ſed duabus rationibus: Altera ab vſu communi, altera à prouerbio ſumta. Nam vulgo commilitones, conuictores, tribules, curiales, ſtudioſi, alijq; id genus ſocij inter ſe amicos appellitare ſolent. Prouerbium autem, quo *amicorum omnia dicuntur communia*, idem oſtendit & confirmat. Rectum eſt igitur & hoc prouerbium, & rationi etiam philoſophicæ conſentaneum, etſi vulgi dictum.

ἔστι δὲ ἀδελφοῖς.] Docuit adhuc amicitiam in ſocietate ſeu communitate verſari, eaque in re iuri eſſe ſimilem, hic alteram affert ſimilitudinem iuris & amicitiæ in diſcrimine iuris & amicitiæ poſitam. Nam primum videndum fuit, qua in re vtrumque verſetur: deinde quatenus. Hæc enim duo diligenter ſunt perpendenda, res & gradus, ſeu diſcrimina, finis denique, quam inquam late res pateat. Et hoc eſt, quod ait, ὡς ἐν τοῖς αὐτοῖς ὄντα καὶ ἐπ᾽ ἴσον διήκοντα. De priore iam eſt explicatum: hic de altero, de quo videatur late M. Tullius *lib. 1. offic.* [qui loco eſt commentarij] *Gradus autem, &c.* Et poſtea: *ſed in omnibus his officiis, tribuendis, &c.* Quantum igitur amico tribuendum ſit, ex eo perſpicitur, ſi noris quid iuris illi debeatur, quod inter te & illum ſit ius, quæ ſocietas, inquit Ariſtoteles, *libro ſeptimo Eudem, capite nono, in fine.* Ex prioribus autem quia iam conſtat, amicitiam in communitate verſari, adiungit Ariſtoteles huius communitatis diſcrimina. Facit autem duo genera: nam vel omnia amicis inter ſe eſſe communia, vel certa quædam & diſtincta. Prioris generis amici ſunt fratres & ſodales, de quorum ſimilitudine & *infra* latius: Et hæc vera eſt & perfecta amicitia. Alterius generis varia ſunt diſcrimina, pro varijs homi-

hominum ſocietatibus, de quibus infra, quibus fit vt alia alijs plura ſint communia, alijs pauciora, vt inter ciues plura ſunt communia, quam inter populares [appello populares, conterraneos vulgo quos vocant, caſtrenſi vocabulo] inter tribules plura, quam inter ciues, inter propinquos plura, quam inter tribules.] Coniugum communitas eadem fere eſt, quæ fratrum. Nam matrimonium diuini & humani Iuris definitur communio [à Iuriſconſultis] Quemadmodum igitur amicitiæ aliæ, alia magis eſt amicitia, alia minus (vt ea quæ per ſe, magis eſt amicitia ijs, quæ ex euentu. *Supra capite primo in fine.* Sic & amicis inter ſe alia alijs plura, alijs pauciora ſunt communia. Eadem & Iuris eſt ratio. Nam non eadem ſunt iuſta inter parentes & liberos, quæ inter fratres, vel contra: non eadem inter ſocios, quæ inter ciues, immo non idem ius eſt filio, quod patri. Marito ius eſt vxorem in adulterio deprehenſam occidere: vxori maritum vix digito attingere ius eſt, inquit Cato apud Gellium *li.10. ca.9.* Eadem & iniuriæ eſt ratio, quæ ratione coniunctionis vel maior & grauior eſt, vel leuior. Grauius eſt patrem verberare, quam alium quemlibet, ſocium fraudare quam ciuem, vt præclare Cicero *in Quintiana & libro tertio offic.* & Iuriſconſulti *in lege prima, ff. de his qui notantur infamia.* [Socium aut pupillum fraudare, grauiſſimum crimen in Iure ciuili.] Fratrem opem rogantem deſerere, quam alienum ὀθνεῖον: quo verbo & *infra* vtitur *capite duodecimo,* & Plato aliquoties. Etſi Pollux *libro tertio, capite quarto,* ait eſſe ποιητικώτερον, poetis vſitatius. [Pollux ſæpe veteres ſcriptores reprehendit inepte, Platonem, Ariſtotelem, &c. in lingua, nemo vnquam politius aut elegantius lingua græca quam Ariſtoteles & Plato vſus] Nam errant Stoici cum ſuo paradoxo, peccata eſſe paria, quos ludendo quidem & ridendo, ſed vere tamen refellit Cicero *in Muraniana.* Videatur idem Cicero ad hunc locum *libro primo offic. Sed in his omnibus officiis, &c.* Verum de hoc loco quantum amico ſit tribuendum [& quouſque] diſputabitur *infra libro nono, cap. 2.* de quo & *ſupra* quædam, vbi de ἀναλογία.

ἐπὶ τῶν ἄλλων φίλων.]. Sic fere habent libri, & vetus quoque tralatio; recte, ni fallor φίλων. Nam & ſequitur ἐπὶ ξένοις. In alijs quibuſdam libris φιλιῶν, *amicitiis,* quos probat Dionyſius Lambinus: malim vtrumq; induci.

ἕτερα δὴ καὶ τὰ δίκαια.] Vetus codex noſter manuſcriptus, [eſt eruditus Theologus, qui mihi eius copiam fecit] & Interpretes Argyropylus, Turnebus & Lambinus, ἄδικα, non vero δίκαια ſcribunt. Recte. Nam de Iure iam dixerat: nunc de iniuria. Argumento ſint & exempla iniuriæ omnia. Sic enim Ariſtoteles: Si aliud alii eſt ius. Ergo & iniuria, ἕτερα δὴ, alia igitur.

αἱ δὲ κοινωνίαι.] Expoſito, amicitiam in ſocietate ſeu communitate verſari: expoſito & hoc, non omnia omnibus eſſe communia, hoc eſt, varia eſſe ſocietatis genera: hoc loco docet, omnia ſocietatis genera ad ciuilem ſocietatem, vt principem & caput referri. Quo explicato doceat, poſtea amicitiæ diſcrimina ex politicæ ſocietatis generibus eſſe ponenda. Confirmat igitur, ciuilis ſocietatis reliquas omnes eſſe partes, hoc argumento, quod plæræque omnes vtilitatis gratia, paucæ voluptatis, omnes vitæ bene beateque tuendæ cauſa conſtituantur. Atqui hoc vel maximum ciuilis ſeu politicæ ſocietatis eſt officium. Nam & illa vtilitatis quidem gratia eſt conſtituta, non tamen huius aut illius, præſentis aut futuri temporis, ſed totius vitæ recte agendæ gratia. Politicam autem ſocietatem vtilitatis gratia conſtitui & perdurare, docet auctoritate legumſcriptorum. Nam & hos nihil aliud quam vtilitatem ſpectare. Quare & ius definiunt id, quod communiter ſeu Reipublicæ eſt vtile, vt eſt apud Platonem *libro primo de Republica*. Qua de re ſupra diximus latius *libro quinto, capite primo*. Eadem iuris definitio & *in Politicorum libro tertio, capite octauo*, iteratur. Formula:

> *Quæ ad vtilitatem publicam ſeu communem, hoc eſt, ad rationem bene beateque viuendi pertinent, ſua quæque pro parte ſunt politica ſeu ciuilia.*
>
> *Atqui ſocietates ſeu communitates cætera præter politicam vtilitatem quandam vitæ communi afferunt.*
>
> *Ergo & politicæ quædam partes dici debent.*

Sunt, inquam, partes politicæ, ſeu, vt loquitur Ariſtoteles, videntur eſſe ἐοίκασιν εἶναι, non, vt perperam alii vertunt, ſimiles ſunt partibus, de quo verbo ſupra alicubi. Nam quod hic ἐοίκασι μορίοις, id paulo infra φαίνονται μόρια. Propoſitionem confirmauit exemplo legumſcriptorum, & iuris definitione. Aſſumptionem in ſingularum ſocietatum generi-

bus

bus explicat. Nam πλωτῆρες, quo nomine & nautas & mercatores per mare currentes intelligit, vtilitatem certe ſectantur & quæſtum, hos ſupra σύμπλους videtur appellaſſe. Milites quoque ſeu commilitones, vt illi ex nauigatione, ſic hi ex bello vtilitatis vel vrbis potiundæ cauſa ſocietatem faciunt. Sic & tribules & curiales (ſic Cicero *libro ſecundo Officiorum* vocat, quos Græci δημότας, vbi de Cymone) vtilitatis cuiuſdam cauſa ſunt deſcripti. Eadem eſt & fere omnium ſocietatum cauſa ſeu ratio, quas vtilitas velut conſtituat, conſeruet & tueatur, fere, inquam: nam & ſunt, quæ voluptatis cauſa conſtituantur, vt apud Græcos ſodalitia θιασωτῶν & ἐρανιστῶν, ſeu ὀργεώνων, quos non hic, ſed *in Eudemiis* expreſſit. Hi namque voluptatis cauſa, nempe epulandi, & choreas ducendi cauſa conueniunt, etiam ſacrificandi, vt orgeones fere & θιασῶται, qui facta diis re ſacra, & mactatis bobus, poſtea vna epulantur, atque ita honore Diis tributo, ſe poſtea recreant. De Eraniſtis diximus ſupra. Nam ex veteri more hæc ſacrificandi ratio, & ſe vna recreandi; hæc, inquam, ſocietas & ſodalitium manaſſe videtur. Olim namque poſt collectas & conditas fruges agricolæ conuenire conſueuerunt, & tanquam primitias Diis de frugibus ſuis ſacra facere, & poſtea vna ſuauiter epulari, quem morem & Lucretius *libro quinto*, Virgilius *libro ſecundo Georgicorum*, & Tibullus *initio libri primi, Elegia prima*, & omnium optime Horatius *libro primo, Epiſtola prima*:

Agricolæ priſci fortes paruoque beati, &c.

diligenter explicant. Septem igitur ſocietatum genera; ſingularium, πλωτήρων, mercatorum, commilitonum, tribulium, curialium, quæ vtilitatis: θιασωτῶν, ὀργεώνων & ἐρανιστῶν, quæ voluptatis cauſa fere coeunt, *hic & in Eudem.* afferuntur. Videtur autem Ariſtoteles ad legem Solonis alludere, cuius verba adfert Iuriſconſultus Gaius *in lege quarta, ff. de collegiis.* vbi & hæc duo præterea ſocietatis genera exprimuntur, videlicet γεννῆται, gentiles, qui ſunt ex eadem familia (ſic legendum puto, non ἢ γεναῶται, de quibus Pollux περὶ τῶν γενεῶν.) & ὁμόταφοι, id eſt, ſepulchri ſodales, qui commune emerunt ſepulchrum. Ex his perſpicuum eſt, ſingularium hæc genera ſodalitatum vel ſocietatum, ad vitam recte agendam eſſe vtilia, & proinde politicæ eſſe quaſdam partes, eiq; deſeruire tanquam adminiſtras principi ſocietati.

πρὸς ἐργασίαν.] Particulam ἢ omiſit vetus Interpres, & Argyropylus, quod probant & Victorius & Lambinus, recte. Nam vt mox ἢ τοιοῦτον ſcil. πρὸς. ita ante ἐργασίαν χρημάτων, nempe πρὸς ἐργασίαν, id eſt, ad rationem ſeu ſtudium conficiendæ pecuniæ.

θυσίας δὲ ποιοῦντες.] Hæc verba vnde pendeant, ſeu apta ſint, obſcurum. Vulgo quidem ad ea, quæ proxime de Politica, mihi ad paullo ſuperiora, vbi de θιασώταις, & ἐρανισταῖς, pertinere videntur, vt ex ſuperiore noſtra explanatione perſpicitur. Induxit alios Ariſtotelis ratio & inſtitutum in errorem. qui vt alias ſæpe, ita & hoc loco hanc clauſulam, οὐ γὰρ τοῦ παρόντος, &c. vſq; ad θυσίας interiecit.

ἀκολουθήσουσι.] Attingitur vno verbo ſcopus & vtilitas de ſocietatis generibus: qua de re *ſupra* dictum eſt.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Πολιτείας δὲ ἐστιν.] Duo ſint huius capitis membra: Nam expoſito ſocietates reliquas ad politicam velut ad caput omnes referri. Hoc igitur capite de Politia breuiter, & tamen diligenter explicat, tam per ſe & abſolute, quam comparate. Priore namq; membro, rerumpublicarum genera tam rectarum quam prauarum affert. Deinde inter ſe confert. Poſtremo & mutationes earum affert. Altero membro eadem omnia Rerumpublicarum genera cum domeſtica ſeu œconomica adminiſtratione eiuſque generibus comparata, diligentius perſequitur. Sed accuratior de his rebus diſputatio (hic tantum attingitur amicitiæ cauſa) eſt *in Politicis lib. 3. 4. 5. & lib. 1. cap. 8.*

τὴν τιμοκρατικήν.] Tertia Reipubl. pars vſitato nomine & communi à Græcis Politia, latine Reſpublica dici ſolet. Ariſtoteles eam & τιμοκρατικὴν nouo nomine appellari poſſe exiſtimat, quia cenſibus, quæ Græci τιμήματα vocant, contineatur. Hæc enim Reipubl. forma ex cenſu manat, cenſus in eo dominatur, non quidem magnus ſed mediocris. Magnus oligarchian conſtituit: mediocris τιμοκρατικὴν ſeu politiam.

τούτων δὲ βελτίστη.] Expoſitas Rerumpubl. formas inter ſe comparat. Ait igitur, ex rectis regnum eſſe optimũ, Rempub. deterrimam, optimatum deniq; poteſtatem, tacite ſubindicat

eſſe

eſſe mediam,neq; optimam neq; peſſimam. Prauarum autem Tyrannidem quidem eſſe peſſimam, popularem optimam, id eſt,minime malam,mediam deniq; factionem ſeu ὀλιγαρχίαν, [teſte Cic. *lib. 3. de Repub.* ſic vocamus latine] Rationes harum rerum hic non affert, ſed in Politicis, præterquam de Tyrannide & de Democretia. Hanc namq; minime malam eſſe paulo *infra* docet hac ratione, quod à Republica, cuius ipſa ſit ſit deflexio ſeu παρέκβασις, minimum deflectat: illam vero omnium eſſe deterrimam, quia optimæ, nimirum regno, repugnet ſeu ſit contraria.

παρέκβασις ἡ βασιλείας.] Regnum & Tyrannidem, hoc loco inter ſe comparat. Nam in eo quidem conuenire, quod vnius poteſtas ſit vtrumq;. Quare & eleganter Seneca *libr. 1. de clementia. Tyrannus, inquit, à Rege diſtat factis, non nomine, plurimum tamen inter ſe diſcrepare. Nam Tyrannum ſuum commodum & vtilitatem: Regem ſuorum ciuium ſibiq; parentium, non ſuum ſpectare commodum.* Quod idem præclare docet Ariſtoteles *lib. 3. Polit. cap. 4. & lib. 5. cap 10.* Et elegantiſſime Xenoph. *lib. 3 memorabilium.* Cur autem non ſuum ſed ſuorum commodum ſpectare debeat Rex, rationem adiungit hic Ariſtoteles iſtam, quia nulla re egeat Rex verus [omnibus rebus abundet.] Formula:

> *Qui bonis omnibus abundat & antecellit, nulla certe re præterea opus habet.*
> *Atqui Rex verus omnibus bonorum generibus affluit & antecellit.*
> *Ergo re nulla præterea eget: Et proinde vtilitates amplius non quærit ſuas, ſed ſuorum.*

Propoſitio eſt nota. Aſſumptio explicatur ab Ariſtotele *in Polit. libro primo, capite vltimo.* Nam vt hoc loco ait, qui non omnibus antecellat bonis, is non verus, ſed fortuito & ſortitione, hoc eſt, ſorte, Rex erit. Is, inquit *in Polit.* Ariſtoteles, non re ſed nomine Rex erit. Sic igitur ſcribendum hic videtur, κληρωτὸς αὐτὸς εἴη βασιλεύς, inducta particula ἤ. Erit, inquit, ſorte Rex, non virtute ſeu verus, & ſic habet editio Pariſienſis Turnebica, omnium optima, etſi altera ſcriptura etiam eſt tolerabilis, nimirum *ſorte erit Rex* ſcil. *μᾶλλον magis* (hanc enim particulam & Græci & Latini ſæpe ſubintelligunt) *quam Rex ſcil. verus.* Simplicior tamen eſt prior ſcriptura.

χείριστον ἡ τὸ ἐναντίον.] Et hic editio Pariſienſis, & vetus Inter-

 pres

pres habent non δὲ, ſed γὰρ, atque ita ſcribendum aut certe δὲ, vt alias ſæpe: ita & hic pro γὰρ accipiendum. Cæterum de Regno, an ea ſit omnium Rerumpublicarū præſtantiſſima, quod hic ſumit Ariſtoteles, copioſe diſſeritur *lib. 3. Polit. cap. penult. & vltimo.*

μεταβαίνει δ' ἐκ βασιλείας.] Hic mutationes Rerumpublicarum, & alterius in alteram ſucceſſiones ſeu deflexiones affert. Regnum igitur commutari in Tyrannidem, propterea, quod Tyrannis nihil ſit aliud, quam regni vitium, labes & corruptela, & Rex malus, Tyrannus tandem fiat: optimatum vero poteſtatem in ὀλιγαρχίαν ſeu factionem commutari, idque improbitate ſeu vitio Magiſtratuum, ſeu imperantium Ea, quæ publica ſunt contra ius & æquum, & præter dignitatem diſtribuentium, omnia nempe bona aut plæraque ſibi, & honores ad Magiſtratus ſibi duntaxat vindicantium diuitiarum nempe cupiditate, quas ex Magiſtratibus & imperando plurimas conficere ſe poſſe vident. Atque ita fit, vt pauci tandem, iique improbi imperare incipiant (quod Oligarchiæ eſt proprium) bonorum & proborum hominum, quod Ariſtocratiæ eſt loco. Ex Republica denique ſeu τιμοκρατίᾳ (quam Xenophon *libro quarto Memorabilium*, videtur mihi appellare πλουτοκρατίαν) tandem effici δημοκρατίαν, propterea, quod valde cognatæ ſint hæ duæ Reipublicæ formæ, valde ſint σύνοροι, affines ſeu finitimæ, quo verbo vtitur & *in Eudemiis libro ſeptimo, capite nono.* συνόμοροι, vt *in Eudemiis libro tertio, capite quinto.* Duo autem affert, in quibus hæ ſint finitimæ, nempe multitudinem & æqualitatem. In Democratia namque multi, hoc eſt, populus vniuerſus imperat, hoc eſt, eodem eſt iure [illegible] & in Timocratia multi quoque ſunt, nempe mediocribus diuitiis, iiſque paribus & æqualibus ſenſu pari. Cæterum accuratior de his mutationibus & deflexionibus, & aliis multifariis diſputatio eſt *in Politicorum libro tertio, capite quinto, libro quarto, capite ſecundo, & toto libro quinto.* Et hoc eſt, quod ait, μεταβάλλουσι μὲν οὖν, &c nam quas hic attulit, ſunt illæ quidem vſitatiores deflexiones & mutationes, vtpote faciles, quia finitimæ & σύνοροι: neque longe deflectentes, ſed ſunt & aliæ difficiliores, de quibus *in Politic.* vt ex Democratia ſeu Republica cum fit Tyrannis, quod Romæ accidit, à Cæſare Tyranno Republica extincta & occupata. Cicero enim hoc ſemper proſpiciebat *in libris ad Atticum.*

ὁμοιώ-

ὁμοιώματα δ' αὐτῶν.] Altera huius capitis parte publica imperia domeſticis comparara diligentius explicat. Eſt autem egregius hic locus de poteſtaribus ſeu imperiis œconomicis & domeſticis, & de publicis quoque. Quis horum ſit modus & finis, rationi vel conſentaneus, vel diſſentaneus, videatur & *libro primo capite octauo in Politic.* Societatem igitur parentum & liberorum, ſeu patriam poteſtatem, ſimilem ait eſſe regno. Confirmat duobus argumentis; Altero, quod, vt Rex ſuorum, ita & pater liberorum curam gerat, alterum eſt ab auctoritate Homeri, qui Iouē Regem patrē ſæpe vocet hominumque Deumque. Ex qua diſputatione hoc tenendum eſt, Regnum verum eſſe imperium quoddam paretnum, non herile aut ſeruile: contra poteſtatem patriam eſſe regium quaſi imperium, nō tyrannicum. Quare patres, qui liberis tanquam ſeruis vtuntur, non ram patres quam domini & Tyranni ſunt exiſtimandi. Talis Perſarum in ſuos liberos poteſtas fuit, teſte hoc loco Ariſtotele. Talis & Romanorum fuit plane Tyrannica & barbara, qui in liberos tanquam ſeruos ius necis vitæque haberent, teſte Paulo Iuriſconſulto *l. in ſuis. ff. de lib. & poſthu.* & late Dionyſio Halicarn. *lib. 2.*

τυραννικὴ δὲ καὶ ἡ.] De regni imagine domeſtica, patria videlicet poteſtate iam eſt explicatum. Cœptum & de Tyrannidis imagine, nimirum patria poteſtate nimia; qualis in Perſis & Romanis fuit. Affertur autem & hoc loco altera, eaque perpetua tyrannidis imago, herilis poteſtas & communitas. Nam vt in tyrannide, non de parentium ſed de Tyranni agitur commodo & vtilitate: irem in herili ſocietate, non ſerui & domini agitur, πράττεται, id eſt, verſatur. (ſic enim eleganter hoc verbum tam Græce quam Latine reperitur) vtilitas, quod proximo capite explicabitur latius. Duæ igitur Tyrannidis ſunt imagines, herilis vna, altera patria poteſtas nimia, quarum hæc quidem vitioſa & praua, illa eſt recta & rationi conſentanea. Nam rationi repugnat eodem in loco & iure liberos habere, quo ſeruos: conſentaneum vero rationi non tam ſeruorum, vt qui ſint quaſi organa quædam, quam dominorum rationem vtilitaris haberi: ſed de hoc latius *l. 1. Polit.* Et hoc eſt quod ait τῶν διαφερόντων γὰρ, hoc eſt, in diſpares, non idem & par, ſed diſpar debere eſſe imperium.

ἀνδρὸς δὲ καὶ γυναικὸς.] Hic de Ariſtocratia & eius deflexione oligarchia, quarum imagines in ſocierate viri & vxoris

talitatem & diuinitatem alter alteri cupiat & velit. Diſputat in vtramq; partem Ariſtoteles, diſſoluit tandem, & non velle alterum alteri etiam maxima bona. Confirmat hac ratione, quia ſequeretur, vt ſibi quis malum velit, ſiue, quod idem valet, bono quodam orbatum. Formula:

Si alter alteri vult ſumma. Ergo ſibi vult mala.
At hoc abſurdum: omnes namq; ſibi bene eſſe cupiunt. Ergo & illud.

Ratio connexi, quia amicum (vt enim modo dictum ſumma diſtantia interit amicitia) ſumma illi, optando amittat, & proinde bonum quiddam. Amicus namq; eſt bonum, atq; adeo vt dicitur, alter alteri eſt Deus. Non igitur alter alteri vult ſumma. Sed huic repugnat, quod *ſupra* ſæpius iteratum hoc loco affertur, amicos alterum alteri bona velle, non ſua ſed illius cauſa. Ergo nō ſpectandum, an hac diſtantia alter qd mali capiat, ſed potius quid boni alteri accedat. Quare amici inter ſe videntur manere, qualiſcunq; tandem alter fiat amicus, quibus tandemcunq; cumuletur & excellat bonis. Præterea hinc ſequitur, alterum alteri etiam ſumma cupere & velle debere. Diſſoluit tandem Ariſtoteles & ait, Amicos alterum alteri maxima quidem bona cupere & velle debere, vt homini tamen, hoc eſt, non tanta, vt Deus potius quam homo ſit futurus: non omnia igitur illi bona ſumma & maxima optabit, propterea quod quiſq; ſibi meliora ſemper velit. Omnes ſibi melius eſſe volunt magis quam alteri, inquit Terentius. Ita igitur votorum inter amicos modus erit, ne vel nimium optando dirimatur amicitia, vel alteri plus quam ſibi optetur quod vtrumq; & ſtultum, & rationi, & ipſi demq; amicitiæ eſt contrarium, &c.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Οἱ πολλοὶ δὲ δοκοῦσι διὰ.] Duo hoc capite potiſſimum explicant: prius de amicitia, eiuſne vis omnis in amando altero, an vero in alterius erga ſe amore ſentiendo ſit poſita. Vtrum, inq̃, amicitiæ magis ſit proprium, amare quam amari, an contra. Alterum de amicis, qui, quibus ſint chari & amici, vtrum ad diſtinctionem amicitiæ inter pares & inter impares pertinet. Inter impares namq; de vtroq; maxime quæri ſolet: & prius certe inter impares maxime locum habet, teſte Ariſt. *in Magn. li. 2. c. 11.* ἢ δὲ ἐν ἀνισότητι videatur & *Eudem. li. 7. c. 4. & 5.*

εἰ πολλοὶ δ' δοκοῦσι.] Prius, vtrum amicitiæ magis proprium, amare ne an amari, hic explicatur. Et primum quidem eſſe ait multos, qui ſola ducti ambitione, amari malint quam amare. Quare & *in Eudem.* huius generis amicos ambitioſos fere eſſe ait. Et *in Magn.* eos, qui vel opib. & diuitijs, vel honoribus vel qua ſimili re excellant. Cur autem hi amari potius q̃ amare alios velint, ratio his verbis, *τὸ δ' φιλεῖσθαι*, redditur iſta, quia amari prope eſt, vt ita dicam adhonorari. Amor eſt obſeruantiæ & honoris quædam ſpecies. In eo ꝙ amantur honorem, cuius hi ſunt cupidiſſimi, eſſe poſitũ. Affertur & altera *in Magn.* ratio, quia excellentię ſeu præſtãtiæ, cuius item cupidiſſimi ſunt ambitioſi, quia excellentes admiratione affici ſolẽt, in admiratione valde eſſe cupiunt ambitioſi. Quia igitur excellentiæ eſt amari. Nam excellentes vel diuitijs vel honorib. vel voluptatibus aut virtutib. amare & admirari ſolent, q̃ rebus ijs careant. Ambitioſi igitur ita fere ſunt affecti. Cui rei & hoc argumento eſt, ꝙ idem ſint *φιλοκόλακες*, & vt *in Eud.* ait Ariſt. apud hos pluris ſæpe fit aſſentator, q̃ amicus, non alia ſane de cauſa, quã ꝙ ab aſſentatorib coli & obſeruari conſueuit. Aſſentator namq; eo eſt ingenio, vt ſi vel nõ ſit inferior (ꝙ tamen fere fieri ſolet. Generoſi namq; vix aſſentantur, ſed humiliores) tamen & ſe talẽ eſſe ſimulet & eos, quibus adulatur amare potius q̃ amari ab ijſdem ſtudeat, admiratur eos, omniaq; ijs tribuit, ſibi nihil.

καθ' αὑτό.] Interijcit hoc loco Ariſtot. diſtinctionem inter amari & honorari, quæ duo paullo ante valde finitima eſſe dixerat. Differunt igitur, quod honor ex euentu, nempe ſpe vtilitatis fere, Amicitia vero per ſe, nulla propoſita vtilitate expetatur. De amicitia quidẽ iam *ſupra* eſt explicatum. De honore confirmat duob. argumentis ſeu ſignis. Prius eſt, ꝙ multi inferioris conditionis homines à ditiorib. aut potentiorib. honore quodam ſe affici cupiant, non tam ꝙ honorem ipſi expetant, quam ꝙ ſpem inde capiant, fore vt ab ijſdem aliud quid conſequantur. Sic habent amicos magnates inferiores, cum ſibi deferri honorem ab illis, ſibi aliquid tribuere, vel ſalutare, bene ſperant, putant ſe id conſecuturos quod ſperant, honoris delatiõ indicium aſſequendæ rei q̃ cupiunt, non tam honor, quam ꝙ ex indicio honoris ſibi promittunt, ſectantur. Alterum ſignũ à ſuperioris cõditionis fere hominib. eſt ſumtum: quos videas multos hoc ſtudere, vt ab alijs honorẽtur, nõ alia de cauſa, q̃ quia exiſtimẽt, ſe, dũ honore afficiũtur, eo ipſo haberi ꝓ viris bonis & exce-

excellentibus: ſtudent inquam opinionem, quam de ſe quoq; habent ipſi, eſſe ſe viros bonos, eam hoc extremo aliorum velut teſtimonio confirmare, alijs ſtulte certe credunt, ſe viros eſſe bonos, ipſi incerti, ac decipi, ꝙ *ſupra* eſt explicatum *li. 1. c. 5.* vbi hunc locũ adduximus. Itaq; honor, quia alterius rei cauſa eſt, non tam p ſe, q̃ ex euentu expetitur. [etiam in hoſte, inquit Cic amamus virtutẽ.] Ex quibus & hoc tandẽ efficit Ariſtot. amari melius eſſe q̃ honore affici, quia hoc ex euentu, alterum ſit p ſe. Vtrum .a. ſit melius amare an amari, explicat Ariſt. *in Magn.* vbi melius eſſe amare, tribus his confirmat rationibus. 1. Quia amare eſt q̃dam actio, amari ꝑpeſſio. Atq notum eſt actionem ei, in quo eſt, voluptatem quandã afferre, & proinde eſſe bonũ. 2. Quia melius eſt cognoſcere, q̃ cognoſci. Nã hoc & inanimis, illud in ſolis animatis reperit᷑. Quare & eos maxime laudare vulgo ſolent, qui etiam mortuos, non deſinant amare. Hi namq;, qui mortuos amant, cognoſcunt quidẽ, ſed non cognoſcunt᷑ amplius, inquit Ariſt. *in Eudem. li. 7. ca. 4. in fin.* 3. Quia beneficio afficere, laudabilius profecto eſt quam affici. Atqui & noſſe, & beneficio afficere, eſt eius, qui amat.

δοκεῖ δ' ἐν τῷ φιλεῖν] Nunc vere diſſoluit quæſtionem: Ait igitur amicitiæ vim magis cerni ἐν τῷ φιλεῖν, q̃ ἐν τῷ φιλεῖσθαι. Argumentum affert vnum ab amore materno erga infantes ſumptum. Matres namq;, quibus aduerſus liberos amor eſt & amicitia ſumma, amant illæ quidem eos, ſcientes eſſe ſuos, nõ laborant autem, vt redamentur, ſi fieri id nõ poſſit, vt quia ſint infantes liberi, qui nec matres quidem norint. Satis eſſe enim matribus, videre liberos ſanos & ſaluos, & bene ſe habere, etiamſi nihil ab ijs contra ſibi tribuatur. Amicitia igitur ἐν τῷ φιλεῖν potius, quam ἐν τῷ φιλεῖσθαι conſiſtit, argumento maternæ amicitiæ. Eodem & accommodari poſſunt tres illæ rationes, quas *ex Magnis* adduximus, ex quibus rationib alterũ quoq; argumentum ſumi poteſt. Nam cum amicitiæ vtpote virtutum comiti, ea magis conueniat, quæ ſint præſtantiora: certe & amare magis iam decebit, quam amari.

μᾶλλον δ' τ' φιλίας.] Priore huius capitis membro de amicitia, hoc altero de amicis (Sic enim & initio diſtinximus:) agitur: qui, quibus ſint amici ſtabiles & firmi, qui nõ ſint. De quo tamen priuſquam explicet, differentiam illam inter amare & amari, quam *ſupra* de amicitia explicauit, hic & amicis accõmodat. Nam & horum quoq; vim ſeu virtutem ἐν τῷ φιλεῖν

potius,

potius, quam ἐν τῷ φιλεῖσθαι cerni cum ijſdem rationibus, tum & hoc præcipue, quod τὸ φιλεῖν laudabile etiam vulgo habeatur. Laudantur enim vulgo, qui græce dicuntur φιλόφιλοι, qui quos habent amicos, amant, non tam curantes vt redamẽtur, de quibus & *ſupra cap. 1.* Amicitiæ igitur & amicorum vis omnis & virtus in eo poſita, vt ament quam vt amentur (etſi contra fere fit in ambitioſis) & hoc eſt, quod eleganter Ariſtoteles *in Eudem. lib. 7. cap. 4.* ὁ φιλητικὸς [ad amicitiam aptus] gaudet magis τῷ φιλεῖν· ὁ φιλότιμος vero τῷ φιλεῖσθαι. Hoc igitur breuiter expoſito, vt ex prioribus apto: nunc id ipſum alteri quoq; huius capitis quæſtioni accommodat his verbis, ὥστε ἐν οἷς τοῦτο. Itaque in quibus hoc inquit, id eſt, τὸ φιλεῖν potius quam τὸ φιλεῖσθαι. De qua quidem quæſtione *ſupra* iam fuit explicatum *cap. 3. & 4.* nonnihil. Sed hoc loco vtroque amicitiæ genere, tam eius, quæ inter pares, quam quæ inter impares, iam explicato, diſtinctius diſſeritur. Quod vt melius & ordine nos explicemus, Ariſtotelem ipſum *in Eudem. lib. 7. cap. 5.* imitati, repetendum duximus, quod *ſupra cap. 1.* quæſitum fuit. Qua re potiſſimum conglutinentur amicitiæ, ſimilitudine an diſſimilitudine & contrarietate. Nam vtriq; ſui fuerunt autores. Id igitur Ariſtoteles hoc loco diſſoluit & explicat, in ſimilitudine quidem maximam amicitiæ vim conſiſtere: veram ex ſimilitudine coaleſcere: eam vero quæ ex euentu contrarijs in rebus cerni. *In Eudemis* breuiter Ariſtoteles, amicitias ex virtute & voluptate, ſimilitudine: eam quæ ex vtilitate, diſſimilitudine & contrarietate potiſſimum coaleſcere & contineri. Hoc loco primum de ſimilibus, eos demum ſtabiles firmosque amicos, ſtabilemq; eorum fore amicitiam, qui non tam amari quam amare gaudeant. & quærant, idque pro dignitate ſeu analogice, nimirum inter impares. Nam & hos ea ratione pares effici, *ſupra* cap. priore diximus: Æqualitas autem & ſimilitudo in amicitia maxime eſt neceſſaria. Eſt ea enim nihil aliud quam amicitia ſeu parens amicitiæ & nutrix. Similitudo igitur ea eſt, quæ & parit & tuetur amicitias, etiam inter impares. Verum ea maxime quæ eſt inter virtute præditos & viros bonos, virtute amicos. Sic enim Ariſtoteles paulatim progreditur ab vniuerſo genere ad partes amicitiæ. Nam quod ſummatim & vniuerſe dixerat, ſimilitudine contineri amicitiam, id mox ſingulis amicitiæ generibus accommodat. Viros igitur bonos, quia per ſe ipſi & ex ſe ſunt ſtabi-

les

les (hoc enim virtutis eſſe proprium *ſupra* explicauimus *cap.* 3.) quia inquam viri boni mores facile non mutant, inter ſe quoque ſtabiles permanere amicos. Nam cum rebus alijs omnib⁹ abundant, cum bona, inquam, omnia in ſe complectũtur, vt *ſupra* eſt explicatum *cap. 3.* tum mala neque ipſi poſtulant, neque alios poſtulantes admittunt, etiam amicos, atque adeo prohibent potius iniuſta poſtulantes, quibus verbis Ariſtoteles præclarum locum (quouſq; amor in amicitia progredi debeat) attingit, explicat pulcherrime Cicer. *in Lælio, magna item diſſidia, &c.* vbi & hæc Ciceronis præclara ſunt verba, huc facientia. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris. Viri igitur boni, quia ipſi in ſe propter virtutem ſunt ſtabiles, amici quoque ſtabiles eſſe ſolent: contra improbi, qui, quia idem non ſunt manè & veſperi, inquit eleganter Ariſtoteles *in Eud.* quia per ſe ipſi non ſunt ſtabiles, certe nec amici ſtabiles eſſe poſſunt: & quamdiu alter ex alterius improbitate voluptatem quandam capit, non diutius amici permanent. Cæterum verbum ὑπηρετεῖν puto inducendum vt minime neceſſarium.

οἱ χρήσιμοι δ᾽ &c.] De viris bonis & improbis iam dictum, illos quidem diutiſſime & conſtantiſſime, hos minime permanere. Hic de reliquis duobus generibus, de vtilibus, inquam, & iucundis, inter bonos & improbos, quo ad diuturnitatẽ ſeu ſtabilitatem, quodammodo medijs. Hos namq; diutius permanere, quàm improbos, nimirum quamdiu & vtilitas & voluptas permanebunt, quod *ſupra* eſt explicatum *cap. 4.*

ἐξ ἐναντίων δ᾽, μάλιστα.] Adhuc de ſimilibus: nunc de diſſimilibus ſeu contrarijs. Ait igitur, eam maxime amicitiam ex contrarijs oriri, quæ eſt ex vtilitate. Contraria namq; contrarijs ſunt vtilia, ſimilia ſimilibus infructuoſa. Sic diues pauperi, doctus indocto eſt vtilis & amicus. Sic humidus ſicco, calidum frigido eſt vtile & amicum, vt *ſupra* dictum *c. 1.* Eodem in genere poni poteſt & amantium amicitia, vt quæ & ipſa ex vtilitate vere conſtet, quod & *ſupra* dictum *cap. ſecunda.* Quare & ridiculi interdum videntur, & merito ridentur amatores, qui ament quidem ipſi ardenter amaſios, ſtomachentur poſtea cur non redamentur, cum nihil in ſe habeant, cur redamari debeant. Par quidem & æquum eſt dignos pari amore quo amant redamari: nihil autem eiuſmodi habentes, idem tamen cupere eſt ridiculum, vt recte hic Ariſtoteles

ex

ex Platone *in Lyſide*. Ex quare & hoc perſpicitur, hanc inter amantes amicitiam ex vtilitate exſiſtere. Hæc namque ſi nulla erit, ridiculi fiunt amatores, neque eos à quibus nullam capiunt vtilitatem, redamabunt Amaſij.

ἴσως δὲ οὐδὲ ἐφίεται.] Quod modo dictum de contrariorum amicitia, quod dictum, inquam, contrarium à contrario adamari: id hic diſtinctione adhibita diligentius explicat. Nam amari quidem contrarium à contrario, non tamen per ſe, ſed ex euentu. Contraria tanquam extrema, ex euentu expetuntur, vt ad medium perueniri poſſit, quod per ſe, et vere bonum, & tanquam finis expetitur, cum altera ſint tanquam ad finem, vt ait Ariſtoteles *in Eudem.* verbi gratia, quod ſiccum, non tam humidum cupit fieri, quam humectari aliquatenus, vt ad medium & rectum ſtatum redigatur. Sic calidus, frigidus quidem eſſe expetit, non tamen vt rigeat plane, ſed vt ne nimis caleat, hoc eſt, medium aſſequatur. Sic ſonus acutus velut expetit grauem ad harmoniam ſeu concentum, tanquam medium temperandum. Sed hæc, vt aliena à Politicis & Phyſicorum propria omittantur, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ἔοικε δὲ καθάπερ ἐν ἀρχῇ.] Duæ adhuc allatæ ſunt amicitiæ diuiſiones: his quatuor capitibus adfertur & explicatur tertia, ſumpta à generibus communitatum ſeu ſocietatum, id eſt, à ſubiecto, vt vulgo loquuntur. Eſt autem tripartita, vel ſodalium, vel cognatorum, vel ciuium denique, ſiue ſocietatum generalius. Hoc autem capite docet Ariſtoteles, amicitiam in communitate ſeu ſocietate omnem conſiſtere: ſocietates autem omnes eſſe principis ſocietatis, quæ politica ſeu ciuilis dicitur, partes, & proinde amicitias quoque ad ſocietatis politicæ genera eſſe accommodandas. Sic enim argumentatur:

Omnis amicitia eſt in ſocietate ſeu communitate.

Omnis autem ſocietas ad ciuilem, vt principem ſocietatem, pertinet & accommodatur.

Ergo & amicitia ad politicæ ſocietatis genera accommodari & dirigi debet.

Hunc autem præclarum de amicitia cum iure ſeu iuſtitia, &

& cum ſocietate ſeu communitate politica, alijſq; ſocietatum generibus, affinitate, & coniunctione, diligenter & copioſe explicatur quoq; à Cicerone *lib. 1. offic.* vbi de iuſtitia. Sed quæ naturæ principia ſint communitatis & ſocietatis humanæ, repetendum videtur altius, &c. Hoc quoq; docetur, magnam eſſe amicitiæ cum iure affinitatem.

ἔοικε δ' ἐν κα θάπερ.] Ius & amicitiam (de quorum affinitate & *ſupra* mentionem fecit *ca. 1.*) in eadem re verſari, nempe in communitate ſeu ſocietate, primo oſtendit. De iure certum eſt ex *li. 1.* nullũ id eſſe poſſe, niſi in commuoitate aliqua, vt, quod eſſe nequeat, niſi cum alteto. De amicitia, eam eſſe in ſocietate docet, non tribus, vt vulgo hic ἀναλυοὶ vtuntur, ſed duabus rationibus: Altera ab vſu communi, altera à prouerbio ſumta. Nam vulgo commilitones, conuictores, tribules, curiales, ſtudioſi, alijq; id genus ſocij inter ſe amicos appellitare ſolent. Prouerbium autem, quo *amicorum omnia dicuntur communia*, idem oſtendit & confirmat. Rectum eſt igitur & hoc prouerbium, & rationi etiam philoſophicæ conſentaneum, etſi vulgi dictum.

ἔστι δ' ἀδελφοῖς.] Docuit adhuc amicitiam in ſocietate ſeu communitate verſari, eaque in re iuri eſſe ſimilem, hic alteram affert ſimilitudinem iuris & amicitiæ in diſcrimine iuris & amicitiæ poſitam. Nam primum videndum fuit, qua in re vtrumque verſetur: deinde quatenus. Hæc enim duo diligenter ſunt perpendenda, res & gradus, ſeu diſcrimina, finis denique, quam inquam late res pateat. Et hoc eſt, quod ait, ὡς ἐν τοῖς αὐτοῖς ὄντα ἐφ' ἴσον διήκοντα. De priore iam eſt explicatum: hic de altero, de quo videatur late M. Tullius *lib. 1. offic.* [qui loco eſt commentarij] *Gradus autem, &c.* Et poſtea: *ſed in omnibus his officiis, tribuendis, &c.* Quantum igitur amico tribuendum ſit, ex eo perſpicitur, ſi noris quid iuris illi debeatur, quod inter te & illum ſit ius, quæ ſocietas, inquit Ariſtoteles, *libro ſeptimo Eudem, capite nono, in fine.* Ex prioribus autem quia iam conſtat, amicitiam in communitate verſari, adiungit Ariſtoteles huius communitatis diſcrimina. Facit autem duo genera: nam vel omnia amicis inter ſe eſſe communia, vel certa quædam & diſtincta. Prioris generis amici ſunt fratres & ſodales, de quorum ſimilitudine & *infra* latius: Et hæc vera eſt & perfecta amicitia. Alterius generis varia ſunt diſcrimina, pro varijs homi-

hominum ſocietatibus, de quibus infra, quibus fit vt alia alijs plura ſint communia, alijs pauciora, vt inter ciues plura ſunt communia, quam inter populares [appello populares, conterraneos vulgo quos vocant, caſtrenſi vocabulo] inter tribules plura, quam inter ciues, inter propinquos plura, quam inter tribules.] Coniugum communitas eadem fere eſt, quæ fratrum. Nam matrimonium diuini & humani Iuris definitur communio [à Iuriſconſultis] Quemadmodum igitur amicitiæ aliæ, alia magis eſt amicitia, alia minus (vt ea quæ per ſe, magis eſt amicitia ijs, quæ ex euentu. *Supra capite primo in fine*. Sic & amicis inter ſe alia alijs plura, alijs pauciora ſunt communia. Eadem & Iuris eſt ratio. Nam non eadem ſunt iuſta inter parentes & liberos, quæ inter fratres, vel contra: non eadem inter ſocios, quæ inter ciues, immo non idem ius eſt filio, quod patri. Marito ius eſt vxorem in adulterio deprehenſam occidere: vxori maritum vix digito attingere ius eſt, inquit Cato apud Gellium *li.10. ca.9*. Eadem & iniuriæ eſt ratio, quæ ratione coniunctionis vel maior & grauior eſt, vel leuior. Grauius eſt patrem verberare, quam alium quemlibet, ſocium fraudare quam ciuem, vt præclare Cicero *in Quintiana & libro tertio offic.* & Iuriſconſulti *in lege prima, ff. de his qui notantur infamia.* [Socium aut pupillum fraudare, grauiſſimum crimen in Iure ciuili.] Fratrem opem rogantem deſerere, quam alienum ὀθνεῖον: quo verbo & *infra* vtitur *capite duodecimo*, & Plato aliquoties. Etſi Pollux *libro tertio, capite quarto*, ait eſſe ποιητικώτερον, poetis vſitatius. [Pollux ſæpe veteres ſcriptores reprehendit inepte, Platonem, Ariſtotelem, &c. in lingua, nemo vnquam politius aut elegantius lingua græca quam Ariſtoteles & Plato vſus] Nam errant Stoici cum ſuo paradoxo, peccata eſſe paria, quos ludendo quidem & ridendo, ſed vere tamen refellit Cicero *in Muraniana*. Videatur idem Cicero ad hunc locum *libro primo offic. Sed in his omnibus officiis, &c.* Verum de hoc loco quantum amico ſit tribuendum [& quouſque] diſputabitur *infra libro nono, cap. 2.* de quo & *ſupra* quædam, vbi de ἀναλογίᾳ.

ἐπὶ τῶν ἄλλων φίλων.]. Sic fere habent libri, & vetus quoque tralatio; recte, ni fallor φίλων. Nam & ſequitur ἐνδέστεις. In alijs quibuſdam libris φιλιῶν, *amicitiis*, quos probat Dionyſius Lambinus: malim vtrumq; induci.

ἕτερα δὴ καὶ τὰ δίκαια.] Vetus codex noſter manuſcriptus, [eſt eruditus Theologus, qui mihi eius copiam fecit] & Interpretes Argyropylus, Turnebus & Lambinus, *ἄδικα*, non vero *δίκαια* ſcribunt. Recte. Nam de Iure iam dixerat: nunc de iniuria. Argumento ſint & exempla iniuriæ omnia. Sic enim Ariſtoteles: Si aliud alii eſt ius. Ergo & iniuria, *ἕτερα δὴ*, alia igitur.

αἱ δὲ κοινωνίαι.] Expoſito, amicitiam in ſocietate ſeu communitate verſari: expoſito & hoc, non omnia omnibus eſſe communia, hoc eſt, varia eſſe ſocietatis genera: hoc loco docet, omnia ſocietatis genera ad ciuilem ſocietatem, vt principem & caput referri. Quo explicato doceat, poſtea amicitiæ diſcrimina ex politicæ ſocietatis generibus eſſe ponenda. Confirmat igitur, ciuilis ſocietatis reliquas omnes eſſe partes, hoc argumento, quod plæræque omnes vtilitatis gratia, paucæ voluptatis, omnes vitæ bene beateque tuendæ cauſa conſtituantur. Atqui hoc vel maximum ciuilis ſeu politicæ ſocietatis eſt officium. Nam & illa vtilitatis quidem gratia eſt conſtituta, non tamen huius aut illius, præſentis aut futuri temporis, ſed totius vitæ recte agendæ gratia. Politicam autem ſocietatem vtilitatis gratia conſtitui & perdurare, docet auctoritate legumſcriptorum. Nam & hos nihil aliud quam vtilitatem ſpectare. Quare & ius definiunt id, quod communiter ſeu Reipublicæ eſt vtile, vt eſt apud Platonem *libro primo de Republica.* Qua de re ſupra diximus latius *libro quinto, capite primo.* Eadem iuris definitio & *in Politicorum libro tertio, capite octauo*, iteratur. Formula:

Quæ ad vtilitatem publicam ſeu communem, hoc eſt, ad rationem bene beateque viuendi pertinent, ſua quæque pro parte ſunt politica ſeu ciuilia.

Atqui ſocietates ſeu communitates cæteræ præter politicam vtilitatem quandam vitæ communi afferunt.

Ergo & politicæ quædam partes dici debent.

Sunt, inquam, partes politicæ, ſeu, vt loquitur Ariſtoteles, videntur eſſe *ἐοίκασι εἶναι*, non, vt perperam alii vertunt, ſimiles ſunt partibus, de quo verbo ſupra alicubi. Nam quod hic *ἐοίκασι μορίοις*, id paulo infra *φαίνονται μόρια*. Propoſitionem confirmauit exemplo legumſcriptorum, & iuris definitione. Aſſumptionem in ſingularum ſocietatum generibus

bus explicat. Nam πλωτῆρες, quo nomine & nautas & mercatores per mare currentes intelligit, vtilitatem certe ſectantur & quæſtum, hos ſupra σύμπλους videtur appellaſſe. Milites quoque ſeu commilitones, vt illi ex nauigatione, ſic hi ex bello vtilitatis vel vrbis potiundæ cauſa ſocietatem faciunt. Sic & tribules & curiales (ſic Cicero *libro ſecundo Officiorum* vocat, quos Græci δημότας, vbi de Cymone) vtilitatis cuiuſdam cauſa ſunt deſcripti. Eadem eſt & fere omnium ſocietatum cauſa ſeu ratio, quas vtilitas velut conſtituat, conſeruet & tueatur, fere, inquam: nam & ſunt, quæ voluptatis cauſa conſtituantur, vt apud Græcos ſodalitia θιασωτῶν & ἐρανιστῶν, ſeu ὀργεώνων, quos non hic, ſed *in Eudemiis* expreſſit. Hi namque voluptatis cauſa, nempe epulandi, & choreas ducendi cauſa conueniunt, etiam ſacrificandi, vt orgeones fere & θιασῶται, qui facta diis re ſacra, & mactatis bobus, poſtea vna epulantur, atque ita honore Diis tributo, ſe poſtea recreant. De Eraniſtis diximus ſupra. Nam ex veteri more hæc ſacrificandi ratio, & ſe vna recreandi; hæc, inquam, ſocietas & ſodalitium manaſſe videtur. Olim namque poſt collectas & conditas fruges agricolæ conuenire conſueuerunt, & tanquam primitias Diis de frugibus ſuis ſacra facere, & poſtea vna ſuauiter epulari, quem morem & Lucretius *libro quinto*, Virgilius *libro ſecundo Georgicorum*, & Tibullus *initio libri primi, Elegia prima*, & omnium optime Horatius *libro primo, Epiſtola prima*:

Agricolæ priſci fortes paruoque beati, &c.

diligenter explicant. Septem igitur ſocietatum genera; ſingularium, πλωτήρων, mercatorum, commilitonum, tribulium, curialium, quæ vtilitatis: θιασωτῶν, ὀργεώνων & ἐρανιστῶν, quæ voluptatis cauſa fere coeunt, *hic & in Eudem.* afferuntur. Videtur autem Ariſtoteles ad legem Solonis alludere, cuius verba adfert Iuriſconſultus Gaius *in lege quarta, ff. de collegiis.* vbi & hæc duo præterea ſocietatis genera exprimuntur, videlicet γεννῆται, gentiles, qui ſunt ex eadem familia (ſic legendum puto, non ἢ γε ναῦται, de quibus Pollux περὶ τῶν γεννητῶν.) & ὁμόταφοι, id eſt, ſepulchri ſodales, qui commune emerunt ſepulchrum. Ex his perſpicuum eſt, ſingularium hæc genera ſodalitatum vel ſocietatum, ad vitam recte agendam eſſe vtilia, & proinde politicæ eſſe quaſdam partes, eiq; deſeruire tanquam adminiſtras principi ſocietati.

περὶ ἐργασίαν.] Particulam ἢ omiſit vetus Interpres, & Argyropylus, quod probant & Victorius & Lambinus, recte. Nam vt mox ἡ τοιαύτη ſcil. περὶ. ita ante ἐργασίαν χρημάτων, nempe περὶ ἐργασίαν, id eſt, ad rationem ſeu ſtudium conficiendæ pecuniæ.

θυσίας δὲ ποιοῦντες.] Hæc verba vnde pendeant, ſeu apta ſint, obſcurum. Vulgo quidem ad ea, quæ proxime de Politica, mihi ad paullo ſuperiora, vbi de θιασώταις, & ἐρανισταῖς, pertinere videntur, vt ex ſuperiore noſtra explanatione perſpicitur. Induxit alios Ariſtotelis ratio & inſtitutum in errorem. qui vt alias ſæpe, ita & hoc loco hanc clauſulam, οὐ γὰρ τοῦ παρόντος, &c. vſq; ad θυσίας interiecit.

ἀκολουθήσουσι.] Attingitur vno verbo ſcopus & vtilitas de ſocietatis generibus: qua de re *ſupra* dictum eſt.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Πολιτείας δ' ἐστὶν.] Duo ſint huius capitis membra: Nam expoſito ſocietates reliquas ad politicam velut ad caput omnes referri. Hoc igitur capite de Politia breuiter, & tamen diligenter explicat, tam per ſe & abſolute, quam comparate. Priore namq; membro, rerumpublicarum genera tàm rectarum quam prauarum affert. Deinde inter ſe confert. Poſtremo & mutationes earum affert. Altero membro eadem omnia Rerumpublicarum genera cum domeſtica ſeu œconomica adminiſtratione eiuſque generibus comparata, diligentius perſequitur. Sed accuratior de his rebus diſputatio (hic tantum attingitur amicitiæ cauſa) eſt *in Politicis lib. 3. 4. 5. & lib. 1. cap. 8.*

τὴν τιμοκρατικήν.] Tertia Reipubl. pars vſitato nomine & communi à Græcis Politia, latine Reſpublica dici ſolet. Ariſtoteles eam & τιμοκρατικὴν nouo nomine appellari poſſe exiſtimat, quia cenſibus, quæ Græci τιμήματα vocant, contineatur. Hæc enim Reipubl. forma ex cenſu manat, cenſus in eo dominatur, non quidem magnus ſed mediocris. Magnus oligarchian conſtituit: mediocris τιμοκρατικὴν ſeu politiam.

τούτων δὲ βελτίστη.] Expoſitas Rerumpubl. formas inter ſe comparat. Ait igitur, ex rectis regnum eſſe optimū, Rempub. deterrimam, optimatum deniq; poteſtatem, tacite ſubindicat

eſſe

eſſe mediam,neq; optimam neq; peſſimam. Prauarum autem Tyrannidem quidem eſſe peſſimam, popularem optimam, id eſt,minime malam,mediam deniq; factionem ſeu ὀλιγαρχίαν, [teſte Cic. *lib. 3. de Repub.* ſic vocamus latine] Rationes harum rerum hic non affert, ſed in Politicis, præterquam de Tyrannide & de Democratia. Hanc namq; minime malam eſſe paulo *infra* docet hac ratione, quod à Republica, cuius ipſa ſit ſit deflexio ſeu παρέκβασις, minimum deflectat: illam vero omnium eſſe deterrimam, quia optimæ, nimirum regno, repugnet ſeu ſit contraria.

παρέκβασις ᾗ βασιλείας.] Regnum & Tyrannidem, hoc loco inter ſe comparat. Nam in eo quidem conuenire, quod vnius poteſtas ſit vtrumq;. Quare & eleganter Seneca *libr. 1. de clementia. Tyrannus*, inquit, *à Rege diſtat factis,non nomine, plurimum tamen inter ſe diſcrepare. Nam Tyrannum ſuum commodum & vtilitatem: Regem ſuorum ciuium ſibiq; parentium,non ſuum ſpectare commodum.* Quod idem præclare docet Ariſtoteles *lib. 3. Polit. cap. 4. & lib. 5. cap 10.* Et elegantiſſime Xenoph. *lib. 3 memorabilium*. Cur autem non ſuum ſed ſuorum commodum ſpectare debeat Rex, rationem adiungit hic Ariſtoteles iſtam, quia nulla re egeat Rex verus [omnibus rebus abundet.] Formula:

> *Qui bonis omnibus abundat & antecellit, nulla certe re præterea opus habet.*
>
> *Atqui Rex verus omnibus bonorum generibus affluit & antecellit.*
>
> *Ergo re nulla præterea eget: Et proinde vtilitates amplius non quærit ſuas, ſed ſuorum.*

Propoſitio eſt nota. Aſſumptio explicatur ab Ariſtotele *in Polit. libro primo,capite vltimo.* Nam vt hoc loco ait,qui non omnibus antecellat bonis, is non verus, ſed fortuito & ſortitione, hoc eſt, ſorte, Rex erit. Is, inquit *in Polit.* Ariſtoteles, non re ſed nomine Rex erit. Sic igitur ſcribendum hic videtur, κληρωτὸς αὐτῆς ἂν βασιλεύς, inducta particula ἢ. Erit, inquit, ſorte Rex,non virtute ſeu verus, & ſic habet editio Pariſienſis Turnebica,omnium optima,etſi altera ſcriptura etiam eſt tolerabilis, nimirum *ſorte erit Rex* ſcil. *μᾶλλον magis* (hanc enim particulam & Græci & Latini ſæpe ſubintelligunt) *quam Rex ſcil. verus.* Simplicior tamen eſt prior ſcriptura.

ἐναντίον ᾗ τῷ ἐναντίῳ.] Et hic editio Pariſienſis,& vetus Inter-

pres habent non δὲ, ſed γὰ, atque ita ſcribendum aut certe δὲ, vt alias ſæpe: ita & hic pro γὰ accipiendum. Cæterum de Regno, an ea ſit omnium Rerumpublicarũ præſtantiſſima, quod hic ſumit Ariſtoteles, copioſe diſſeritur *lib. 3. Polit. cap. penult. & vltimo.*

μεταβαίνει δ' ἐκ βασιλείας.] Hic mutationes Rerumpublicarum, & alterius in alteram ſucceſſiones ſeu deflexiones affert. Regnum igitur commutari in Tyrannidem, propterea, quod Tyrannis nihil ſit aliud, quam regni vitium, labes & corruptela, & Rex malus, Tyrannus tandem fiat: optimatum vero poteſtatem in ὀλιγαρχίαν ſeu factionem commutari, idque improbitate ſeu vitio Magiſtratuum, ſeu imperantium Ea, quæ publica ſunt contra ius & æquum, & præter dignitatem diſtribuentium, omnia nempe bona aut plæraque ſibi, & honores ad Magiſtratus ſibi duntaxat vindicantium diuitiarum nempe cupiditate, quas ex Magiſtratibus & imperando plurimas conficere ſe poſſe vident. Atque ita fit, vt pauci tandem, iique improbi imperare incipiant (quod Oligarchiæ eſt proprium) bonorum & proborum hominum, quod Ariſtocratiæ eſt loco. Ex Republica denique ſeu τιμοκρατίᾳ (quam Xenophon *libro quarto Memorabilium*, videtur mihi appellare πλουτοκρατίαν) tandem effici δημοκρατίαν, propterea, quod valde cognatæ ſint hæ duæ Reipublicæ formæ, valde ſint σύνοροι, affines ſeu finitimæ, quo verbo vtitur *& in Eudemiis libro ſeptimo, capite nono.* συνόμοροι, vt *in Eudemiis libro tertio, capite quinto.* Duo autem affert, in quibus hæ ſint finitimæ, nempe multitudinem & æqualitatem. In Democratia namque multi, hoc eſt, populus vniuerſus imperat, hoc eſt, eodem eſt iure ὁμοίως & in Timocratia multi quoque ſunt, nempe mediocribus diuitiis, iiſque paribus & æqualibus ſenſu pari. Cæterum accuratior de his mutationibus & deflexionibus, & aliis multifariis diſputatio eſt *in Politicorum libro tertio, capite quinto, libro quarto, capite ſecundo, & toto libro quinto.* Et hoc eſt, quod ait, μεταβάλλει μὲν, &c nam quas hic attulit, ſunt illæ quidem vſitatiores deflexiones & mutationes, vtpote faciles, quia finitimæ & σύνοροι: neque longe deflectentes, ſed ſunt & aliæ difficiliores, de quibus *in Politic.* vt ex Democratia ſeu Republica cum fit Tyrannis, quod Romæ accidit, à Cæſare Tyranno Republica extincta & occupata. Cicero enim hoc ſemper proſpiciebat *in libris ad Atticum.*

ὁμοιω-

Digitized by Google

ὁμοιώματα δ' αὐτῶν.] Altera huius capitis parte publica imperia domeſticis comparata diligentius explicat. Eſt autem egregius hic locus de poteſtatibus ſeu imperiis œconomicis & domeſticis, & de publicis quoque. Quis horum ſit modus & finis, rationi vel conſentaneus, vel diſſentaneus, videatur & *libro primo & capite octauo in Politic.* Societatem igitur parentum & liberorum, ſeu patriam poteſtatem, ſimilem ait eſſe regno. Confirmat duobus argumentis; Altero, quod, vt Rex ſuorum, ita & pater liberorum curam gerat, alterum eſt ab auctoritate Homeri, qui Ioue Regem patrẽ ſæpe vocet hominumque Deumque. Ex qua diſputatione hoc tenendum eſt, Regnum verum eſſe imperium quoddam paternum, non herile aut ſeruile: contra poteſtatem patriam eſſe regium quaſi imperium, nõ tyrannicum. Quare patres, qui liberis tanquam ſeruis vtuntur, non tam patres quam domini & Tyranni ſunt exiſtimandi. Talis Perſarum in ſuos liberos poteſtas fuit, teſte hoc loco Ariſtotele. Talis & Romanorum fuit plane Tyrannica & barbara, qui in liberos tanquam ſeruos ius necis vitæque haberent, teſte Paulo Iuriſconſulto *l. in ſuis. ff. de lib. & poſthu.* & late Dionyſio Halicarn. *lib. 2.*

τυραννικὴ δ' καὶ ἡ.] De regni imagine domeſtica, patria videlicet poteſtate iam eſt explicatum. Cœptum & de Tyrannidis imagine, nimirum patria poteſtate nimia, qualis in Perſis & Romanis fuit. Affertur autem & hoc loco altera, eaque perpetua tyrannidis imago, herilis poteſtas & communitas. Nam vt in tyrannide, non de parentium ſed de Tyranni agitur commodo & vtilitate: item in herili ſocietate, non ſerui & domini agitur, πράττεται, id eſt, verſatur. (ſic enim eleganter hoc verbum tam Græce quam Latine reperitur) vtilitas, quod proximo capite explicabitur latius. Duæ igitur Tyrannidis ſunt imagines, herilis vna, altera patria poteſtas nimia, quarum hæc quidem vitioſa & praua, illa eſt recta & rationi conſentanea. Nam rationi repugnat eodem in loco & iure liberos habere, quo ſeruos: conſentaneum vero rationi non tam ſeruorum, vt qui ſint quaſi organa quædam, quam dominorum rationem vtilitatis haberi: ſed de hoc latius *l. 1. Polit.* Et hoc eſt quod ait τῶν διαφερόντων γὰρ, hoc eſt, in diſpares, non idem & par, ſed diſpar debere eſſe imperium.

ἀνδρὸς δ' καὶ γυναικός.] Hic de Ariſtocratia & eius deflexione oligarchia, quarum imagines in ſocietate viri &

vxorįs reperiri ait. Nam poteſtatem ſeu ſocietatem vxoris & mariti rectam, plane eſſe Ariſtocraticam. Cur ita? quod vt in Ariſtocratia, ita & in matrimonio pro dignitate ſuo quiſque fungitur officio ſeu munere pro virtutis ratione Nam quæ viri ſunt propria, principatum in familia obtinere, & rem familiarem parare, curat maritus: quæ mulieris ſunt officia maritum obſeruare & colere, atq; familiæ maxime ancillis munia & pēſa diſpenſare, cibaria & his, & toti familiæ præbere, liberos deniq; educare. (Sed de his Ariſtot. *in libris Polit. & œconom. li. 1.* pulchrè Salomon de hac re.) Ea inquam omnia curanda vxori relinquit. Ex qua officiorum partitione ſeu deſcriptione ꝓ ſua cuiuſque virtute, Ariſtocratia quædam exſiſtit. Contra ſi vel maritus omnia ſibi arripiat, etiam muliebria officia, vt texere, nere, & fuſos ducere, vel vxor imperium ſibi arroget (Græci vocant γυναικοκρατίαν) quod factitare ſolent vel forma, vel diuitijs, vel opibus & nobilitate ſuperbæ (diuites has Græci vocant ἐπικλήρας puellas orbas ſeu prædiuites, quo verbo *libro ſecundo, Polit. & quarto* Ariſtotel. vtitur; vide & Gellium *de Epicleris.*] His inquam duabus rationibus exſiſtit Oligarchia in matrimonio. Nā vt in Oligarchijs, ita & hic imperat is, qui non virtute ſed diuitijs & opibus antecellit. Videatur & Ariſtoteles *libro primo, capite octauo, Polit.* vbi maritum vxori natura imperare, & ſi interdum contra, fieri παρὰ φύσιν, contra naturam, aſſerit: abhorruit igitur à recta ratione Gallorum veterum in vxores poteſtas vitæ & necis tanquam in ſeruos, inquit Cæſar *libro ſexto de Bello Gall.* Eſt enim Tyrannica, non Ariſtocratica, omnia ſibi vindicare, & in hac mariti & vxoris ſocietate eſt Oligarchica. Repugnat & contra rationi omnis γυναικοκρατία, quam ſcribit Ariſtoteles *libro ſecundo Polit. capite ſeptimo*, plærumque reperiri in bellicoſis nationibus, exceptis, inquit, Celtis, id eſt, Germanis & Gallis: quam eandem γυναικοκρατίαν Sybilla vates canit prænunciam fore Antichriſti, & excidij orbis terrarum.

τιμοκρατικῇ δὲ ἔοικεν.] Adhuc de duobus Reipublicæ generibus, Regno & Ariſtocratia, eorumque deflexionibus, Tyrannide & Oligarchia: hic de reliquo, nimirum de Republica ſeu τιμοκρατίᾳ, & eius deflexione δημοκρατίᾳ. Et illius quidem imaginem Domeſticam ait eſſe, fraternam coniunctionem ſeu ſocietatem, quod vt in Republ. item inter fratres omnia

ſint

ſint paria. Fratrum igitur ſocietas eſt τιμοκρατική, niſi ſi fratrum alter ætate longe ſuperet alterum. Nam hos inter non tam fraterna, quam paterna videbitur eſſe ſocietas & amicitia. Ex fratribus namque ſenior iuniori patris eſt loco. Democratiæ autem imaginem ait eſſe domum, quæ domino & rectore careat, vbi tantum ſibi iuris ſumat mas, puer vel adoleſcens, quam vir, ſeruus, quam liber: vbi inquam, omnia perturbantur munera, omnia dicuntur æqualia: etiam in iis domibus, in quibus qui præeſt, vix præeſſe videatur, quia vel imbecillior, vel auctoritate careat, &c.

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Καθ' ἑκάστην δὲ τῶν πολιτειῶν.] Expoſitis iam ſocietatum generibus, & in his maxime politicæ, vt ad quã cæteræ tanquam ad principem referantur: nunc redit ad amicitiam, cuius nimirum genera ea de ſocietatum & Rerump. generibus ſint interiecta, eaq; ad hanc accommodat. His igitur duobus capp. de ſocietatum amicitiis explicatur, publicarum quidem ſeu politicarum hoc cap. domeſticarum proximo, etſi & de domeſticis quædam hoc cap. permiſcet. Cuius prior pars de rectarum eſt Rerumpub. altera de vitioſarum amicitiis. Admiſcet & de iure harum ſocietatum, quod amicitię cum iure maxima ſit cognatio, vt ſupra dictum, & eatenus ſit amicitia, quatenus & ius in his generibus Rerumpublicarum.

βασιλεῖ μὲ πρὸς.] De amicitia regis aduerſus ſuos primum, de qua hæc duo affert: eam conſiſtere in excellentia, eſſe excellentiæ non æqualitatis amicitiam. Quemadmodũ & ius, quod inter hos eſt, non vnum idemq; ſeu Arithmeticum ſed Geometricum potius eſt, & pro dignitate. Vt igitur non idem ius eſt ciui aduerſus regem, quod huic aduerſus ciuem, ita & amicitia non eſt æqualis, ſeu non erit par. Nam regem obſeruabit & colet tanquam ſuperiorem & excellentem ciuis, non contra: honos namq; eſt præmium excellentiæ, & quod amplius, debetur virtute, imperio, aut qua re alia præſtantib. *infr. c. vlt. & l. 7. Eud. c. 10. fere in medio.* Excellẽs diuitiis largietur egeno, ſed hic contra eum obſeruabit. Altera huius amicitiæ eaq; veriſſima nota eſt, beneficentia. Hæc namq; huius amicitiæ eſt cauſa, eamq; tuetur & conſeruat, quod teſtimonio Homeri confirmat Ariſt.

Vu 5 Reges

Digitized by Google

Reges ſuorum curam gerere oportere, operamq; dare, vt hi ſint quam beatiſſimi, tanquam paſtores ouium: neque enim ſuam ſed ſuorum vtilitatem quærere debent, vt ſupra cap. prox. Cui amicitiæ conſimilis eſt & patria. Nam & hæc eſt excellentiæ, cui argumento eſt, quod & parentes à liberis obſeruari & coli conſueuerint: In altera tamen nota differunt: maior namq; eſt benificentia parentũ erga liberos, quam regũ erga ſuos. Reges namq; cuſtodiã & tutela duntaxat præſtare videntꝰ, parentes & ortus noſtri, & educationis & inſtitutionis ſunt auctores, h.e. & vt ſimus, & vt bene ſimus, quod vtrunq; certe eſt grauiſſimũ, etſi prius grauius, quo ſine alterum eſſe nequit, vt & *infr.* hæc tria iterat *c.12.* vbi propterea non iam regibus, ſed diis ipſis parentes comparat. Quod autem de patre, idem & de auo & aliis maioribus dici debet, quorũ omnium in ſuos nepotes & pronepotes eadem eſt & poteſtas & amicitia, idem ius. Attingitur & tertia huius amicitiæ nota, φύσει τε, τὸ ἀρχικὸν, &c. eam eſſe naturæ conſentaneam, qua de re initio *libri 1. Politicorum.*

ἡ ἀνδρὸς δὲ πρὸς γυναῖκα.] Hic de altera Reip. ſpecie, de Ariſtocratica, inquam, amicitia: cuius cauſam non iam beneficentiam, ſed virtutem eſſe ait, vbi præſtantiori amplius, & ſuum cuiq; tribuitur pro dignitate, & Geometrice, non Arithmetice. Qua in re hæc cum priore conſentit. Talis amicitia & inter coniuges eſt, ἡ αὐτὴ, inquit Ariſtoteles, id eſt, κατ' ἀξίαν, eatenus, inquam, eſt eadem hæc amicitia. Nam quod ad cauſam, hæc à priore differt, vt quæ ſit ex beneficentia, cum hæc ſit ex virtute, etiam inter coniuges, ſi ſint boni & probi, vt infra ait *capite 12. in fine.* Nam & alioqui inter improbos coniuges harmonia hæc & amicitia Ariſtocratica non conſeruatur, [quod hodie in Anglia, certe ibi dominantur mulieres, & olim Romæ.] Vt olim Lacedæmone, & ex Romuli inſtituto Romæ, teſtibus Ariſtotele *lib.2. Polit.* & Dionyſ. *lib.2.* ἀρχαιολογίας. Nam Romulus vxorem domus non minus voluit eſſe dominam quam maritum. Quod idem in rebus tamen duntaxat & bonis voluerunt olim ICti Caſſiani, refragantibus recte Sabinianis. [in iure ciuili duæ ſectæ.] *l.1. ff. rerum amot.* In Italia denique certe dominantur viri: In Germania quid, & in hac vrbe maxime notum.

ἡ δὲ τῶν ἀδελφῶν.] Tertia eſt hæc politica amicitia Timocratiæ ſeu Reip. accommodata: cuius hæc propria eſt nota, eam eſſe non vt priores duas, excellentiæ, ſed inter pares, propterea, quod

quod & in Rep. ciues pari ſint omnes iure, viciſſim parẽt & imperant in Rep. tertia parte. Huic autem amicitiæ ſimiles ſunt, q̃ à Græcis dicuntur ἀδελφικὴ & ἑταιρική. Nam & fratres inter ſe ſunt æquales, vt ſodales, eodem iure & ætate, eaq; re & inter hos eadẽ ſtudia, iidẽ plærunq; mores, q̃ cauſæ ſolent eſſe amicitiæ, eiuſq; veriſſimę & firmiſſimæ, eſſe conſueuerunt. Eadem eſt & iuris ratio, quæ amicitiæ tam in Timocratica, quam in Ariſtocratica, quam deniq; in regia ſocietate, ſeu politia.

ἐν ᾗ ταῖς παρεκβάσεσιν.} Adhuc de rectarum amicitiis Rerumpubl. hic de amicitiis deflexionum, quas ait eſſe valde tenues & exiguas, exemplo iuris, quod idem in his deflexionibus vel eſt nullum, vel perexiguum certe. Nam vbi nulla vel exigua eſt æqualitas, nullum quoque vel exiguum ius eſſe poteſt, quod omne cõſtat eſſe æquale, ſeu in æqualitate poſitum, ex *lib.5* nullum quoq; ius eſſe poteſt, inter quos nihil eſt commune: exiguum, inter quos pauca ſunt cõmunia. Quibus præmunitis docet Ariſt. in his deflexionibus in vna plus reperiri, vt iuris & communitatis, ita & amicitiæ, in altera minus. In ea igitur, quæ omnium eſt deterrima, nimirum in Tyrannide, hoc eſt, inter Tyrannum & ei parentes nulla, vel tenuiſſima eſt amicitia. Quid ita? quia nihil inter eos eſt commune, omnia ad ſe conuertit & rapit Tyrannus, nihil ſuis relinquens, vt qui non ſuorum, ſed ſuam duntaxat quærat & ſpectet vtilitatem. Hac, inquam, ratione, Tyranno aduerſus ſuos neque ius eſt vllum, neque amicitia. Formula:

Vbi nihil commune, nulla communitas: ibi neq; ius, neque amicitia: ambo namq; in ſocietate ſeu communitate cerni ſupra oſtendimus.

At Tyranno cum ſuis nihil eſt commune, vt qui omnia ad ſe rapiat.

Ergo nec ius, neq; amicitia eſſe poteſt.

Propoſitionem explanat ſeu dilucidat Ariſt. tribus ſimilibus: Nam neque inter opificem & organa, neque inter animam & corpus, neq; inter dominum & ſeruum ius eſſe vllum, aut amicitiã, propterea ꝙ nulla quoq; inter ea ſit cõmunitas. Quid ita? nam cõmunitas niſi inter duos vt minimum eſſe nequit. Atqui anima & corpus vnũ quiddã, opifex autem & organũ, ſeruus & dominus, ſunt illa quidem duo, ſed vnius tantum, inquit Ariſt. *in Eudem. libro ſeptimo, cap. 9.* vbi verbum οὐδὲν ſpurium mihi videtur & inducendũ, id eſt, ad vnius vtilitatẽ ſpectant & pertinent.

nent. Organa ad opificis, ſerui ad domini vtilitatem conſpirant. Quæ igitur horum trium, eadem & Tyranni aduerſus ſuos eſt ratio. At capiunt, inquiet aliquis, & ſentiunt illa quoque vtilitatem quãdam ſeruus à domino, corpus ab anima, organum ab opifice, dum expolitur. Corpus namq; quoq; curari oportet, & ſeruum bene haberi. Capiunt igitur vtilitatẽ quandam, & proinde cõmunitas quoq; hic adeſſe videtur. Quare & ius & amicitia. Reſpondet igitur ὠφελεῖται μὲν γὰρ, verũ quidẽ hoc eſſe, capere & ſentire vtilitatem quandam hæc ab iis, qui illis vtuntur, ſeruos à dominis: non tamẽ propterea amicitiã nobis eſſe cum inanimis, vt opifici cum organis, aut cum animantib. ſeu rationis expertibus, aut cum bobus aut equis, aut ẽt ratione præditis, vt cum ſeruis. De priorib. duobus, nempe inanimis & rationis expertibus, res eſt perſpicua: de ſeruis diſtinguendum: nam qua parte ſeu quatenus ſunt ſerui, neq; ius, neque amicitia cum iis eſt: qua parte vero ſeu quatenus homines, & ius & amicitia quædam cum iis eſſe poteſt, propterea, quod pactionum & rerum contrahẽdarum quædam poteſt eſſe cõmunitas cum ſeruis. Serui, quia homines, & ratione præditi, certe res & negotia contrahere agereq; poſſunt, organa & rationis expertia non item. Hic autem de ſeruis eorumq; iure locus eſt inſignis, & eodem quó hic ab Ariſt. modo & diſtinctione à ICtis explicatus. Sic enim Vlpianus *in l.30.ff.de diu.reg.iur.* *Quod attinet*, inquit, *ad ius ciuile, ſerui pro nullis habentur, non tamen iure naturali. Quia quod ad ius naturale pertinet, omnes homines ſunt æquales.* In rebus igitur ciuilibus ſeu ciuiliter, nullum eſt cum ſeruis ius ſeu amicitia. *Ciuiliter*, inquiunt ICti, *non obligatur ſeruus, ſed naturaliter, l.naturaliter. l.ſi id quod.ff.de cond.indeb. l.adoptiuus. §.ſeruiles.ff.de rit.nupt.* Quod autẽ ad coniunctionem illam attinet, ſeruos vtilitatem quandam à dominis capere, ad eam h.l. non reſpondet Ariſt. ſed *in Polit. lib.1. c. 8.* Nam id fieri non per ſe, ſed ex euentu. Curatur namq; ſeruus à domino non ſerui cauſa, ſed ſui: ægroti namq; ſerui nullus eſt vſus. Hinc illa omnis vtilitas, quã ſerui capiunt, ad nos refertur tandem: igitur vere nullam capiunt vtilitatem. Hodie non ſerui, in quos vitæ neciſq; ius habeamus, quos nos vocam⁹ Sclauos. Serui ex duabus gentibus Athenis, ex Getis & Dauis. Sic apud nos ex gente Sclauorum, cum qua perpetua bella fuerunt. Inſignis locus de ſeruis. Quatenus ſerui, nihil nobis commune cum illis, propterea quod pro nullis habentur: quando ſeruus

fit

ſit liber, tunc naſcitur. Seruitus eſt mors ciuilis: quatenus homines, eſt nobis communitas quędam cum illis, quoddam ius: quod ad ius naturale, omnes ſunt æquales. Introducta fuit ſeruitus propter peccata noſtra, eſtq; pœna omnis ſeruitus. Ratione qua homines, eſt quædam communitas, & proinde ius, & amicitia. Ergo ſi amicitia, non tractandi vt beluæ ſerui: eſt enim naturalis quædam coniunctio inter ſeruum & hominē, nempe quatenus intra humanitatem eſt. Inter Chriſtianū & Turcam, inter Catholicum & Euangelicum nulla ſocietas. Seruus non habet patrem, neq; matrem, neq; ſororem, neq; fratres. Quæro igitur, poteſtne ſeruus matrem vxorem ducere, ſi non habetur loco matris? Reſpond. Non: quamuis ciuiliter loquendo non eſt mater, tamen naturaliter eſt mater, & proinde non poteſt ducere vxorem. In matrimonialibus non tam quod ciuiliter, quam quod naturaliter ſit, ſpectatur. In repetitionibus debitorum non ciuile ſed naturale ius ſpectatur. Quæritur, an ſeruus liber factus poſſit repetere à domino quod ſoluerit adhuc ſeruus? Reſpond. Non: cum daret, fuit ſeruus. Inter ſeruum enim & dominum nulla obligatio.]

αἱ δ᾽ ἐν ταῖς δημοκρατίαις.] Adhuc de Tyrannide; nunc de Democratia, quæ altera eſt deflexio. Et in hac & ius & amicitiam plurimum reperiri ait, eo quod multa inter hos ſunt communia. In Democratia namq; omnia fere ſunt communia, nullus alteri pręfertur, ſummus infimo eſt æqualis. Duo igitur hęc ſunt extrema, Tyrannis & Democratia, quarū in illa, vt omniū deflexionum deterrima, quia nulla communitas, nullum quoque ius & amicitia: in hac, vt optima, quia magna eſt communio, magna quoq; & amicitia & ius intercedit, ſed vbi tertia deflexio ὀλιγαρχία, inquiet aliquis? Hanc prætermiſit Ariſt. quod inter illa duo interiecta tanquam inter duo extrema, iis cognitis facile & ipſa cognoſci poſſit, nimirum in ea plus eſſe iuris & amicitiæ, quam in Tyrannide, minus quam in Democratia, &c.

CAPVT XII.

COMMENTARII.

Ἐν κοινωνίᾳ μὲν ὧν.] Priore capite de Amicitia politica; hoc de domeſtica ſeu œconomica explicatur, cuius priore in parte de amicitia patria, & cæterorum propinquorum: Altera dē con-

coniugiali ſeu γαμικῇ, vt vocant, quæ tamen & ipſa prioris pars quædam non incommode dici poteſt. Ariſtoteles *in Eudem. lib. 7. cap. 10.* tria amicitiæ genera commemorat, συγγενικὴν ſeu propinquorum & affinium, ἑταιρικὴν, ſodalium, & κοινωνικὴν, quæ & politica ſociorum, ſeu quos inter quædam eſt ſocietas ſeu communitas. Ad hanc amicitiæ partitionẽ & hoc l. alludi mihi videt̃. Nam & hic eadẽ illa genera cõmemorantur, συγγενικὴ, ἑταιρικὴ, & κοινωνικὴ. Quid ergo, dicet aliquis, an non omnis amicitia eſt κοινωνικὴ, etiam propinquorũ & ſodalium: ſupra enim eſt explicatum, omnẽ amicitiã in ſocietate verſari? Reſpondendũ eſt, verſari quidẽ in ſocietate omnẽ amicitiam, ſed alteram altera magis, hoc eſt, alteram ex ſocietate totã pendere, alterius etiã alias eſſe cauſas. Nam vere κοινωνικῆς vt ſocietatis ipſius & communitatis cauſa eſt & conciliatrix ὁμολογία, pactio, conuentio, & conditio. Cognationis vero amicitia magis eſt ex ſanguine & neceſſitudine: ſodalium denique amicitia ex morum ſimilitudine & ſtudiorum æqualium naſci maxime videtur. Etſi igitur in omnibus eſt quædam ſocietas, quia tamen in politica phyletica ſeu tribuaria συμπλοϊκῇ mercatorum & nautarum ſociorum, publicanorum, & id genus aliis ſocietatibus politicæ, tanquam partibus, magis cernitur ſocietas, quam in ea, quæ eſt inter propinquos aut inter ſodales, in quibus partim neceſſitudo ſanguinis, partim morum ſimilitudo & ſtudiorum dominantur. Quare has duas à κοινωνικῇ recte quis ſeiunxerit, cum reliquæ illæ, quas modo attulimus, verius ſint κοινωνικαὶ. Sic enim hæc verba reddenda, κοινωνικαῖς ἐοίκασι μᾶλλον: perperam alii, κοινωνικοῖς magis ſunt ſimiles, de quo verbo & ſupra ἐοίκασι.

οἷον γὰρ καθ' ὁμολογίαν.] Ratio eſt, cur Politica tribulium, mercatorum, publicanorum, ſymbola ſodalium, commilitonum, cur, inquam, hæ magis ſint κοινωνικαὶ, quia pactione & conditione conglutinantur, quod communitatis ſeu ſocietatis eſt proprium.

εἰς ταύτας δὲ τάξειν.] Ait hoſpitalem quoq; amicitiam inter κοινωνικὰς referri poſſe. Nam & conſuerunt principes viri hoſpitii inter ſe iura & fœdera contrahere olim quidem quadam data teſſera, de hac dictum ſupra *cap. 3.* De qua & Plato apud Laertium, eam literis & commendationibus conciliari: de qua & copioſe Franciſc. Patric. *lib. 8. de Regno, tit. 13.* De hoſpitalitate autem Cicero *lib. 2. Offic.*

καὶ οἱ

Google

καὶ εἰ συγγενικοί.] Adhuc igitur κοινωνικὰς explicauit: hic cætera duo genera, maxime τὸ συγγενικὸν, leuiter τὸ ἑταιρικὸν explicatur. De συγγενικῇ igitur monet initio eam eſſe multiplicem. Nam tres eius ſere partes efficere videtur, patriam, fratrum ſeu ἀδελφικὴν, & cæterorum propinquorum ſeu agnatorum tertiam. Quomodo & Cicero *lib.1. Officiorum*: *Prima*, inquit, *ſocietas in ipſo coniugio eſt*, (de hac infra altera huius capitis parte) *proxima in liberis*, *vna domus* (ſic legendum puto, inducto verbo deinde) *communia omnia*. Sequuntur fratrum coniunctiones, tum ſobrinorum, qui cum vna domo capi non poſſunt, in alias domos migrant, tanquam in colonias.

ἠρτῆσθαι.] Hoc alterum de συγγενικῇ, eam licet multiplicem & multifariam, ex vna tamen patria, tanquam ex capite & fonte manare & pendere, id quod oſtendit deinceps accurate Ariſtoteles.

οἱ γονεῖς μὲν.] Primum de patria; huius cauſam in eo ſitam eſſe, quod parentum velut pars quædam ſint liberi: & proinde parentes diligant liberos tanquam ſua quodammodo membra & ſe ipſos, parentes contra diligant liberi, vt ex iis orti & profecti. Nam liberos parentum velut eſſe partes, & ſupra dictum eſt *lib.4.c.1.* vbi ex ICtis adduximus; patrem & filium eſſe quodammodo vnam eandemque perſonam, filium patris eſſe partem, *§.ei vero.in Inſtit.de inutil ſtipul.*

μᾶλλον δ᾽ ἴσασιν.] Tres affert differentias inter parentes & liberos quo ad amicitiam. Cur afferat, paulo infr. adiungit. Primum igitur parentes melius norunt hos vel illos ſuos eſſe liberos, quam liberi ſe eſſe ab his vel ab illis procreatos. Nam parentibus nota eſt procreatio, liberis vt qui tum nondum eſſent, non item. Inter ipſos autem parentes mater magis nouit, vt infra ait Ariſtoteles *libro 9. capite ſeptimo, in fin.* Quare & matrem certiorem eſſe aiunt Iuriſconſulti *in l. quia. ff. de in ius vocando*. Pater enim ſemper incertus, etiam in legitimis nemo poſſet iurare talem ſuum patrem, etiamſi legitimus & iuſtus filius. Inde vſitatum hoc apud nos, vt liberi, quando parentes procedunt in publicum, ſequantur patrem, & præcedant matrem.

καὶ μᾶλλον συνῳκείωται.] Altera differentia, parentes liberis magis eſſe cōiunctos, q̃ liberos parentib. Quod etſi mirū & pene paradoxō videt, cū eadē contrariorū ſit ratio, tamē ab Ariſt. ita explicatur. Vniuerſe igitur & generaliter ait, id à quo, coniunctius

iunctius eſſe orto quam contra, ortum ei quod procreauit, vt ſi quis dicat, pictorem tabulæ à ſe pictæ eſſe coniunctiorem, quam ipſi tabulam. Rationem adiungit, quia ortum proprium eius eſt à quo, non contra. Quid ita? quia ortum eſt eius, quod procreauit pars quædã, vt filius patris, quemadmodum dens, pili, vngues corporis, ex quo enaſcuntur, ſunt partes. Partẽ autem totius eſſe propriam, non contra totum partis perſpicuum eſt. Nam pars à toto vim ſuam omnem habet, & in eo continetur. Quare & liberi cum parentum ſint velut partes, & proinde eorum proprii, & in iis tanquam cõprehenſi, cum, inquã, liberi ratione originis in ipſis parentibus velut contineantur: ratione autem ſui plane à patre ſint ſeiuncti, merito parentes dicendi ſunt coniunctiores liberis, quam hi parentibus, cum à parentibus omnis proficiſcatur cognationis ſeu coniunctionis origo & nexus: cum inter partes & totum hæc ſit analogia, vt totum maiorem habeat neceſſitudinem cum parte, quam contra, niſi ſit totum, pars nihil eſt: ſecundo pars, quod pars, hoc habet à toto. Totum parte natura prius: natura, hoc eſt, perfectione & veritate: manus mortui non eſt amplius pars, pars humana totam ſuam vim & ſanguinem quaſi ex ipſo corpore hominis habet, & propterea maior affectio totius ad partem, quam partis ad totum. Hoc expreſſe cernitur in parentibus, matre præſertim, quam mirifice amare videmus liberos. Inde maior connexio parenti cum filio, quam filio cum patre. Magis eſt cognatum generans generato, quam generatum generanti.

καὶ τῷ πλήθει.] Tertia differentia in temporis longinquitate ſeu interuallo poſita. Nam longinquiorem eſſe parentum aduerſus liberos, quam horum aduerſus parentes charitatẽ, quod ex eo perſpici poteſt, quod parentes liberos ament ſtatim à primo ortu, quamprimum vt ſunt nati: liberi vero tum demum parentes ament, cum eos cognoſcere & ſapere cœperint.

ἐκ τούτων δὲ δῆλον.] Hic affertur vſus harũ differentiarũ. Nam ex iis efficitur, maiorem & vehementiorem eſſe & acriorem amorem parentum aduerſus liberos, quam contra, & maxime matrum, quod ea tria cum in vtroque parente, tum maxime in matre reperiantur. Nam & hæc magis nouit, & magis videtur coniuncta, quia ex eius vtero, atque ita eius magis videat eſſe pars; & diuturnius quoq; amare videtur, cum ſæpe abſint patres, dum procreantur liberi. Sunt & aliæ cauſæ, cur

matrum

matrum acriores ſint affectus & ϛοργαὶ, de quibus infra *cap. 7. lib. 9.*

τὰ γὰρ ἐξ αὐτῶν.] Ratio eſt, cur liberos amando videãtur parentes ſeipſos amare, quia liberi ſint, quaſi alteri ipſi, non plane ipſi & vni, ſed alteri, quia reuera ſeparati τῷ κεχωρίσθαι, vt amicus eſt alter ipſe ἕτερος αὐτός.

ἀδελφοὶ δὲ ἀλλήλους.] Adhuc de patria; nũc de fraterna amicitia, cujus nexum in communi parente poſitum eſſe ait. Amant fratres, inquit, inter ſe, quia ex eodem nati, & proinde inter ſe quoque idem fere videntur. Nam vt eleganter Ariſtoteles ταυτότης ad illa, id eſt, ad parentes eadem facit, vt & ipſi fratres ſint, inter ſe quaſi idem. Formula:

Quæ vni tertio ſunt eadem, ea & inter ſe ſunt eadem.
At fratres eidem tertio, nempe parentibus ſunt eadem, & quaſi eadem perſona, vt iam dictum.
Ergo & inter ſe quaſi idem plane eſſe videntur, ταυτότης quam habent cum parentibus, facit, vt & inter ſe habeant quandam ταυτότητα.

Sed quorſum hæc? nimirum vt cauſa amicitiæ fraternæ vnde pendeat, cognoſcatur, & ea ipſa quam ſit vehemens & neceſſaria.

διὸ φασὶ ταὐτὸν.] Huius autem ταυτότητος, coniunctionis, confirmationem adiungit Ariſtoteles petitam ex phraſibus vulgo vſitatis. Nam hinc eſt, quod vulgo dicunt, Eundem ſanguinem, Eandem ſtirpem eſſe fratrum. Sic Anchiſes apud Virg. *lib. 6* de poſteris ſuis Iulio Cæſare nimirum *Proijce*, inquit, *tela ſanguis meus.*

εἰσὶ δὴ τὸ αὐτό.] Sunt igitur fratres quoque inter ſe quodammodo vna eademque perſona, & ſi inter ſe ipſi diuerſi, id eſt, non tam ratione ſui ſunt vnum quiddam, quã parentum.

μέγα δὲ πρὸς φιλίαν.] Cauſam fraternæ amicitiæ principem iam attulit, originem ſeu ortum. Hic & alias adiungit cauſas adiuuantes, tres potiſſimum, Educationem eandem, Aetatem & mores, ad quos & inſtitutio & ſtudiorum ſimilitudo referri poſſunt. Nam diſpares mores diuerſa ſtudia ſequũtur, inquit Cic. *in Lælio.* Educationis quanta ſit vis, cum per ſe notum eſt: tũ ex amore collacteorum, quos vocant nutricum & pædagogorum, quos erga cœptus à prima ætate amor vix vnquã intermoritur, vt eſt *in Lælio*, perſpicuũ eſt. De ętate eadem ſeu pari, quam Græci eleganter ὁμηλικίαν vocant, con-

firmat Ariſtoteles prouerbio, *Æqualis æqualem amat*. de quo Eraſmus. Diximus & ſupra quædam de ætate *cap. 10. in fin.* Huius certe diſſimilitudine ſæpe fieri ſcribit Plutarchus, cuius præclarus extat Commentarius *de fraterna amicitia*, vt grauiſſimæ interdum exiſtant rixæ & diſſenſiones inter fratres, dum maior natu iuniori velut domin⁹ aut velut pater imperare conatur, qui Plutarchi iudicio rectius faceret, ſi vt ſodalis leniter iuniorem moneat, non obiurget vt patruus [patrem latini hominem acerbum] De morum ſimilitudine confirmat Ariſtoteles ab exemplo ſodalium, quos inter amicitiam copulari maxime dicat, morum & ſtudiorum ſimilitudine. *Qui moribus*, inquit, *ſunt ſimiles, fere ſodales effici ſolent.* Atqui ſodalium amicitiæ fraterna eſt gemina. Ergo vt inter ſodales, ita & inter fratres magna vis erit in morum & ſtudiorum ſimilitudine. Cæterum de ætate non ſolum eſt ea ad amicitiam conſtituendam ſpectanda. Qua de re videatur Cic. *in Lælio. omnino amicitia corroborat is iam &c.*

ἀνεψιοὶ δὲ καὶ οἱ.] Tertius eſt gradus amicitiæ συγγενικῆς propinquorum, præter fratres omnium. Horum autem amicitiæ cauſa eadem eſt quæ fratrum, nimirum origo. Nam quod ab iiſdem ſint orti aut prognati, inter ſe amare ſolent. Cicero *libro primo offic. Prima ſocietas in ipſo coniugio eſt, proxima in liberis, deinde vna domus, communia omnia. id autem eſt principium vrbis, & quaſi ſeminarium reip. Sequuntur fratrum coniunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinorumque: qui cum vna domo iam capi non poſſunt, in alias domos, tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui: qua propagatio & ſuboles, origo eſt rerump. Sanguinis enim coniunctio & beneuolentia deuincit homines caritate. magnum eſt enim eadem habere monumenta maiorum, eiſdem vti ſacris, ſepulcra habere communia.* Verum quia propinquorum varii ſunt gradus, alii aliis propinquiores, alii remotiores: hinc & amicitiæ inter hos varii gradus exiſtunt, vt alios inter maior ſit amicitia, quo propinquior neceſſitudo: contra minorem vbi remotior, quo vel propius, vel longius à ſanguinis autore ἀρχηγοῦ ſeu parente abſunt, eo vel ſunt amiciores, vel alieniores.

ἔτι δὲ ἡ μὲν πρὸς.] Quæ hoc loco inculcat Ariſtoteles, ea ſupra iam explicauimus *capitul. ſeptimo, & 12.* Amicitiam libero-

liberorum aduerſus parentes, & hominum aduerſus Deum eſſe ex beneficentia, & tanquam aduerſus eos, qui excellentiores ſint, ob ſumma beneficia in liberos & homines collata.

ἔχει δὲ τὸ ἡδύ.] Hoc non ad parentum & liberorum duntaxat, ſed ad omnem συγγενικὴν amicitiam pertinere videtur, in hac nimirum & vtilitates magnas & voluptates eſſe maiores multo, quam in amicitiis alienorum. Quid ita? propterea quod maior inter illos, quam inter hos ſit conſuetudo, victus vitaque ſit communior. Nam certe inter propinquos maior ſolet eſſe conſuetudo, quam inter alienos. Ex conſuetudine autem & conuictu vtilitates & voluptates capi ſupra explicauimus [homines acerbi & moroſæ naturæ ad amicitiam non apti.] Hæc autem pertinent ad diſputationem de trib. illis amicitiæ proprietatibus, virtute, vtilitate & voluptate. Quæ etſi etiã inter alienos reperiuntur, tamẽ cæteris, vt loquimur, paribus, magis inter propinquos efflorefcũt. [Sint viri boni, inter eos hæc reperiuntur: ſi ſanguinis vinculum & nexus accedat, aliquid accedit.]

ἔστι δὲ ἐν τῇ ἀδελφικῇ.] Hic rurſus de fraterna amicitia, Eam plane geminam eſſe amicitiæ ſodalium. Et quæ in hac eadem & in illa reperiri omnia nimirum vtilitatem, voluptatem, conuictum, diuturnitatem, maxime ſi fratres ſint viri boni & tres illæ, educationis, ætatis & inſtitutionis morumque ſimilitudines accedant. Quibus efficitur, vt hæc amicitia diuturno conuictu, & tempore tanquam igne ſpectata, ſit conſtantiſſima & ſtabiliſſima, qua de re ſupra *capitul. tertio in fine.*

Similis eſt igitur fraterna amicitia ei, quæ inter ſodales, id eſt, veræ, de qua ſupra: imo, quia fratres, etiam ſodales eſſe poſſunt, atque ita duo concurrere: exiſtimo fratrum amicitiam ἑταιρικῇ etiam antecellere, & officiis & conſtantia. Quod ad reliquos propinquos attinet, inter hos pro graduum diſſimilitudine, aut propius aut longius diſcedet à vera amicitia: proportione quadã amicitiæ propinquorum, altera altera erit verior & ſtabilior, & ἑταιρικῇ ac fraternæ cognatior.

ἀνδρὶ τε καὶ γυναικί.] Adhuc de συγγενικῇ, vbi & quædam de ἑταιρικῇ. Hic de coniugali amicitia, quæ & ipſa ſyngenicæ pars quædam eſſe videatur. De qua hoc

 primum

primum, eam eſſe ſecundum naturam, non quod & cæteræ quoque amicitiæ non ſint ſecundum naturam; ſed quod hæc præter cæteras maxime videatur naturalis. Certæ amicitiæ mihi videntur partim dici poſſe ciuiles, partim naturales, ſub ciuilibus complectamur κοινωνικάς, ſub naturalibus reliquas συγγενικὴν & ἑταιρικήν. Nam & Cic. *in Lælio*, naturam amicitiæ *hetarica* [in toto tractatu Ciceronis tantum hetærica tractatur amicitia] quam in eo commentario ſolam explicat parentem eſſe ait, [cauſam huius amicitiæ eſſe naturam: natura rapimur ad amandum virum bonum] Itaque quod hic monet Ariſtoteles, charitatem inter coniuges eſſe ſecundum naturam ad κοινωνικὰς & politicas amicitias ſpectare videtur, quæ non tam ex naturæ nexu, quam humanis pactionibus conglutinatur [aliquid fieri naturę quodam inſtinctu; & aliquid fieri pacto ſemper opponũtur ſibi] Quod & ipſe Ariſtoteles ſubindicat his verbis, ἄνθρωπος γὰρ τῇ φύσει. Et ſi reuera & politica amicitia etiam ſecundum naturam eſt. Cur autem hæc inter coniuges amicitia ſit ſecundum naturam, hæc affertur ratio, quod homo ad vxoriam coniunctionem ſit propenſior, quam ad ciuilem. Formula:

Si natura eſt, quod homo ſit amans politicæ ſocietatis, idem autem ad coniugialem eſt propenſior, quam ad ciuilem.

Ergo & coniugalis magis eſt ſecundum naturam.

Verum primum.

Ergo & ſecundum.

Antecedentis pars prior, hominem natura ad ciuilem ſocietatem eſſe propenſum, & ſupra dictum eſt, *lib. 1. cap. 7.* & explicatur latius *li. 1. Polit.* Altera pars, homines propenſiores eſſe ad coniugialem, quam ad ciuilem ſocietatem, confirmatur duabus rationibus. Prior eſt, quia domus ſeu familia ciuitate, ſeu republica & prior eſt, & magis neceſſaria. Prior quidem, (ortu non natura) quia pars, qua de re latius *lib. 1. cap. 7. oeconomikῶν in fin. & lib. 1. Politikῶν cap. 2.* magis neceſſaria quia abſq; procreatione, qui vnus eſt finis coniunctionis vxoriæ, ciuitas eſſe nequeat *li. 1. oeconomikῶν c. 3.* Prior igitur & magis neceſſaria eſt coniugum ſocietas quam ciuium. Ergo magis naturalis. Ratio connexi, quæ enim priora & magis neceſſaria, eadem fere & magis ſunt naturalia ſeu ex natura. Nam & natura eſt antiquior, & ea fere quæ maxime

ſit ne-

ſit neceſſaria, continet; hominum inuenta, & recentiora fere ſunt, & minus neceſſaria, & ἐκ περιουσίας, vt vocant græci. Altera ratio, quia & beluis hæc coniugum coniunctio eſt communis. Ergo magis naturalis, qua ratione & Iuris Conſulti vtuntur hac ipſa in re, quo loco docent, coniunctionem hanc eſſe Iuris naturalis, ſub *Tit. de iuſtitia & iure.* conſtat igitur coniunctionem hanc inter coniuges maxime eſſe ſecundum naturam. Nam ſi politica eſt, vt eſt, multo magis erit vxoria coniugialis, vxorium intelligitur etiam maritale. Regium tribuitur etiam vxori, ſic vxorium etiam marito.

Τοῖς μὲν ἄλλοις.] Quod modo dictū coniunctionem hanc & cum beluis eſſe communem, hic diſtinctione adhibita explicat. Nam communem quidem cum hominibus eſſe & beluis ſed non ad eundem modum, neq; ad eundem finem. Nam in beluis eam procreationis duntaxat cauſam eſſe: in hominibus vero & huius, & vitæ totius, conuictus qui cauſa, atque mutuorum officiorum ad vitam recte peragendam. Nam & marito & vxori ſua conſtat diſtincta eſſe munera, & virtutes, & officia, quæ in commune conferunt vitæ cauſa. Beluæ vt ſint, homines vt bene ſint, conueniunt, inquit eleganter Ariſtoteles *in oeconom. lib. 1. cap. 3.*

Διὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸ.] Hoc alterum de amicitia coniugum, in ea & vtilitatem & iucunditatem in eſſe, atque adeo harum rerum cauſa videri coire, ex iis, quæ modo ſunt allata de conferendis in commune ſuis cuiusuis vtilitatibus & officiis, & de conuictu, qui abſq; voluptate eſſe nequit, virtute tamen & hanc conglutinari adiungit Ariſtoteles (notum eſt has eſſe tres amicitiæ cauſas, virtutem, vtilitatem & iucunditatem) inter probos, præſertim cum ſua cuiusuis ſit virtus, quod ſupra explicauimus *cap. 11.*

σύνδεσμος δὲ τὰ.] Hoc tertium de hac amicitia nimirum de eius ſtabilitate & firmitate. Nā præter cætera ſtabilitatis adiumēta, de quib. ſupra *c. 3. in fi* & alibi huic præcipuā eſſe ſtabilitatis cauſā, liberos. Nā hos eſſe ſuauiſſimū hui⁹ amicitæ vinculum. His aūt amicitiā hāc firmiorē effici, docet Ariſt. duob. argumentis. Prius eſt, quia q̄ carent libris, inter eos diſſidia & diuortia fieri cernantur. Alterum eſt, quia liberi, commune eſt vtrique coniugi bonum, vtrique chari. Atqui omne commūne bonum continet, & arctius vincit ſocietates. De quo axiomate latius Ariſtoteles *lib. 2. Polit. cap. 1. & 2.* contra

 Plato-

Platonem ſocietates contineri communi bono. Quando iuuat alter alterum, manent ſocietates; vbi quiſq; ſuum commodum quærit, omnia diſtrahuntur. Plato hoc principio nixus, omnia voluit eſſe communia.

τὸ δὲ πῶς συμβιωτέον] Hæc clauſula eſt de officiis, quæ quibus amicis tribuenda ſint, hoc aũt inde cognoſci poſſe, quod ius alteri ſit aduerſus alterum, quod vtrumq; cognitu eſt difficilimum, ſed de hac quæſtione infra: ad quam quæſtionẽ & hæ pertinent magis huius loci propriæ. An filius patrem magis amare debeat, quam matrem: An parentes filium magis, quã filiam: An in diſcrimine conſtitutis vxore & filio, & rurſus vxore & parente, huic potius quã illi ſit opitulandum? An omnes deniq; fratres eodem amore complecti debeamus? Ad has quęſtiones reſponderi breuiter ita poteſt, patrẽ magis eſſe diligendum quam matrem, tũ quia pater huius amicitiæ generis eſt autor & caput, tum quia amor maternus, etſi eſt vehementior, paternus tamẽ eſt verior & iuſtior, vtpote conſideratior, & conſilio ac maiore cũ prudentia. Quare & dignior, cui par vel maior amor reddatur. Rurſus quã quæſtionẽ prætermiſimus ſupra, pater magis eſt diligendus quam filius, q̃a filii ſumus creditores, patris debitores id eſt, parentibus debemus, illis nõ itẽ, ideſt, filii nobis. Filius aũt & filia pari amore complectendi videntur, quia eadem in vtrumque amoris eſt cauſa, procreatio. Nam familia quæ per filios non per filias propagatur, nõ tanti eſſe debet, vt ius naturæ euertat. Fratres autem pares, pari amore, impares impari ſunt proſequendi, vt fratri etiam ſodali plus tribuendũ, quam fratri nõ ſodali. Ex tribus duo docti inter ſe magis amabunt, quam tertium indoctum. Ratio huius quæſtionis eſt, quia ſimilitudo parens eſt amicitiæ. Sed quid ſi, inquiet aliquis, ex tribus duo ſunt indocti, tertius doctus, an indocti inter ſe magis amabunt, alterque alteri plus tribuet quam tertio docto? minime. Nam cui plus debetur, plus quoque tribuendum eſt, atque ita ſimilitudinem vincit dignitas, & quæ in Rempubl. manare poſſit vtilitas. Comparatio autem coniugum cum parentibus aut liberis eſt difficilior, ex Ariſtotelis tamen ſententia dicendum videtur, plus tribuendum liberis & parentibus, quam coniugi: liberis quidem, quia coniunctioribus, vtpote noſtri velut partibus: parentibus vero, quia plus meritis. Sic *lib 3. offic.* Cic. ſimiles quæſtiones habet. In periculo vxor ne an pater iuuandus

dus, quæſtio eſt: plus patri debemus. Is enim autor vitæ noſtræ. Theologi reſpondebunt contraria. Hęc ſunt ex philoſophica ſententia diſſoluta. Nã philoſophi non videntur olim vidiſſe aut cognouiſſe coniunctionem illam ſummam viri & vxoris, vt quodammodo ſint vna caro. Sic & IurisConſul. veteres philoſophice diſſoluerunt. Ideo Theologi alios gradus conſtituunt in iure canonico, quam in iure ciuili reperiunt, &c.

CAPVT XIII.

COMMENTARII.

Τριττῶν δὴ οὐσῶν φιλιῶν.] Hoc capite & proximis quinque (quare miror hanc diſputationem libri ſectione eſſe diſtractam) explicatur de querelis & accuſationibus amicorum, vbi de interitu amicitiæ, & quod grauiſſimum eſt caput, de officiorum gradibus & finibus. Quibus de rebus videatur Ariſtoteles *in Eudem. libro 7. capit. 10 & 13 valde mendoſo, & in Magn. libro 2. cap. vlt.* item mendoſo. De accuſationibus dictum & ſupra *ca. 4.* De officiorum gradibus item ſupra aliquoties dictum, vt & de interitu & conſeruatione ſeu ſtabilitate amicitiarũ. De quo interitu videatur & Cicero *in Lælio. Eſt etiam quædam calamitas &c.* Hoc autem capite de amicitiæ eius quæ inter pares, proximo de eius, quæ inter impares, accuſationibus explicatur. De officiorum gradibus locus pulcherrimus *in offic. lib. 1. ſed ſi contentio quædam, &c.*

γίγνονται δὲ τὰ ἐγκλήματα.] Adfert hoc primum, in quo amicitiæ genere (nam tria eſſe conſtat) maxime reperiantur accuſationes & querelæ. Ait igitur, in ea quæ ex vtilitate, vel ſola, vel maxime, reperiri. Et de ea quidem, quæ ex virtute cur non reperiantur, prius docet, atque etiam de ea, quæ ex voluptate, quam cauſam exponat, cur in vtilitatis amicitia criminationes maxime reperiantur. Quæ diſputatio omnis hoc vno nititur axiomate; Accuſationes non exiſtere vbi omnia quæ cupias, ſuppetant, nihil amplius deſideres, vbi eo quod quæris potiaris. Itaque inter bonos quia quiſq; quod cupit aſſequitur, mirum non eſt inter hos nullas querelas aut rixas oriri. Aſſumptionem confirmat Ariſtoteles eo quod ex virtute amicorum hoc ſit proprium, certare vtrinque officiis, neque tam fructum ab amico expectare, quam de ipſo bene

mereri. Hoc enim & virtutis & amicitiæ eſt proprium, alteri & amico benefacere. Hi igitur alter alterum beneficiis afficit, & alter alteri reddit non ſolicitus tantundemne accipiat, nec ne: cum, vt dixi, non in fructu, ſed in ipſo virtutis & honeſti amore conſiſtat hæc amicitia. Eadem & voluptatis eſt ratio. Nam & qui ex hac ſunt amici, eadem vtrinque potiuntur: quod ſi non, certe ipſe ſibi potius attribuat, cur amplius cum eo agat, à quo voluptatem nullam capiat, quæ in conuictu & conſuetudine in hoc amicitiæ genere cernitur. Hinc voluptas capitur ex conſuetudine, quandiu delectantur conſuetudine, alter alterum non reprehendit. Ridiculum namque ſit, eum reprehendere, à quo poſſis cum velis diſcedere. Quod in amicitia ex vtilitate non ita licet, vt & ipſe Ariſtoteles *in Eudem.* Sic dedi tibi centum coronatos, ſperans aliquid aliud: ſi non reddes, poſſum te tanquam ingratum accuſare: in voluptate tamen vtrinque aliud præſtatur, cum adeſt conſuetudo. In his igitur duobus amicitiæ generibus raræ admodum ſunt accuſationes, etſi in ea, quæ ex virtute, hoc eſt, in veriſſima, obiurgationes & monita ſunt frequentiſſima, inquit Cicero. *in offic. libro 1. & in Lælio*, vbi de adulatione. In ea autem, quæ ex vtilitate, cur ſæpius occurrat accuſationes, eandem illam affert cauſam, quia vtrinque querantur, ſe non aſſequi quæ velint. Nam qui vtilitatem quærunt, accipientes quidem beneficia ab aliis, ſemper & amplius quærunt, & minus quam dignos ſe arbitrentur habere ſe conqueruntur: dantes vero contra pares ſe eſſe negant: reddere omnia, quæ alter nimia poſtulat, atque hinc querelæ, rixæ, altero plus petente, altero negante.

ἔοικε δὲ καθάπερ] Quod modo dictum Amicitiam ex vtilitate, querelis & accuſationib. maxime eſſe obnoxiam, diſtinctius hoc loco & accuratius explicatur. Neq; enim etiã hanc omnem peræque accuſationibus eſſe obnoxiam, in alia plus, in alia minus eſſe accuſationum. Amicitiam igitur hanc facit bipartitam, Morum vnam, alterã legum. Quam diuiſionem non abſimilem eſſe ait ei, qua ius tribuitur in id quod lege ſeu ſcriptum, & in non ſcriptum. Cuius pars aliqua eſt æquum bonũ, quod huc maxime pertinet. De qua re ſupra *li. 5. cap. 7. & 10. & lib. 1. Rhet.* Nam vt in iure quod lege, omnia ſunt certa & definita, vt ſcripto comprehenſa, in æquitate incerta omnia & infinita: ita & in amicitia ex vtilitate officia

alias

Digitized by Google

alias ſunt certiora, alias contra, & has quidem partes deinceps explicat. Nam cum aliquid indulgetur contra ſcriptam legem, eſt quædam æquitas.

γίγνεται ἐν τῷ ἐγκλήματι.] De hac clauſula paullo infra.

ἔστι δὲ ἡ νομική.] Hic igitur de altera parte, quam vocat *νομικὴν*, exemplo iuris, latine reddunt legitimam. Budæus *in commentariis* legalem [eſt barbarum *legalis*] rectius fortaſſe *lege* [ius legitimum non dicitur, ſed ius lege. Sic Cic. *in lib. 1. ad Herennium, legitima enim non dicuntur iura*] Eandē & *Politicam* vocat *in Eudem.* propter officia ſeu dona, vtrinque ſumme paria. Cuius generis æqualitatem politicæ eſſe propriam, notum eſt ex cap. 5. ſupra. De hac igitur primum, Eam contrahi certis legibus & conditionibus, & eſſe de re certa, quo ad æſtimationem ſeu pretium: id namque valet particula *ἐπὶ ῥητοῖς*, qua Græci in rebus contrahendis & conuentionibus certis ac definitis vti ſolent. Quare & mox hanc fieri ait *καθ' ὁμολογίαν*, vt & *in Eudem.* quia pacto inter huius generis amicos definiatur, quid alter alteri pro accepto beneficio reddere debeat, quemadmodum fere inter emptorē & venditorem inquit *in Eudem.* verbi gratia donat alter equum ea conditione, vt mox par earum accipiat Anglic[illegible], atque ita hæc illa eſt amicitia, in qua omnia ad calculos, vt ait Cic. *in Lælio* reuocantur, & par pro pari exquiſitiſſime redditur. Hæc autem & ipſa duplex eſt, altera ſtrictior, altera paullo laxior, vtraque tamen pacto & certe ſtrictior eſt ea, in qua nullo interpoſito tempore aut mora, continuo reddatur beneficium tanquam de manu in manum, inquit eleganter & hic & *in Eudem.* Ariſtoteles prorſus ſordida & mercenaria ſeu *ἀγοραία.* Altera eſt liberalior, vt quæ amico ad ſatisfaciendum moram ſeu interuallum aliquod largiatur, in qua quidem & ipſa certum eſt & definitum quid debeatur, quid & quantum reddi debeat, morā tamen habet amici propriam. Cuius generis negotia ſeu beneficia, quia ex quadam indulgentia & fide, (neque enim ſtatim reddi hic nobis poſtulamus, ſed cū amico erit commodū) pendent. Hinc fieri ait Ariſtoteles, vt ſi poſtea fortaſſe non reddat alter, tamen cogi nequeat, propterea quod nulla harum rerum apud quoſdam ſint iudicia, ius non dicatur ad repetendum, ſed omnia fidei permittātur, quod inter bonos, vt dicitur bene agier oporteat,

cuius generis ſunt cõtractus illi, quos I.C. bonę fidei vocant, de quibus & Cic. *li. 3. offi. Quintus quidẽ Scæuola &c. & li. 3. de de Natura Deorum*: quod idem quorundam (quos intelligat, nondũ reperi) & infra *li. 9. c. 1 & in Eudem. li. 7. c. 10.* commemorat. Ex quibus locis, ꝙ mirum eſt, hoc perſpicue cernitur, apud eos omnium contractuum voluntariorum, emptionis, mutui, depoſiti, locationis &c. nulla fuiſſe iudicia, ſola in fide contrahentium conſtitiſſe. Ad eundem igitur modũ & amicitia hæc liberalior fide niti videtur: demum diſputatio de contractibus bonæ fidei I.C. hoc inſtituto aliquo modo declaratur. Emo equum 100. coronat. non ſtatim ſatisfacio, ſed poſt aliquot dies, incidit quiddã, vt tibi non ſatis faciã, equus vitii aliquid habet, quamuis hoc non expreſſum, leges tamen dicunt, ſi quid tale incidat, diminuendũ de pretio. In contractibus enim bonæ fidei ex æquitate & largitate agendum, ſi quis locauerit agrum vel vineam, & vindemia non bona propter tempeſtates cœli, conductor an cogatur ſoluere, quæſtio eſt ſi pactũm & promiſſionem ſpectes, cogitur ſoluere: ſed propter huiuſmodi accidentia diminuunt I.C. aliquid de pretio: hoc fit in contractibus, quos vocant bonæ fidei.

ἡ δὲ ἠθικὴ &c.] Altera amicitiæ ex vtilitate ſpecies, quã *hic & in E*[illegible]vocat *ἠθικήν*, & infra *li. 9. c. 1. τὴν ἠθῶν*. latine moralis ſeu morũ dici poteſt, quã & *in Eudem.* vocat *ἑταιρικὴν* ſeu ſodalium, hic explicatur verum hoc ſciendũ hoc nomine dici non tantũ hanc ex vtilitate ſpeciem, ſed eam quoq; quæ eſt ex virtute, atq; adeo hanc ex virtute verius & magis proprie ita dici, alteram ſimilitudine potius quadam, qua vt in vera, ita & in hac ex vtilitate nihil fit definiti aut certi, & videatur hæc quoque vt vera propter virtutem eſſe, cum reuera non ſit, vera igitur amicitia vere eſt moralis, altera ſimulata, vt eſt apud Ariſtotelem *lib. 7. Eudem. cap. 10.* & infra *lib. 9. cap. 3.* Moralis igitur hæc amicitia, non vt prior certis conditionibus & legibus aſtringitur, ſed ſolutior eſt, & laxior, atque adeo veræ amicitiæ imitatrix. Nam vt amico beneficium hic dari ſolet, nimirum vnde nihil viciſſim emolumenti ſperatur, quod inter amicos fieri ſolet. Hoc igitur vultu & fronte datur beneficium, animo tamen alio nimirum vt tantundem, vel plus etiam & cum cumulo, quod iubet Heſiodus, vt eſt apud Cic. *li 1. offi & in Lælio*, recipiat; quaſi non tam donarit quam commodarit vel mutuo dederit adeo quidem, vt niſi ſi tantum recipiat

cipiat, alterum vt ingratum, grauiter accuſet. Huius autem ſimulationis (quæ à vera amicitia longiſſime abhorret, in qua nihil fictum, nihil ſimulatum eſſe debet, inquit Cic. In Lælio) cauſam eſſe ait Ariſtoteles, quod plærique mortales honeſtum quidem ſpecie tenus & περὶ ὁσίας, vt ait Ariſtot. *in Eudem* ἐκ ἀναγκαίως, & neceſſario & dicis cauſa, [Sic Iuris conſulti] vtile verò reuera perſequantur, atq; ita benefici quidem videri volunt, & benefacere; ſed reuera bene affici malunt, quia illud quidem ſit honeſtius, hoc vtilius. De quo honeſti & vtilis conflictu Cic. *lib. 3. offic. maxime reperitur in Rebuſpub. vbi plærumque vtilitas prefertur.* Et hoc eſt quod & Cicero ait *in Lælio: virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe quam videri volunt.* Ex his perſpicuum eſt in vtroq; amicitię ex vtilitate genere querelas & accuſationes reperiri, vbi acceptorum, & datorũ non par fuerit ratio: ſæpius tamen in morali, quã in ea quæ lege, propterea q̃ in hac omnia ſint certa & definita, in illa nõ itẽ. Atqui rebus omnibus certis, vbi ſcitur, vtrinq; q̃d ſit datum, & quid ſit reddendũ, atq; vbi certis pactis id actum fuerit, vix quidem querelæ hic exoriri poterunt. At in morali alter ſæpe accipit tanquã ab amico, nihilque red diturum ſe exiſtimat; alter vero tantundem [ſeu ſæpius] vel amplius expectat, facile vt rixæ & querelæ exoriantur, neceſſe eſt, inquit Ariſtoteles *in Eudem.*

δυναμένῳ δὴ ἀνταποδοτέον] Explicat hic quemadmodũ reddendũ ſit, & in eo ſe quis gerere debeat. locus eſt perobſcurus. Reddendum igitur ait, & primũ quidẽ pro dignitate accepti, id eſt, tantum quantũ acceperis, quaſi pacto & certa lege, non tanquã amicus beneficium acceperis καθάπερ ἐπὶ ῥητοῖς, quin etiam non reddendũ tantũ, ſed verbis quoq; id declarandum te gratũ & memorẽ futurum, magis tibi eũ conciliandi gratia, καὶ ὁμολογῆσαι &c. Tantundem igitur reddendũ ſiquidem poſſis, ſi locuples & copioſus ſis, ſin minus, vt pro facultatib. tamẽ, κατὰ δύναμιν, inq̃t infra capite proximo in fine. Nã vt ne dii quidem ipſi aut parentes, quibus tamen plurimum debeamus, hactenus ſunt contenti, vt ea illis præſtemus pietatis officia, quæ poſſumus, nõ quæ debemus aut volumus, inquit eo loco Ariſtot. ita & amicus iſte amplius à nobis vix eſt poſtulaturus. Hoc primũ. deinde reddendũ ſpõte ſua & vltro nõ flagitatus aut inuitus. Nã alioqui ſibi quis amicũ parare velle videatur inuitum, quod eſt perabſurdum: in amicitia namq;

omnia omnino

omnia debent eſſe voluntaria. Difficile eſt, inquit Xenophon *li. 2. memorabil.* Socratis amicum habere inuitum & reluctantem. Formula: ſi reddatur ſponte, efficeretur vt amicum ſibi quis velit inuitum aliquem. Ratio connexi, quod is qui accepit, ſi flagitetur ab altero vt reddat, idq; facere recuſet, quia vt ab amico accepiſſe ſe dicat, alter vero ſe neget amici animo dediſſe: hic certe ſi accipiens perſeueret, & datori perſuadere velit ipſum ſibi amicum dediſſe etiam repugnanti & neganti, efficeretur, vt illum ſibi velit amicum reluctantem & inuitum. Et ſic accipiendum puto verſiculum ἀκοντα γὰρ φίλον. Atque ita hic qui accepit tanquam deceptus ab altero, amici vultum tamen reddere debet cuius ſimulationis cauſa monet poſtea Ariſtoteles videndũ diligenter initio, quid, à quo, & quamobrem accipiat, vt ſecum perpendat, an accipere, an vero recuſare debeat, ne poſtea rixæ & cõtentiones ſuboriantur. Hanc igitur cautionem præſcribit Ariſtoteles accipienti, his verbis, ἐν ἀρχῇ ἐπισκεπτέον, dantis autem duplicem hunc animum & ſimulatum grauiſſime infra reprehendit *c. 3. lib. 9.* Ad hunc igitur modum reddendum eſt, quod acceperis in morali hac amicitia. Nam de hac tantum hic agitur. Quod præceptum Ariſtotelis ſi teneatur, non facile locus erit accuſationibus. Verum dicet aliquis, ſi tantundem eſt reddendum eademque ratio debet eſſe accepti & dati, interdum fit, vt quę ſint accepta, danti quidem habeantur vt magna, accipienti vt exigua. Quæri igitur poteſt, vtrius hic iudicio ſit ſtãdum, accipientis an datis: accipientis inquã vtilitate, an dantis beneficentia, æſtimatio ſit facienda? De qua quæſtione Ariſtoteles breuiter hoc loco, accuratius infra *lib. 9. cap. 1.* cui quæſtioni gemina eſt ea, teſte & ipſo Ariſt *in Eudem* de re nummaria, de numis vtrius temporis æſtimatio ſit ſpectanda: contractus an ſolutionis, de qua Iuris Conſulti recentiores. Hinc ſemel in toto orbe Romano, in ſumma inopia cõtra Annibalem in ſecundo bello Punico mutatio fuit numaria. In his Carolus Molineus *in lib. de vſuris extremo.* De hac igitur quæſtione breuiter adhibita diſtinctione ita Ariſtoteles; vel enim ex vtilitate eſt amicitia, vel ex virtute. Nam in hac dantem: in illa ſpectari accipientem. Differentiæ ratio hæc adiungitur. In ea quidem, quæ ex vtilitate his verbis ὅπως γὰρ ὁ δεόμενος, quia accipiens is eſt, qui petit & opus habet, & cuius inopiæ ſubleuandæ ſe accommodat alter, ab eoq; tantundem, quantũ illi præſti-

præſtiterit, expectat. Omnia igitur quia ad accipientem accommodantur, merito & huius vtilitate metiendum eſt beneficium. In ea autem, quæ ex virtute, contra accidit, propterea quod, vt inquit Ariſtoteles, τῆς ἀρετῆς γὰρ & virtutis & morum (nam de amicitia virtutis agitur) vis omnis & momentum ſit poſitũ in προαιρέσει & animo ſeu volũtate, vt ſupra explicatum *lib. 2. 3 & 5.* Proæreſis igitur & animus dantis, menſura erit & norma beneficii, ad quam datorum ratio exigi debeat. Formula.

Quod optimum in ſuo quodque genere, id norma eſt & menſura, vt ſupra lib. 3. cap. 4.

At proæreſis in virtute, & proinde in amicitia quoq; ex virtute eſt τὸ κύριον, ſummamque vim habet.

Ergo & norma eſſe debet.

In hac igitur ex virtute amicitia, cum nullæ ſunt accuſationes & querelæ, quod & ſupra *cap. 4.* & hic iteratur, tota eſt ἀνέγκλητος & ἀδιάκλητος, inquit eleganter Ariſt. tũ beneficii ratio expenditur, non accipientis vtilitate, ſed voluntate dantis; [temporibus quidẽ augetur & minuitur beneficiũ & officium] Et hæc quidem de amicitia ex vtilitate, & ea, quæ ex virtute. Nã de ea, quæ ex voluptate, hic prætermiſit, infra explicat *lib. 9. cap. 1.* Denique exempla de Amicitia ex virtute in muliercula in libris Euangelicis, quæ exiguum quiddam in gazophylacium coniecit. Theophraſtus. Non ſpectatur, an quis magnas & ſumptuoſas hoſtias mactet, ſed an ſæpe. Frequentia enim oſtendit animũ pium; magnitudo & ſumtuoſitas, diuitias. In Papatu ſemel itur ad cœnã magno cũ faſtu & pompa, non pietatis. Pietas iudicatur ex frequentia, &c.

CAPVT XIV.

COMMENTARII.

Διαφέρονται δὲ καὶ ἐν ταῖς.] Hic de diſſidiis & accuſationibus amicitiæ eius quæ inter impares, quam Excellentiæ vocant: primum vnde naſcantur: 2. quomodo tolli debeant. Vbi & de officiis liberorum aduerſus parentes, & hominum aduerſus Deos.

διαφέρονται δὲ καὶ ἐν.] Ait igitur primum & in Amicitiis excellentiæ diſſidia reperiri, quibus non ſublatis & ipſa tandem diri-

dirimatur Mirum autem nõ eſt, in hoc amicitiæ genere querelas exiſtere, vt quę fere tota ex vtilitate pendeat, quod ſupra diximus. cauſam aũt diſſidiorũ adfert hoc loco Ariſt. quod amici vterq; ſibi plus tribuendũ exiſtimet, tam inferior quam ſuperior. Nã ſuperior quidẽ virtute plus ſibi deberi ait, quod bono ſemper plus debeatur: vtilitate quoq; ſuperior item plus præſtari ſibi æquum cenſet, ꝙ in nullam partem vtili, æquam tamen partẽ tribui iniquum habeatur. Eſt & altera ratio, ſed vtilitatis amicitiæ propria, quia alioqui non tam eſſet amicitia, quam Liturgia ſeu munus, (ſic.n. græci vocant Liturgias, quæ Iuris conſulti munera patrimonii, vel mixta potius) ſi vnus alteri ſemper proſit, nullam viciſſim capiens ab eo vtilitatem. Hinc Liturgiæ apud Athenienſes, quando quis debebat ſuſtinere munus, in quo ſemper neceſſe fuit facere ſumptus. Attica Reſpub. pauperrima, ſed generoſa, magni nominis, propter eruditos viros & magnos animos. Inde Liuius: non tam opibus quam animo bellum gerunt. Bellum quando Athenis gerendum, ciui diuiti iniungebatur vt duas naues conficeret ſuis ſumtibus bellicis: huic dicebatur, *Tueris præfectus, habebis imperium*, pro honore exhaurire debebat ſuum patrimoniũ, ſua pecunia milites alere, donec bellum conficeretur. Talia munera, quia habebant adiunctum hoc onus patrimonii exhauriendi, vocabantur Liturgiæ. Liturgia munus, cui annexum onus patrimonii exhauriendi, proprie Iuris conſulti tria genera munerum recenſent. I. perſonale: II. patrimoniale: III. mixtum, cum & operam meam præſto, & nummos quoque, ſiue exhaurio patrimonium. Qua ratione vtitur & Ariſtoteles *in Eudem.* & eodem verbo *libro 7. cap 10.* δόξειε δ᾽ ἂν &c. Ad ſummam, ſocietati ſimilem eſſe volunt amicitiam, bonorum aut pecuniæ: cuius ſocietatis hæc ſolet eſſe ratio, vt qui plus in eam contulerit, plus quoque lucri auferat, vt eſt apud Iuris conſultos ſub *tit. pro ſocio.* Ad eundem modum & in amicitia fieri debere, vt qui virtute aut vtilitate antecellat amicus, ei quoq; plus debeatur aut tribuatur. Atq; ita fere hi, qui virtute aut diuitiis & opibus præſtant. Contra inopes & ipſi ſua habent argumenta, quibus plus ſibi tribuendum dicant, de quibus Ariſtoteles perſpicue. ὁ δὲ ἐνδεὴς καὶ ὁ χείρων &c.

ἔοικε δὲ ἑκάτερ⁊] Hic Ariſtoteles priorem controuerſiam velut arbiter honorarius dirimit, optimo adhibito temperamento

mento. Nam vtrique plus quidem tribuendum; ſed aliud atque aliud. Nam cum æqua vtriuſque videatur poſtulatio, & vtrique plus tribuatur: ita rem temperat & moderatur Ariſtoteles, vt ſuperiori plus tribuatur honoris, inferiori plus lucri, vni eidemque vtrumq; non item confirmat exemplo ciuitatum, quibus notum eſt amicitiam eſſe ſimilimam. Ergo quemadmodũ in ciuitatibus ei qui nihil in Remp. beneficii contulerit, honos nullus: (publica namq; & communia bona, in quib. & honos, quẽ Ariſt. eleganter hoc loco vocat publicum quiddã, tanquã publicam quandã mercedẽ & præmiũ) ei aũt qui cõtulit, ſiquidẽ facultatibus honos reddi ſolet: ſi opera, forte q̃a tenuior, aut pecunia quoq; ſi δωροδόκος. ſic legendũ) munera potius curet quam honores, ſi ſit auarior, huic pecunia, ſeruata nimirum æqualitate Geometrica. Nam vt & honorem & vtilitatem vtrumque ſimul ex Repub. quis capiat: ita & neutrum vt capiat benemeritus, iniquum eſt, omnibus namque in rebus deteriorem partem obtinere eſt graue. Ergo vt in ciuitatibus nunc honos, nunc pecunia redditur bene merentibus, pro meritorum ratione & analogia: ita & in amicitiis eſt faciendum, vt amico vel vtilitate, vel virtute excellenti reddatur honos ab altero, adiuto alterius vel virtute, vel vtilitate: atque ita vt vnus honorem, alter percipiat commodum, neuter vtrumque. Quod ipſum, ſeu quam remunerationis rationem & æquitatem confirmat & Ariſtoteles in his verbis, τῆς μὲν γὰρ ἀρετῆς &c. eo quod honos virtutis & beneficentiæ ſit præmium: vtilitas autem & lucrum inopiæ ſit ſubſidium. Recte igitur ſi honos virtutis & beneficentiæ eſt præmium, vtilitas inopiæ ſubſidium, rem ita moderatus eſt Ariſtoteles, tribuendo virtute vel vtilitate excellenti honorem, inopi & inferiori vtilitatis ſubſidia. Officium igitur faciet inferior, ſi ſuperiorem obſeruet & colat, eumque pro beneficiis honore proſequatur. Honos eſt ſolus, quo remunerari poſſit ſuperiorem, eoque hic contentus eſſe debet, cum virtutis & beneficentiæ nullum ſit præſtantius præmium, qua de re extat elegantiſſimus locus *in oratione pro Muræna. Homines tenues*, inquit, *vnum habent in noſtrum ordinẽ, aut promerendi aut proferendi beneficii locum: hanc in noſtris petitionibus operam atque aſſectationem, à quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi vno Baſilicæ ſpacio hone-*

honeſtamur, diligenter obſeruari videmur & coli &c. Noli igit ***** *eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii Cato: ſine eos qui omnia à nobis ſperant, habere ipſos quoque aliquid, quod nobis tribuere poſſint.* Idem & alteram reddendi beneficii rationem tenuioribus dat *lib.* 2 *offic.* nimirum gratiarum actionem: nimirum enim inquit, *inops ille, ſi bonus eſt vir etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certe poteſt.* Reſpublica namq; non habet fere alia præmia quam honorem.

ἀνταποδιδόντα δὲ] Tertia eſt retributionis hujus Ariſtotelicæ ratio & cõfirmatio, cur inquã honos reddi debeat ab inferiore ſuperiori, quia hac ratione reddatur id ꝙ poteſt. Quæ aũt quis poteſt, ſi præſtet amico, officiũ fecerit. Nihil namq; poſtulat aliud amicitia, vt pro facultatibus, hoc eſt, id quod poteſt, amico præſtet, amplius non itẽ, vtpote quod ne præſtare quidẽ poſſit. Exemplo ſint Dii & parẽtes, quib. certe pro merito retribui ſatis non poteſt; ſatis eſt, ſi pro facultatibus tamen iis retribuatur, his ſunt contenti & Dii & parentes. Sic igitur & in amicitia, non tam quod pro meritis, quã quod facultatibus poſtulatur. Quare & tenuis ſi quod poteſt, id eſt, honorẽ ſuperiori reddat, nihil eſt, quod queratur ſuperior. Eſt aũt præclara hæc Ariſt. ſentẽtia, Deo & parentib. nunquã pro meritis ſatis reddi poſſe. quã & infra iterat *li.* 9. *c* 2. quo pertinet & ejuſdem Ariſtotelis ſententia apud Laertium: *Parentibus qui liberos inſtituendos curarint, plus deberi honoris & gratiæ, quam qui neglexerint, quod hi viuendi tantum, illi bene quoque beateque viuendi autores ſint.*

διὸ κἂν δόξειεν.] Quia modo facta eſt parentum mentio, & officii, quod liberi parentibus debeant: hac arrepta occaſione adiungit, parentibus ius eſſe liberos abdicare ἀποκηρύξαι (quod vſitatius græci dicunt ἀπουρεῖαξ, teſte imperatore *in l. 6. C. de patria poteſt*) liberis patrem non item. Abdicatio græcis vſitata, Romæ rarior, nihil erat aliud, quam liberorum à familia reiectio, & alienatio, græce ἀπούρειξις, quia ſub præconis voce publice celebraretur, vt eſt apud Platonem *libro nono de legibus*: de qua mentio eſt & apud Quintil. *libro tertio, &* 7. apud Senecam *libro ſecundo controuerſiarum*, & Hermogenem aliquoties. Et extat Luciani abdicatus. Abdicationis autem formulam mihi reperiſſe videor apud Valerium Maximum *libro quinto capitul. octauo*: vbi Torquatus & filium ait hunc in

modum

modum. (Abdicationis ſolennis formula.) *Cum Sylanum filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Republica, & domo mea indignum iudico, protinuſque è conſpectu meo abire iubeo.* Nunc ad rem. Cur igitur patri ſit ius abdicare filium, non contra, rationem hanc affert Ariſtoteles, quod patris debitor ſit filius, & quidem perpetuus, maximeque rei: pater autem filii ſit creditor item perpetuus. Formula:

Creditori ius eſt dimittere debitorem, non contra.
Atqui filij creditor eſt pater.
Ergo & eum dimittere, hoc eſt, abdicare poteſt, non contra.

Aſſumptionis ratio, cur pater creditor ſit filii, quia vt filius omnia faciat, nunquam tamen paria, vt dicitur, faciet paternis beneficiis, ſemper igitur erit debitor.

ἅμα δὲ ἴσως οὐδείς.] Etſi ius & poteſtatem hanc eſſe patri aduerſus filium, iam docuit: raro tamen parentes eam exercere hoc loco adiungit, cum quia repugnat amor patrius στοργὴ φυσικὴ, eiicere filium domo, tum, quia & ipſe pater ſui quoque commodi memor eſſe debet, & præſidii, quod aliquando ſenex à filio capere poterit. Quod humanum eſſe ait Ariſtotel. non reiicere temere ea, quæ ſubſidio nobis eſſe poſſint. Sic. n. accipienda hęc verba, τὴν ἐπικουρίαν ἀνθρωπικὸν, &c: quo modo & infra *lib. 9. cap penult. in fin.* hoc verbo διωθεῖσθαι eſt vſus, *pro aſpernari ſeu reiicere* [aſpernari non vt vulgo *contemnere* ſignificat, ſed *reijcere.*] Non temere igitur hac poteſtate vtitur pater, niſi aduerſus plane perditum. Cæterum & de abdicationis cauſis videatur Quintil. *lib. 7. cap. 4.* & Alciatus *libro 2. diſpunctionum cap. 27.* Sic igitur pater aduerſus filium, ac hic aduerſus patrem aliter ſe gerit. Nam & facile à patre diſcedit, & auxilio illi eſſe negligit, maxime improbus, præſertim cum hæc hominum fere ſit natura, vt beneficium accipere quam dare malint, vt eum damno coniunctum. Quod idem de humano ingenio dictum, & infra iterat *lib. 9.* Aduerſus quos filios teneatur hoc. Cicer dictum de Aruſpicum reſponſis. *Parentibus*, inquit, *nos primum natura conciliat, quos non alere nefarium eſt* Hinc nefarium, impium, & ſceleratum apud veteres idem valent.

FINIS LIBRI IIX.

 LIBER

LIBER IX.

ARGVMENTVM.

De ſumma & argumento huius libri & ſup. nonnihil initio lib. 8. quem librum imperitorum inſtar coquorum ſecant & diuidunt plerique valde imperite. Nos tres faciamus partes, quarum prima perſequitur Ariſtoteles inſtitutam de querelis & officiis amicitiæ diſputationem. Altera pars cap. 4. 5. & 6. continetur, eaque bipartita. Nam priori membro norma adfertur officiorum amicitiæ; Qua ratione & hoc membrum ad primam totius libri partem referri poteſt. Altero membro explicantur Beniuolentia & concordia, tanquam amicitiæ affines. Tertia denique parte ſex grauiſſimæ quæſtiones, ſex deinceps capitibus.

CAPVT I.

COMMENTARII.

Perſequitur hoc capite diſputationem de cauſis accuſationum, cuius duo ſint membra, quorum priore de amicitia voluptatis & amatoria: poſteriore de beneficiorum æſtimandorum norma explicetur. Ariſtotel. *in Eudem. lib. 7. cap. 10. in fin.* magnam ſcribit eſſe difficultatem in æſtimãdis beneficiis inter impares: vt inter præceptorem & inter filium, inter Amãtem & Amaſium. Qua de re & hoc loco explicatur, quæ adhibenda ſit norma, canon ſeu regula & *μέτρον*.

ἐν ἀπάσαις δὲ ταῖς.] Ait igitur initio, amicitiæ inter impares normam eſſe *ἀναλογίαν*, hac & æquari & conſeruari hoc amicitiæ genus: qua de re ſupra *lib* 8. Verbi gratia, in Politica amicitia, vt inter ſutorem & agricolam inter ſe permutantes, niſi adhibita proportione res explicari non poteſt. In qua quidem ciuili amicitia res eſt facilima propter nummi vſum & facilitatem, quem & hoc loco & ſupra *lib. 5.* eleganter vocat, communem rerum contrahendarum menſuram.

ἐν δὲ τῇ ἐρωτικῇ.] Hic de amatoria amicitia, de qua & ſupra *lib. 8. cap. 4. & 8. in fine.* Hic affert cauſas diſſidii & interitus huius

huius amicitiæ, querelarum & accuſationum. Ait igitur ſæpe amatorem conqueri hac de cauſa, quod cum ipſe amaſium vehementiſſime depereat, non redametur pro dignitate, nimirum, quia fortaſſe indignus, quiq; nihil admodum amore dignum habeat, deformis puta, vel ruſticus, vt ſupra *lib. 8. c. 8. in fin.* Contra amaſius ſtomachatur & accuſat amantem, qui multa quidem pollicitus ipſi, nihil tandem præſtet. Sic igitur querelæ inter hos exiſtunt, maxime ſi alter voluptatem, alter ſpectet & captet vtilitatem. Quæ duo ſi vterlibet nō aſſequatur, quibus tamen ſolis cohæret hæc amicitia, diſſoluatur, & intereat neceſſe eſt. Sublato vinculo res diſſoluatur, oportet, quod ſup. *lib. 8. cap 4.* explicatum. Hæc igitur amicitia, quia readmodum fluxa & inſtabili nititur, & ipſa quoque inſtabilis & caduca ſit, neceſſe eſt, quod contra fit in vera ſeu morum amicitia, quod ſupra *lib. 8. cap. 3.* explicatum.

διαφέρονται δὲ, καὶ ὅταν.] Cauſam diſſidii vnam attulit, inter voluptate amicos: quod ea, quorum gratia amicitiam colant, non aſſequantur, alter voluptatem, alter vtilitatem. Hoc autem loco & alteram diſſidii cauſam affert, nimirum ſi aſſequantur quidem illi quædam, ſed non ea quæ expectarint, quæ velint. Nam vt eleganter Ariſtoteles, perinde eſſe, aliud quam quod velis accipere, quam plane nihil: tam dolere qui aliud, quam velit, quam qui nihil acceperit, verbi gratia, ſi citharœdo pro voluptate, quam aliis canendo adfert, reddatur non pecunia, quam tamen ſolam ſpectat, ſed voluptas, vt olim quidam citharœdo quo melius caneret, eo maiora præmia pollicitus, cum poſtridie ea peterentur, reſpondiſſe fertur, ſe illi voluptatem pro voluptate parem, & quidem maximam reddidiſſe in eo. [Hoc male explicant omnes interpretes] ſitam, quod magna illi eſſet pollicitus. Nam promiſſa ipſa & ſpes maximam Citharœdo voluptatem attuliſſe videtetur. Atqui ita explicat Ariſtot. *in Eudem. lib. 7. cap. 10.*

εἰ μὲν οὖν ἑκάτερ☉.] Concludit breuiter diſputationem de amicis voluptate. Nam & his fieri ſatis, ſi pro voluptate reddatur voluptas, eam petentibus, alioqui altero voluptatem, altero lucrum ſpectante, non item, propterea quod alter quod cupit, ſit aſſecutus, alter non item. Et hinc diſſidia: nam quæ quis expetit, ad hæc animum intendit, ea ſpectat & exſpectat; quibus ſi fruſtretur, conqueratur, neceſſe eſt.

τὴν ἀξίαν δὲ ποτέρου.] Altera huius capitis parte, quod priore initio dictum, beneficium pro dignitate eſſe reddendum, explicatur, cuius arbitrio & voluntate dignitas hæc ſeu æſtimatio ſit facienda, eiuſne qui dederit prior, an qui acceperit beneficium. Quam quæſtionem & ſupra *lib. 8. c. penult.* attigit. Ait igitur ſpectandum eſſe eius, qui acceperit, non qui dederit, arbitrium, melius quidem fore, ſi vtriuſq; arbitrio æſtimetur beneficium: hoc tamen ſi fieri nequeat, accipientis iudicio eſſe acquieſcendum, vt tantum reddatur, quantum accipiens arbitretur, & hoc eſt, quod ait infra *μάλιστα μὲν ἴσως*, &c. vbi hoc non tantum neceſſarium, ſed iuſtum quoque & verũ eſſe ait. Toto autem hoc loco diligenter perpenſo & retexto, duas fere rationes reperio, quibus id confirmet Ariſtot. Prior & hic & infr. *ἐνιαχοῦ τοι εἰσὶ νόμοι τῶν*, &c. commemoratur iſta, quod is qui dat, alteri vt æſtimet ipſe permittat, & poteſtatem facere videatur, eiuſq; id fidei totum concredat, quam rationem & planiorem reddit & confirmat. Explanat quidem hoc loco, confirmat infra *ἐνιαχοῦ τοι*, &c. Explanat igitur inſtituto ſeu exemplo Protagoræ Sophiſtæ nobiliſſimi, cuius hunc fuiſſe morem in docendis diſciplinis & repoſcenda mercede, ait, ſecutus Platonem *in Protagora: eum diſcipulis mercedem quidẽ certam non præfiniſſe neq; præcepiſſe* [non ſignificat hoc loco *mandare*, ſed *præaccipere, προλαβεῖν*] *ſed poteſtatem ijs feciſſe æſtimandi ea, qui didicerint, iam doctis, non docendis.* Eodem modo ante decennium Pariſiis Ieſuitæ docebant gratis, ſed poſt inſtitutionem, plus pecuniæ, quam ordinarii profeſſores accipiebant, vltra octingentos habuerunt auditores. Sic igitur Protagoras cum ſuis diſcipulis. Nam multis in eo genere ſatis eſt iſtud Heſiodium:

Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.

Id eſt, *Magna ſatis quæ dicta homini merces eſt ab amico:* quem verſiculum adducit & *in Eudem.* qui neq; ipſi mercedem definiant, neq; anxie, vt Protagoras, alios definire iubeant, ſed contenti ſint ea, quam is, quo cum res eſt, amicus vel diſcipulus dederit. Sic namque accommodandus eſt verſiculus, quo monet Heſiodus, acquieſcendum amici iudicio, quam ille mercedem conſtituerit, & ſic legẽdum *ἀρκεῖ*, vt habent omnes libri & vetus tralatio, non *ἀρέσκει*, vt habet Scholiaſtes Græcus [indignus qui legatur.]

οἱ δὲ προλαβόντες τὸ] Occaſione Protagoræ adiungit Ariſtoteles

ſtoteles de ſtipẽdiis & præmiis omnium Sophiſtarum & Philoſophorum: Nam Sophiſtas plærosque mercedem ſeu ſtipendium præcipere conſueſſe, quos, quia pro maximis promiſſis nihil poſtea dignum præſtarent, ſummo in odio haberi ait. De Sophiſtarum vanis & magnificis promiſſis ſæpe Plato & eleganter Iſocrates aduerſus Sophiſtas. Cur autem Sophiſtæ præ manu, vt dicitur, ſtipendia acciperent, rationem adiungit Ariſtotel. quod alioqui poſtea nihil fere accepiſſent, vt qui multa quidem promitterent, ſed nihil tamen, aut mercede magna dignum, docerent. De Sophiſtarum autem auaritia idem Iſocrates eo loco, qui eleganter eos reprehendit, quod cum virtutes ſe docere profiteantur, de mercede tamen ſua non diſcipulorum fidei, ſed ſponſoribus & fideiuſſoribus credant. Sophiſtæ igitur & omnes, qui pro opera mercedem ſtipulantur, ſi fallunt, reprehenſionem incurrere ſolent. Alia eſt eorum ratio, qui non tam propter mercedem, quam propter virtutem & honeſtatem docent, aut beneficium reddunt; quo in genere ſunt & Philoſophi. nam ne mercede quidem vlla aut pretio æſtimari horum opera aut facultas poſſit. Quæ certe præclara eſt philoſophiæ commendatio. Eam eſſe inæſtimabilem, quomodo & Vlpianus Iuriſconſ. Iuriſprudentiam laudat *in l.1. ff. de variis & extraordinariis cognitionib.* Eſt igitur hic locus de Sophiſtæ & Philoſophi comparatione, digniſſimus obſeruatu: Sophiſtam quidem multa & magnifica ambitioſe polliceri, nihil tamen præſtare; eundem non tam rei & veri quam pecuniæ eſſe ſtudioſum; eum denique omnibus & quidem iure ac merito, quia fidem fallat, eſſe odioſum. Contra in Philoſopho, hunc & ea polliceri, quæ præſtare poſſit, & pecuniæ eſſe contemtorem, omnibus denique charum, adeo quidem, vt Ariſtot. eum & parentibus & ipſi Deo comparare non vereatur. Quibus tribus, vt omnia quis faciat, nunquam tamen paria reddere poſſit, nedum vt philoſophia pecunia æſtimari tanquam pari mercede aut præmio poſſit, vt quæ ſit inæſtimabilis. Sic autem & Imp. Pius apud I.C. Modeſtinum *in l.6 de excuſat. tutorum &c. Philoſophorum*, inquit, *numerus, idcirco præfinitus non eſt, quia pauci ſunt philoſophantes; at eos quidem, qui diuitiis abundant, arbitror libenter de iis patriæ accommodaturos eſſe: qui autem de pecunia cupidius & acrius cõtendunt, iam tunc ex eo nequaquam philoſophari deprehendũtur.* Et Vlp. Iuriſc. *in l.1. ff. de variis & extraord. cognit. An &*

 Philo-

momentis: hanc inquã propter infinitam varietatẽ certis pręceptis hæ quæſtiones definiri nequeunt. Nã vt & ſup. *lib. 1. c. 3. lib. 2. cap. 2.* dictum, & hic initio, & paulo infr. ὅπερ ἐν πολλάκις &c. iteratur: qualis materia, talis eſt præceptio, hoc eſt, ſi materia eſt multiplex & varia, præcepta quoq; vt ſint incerta & mutabilia neceſſe eſt. Quare cum & alia omnis rerum moralium & politicarum materia, quæ in actionibus & perturbationibus fere cernitur, & hęc quoq; de amicitia ſit multiplex: mirum non eſt, ſi præcepta quoq; certa & perpetua adferri nõ poſſint. Quod ipſum & Theophraſtus *in lib. de Amicitia* conqueritur, hac ipſa in re de officiorũ & beneficiorum varietate apud A. Gellium *lib. 1. c. 3.* Has tamen, inquit, & paruitates rerum & magnitudines, atq; has omnes officiorũ æſtimationes alia nonnunquam momenta extrinſecus, atq; aliæ quaſi appendices, perſonarum & cauſarum, & temporum, & circumſtãtiæ ipſius neceſſitates, quas includere in præcepta difficile eſt, moderantur & regunt, & quaſi gubernant, & nunc ratas efficiunt, nunc irritas. Idem conqueritur & Cic. hac ipſa in re *lib. 1. offic. Hæc igitur & talia circumſpicienda &c.* Sic duo ſcientiarum omnium crura ponit Galen. 1. præcepta. 2. vſum ſeu exercitationem.

οἷον πότερα δεῖ πάντα.] De hac quęſtione poſterius explicat. Videatur enim Gellius, qui diligentiſſime hanc quæſtionem explicat. Honeſta imperanti ſemper patri parendum; turpia nũquam. Sic medico eſt parendum. Verũ quia media poſſunt redigi ad turpia, non eſt parendum. Ire in bellum. Dare operã literis. Ducere vxorem, &c. eſt medium. Ex duobus honeſtis vitæ generib. vnum ſuſcipere eſt medium. Dare operam iuri, & dare operã medicinæ, ducere vxorem, cœlibẽ vitam agere, eſt medium. Concubinam alere nõ eſt mediũ. Pater iubet ducere vxorem, vniuerſe dicimus parendum: Iubet ducere infamem & turpem, ergo non parẽdum. In bellum ire iubet pater, ſi bellũ contra pietatẽ, religionem, patriam, non eſt parendum. Verbigratia, defendere aliquem in iudicio, eſt mediũ. Si pater me iubeat defendere Catilinam; non eſt medium. Sic Gellius explicat. Parendum patri in honeſtis & mediis.

ἀρίστως δὲ καὶ φίλῳ] De hac quæſtione ſingulatim nihil infr. At in *Eudem. lib. 7. c. 11.* Ex iis tamen, quæ infra dicentur, facile & de hac quæſtione quid ſtatuendũ ſit, perſpicietur, nimirum pro temporum & rerum momẽtis, amico virum bonum eſſe præferendum, & contra.

καὶ ἀπο-

Google

καὶ εὐεργέτῃ.] De hac tertia quæſtione, prius explicatur.

καὶ μεγέθει καὶ μικρότητι.] Ait beneficia variare magnitudine & paruitate, honeſto & neceſſitate. De duobus prioribus res eſt perſpicua, vt à quo plus acceperis, eidem plus retribuas. De alteris duobus exempla afferuntur infra, capto ab hoſtibus patri potius opitulandum propter neceſſitatem, quam ei, à quo beneficium acceperis, id repoſcenti. Sic vicinum in percipiendis fructibus rectius adiuueris quam fratrem, inquit Cic. *lib. 1. Offic.* ſic honeſtius eſt & æquius, rem domino reddere potius, quam furi, licet à fure depoſitam, vt eſt apud Iuriſconſ. *in l. bona fides, ff. depoſiti.*

ὅτι δ' οὐ πάντα] Hoc loco accedit cum ad priores quæſtiones, tum ad alias eius generis definiendas, prout rerum natura patitur. Ponit igitur hoc generale præceptum, vt certum. Non omnia eidem reddenda aut tribuenda, neque eadem omnibus, quod poſterius infra commemorat: ſed ſua cuiq; & accommodata, alia aliis prout iis quadrant. Quod ipſum præceptum & Cicero hac in re ſeruandum monet *in Lælio. Tantum autem cuiq; tribuendum, quantum ipſe efficere poſſis: deinde etiam quantum ille quem diligas atq; adiuues ſuſtinere, &c.* Quod ſi etiam poſſis, quiduis deferre ad alterum, videndum eſt tamen quid ille poſſit ſuſtinere, & *lib. 1. Offic. ſed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime neceſſe ſit, &c.* Ex hoc præcepto ſtatim definienda eſt quæſtio; An patri omnia ſint tribuenda, etiam ea quæ ſuſtinere non poſſit. Ex eodem præcepto definienda eſt & hæc quæſtio; An benefactori reddendum potius ſit beneficium, quam alii dandum; nimirum ſæpe dari poſſe alii, & non retribui, quod non omnia eidem ſint retribuenda.

καὶ τὰς μὲν εὐεργεσίας.] Diligentius hic explicat tertiam quæſtionem, quam ita definit. Reddendum quidem plærunque bene merito potius beneficium, quam dandum alii. Plærunque inquam, non tamen ſemper. Reddendum docet exemplo mutui, cui & hoc loco, & infra *cap. 7.* comparat remunerationem beneficii. Non ſemper autem reddendum docet duobus exemplis. nam captis ab hoſte, & patri, & bene merito, atque adeo ei, qui nos ab hoſte olim liberarit, non huic reddendum beneficium, ſed patri potius dandum, id eſt, non hic, ſed pater liberandus erit. Præferendus igitur pater eſt bene merito, ſiue item capto, ſiue non, ſed repoſcenti tamen beneficium

Digitized by Google

cuius generis ſunt cõtractus illi, quos I.C. bonę fidei vocant, de quibus & Cic. *li. 3. offi. Quintus quidẽ Scæuola &c.* & *li. 3. de de Natura Deorum*: quod idem quorundam (quos intelligat, nondũ reperi) & infra *li. 9. c. 1.* & *in Eudem. li. 7. c. 10.* commemorat. Ex quibus locis, ꝙ mirum eſt, hoc perſpicue cernitur, apud eos omnium contractuum voluntariorum, emptionis, mutuĩ, depoſiti, locationis &c. nulla fuiſſe iudicia, ſola in fide contrahentium conſtitiſſe. Ad eundem igitur modũ & amicitia hæc liberalior fide niti videtur: demum diſputatio de contractibus bonæ fidei I.C. hoc inſtituto aliquo modo declaratur. Emo equum 100. coronat. non ſtatim ſatisfacio, ſed poſt aliquot dies, incidit quiddã, vt tibi non ſatis faciã, equus vitii aliquid habet, quamuis hoc non expreſſum, leges tamen dicunt, ſi quid tale incidat, diminuendũ de pretio. In contractibus enim bonæ fidei ex æquitate & largitate agendum, ſi quis locauerit agrum vel vineam, & vindemia non bona propter tempeſtates cœli, conductor an cogatur ſoluere, quæſtio eſt ſi pactum & promiſſionem ſpectes, cogitur ſoluere: ſed propter huiuſmodi accidentia diminuunt I.C. aliquid de pretio: hoc fit in contractibus, quos vocant bonæ fidei.

ἡ δὲ ἠθικὴ &c.] Altera amicitiæ ex vtilitate ſpecies, quã *hic* & *in E*[illegible] vocat ἠθικὴν, & infra *li. 9. c. 1.* τὴν ἠθῶν. latine moralis ſeu morũ dici poteſt; quã & *in Eudem.* vocat ἑταιρικὴν ſeu ſodalium, hic explicatur verum hoc ſciendũ hoc nomine dici non tantũ hanc ex vtilitate ſpeciem, ſed eam quoq; quæ eſt ex virtute, atq; adeo hanc ex virtute verius & magis proprie ita dici, alteram ſimilitudine potius quadam, qua vt in vera, ita & in hac ex vtilitate nihil ſit definiti aut certi, & videatur hæc quoque vt vera propter virtutem eſſe, cum reuera non ſit, vera igitur amicitia vere eſt moralis, altera ſimulata, vt eſt apud Ariſtotelem *lib. 7. Eudem. cap. 10.* & infra *lib. 9. cap. 3.* Moralis igitur hæc amicitia, non vt prior certis conditionibus & legibus aſtringitur, ſed ſolutior eſt, & laxior, atque adeo veræ amicitiæ imitatrix. Nam vt amico beneficium hic dari ſolet, nimirum vnde nihil viciſſim emolumenti ſperatur, quod inter amicos fieri ſolet. Hoc igitur vultu & fronte datur beneficium, animo tamen alio nimirum vt tantundem, vel plus etiam & cum cumulo, quod iubet Heſiodus, vt eſt apud Cic. *li. 1. offi.* & *in Lælio*, recipiat; quaſi non tam donarit quam commodarit vel mutuo dederit adeo quidem, vt niſi ſi tantum recipiat

cipiat

Digitized by Google

cipiat, alterum vt ingratum, grauiter accuſet. Huius autem ſimulationis (quæ à vera amicitia longiſſime abhorret, in qua nihil fictum, nihil ſimulatum eſſe debet, inquit Cic. In Lælio) cauſam eſſe ait Ariſtoteles, quod plærique mortales honeſtum quidem ſpecie tenus & περὶ ὁσίας, vt ait Ariſtot. *in Eudem* ἐκ ἀναγκαίως, & neceſſario & dicis cauſa, [Sic Iuris conſulti] vtile vero reuera perſequantur, atq; ita benefici quidem videri volunt, & benefacere, ſed reuera bene officii malunt, quia illud quidem ſit honeſtius, hoc vtilius. De quo honeſti & vtilis conflictu Cic *lib. 3. offic. maxime reperitur in Rebuſpub. vbi plærumque vtilitas præfertur.* Et hoc eſt quod & Cicero ait *in Lælio: virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe quam videri volunt.* Ex his perſpicuum eſt in vtroq; amicitię ex vtilitate genere querelas & accuſationes reperiri, vbi acceptorum, & datorũ non par fuerit ratio: ſæpius tamen in morali, quã in ea quæ lege, propterea ꝙ in hac omnia ſint certa & definita, in illa nõ itẽ. Atqui rebus omnibus certis, vbi ſcitur, vtrinq; q̃d ſit datum, & quid ſit reddendũ, atq; vbi certis pactis id actum fuerit, vix quidem querelæ hic exoriri poterunt. At in morali alter ſæpe accipit tanquã ab amico, nihilque redditurum ſe exiſtimat; alter vero tantundem [ſeu ſæpius] vel amplius expectat, facile vt rixæ & querelæ exoriantur, neceſſe eſt, inquit Ariſtoteles *in Eudem.*

δυναμένῳ δὴ ἀνταποδοτέον] Explicat hic quemadmodũ reddendũ ſit, & in eo ſe quis gerere debeat, locus eſt perobſcurus. Reddendum igitur ait, & primũ quidẽ pro dignitate accepti, id eſt, tantum quantũ acceperis, quaſi pacto & certa lege, non tanquã amicus beneficium acceperis καθάπερ ἐπὶ ῥητοῖς, quin etiam non reddendũ tantũ, ſed verbis quoq; id declarandum te gratũ & memorẽ futurum, magis tibi eũ conciliandi gratia, καὶ ὁμολογήσαι &c. Tantundem igitur reddendũ ſiquidem poſſis, ſi locuples & copioſus ſis, ſin minus, vt pro facultatib. tamẽ, κατὰ δύναμιν, inq̃t infra capite proximo in fine. Nã vt ne dii quidem ipſi aut parentes, quibus tamen plurimum debeamus, hactenus ſunt contenti, vt ea illis præſtemus pietatis officia, quæ poſſumus, nõ quæ debemus aut volumus, inquit eo loco Ariſtot. ita & amicus iſte amplius à nobis vix eſt poſtulaturus. Hoc primũ. deinde reddendũ ſpõte ſua & vltro nõ flagitatus aut inuitus. Nã alioqui ſibi quis amicũ parare velle videatur inuitum, quod eſt perabſurdum: in amicitia namq;

omnia

omnia debent eſſe voluntaria. Difficile eſt, inquit Xenophon *li. 2. memorabil.* Socratis amicum habere inuitum & reluctantem. Formula: ſi reddatur ſponte, efficeretur vt amicum ſibi quis velit inuitum aliquem. Ratio connexi, quod is qui accepit, ſi flagitetur ab altero vt reddat, idq; facere recuſet, quia vt ab amico accepiſſe ſe dicat, alter vero ſe neget amici animo dediſſe: hic certe ſi accipiens perſeueret, & datori perſuadere velit ipſum ſibi amicum dediſſe etiam repugnanti & neganti, efficeretur, vt illum ſibi velit amicum reluctantem & inuitum. Et ſic accipiendum puto verſiculum *ἄκοντα γὰρ φίλον*. Atque ita hic qui accepit tanquam deceptus ab altero, amici vultum tamen reddere debet cuius ſimulationis cauſa monet poſtea Ariſtoteles videndū diligenter initio, quid, à quo, & quamobrem accipiat, vt ſecum perpendat, an accipere, an vero recuſare debeat, ne poſtea rixæ & cōtentiones ſuboriantur. Hanc igitur cautionem præſcribit Ariſtoteles accipienti, his verbis, *ἐν ἀρχῇ ἐπισκεπτέον*, dantis autem duplicem hunc animum & ſimulatum grauiſſime infra reprehendit *c. 3. lib. 9.* Ad hunc igitur modum reddendum eſt, quod acceperis in morali hac amicitia. Nam de hac tantum hic agitur. Quod præceptum Ariſtotelis ſi teneatur, non facile locus erit accuſationibus. Verum dicet aliquis, ſi tantundem eſt reddendum eademque ratio debet eſſe accepti & dati, interdum fit, vt quę ſint accepta, danti quidem habeantur vt magna, accipienti vt exigua. Quæri igitur poteſt, vtrius hic iudicio ſit ſtādum, accipientis an dātis: accipientis inquā vtilitate, an dantis beneficentia, æſtimatio ſit facienda? De qua quæſtione Ariſtoteles breuiter hoc loco, accuratius infra *lib. 9. cap. 1.* cui quæſtioni gemina eſt ea, teſte & ipſo Ariſt *in Eudem* de re nummaria, de numis vtrius temporis æſtimatio ſit ſpectanda: contractus an ſolutionis, de qua Iuris Cōſulti recentiores. Hinc ſemel in toto orbe Romano, in ſumma inopia cōtra Annibalem in ſecundo bello Punico mutatio fuit numaria. In his Carolus Molineus *in lib. de vſuris extremo*. De hac igitur quæſtione breuiter adhibita diſtinctione ita Ariſtoteles; vel enim ex vtilitate eſt amicitia, vel ex virtute. Nam in hac dantem: in illa ſpectari accipientem. Differentiæ ratio hæc adiungitur. In ea quidem, quæ ex vtilitate his verbis *ὅτος γὰρ ὁ δεόμενος*, quia accipiens is eſt, qui petit & opus habet, & cuius inopiæ ſubleuandæ ſe accommodat alter, ab eoq; tantundem, quantū illi præſti-

præſtiterit, expectat. Omnia igitur quia ad accipientem accommodantur, merito & huius vtilitate metiendum eſt beneficium. In ea autem, quæ ex virtute, contra accidit, propterea quod, vt inquit Ariſtoteles, τῆς ἀρετῆς γὰρ &c virtutis & morum (nam de amicitia virtutis agitur) vis, omnis & momentum ſit poſitū in προαιρέσει & animo ſeu voluntate, vt ſupra explicatum *lib.2.3 & 5.* Proæreſis igitur & animus dantis, menſura erit & norma beneficii, ad quam datorum ratio exigi debeat. Formula.

Quod optimum in ſuo quodque genere, id norma eſt & menſura, vt ſupra lib.3.cap.4.

At proæreſis in virtute, & proinde in amicitia quoq; ex virtute eſt τὸ κύριον, ſummamque vim habet.

Ergo & norma eſſe debet.

In hac igitur ex virtute amicitia, cum nullæ ſunt accuſationes & querelæ, quod & ſupra *cap. 4.* & hic iteratur, tota eſt ἀνέγκλητος & ἀδιάκλητος, inquit eleganter Ariſt. tū beneficii ratio expenditur, non accipientis vtilitate, ſed voluntate dantis; [temporibus quidē augetur & minuitur beneficiū & officium] Et hæc quidem de amicitia ex vtilitate, & ea, quæ ex virtute. Nā de ea, quæ ex voluptate, hic prætermiſit, infra explicat *lib.9.cap.1.* Denique exempla de Amicitia ex virtute in muliercula in libris Euangelicis, quæ exiguum quiddam in gazophylacium coniecit. Theophraſtus. Non ſpectatur, an quis magnas & ſumptuoſas hoſtias mactet, ſed an ſæpe. Frequentia enim oſtendit animū pium; magnitudo & ſumtuoſitas, diuitias. In Papatu ſemel itur ad cœnā magno cū faſtu & pompa, non pietatis. Pietas iudicatur ex frequentia, &c.

CAPVT XIV.

COMMENTARII.

Διαφέρονται δὲ καὶ ἐν ταῖς.] Hic de diſſidiis & accuſationibus amicitiæ eius quæ inter impares, quam Excellentiæ vocant: primum vnde naſcantur: 2. quomodo tolli debeant. Vbi & de officiis liberorum aduerſus parentes, & hominum aduerſus Deos.

διαφέρονται δὲ καὶ ἐν.] Ait igitur primum & in Amicitiis excellentiæ diſſidia reperiri, quibus non ſublatis & ipſa tandem

diri-

dirimatur. Mirum autem nō eſt, in hoc amicitiæ genere querelas exiſtere, vt quę fere tota ex vtilitate pendeat, quod ſupra diximus: cauſam aūt diſſidiorū adfert hoc loco Ariſt. quod amici vterq; ſibi plus tribuēdū exiſtimet, tam inferior quam ſuperior. Nā ſuperior quidē virtute plus ſibi deberi ait, quod bono ſemper plus debeatur: vtilitate quoq; ſuperior item plus præſtari ſibi æquum cenſet, ꝙ in nullam partem vtili, æquam tamen partē tribui iniquum habeatur. Eſt & altera ratio, ſed vtilitatis amicitiæ propria, quia alioqui non tam eſſet amicitia, quam Liturgia ſeu munus, (ſic.n. græci vocant Liturgias, quæ Iuris conſulti munera patrimonii, vel mixta potius) ſi vnus alteri ſemper proſit, nullam viciſſim capiens ab eo vtilitatem. Hinc Liturgiæ apud Athenienſes, quando quis debebat ſuſtinere munus, in quo ſemper neceſſe fuit facere ſumptus. Attica Reſpub. pauperrima, ſed generoſa, magni nominis, propter eruditos viros & magnos animos. Inde Liuius: non tam opibus quam animo bellum gerunt. Bellum quando Athenis gerendum, ciui diuiti iniungebatur vt duas naues conficeret ſuis ſumtibus bellicis: huic dicebatur, *Tu eris præfectus, habebis imperium*, pro honore exhaurire debebat ſuum patrimoniū, ſua pecunia milites alere, donec bellum conficeretur. Talia munera, quia habebant adiunctum hoc onus patrimonii exhauriendi, vocabantur Liturgiæ. Liturgia munus, cui annexum onus patrimonii exhauriendi, proprie Iuris conſulti tria genera munerum recenſent. I. perſonale: II. patrimoniale: III. mixtum, cum & operam meam præſto, & nummos quoque, ſiue exhaurio patrimonium. Qua ratione vtitur & Ariſtoteles *in Eudem.* & eodem verbo *libro 7. cap 10.* δόξειε δ' ἂν &c. Ad ſummam, ſocietati ſimilem eſſe volunt amicitiam, bonorum aut pecuniæ: cuius ſocietatis hæc ſolet eſſe ratio, vt qui plus in eam contulerit, plus quoque lucri auferat, vt eſt apud Iuris conſultos ſub *tit. pro ſocio.* Ad eundem modum & in amicitia fieri debere, vt qui virtute aut vtilitate antecellat amicus, ei quoq; plus debeatur aut tribuatur. Atq; ita fere hi, qui virtute aut diuitiis & opibus præſtant. Contra inopes & ipſi ſua habent argumenta, quibus plus ſibi tribuendum dicant, de quibus Ariſtoteles perſpicue. ὁ δὲ ἐνδεὴς καὶ ὁ χείρων &c.

ἔοικε δὲ ἑκάτερ@] Hic Ariſtoteles priorem controuerſiam velut arbiter honorarius dirimit, optimo adhibito temperamento

mento. Nam vtrique plus quidem tribuendum; ſed aliud atque aliud. Nam cum æqua vtriuſque videatur poſtulatio, & vtrique plus tribuatur: ita rem temperat & moderatur Ariſtoteles, vt ſuperiori plus tribuatur honoris, inferiori plus lucri, vni eidemque vtrumq; non item confirmat exemplo ciuitatum, quibus notum eſt amicitiam eſſe ſimilimam. Ergo quemadmodũ in ciuitatibus ei qui nihil in Remp. beneficii contulerit, honos nullus: (publica namq; & communia bona, in quib. & honos, quẽ Ariſt. eleganter hoc loco vocat publicum quiddã, tanquã publicam quandã mercedẽ & præmiũ) ei aũt qui cõtulit, ſiquidẽ facultatibus honos reddi ſolet: ſi opera, forte q̃a tenuior, aut pecunia quoq; ſi δωροδόκος. ſic legendũ) munera potius curet quam honores, ſi ſit auarior, huic pecunia, ſeruatã nimirum æqualitate Geometrica. Nam vt & honorem & vtilitatem vtrumque ſimul ex Repub. quis capiat: ita & neutrum vt capiat benemeritus, iniquum eſt, omnibus namque in rebus deteriorem partem obtinere eſt graue. Ergo vt in ciuitatibus nunc honos, nunc pecunia redditur bene merentibus, pro meritorum ratione & analogia: ita & in amicitiis eſt faciendum, vt amico vel vtilitate, vel virtute excellenti reddatur honos ab altero, adiuto alterius vel virtute, vel vtilitate: atque ita vt vnus honorem, alter percipiat commodum, neuter vtrumque. Quod ipſum, ſeu quam remunerationis rationem & æquitatem confirmat & Ariſtoteles in his verbis, τῆς μὲν γὰρ ἀρετῆς &c. eo quod honos virtutis & beneficentiæ ſit præmium: vtilitas autem & lucrum inopiæ ſit ſubſidium. Recte igitur ſi honos virtutis & beneficentiæ eſt præmium, vtilitas inopiæ ſubſidium, rem ita moderatus eſt Ariſtoteles, tribuendo virtute vel vtilitate excellenti honorem, inopi & inferiori vtilitatis ſubſidia. Officium igitur faciet inferior, ſi ſuperiorem obſeruet & colat, eumque pro beneficiis honore proſequatur. Honos eſt ſolus, quo remunerari poſſit ſuperiorem, eoque hic contentus eſſe debet, cum virtutis & beneficentiæ nullum ſit præſtantius præmium, qua de re extat elegantiſſimus locus *in oratione pro Muræna. Homines tenues, inquit, vnum habent in noſtrum ordinẽ, aut promerendi aut proferendi beneficii locum: hanc in noſtris petitionibus operam atque aſſectationem, à quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi vno Baſilica ſpatio hone-*

honeſtamur, diligenter obſeruari videmur & coli &c. Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii Cato: ſine eos qui omnia à nobis ſperant, habere ipſos quoque aliquid, quod nobis tribuere poſſint. Idem & alteram reddendi beneficii rationem tenuioribus dat *lib. 2 offic.* nimirum gratiarum actionem: nimirum enim inquit, *inops ille, ſi bonus eſt vir etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certe poteſt.* Reſpublica namq; non habet fere alia præmia quam honorem.

ἀντιπαιδιδόντα δὲ] Tertia eſt retributionis huius Ariſtotelicæ ratio & cõfirmatio, cur inquã honos reddi debeat ab inferiore ſuperiori, quia hac ratione reddatur id ꝗ poteſt. Quæ aũt quis poteſt, ſi præſtet amico, officiũ fecerit. Nihil namq; poſtulat aliud amicitia, vt pro facultatibus, hoc eſt, id quod poteſt, amico præſtet, amplius non itẽ, vtpote quod ne præſtare quidẽ poſſit. Exemplo ſint Dii & parẽtes, quib. certe pro merito retribui ſatis non poteſt; ſatis eſt, ſi pro facultatibus tamen iis retribuatur, his ſunt contenti & Dii & parentes. Sic igitur & in amicitia, non tam quod pro meritis, quã quod facultatibus poſtulatur. Quare & tenuis ſi quod poteſt, id eſt, honorẽ ſuperiori reddat, nihil eſt, quod queratur ſuperior. Eſt aũt pręclara hæc Ariſt. ſentẽtia, Deo & parentib. nunquã pro meritis ſatis reddi poſſe. quã & infra iterat *li. 9. c. 2.* quo pertinet & eiuſdem Ariſtotelis ſententia apud Laertium: *Parentibus qui liberos inſtituendos curarint, plus deberi honoris & gratiæ, quam qui neglexerint, quod hi viuendi tantum, illi bene quoque beateque viuendi autores ſint.*

διὸ κἂν δόξειεν.] Quia modo facta eſt parentum mentio, & officii, quod liberi parentibus debeant: hac arrepta occaſione adiungit, parentibus ius eſſe liberos abdicare ἀπείπασθαι (quod vſitatius græci dicunt ἀποκηρύξαι, teſte imperatore *in l. 6. C. de patria poteſt*) liberis patrem non item. Abdicatio græcis vſitata, Romæ rarior, nihil erat aliud, quam liberorum à familia reiectio, & alienatio, græce ἀποκήρυξις, quia ſub præconis voce publice celebraretur, vt eſt apud Platonem *libro nono de legibus*: de qua mentio eſt & apud Quintil. *libro tertio, & 7.* apud Senecam *libro ſecundo controuerſiarum*, & Hermogenem aliquoties. Et extat Luciani abdicatus. Abdicationis autem formulam mihi reperiſſe videor apud Valerium Maximum *libro quinto capitul. octauo*: vbi Torquatus & filium ait hunc in modum

modum. (Abdicationis ſolennis formula.) *Cum Sylanum filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Republica, & domo mea indignum iudico, protinuſque è conſpectu meo abire iubeo.* Nunc ad rem. Cur igitur patri ſit ius abdicare filium, non contra, rationem hanc affert Ariſtoteles, quod patris debitor ſit filius, & quidem perpetuus, maximeque rei: pater autem filii ſit creditor item perpetuus. Formula:

Creditori ius eſt dimittere debitorem, non contra.
Atqui filij creditor eſt pater.
Ergo & eum dimittere, hoc eſt, abdicare poteſt, non contra.

Aſſumptionis ratio, cur pater creditor ſit filii, quia vt filius omnia faciat, nunquam tamen paria, vt dicitur, faciet paternis beneficiis, ſemper igitur erit debitor.

ἀμῶ δὲ ἴσως ὐδείς.] Etſi ius & poteſtatem hanc eſſe patri aduerſus filium, iam docuit: raro tamen parentes eam exercere hoc loco adiungit, cum quia repugnat amor patrius *στοργὴ φυσικὴ*, eiicere filium domo, tum, quia & ipſe pater ſui quoque commodi memor eſſe debet, & præſidii, quod aliquando ſenex à filio capere poterit. Quod humanum eſſe ait Ariſtotel. non reiicere temere ea, quæ ſubſidio nobis eſſe poſſint. Sic. n. accipienda hæc verba, *τὴν ἐπικουρίαν ἀνθρωπικὸν*, &c. quo modo & infra *lib. 9. cap penult. in fin.* hoc verbo *διωθεῖσθαι* eſt vſus, *pro aſpernari ſeu reiicere* [aſpernari non vt vulgo *contemnere* ſignificat, ſed *reijcere*.] Non temere igitur hac poteſtate vtitur pater, niſi aduerſus plane perditum. Cæterum & de abdicationis cauſis videatur Quintil. *lib. 7. cap. 4.* & Alciatus *libro 2. diſpunctionum cap. 27.* Sic igitur pater aduerſus filium, ac hic aduerſus patrem aliter ſe gerit. Nam & facile à patre diſcedit, & auxilio illi eſſe negligit, maxime improbus, præſertim cum hæc hominum fere ſit natura, vt beneficium accipere quam dare malint, vt eum damno coniunctum. Quod idem de humano ingenio dictum, & infra iterat *lib. 9.* Aduerſus quos filios teneatur hoc. Cicer dictum de Aruſpicum reſponſis. *Parentibus*, inquit, *nos primum natura conciliat, quos non alere nefarium eſt* Hine nefarium, impium, & ſceleratum apud veteres idem valent.

FINIS LIBRI IIX.

Digitized by Google

LIBER IX.

ARGVMENTVM.

DE ſumma & argumento huius libri & ſup. nonnihil initio lib.8. quem librum imperitorum inſtar coquorum ſecant & diuidunt plerīq; valde imperite. Nos tres faciamus partes, quarum prima perſequitur Ariſtoteles inſtitutam de querelis & officiis amicitiæ diſputationem. Altera pars cap.4.5.& 6. continetur, eaq; bipartita. Nam priori membro norma adfertur officiorum amicitiæ; Qua ratione & hoc membrum ad primam totius libri partem referri poteſt. Altero membro explicantur Beniuolentia & concordia, tanquam amicitiæ affines. Tertia deniq; parte ſex grauiſſimæ quæſtiones, ſex deinceps capitibus.

CAPVT I.

COMMENTARII.

Perſequitur hoc capite diſputationem de cauſis accuſationum, cuius duo ſint membra, quorum priore de amicitia voluptatis & amatoria: poſteriore de beneficiorum æſtimandorum norma explicetur. Ariſtotel. *in Eudem. lib.7. cap.10. in fin.* magnam ſcribit eſſe difficultatem in æſtimãdis beneficiis inter impares: vt inter præceptorem & inter filium, inter Amãtem & Amaſium. Qua de re & hoc loco explicatur, quæ adhibenda ſit norma, canon ſeu regula & *μέτρον*.

ἐν ἁπάσαις δὲ ταῖς.] Ait igitur initio, amicitiæ inter impares normam eſſe *ἀναλογίαν*, hac & æquari & conſeruari hoc amicitiæ genus: qua de re ſupra *lib* 8. Verbi gratia, in Politica amicitia, vt inter ſutorem & agricolam inter ſe permutantes, niſi adhibita proportione res explicari non poteſt. In qua quidem ciuili amicitia res eſt facilima propter nummi vſum & facilitatem, quem & hoc loco & ſupra *lib.5.* eleganter vocat, communem rerum contrahendarum menſuram.

ἐν δὲ τῇ ἐρωτικῇ.] Hîc de amatoria amicitia, de qua & ſupra *lib.8. cap.4 & 8. in fine.* Hic affert cauſas diſſidii & interitus

huius

huius amicitiæ, querelarum & accuſationum. Ait igitur ſæpe amatorem conqueri hac de cauſa, quod cum ipſe amaſium vehementiſſime depereat, non redametur pro dignitate, nimirum, quia fortaſſe indignus, quiq; nihil admodum amore dignum habeat, deformis puta, vel ruſticus, vt ſupra *lib. 8. c. 8. in fin.* Contra amaſius ſtomachatur & accuſat amantem, qui multa quidem pollicitus ipſi, nihil tandem præſtet. Sic igitur querelæ inter hos exiſtunt, maxime ſi alter voluptatem, alter ſpectet & captet vtilitatem. Quæ duo ſi vterlibet nō aſſequatur, quibus tamen ſolis cohæret hæc amicitia, diſſoluatur, & intereat neceſſe eſt. Sublato vinculo res diſſoluatur, oportet, quod ſup. *lib. 8. cap. 4.* explicatum. Hæc igitur amicitia, quia re admodum fluxa & inſtabili nititur, & ipſa quoque inſtabilis & caduca ſit, neceſſe eſt, quod contra fit in vera ſeu morum amicitia, quod ſupra *lib. 8. cap. 3* explicatum.

διαφέρονται δὲ, καὶ ὅταν.] Cauſam diſſidii vnam attulit, inter voluptate amicos: quod ea, quorum gratia amicitiam colant, non aſſequantur, alter voluptatem, alter vtilitatem. Hoc autem loco & alteram diſſidii cauſam affert, nimirum ſi aſſequantur quidem illi quædam, ſed non ea quæ expectarint, quæ velint. Nam vt eleganter Ariſtoteles, perinde eſſe, aliud quam quod velis accipere, quam plane nihil: tam dolere qui aliud, quam velit, quam qui nihil acceperit, verbi gratia, ſi citharœdo pro voluptate, quam aliis canendo adfert, reddatur non pecunia, quam tamen ſolam ſpectat, ſed voluptas, vt olim quidam citharœdo quo melius caneret, eo maiora præmia pollicitus, cum poſtridie ea peterentur, reſpondiſſe fertur, ſe illi voluptatem pro voluptate parem, & quidem maximam reddidiſſe in eo. [Hoc male explicant omnes interpretes] ſitam, quod magna illi eſſet pollicitus. Nam promiſſa ipſa & ſpes maximam Citharœdo voluptatem attuliſſe videretur. Atqui ita explicat Ariſtot. *in Eudem. lib. 7. cap. 10.*

εἰ μὲν ἐν ἑκάτερος.] Concludit breuiter diſputationem de amicis voluptate. Nam & his fieri ſatis, ſi pro voluptate reddatur voluptas, eam petentibus, alioqui altero voluptatem, altero lucrum ſpectante, non item, propterea quod alter quod cupit, ſit aſſecutus, alter non item. Et hinc diſſidia: nam quæ quis expetit, ad hæc animum intendit, ea ſpectat & expectat; quibus ſi fruſtretur, conqueratur, neceſſe eſt.

τὴν ἀξίαν δὲ ποτέρα.] Altera huius capitis parte, quod priore initio dictum, beneficium pro dignitate eſſe reddendum, explicatur, cuius arbitrio & voluntate dignitas hæc ſeu æſtimatio ſit facienda, eiuſne qui dederit prior, an qui acceperit beneficium. Quam quæſtionem & ſupra *lib. 8. c. penult.* attigit. Ait igitur ſpectandum eſſe eius, qui acceperit, non qui dederit, arbitrium, melius quidem fore, ſi vtriuſq; arbitrio æſtimetur beneficium: hoc tamen ſi fieri nequeat, accipientis iudicio eſſe acquieſcendum, vt tantum reddatur, quantum accipiens arbitretur, & hoc eſt, quod ait infra *μάλιστα μὲν ἴσως*, &c. vbi hoc non tantum neceſſarium, ſed iuſtum quoque & verũ eſſe ait. Toto autem hoc loco diligenter perpenſo & retexto, duas fere rationes reperio, quibus id confirmet Ariſtot. Prior & hic & infr. *ἐναχῆσθαι εἰσὶ νόμοι τῶν*, &c. commemoratur iſta, quod is qui dat, alteri vt æſtimet ipſe permittat, & poteſtatem facere videatur, eiuſq; id fidei totum concredat, quam rationem & planiorem reddit & confirmat. Explanat quidem hoc loco, confirmat infra *ἐναχῆσθαι*, &c. Explanat igitur inſtituto ſeu exemplo Protagoræ Sophiſtæ nobiliſſimi, cuius hunc fuiſſe morem in docendis diſciplinis & repoſcenda mercede, ait, ſecutus Platonem *in Protagora: eum diſcipulis mercedem quidẽ certam non praſiniſſe neq; præcepiſſe* [non ſignificat hoc loco *mandare*, ſed *praaccipere*, *προλαβεῖν*] *ſed poteſtatem ijs feciſſe æſtimandi ea, qui didicerint, iam doctis, non docendis.* Eodem modo ante decennium Pariſiis Ieſuitæ docebant gratis, ſed poſt inſtitutionem, plus pecuniæ, quam ordinarii profeſſores accipiebant, vltra octingentos habuerunt auditores. Sic igitur Protagoras cum ſuis diſcipulis. Nam multis in eo genere ſatis eſt iſtud Heſiodium :

Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.

Id eſt, *Magna ſatis quæ dicta homini merces eſt ab amico*: quem verſiculum adducit & *in Eudem.* qui neq; ipſi mercedem definiant, neq; anxie, vt Protagoras, alios definire iubeant, ſed contenti ſint ea, quam is, quo cum res eſt, amicus vel diſcipulus dederit. Sic namque accommodandus eſt verſiculus, quo monet Heſiodus, acquieſcendum amici iudicio, quam ille mercedem conſtituerit, & ſic legẽdum *ἄρκιος*, vt habent omnes libri & vetus tralatio, non *ἀρίστη*, vt habet Scholiaſtes Græcus [indignus qui legatur.]

οἱ δὲ προλαβόντες τὸ] Occaſione Protagoræ adiungit Ariſtoteles

ſtoteles de ſtipēdiis & præmiis omnium Sophiſtarum & Philoſophorum: Nam Sophiſtas plæroſque mercedem ſeu ſtipendium præcipere conſueſſe, quos, quia pro maximis promiſſis nihil poſtea dignum præſtarent, ſummo in odio haberi ait. De Sophiſtarum vanis & magnificis promiſſis ſæpe Plato & eleganter Iſocrates aduerſus Sophiſtas. Cur autem Sophiſtæ præ manu, vt dicitur, ſtipendia acciperent, rationem adiungit Ariſtotel. quod alioqui poſtea nihil fere accepiſſent, vt qui multa quidem promitterent, ſed nihil tamen, aut mercede magna dignum, docerent. De Sophiſtarum autem auaritia idem Iſocrates eo loco, qui eleganter eos reprehendit, quod cum virtutes ſe docere profiteantur, de mercede tamen ſua non diſcipulorum fidei, ſed ſponſoribus & fideiuſſoribus credant. Sophiſtæ igitur & omnes, qui pro opera mercedem ſtipulantur, ſi fallunt, reprehenſionem incurrere ſolent. Alia eſt eorum ratio, qui non tam propter mercedem, quam propter virtutem & honeſtatem docent, aut beneficium reddunt; quo in genere ſunt & Philoſophi. nam ne mercede quidem vlla aut pretio æſtimari horum opera aut facultas poſſit. Quæ certe præclara eſt philoſophiæ commendatio. Eam eſſe inæſtimabilem, quomodo & Vlpianus Iuriſconſ. Iuriſprudentiam laudat *in l. 1. ff. de variis & extraordinariis cognitionib.* Eſt igitur hic locus de Sophiſtæ & Philoſophi comparatione, digniſſimus obſeruatu: Sophiſtam quidem multa & magnifica ambitioſe polliceri, nihil tamen præſtare; eundem non tam rei & veri quam pecuniæ eſſe ſtudioſum; eum denique omnibus & quidem iure ac merito, quia fidem fallat, eſſe odioſum. Contra in Philoſopho, hunc & ea polliceri, quæ præſtare poſſit, & pecuniæ eſſe contemtorem, omnibus denique charum, adeo quidem, vt Ariſtot. eum & parentibus & ipſi Deo comparare non vereatur. Quibus tribus, vt omnia quis faciat, nunquam tamen paria reddere poſſit, nedum vt philoſophia pecunia æſtimari tanquam pari mercede aut præmio poſſit, vt quæ ſit inæſtimabilis. Sic autem & Imp. Pius apud I.C. Modeſtinum *in l. 6. de excuſat. tutorum & c. Philoſophorum,* inquit, *numerus, idcirco præfinitus non eſt, quia pauci ſunt philoſophantes; at eos quidem, qui diuitiis abundant, arbitror libenter de iis patriæ accommodaturos eſſe: qui autem de pecunia cupidius & acrius cōtendunt, iam tunc ex eo nequaquam philoſophari deprehendūtur.* Et Vlp. Iuriſc. *in l. 1. ff. de variis & extraord. cognit. An &*

Yy 3 Philo-

Philoſophi, inquit, *profeſſorũ numero ſunt? & non putem, nõ quia non religioſa res eſt, ſed quia hoc primum profiteri oportet, mercenariam operã ſpernere, proinde ne iuris quidem ciuilis profeſſoribus ius dicendum.* Eſt quidem res ſanctiſſima ciuilis ſapientia, ſed quæ pretio numario non ſit æſtimanda nec dehoneſtãda.

μὴ τοιαύτης δ᾽ οὔσης.] Digreſſione hac de Sophiſtis & Philoſophis perfecta, redit ad inſtitutum. Sed enim hæc verba iam ſupra ſunt explicata.

ὅσοι γὰρ αὐτοῦ τος.] Hæc altera eſt ratio, cur æſtimatio beneficii facienda ſit ab eo, qui acceperit, non vero ab eo, qui prior dederit, nimirum, quia, quantum is qui accepit, vel commodi, vel voluptatis ab altero ceperit, æquum ſit tantundem alteri reddi, & non amplius. Nam iniquum ſit plus ab altero repetere, quam illi dederis, quam rationem A. cõfirmat exemplo rerum contrahendarum & venalium. Nam & in his pretium ſtatuere non tam venditorem, quam emptorem, petit venditor pretium, alter definit, ſed de hac ratione & ſupra dictum *lib. 8 cap penult.*

ἐνιαχοῦ τε εἰσί.] Ait apud quoſdam inſtitutum eſſe, de contractibus voluntariis nullum ius dici, de quo & ſupra *lib. 8. c. penult.* Quod quidem hic iteratur ad confirmationem prioris rationis. Nam cur hi ius non dicerent contrahentibus, hac nitebantur ratione, quod viderentur alter alterius fidei rem concrediddiſſe. Itaque omnia bona fide conſiſtere & agenda, non litibus aut iudicum officio. Vt igitur apud hos nullæ erãt lites rerum contrahendarum, quia bona fide omnia agerentur, & alterius fidei alter rem committeret: ita & in beneficiis alter alterius fidei promittere videtur, quid & quantum reddere debeat aut velit, aut denique poſſit. Vt apud illos, cui fide eſt permiſſum, æſtimat quantum pretii ſit perſoluẽdum: ita & inter amicos, is qui accepit, æſtimare beneficium debet, non qui dedit. Nam alioqui magna ſæpe conſequeretur iniuria, quæ tertia poteſt eſſe ratio à conſequentibus [ab effectu] ſi æſtimandi poteſtas eſſet penes eum qui dedit. Et quid ita? Nam ſua cuique ſunt cara, ſuas quiſq; res cariſſimo æſtimat, atque ita fieret, ſi ei qui dederit, æſtimatio permittatur, vt ſæpe ſit iuſta grauior & maior. Rerum æſtimationes non ſunt faciendæ arbitrio dominorum, aut eo tempore, quo quis eas iam habet, ſed eo potius, quo nondũ eas haberet, vt eleganter hic Ariſt. quomodo & ICti pretia inquiunt rerũ, non ex affe-

ctio-

ctione, aut ſingulorum vtilitate, ſed communiter funguntur, *l. pretia, ff. ad leg. Falcid. &c.*

CAPVT II.

COMMENTARII.

Ἀπορίαν δὲ ἔχει καὶ τά.] Tres quidem quæſtiones; An patri omnia tribuenda, & omnia parẽtum; An amico magis quam viro bono ſit deſeruiendum & opitulandum; An deniq; benemerito potius quam ſodali, gratificandum: tres hæ quidem quęſtiones, inquam hoc cap. & in his prima & tertia maxime explicantur, ſed tamẽ eſt & hic locus de vniuerſi generis quęſtione; Quæ officia quibus, quanta, & quatenus ſint tribuenda. Nam alia Deo, alia Magiſtratibus & patriæ, alia parentibus, coniugi, fratribus, cognatis, pręceptoribus, ſodalibus, vicinis, &c. debentur. De Deo, huc non pertinet, quia de rebus humanis ſeu philoſophia humana & politica hic explicatur: hoc tãtum attingitur & ſup. *cap. priore & lib 8. cap. pen.* ei pro merito nunquam poſſe fieri paria [vt ICti loquũtur.] De patria & magiſtratu ſupra nonnihil *lib. 8. cap. 11.* vbi de Rerump. generibus, de quibus præclare Cic. *lib. 1. offic. Sed ſi contentio, &c.* & *lib. 3 offic. Sed quid ſi pater vana expilet.* Et Charondas [legislator antiquus, cuius mentio apud Ariſtot. & Ciceron.] apud Stobæum, καλὸν δὲ οὕτω, &c. De parentibus *hoc capite*, & pulcherrime A. Gellius *lib. 2. cap. 7.* & iis locis Cicer. vbi & de fratribus, vicinis, &c. De coniugibus explicatum eſt ſupra *lib. 8 ca. 12. in fin.* De præceptoribus & ſupra nonnihil *cap. priore.* De fratribus pulcherrime Cic. *in lib. de fraterno amore.* De amicis copioſiſſime & elegantiſſime A. Gellius ex Theophraſto Ariſtotelis diſcipulo *lib. 1. cap. 3* & Cic. *in Lælio. Quamobrem id primum videamus, ſi placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat.* Et multo poſt: *Si plarique peruerſe, ne dicam impudenter.* Videatur denique & ipſe Ariſtoteles *in Magn. lib. 2. cap. vlt. & in Eudem. lib. 7. cap. 11. & 13.* Huc pertinet & Iuriſconſultorum diſputatio, quibus in rebus & quatenus domino ſerui parere debent, *l. 127. ad ea, quæ non habent atrocitatem facinorũ, ff. de diuerſ. reg. iur.* Hæc. a. omnis diſputatio, quia temporibus & perſonis mire variat, quia, inquã, magna eſt varietas beneficiorum, & æſtimatio varia pro magnitudine, paruitate, honeſtate & neceſſitate, aliiſque rerum

momentis: hanc inquã propter infinitam varietatẽ certis pręceptis hæ quæſtiones definiri nequeunt. Nã vt & ſup. *lib. 1. c. 3. lib. 2. cap. 2.* dictum, & hic initio, & paulo infr. ὅπως ἐν πολλάκις &c. iteratur: qualis materia, talis eſt præceptio, hoc eſt, ſi materia eſt multiplex & varia, præcepta quoq; vt ſint incerta & mutabilia neceſſe eſt. Quare cum & alia omnis rerum moralium & politicarum materia, quæ in actionibus & perturbationibus fere cernitur, & hęc quoq; de amicitia ſit multiplex: mirum non eſt, ſi præcepta quoq; certa & perpetua adferri nõ poſſint. Quod ipſum & Theophraſtus *in lib. de Amicitia* conqueritur, hac ipſa in re de officiorũ & beneficiorum varietate apud A. Gellium *lib. 1. c. 3.* Has tamen, inquit, & paruitates rerum & magnitudines, atq; has omnes officiorũ æſtimationes alia nonnunquam momenta extrinſecus, atq; aliæ quaſi appendices, perſonarum & cauſarum, & temporum, & circumſtãtiæ ipſius neceſſitates, quas includere in præcepta difficile eſt, moderantur & regunt, & quaſi gubernant, & nunc ratas efficiunt, nunc irritas. Idem conqueritur & Cic. hac ipſa in re *lib. 1. offic. Hæc igitur & talia circumſpicienda &c.* Sic duo ſcientiarum omnium cruta ponit Galen. 1. præcepta. 2. vſum ſeu exercitationem.

οἷον πότερα δεῖ πάντα.] De hac quęſtione poſterius explicat. Videatur enim Gellius, qui diligentiſſime hanc quæſtionem explicat. Honeſta imperanti ſemper patri parendum; turpia nũquam. Sic medico eſt parendum. Verũ quia media poſſunt redigi ad turpia, non eſt parendum. Ire in bellum. Dare operã literis. Ducere vxorem, &c. eſt medium. Ex duobus honeſtis vitæ generib. vnum ſuſcipere eſt medium. Dare operam iuri, & dare operã medicinæ, ducere vxorem, cœlibẽ vitam agere, eſt medium. Concubinam alere nõ eſt mediũ. Pater iubet ducere vxorem, vniuerſe dicimus parendum: Iubet ducere infamem, turpem, ergo non parẽdum. In bellum ire iubet pater, ſi bellũ contra pietatẽ, religionem, patriam, non eſt parendum. Verbigratia, defendere aliquem in iudicio, eſt mediũ. Si pater me iubeat defendere Catilinam; non eſt medium. Sic Gellius explicat. Parendum patri in honeſtis & mediis.

ἀγαθῷ δὲ καὶ φίλῳ] De hac quæſtione ſingulatim nihil infr. ſed *in Eudem. lib. 7. c. 11.* Ex iis tamen, quæ infra dicentur, facile & de hac quæſtione quid ſtatuendũ ſit, perſpicietur, nimirum pro temporum & rerum momẽtis, amico virum bonum eſſe præferendum, & contra.

καὶ ἀπερ-

καὶ εὐεργέτῃ.] De hac tertia quæſtione, prius explicatur.

καὶ μεγέθει καὶ μικρότητι.] Ait beneficia variare magnitudine & paruitate, honeſto & neceſſitate. De duobus prioribus res eſt perſpicua, vt à quo plus acceperis, eidem plus retribuas. De alteris duobus exempla afferuntur infra, capto ab hoſtibus patri potius opitulandum propter neceſſitatem, quam ei, à quo beneficium acceperis, id repoſcenti. Sic vicinum in percipiendis fructibus rectius adiuueris quam fratrem, inquit Cic. *lib. 1. Offic.* ſic honeſtius eſt & æquius, rem domino reddere potius, quam furi, licet à fure depoſitam, vt eſt apud Iuriſconſ. *in l. bona fides, ff. depoſiti.*

ὅτι δ᾽ οὐ πάντα] Hoc loco accedit cum ad priores quæſtiones, tum ad alias eius generis definiendas, prout rerum natura patitur. Ponit igitur hoc generale præceptum, vt certum. Non omnia eidem reddenda aut tribuenda, neque eadem omnibus, quod poſterius infra commemorat: ſed ſua cuiq; & accommodata, alia aliis prout iis quadrant. Quod ipſum præceptum & Cicero hac in re ſeruandum monet *in Lælio. Tantum autem cuiq; tribuendum, quantum ipſe efficere poſſis: deinde etiam quantum ille quem diligas atq; adiuues ſuſtinere, &c.* Quod ſi etiam poſſis, quiduis deferre ad alterum, videndum eſt tamen quid ille poſſit ſuſtinere, & *lib. 1. Offic. ſed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime neceſſe ſit, &c.* Ex hoc præcepto ſtatim definienda eſt quæſtio; An patri omnia ſint tribuenda, etiam ea quæ ſuſtinere non poſſit. Ex eodem præcepto definienda eſt & hæc quæſtio; An benefactori reddendum potius ſit beneficium, quam alii dandum; nimirum ſæpe dari poſſe alii, & non retribui, quod non omnia eidem ſint retribuenda.

καὶ πῶς τὸ εὐεργεσίας.] Diligentius hic explicat tertiam quæſtionem, quam ita definit. Reddendum quidem plærunque bene merito potius beneficium, quam dandum alii. Plærunque inquam, non tamen ſemper. Reddendum docet exemplo mutui, cui & hoc loco, & infra *cap. 7.* comparat remunerationem beneficii. Non ſemper autem reddendum docet duobus exemplis. nam captis ab hoſte, & patri, & bene merito, atque adeo ei, qui nos ab hoſte olim liberarit, non huic reddendum beneficium, ſed patri potius dandum, id eſt, non hic, ſed pater liberandus erit. Præferendus igitur pater eſt benemerito, ſiue item capto, ſiue non, ſed repoſcenti tamen be-

neficium Alterum exemplum eſt in his verbis, ἐνίοτε γὰρ, &c. nimirum ſi vir bonus ab improbo beneficium acceperit: neque enim teneri virum bonum illi reddere. Quemadmodum is qui mutuũ ab improbo acceperit, aut decoctore ſeu ꝓdigo. Nam decoctor locupleti & viro bono facile dat mutuum, certus ſe recepturum; cui decoctori ſi item reddat mutuum alter, nihil recipiet. Non igitur ſemper reddendum eſt beneficium, neq; ſemper reddendum potius, quam alii dandum, nimirum ſi datio aut neceſſitate, aut honeſtate ſuperet retributionem ſeu retrodationem, ac δόσις ἀνταπόδοσιν. In hoc igitur poſteriore exemplo, ſiue reuera res ita ſe habeat, alter vt ſit bonus, alter improbus, alter non item, ſiue ſaltem ita exiſtiment, non æqua erit petitio ἀξίωμα, id eſt, non erit æquum vt repoſcenti mutuũ improbo reddat vir bonus, neq; abſurdi quicquam fecerit, ſi non reddat, vt à quo nihil retro ſperet.

ὅπερ οὖν πολλάκις.] Hoc paulo ſupra eſt explicatum.

ὅτι μὲν οὖν οὐ πάντα.] Eſt velut concluſio prioris diſputationis, qua dictum, neque patri omnia, vt neque Deo, neque omnibus eadem tribuenda eſſe officia.

ἐπεὶ δὲ ἕτερα γονεῦσι] Expoſito, alia aliis tribuenda officia, alia parentibus, alia fratribus, &c. hoc inquam poſito & firmato, adiungit hic propius, quæ quibus ſint tribuenda. Ait igitur, ſingulis ſua, quæque maxime conueniant & quadrent officia eſſe tribuenda. Neq; enim quæ parentibus, eadem liberis: neq; quæ propinquis, eadẽ alienis eſſe tribuenda. Confirmat & hominum opinionibus, ac moribus, qui ſane ita ſe gerunt in vita communi. Vocant namq; ad nuptias cognatos fere, vtpote cum quibus idem ſit genus & communis familia. Nuptiarum autem celebratio officium eſt ad genus & familiam pertinens, actio eſt generis. Ergo ad hanc genere propinqui tantum ſunt vocandi. Quo modo & vulgo ſolent propinquos tantum ad funus & exſequias vocare.

εἰς τὰ κήδη.] Quod recte explicauit Victorius *libr. 23. variarum lect. cap. 1.* reprehenſo Argyropylo.

δόξειε δ᾽ ἂν τροφῆς.] Hic de parentibus, quæ iis ſint tribuenda. Docet igitur parentibus hæc duo maxime tribuenda, ſubſidia vitæ, & honorem ſeu reuerentiam. De ſubſidiis vitæ & Cic. *lib 1. Offic. quamobrem*, inquit, *neceſſaria officia præſidia vitæ debentur iis maxime, quos antea dixi, nimirum parentibus & liberis.* Rationem adiungit Ariſtot. ὡς ὀφείλοντας, cur parentibus

tibus præſidia vitæ ſint præbenda, cur parentes ſint alendi & fouendi, quia debeantur, quia parentũ debitores ſint liberi, vtpote ab illis iam educati & alti. Quin etiam, inquit Ariſt. *κὴ τοῖς αὐτοῖς*, &c. hæc vitæ ſubſidia in magna forte annonæ caritate, parentibus potius q̃ ſibi ipſis ſunt tribuenda: multo eſſe præclarius & honeſtius, parentes alere quam ſe, vt à quibus ſummũ beneficium acceperimus, vitæ nimirum, & lucis huius vſuram, qui ſint autores vitæ, *αἴτιοι τοῦ εἶναι*, de quo & ſupra *lib. 8.* Qui profecto locus eſt admirabilis, ſibi potius detrahenda vitæ ſubſidia quam parentibus. Ex quo confirmantur & ea, quæ ſupra *lib. 8. cap. 11. in fi.* expoſuimus de comparatione parentum, & liberorũ & cõiugum. Subſidia igitur vitæ parentibus omnimodo præſtanda eſſe, cum docet Ariſtotelis ratio, tum ciconiarum exemplum. Vnde prouerbium, *ἀντιπελαργεῖν*, tum deniq; lex apud omnes Græcos olim iubebat. Etſi apud cæteros quidem Græcos, parentes ab liberis ali iubebat abſq; diſcrimine: apud Athenienſes autem eos tantũ, qui liberos arte aliqua honeſta curaſſent inſtituendos, vt eſt apud Vitruuium *lib. 6. in præfat.* Alterum quod parẽtibus debetur, eſt honos, reuerentia ſeu obſeruantia. Nam honorem deberi parentibus non ſecus atq; ipſi Deo, tanquam eximiis *εὐεργέταις*, ſeu benefactorib. & Deo & parẽtibus. Honos non debetur, niſi eximiis, non debetur vulgaribus virtutibus, ſed heroicis & diuinis. Laus vulgaribus, honor debetur eximiis, qua de re ſupra *lib. 1. cap. pen.* dictum. vt autem Ioui, inquit Ariſt. *lib. 7. Eudem. cap. 11.* ita nec parentibus omnis nullo diſcrimine debetur honos. Primum namq; alius patri, alius debetur matri, maior patri, minor matri, vtriq; vñ reuerentia & honos debetur, quomodo accipiendum, quod IC. Paulus *in l. vlt. ff. de in ius vocando. Etſi,* inquit, *parentũ non eadem eſt poteſtas, eadem tamen vtriſq; debetur* reuerẽtia, nimirũ ne alterutrum ignominia afficias, qua de re ibi agebatur. Hinc ſi quis parentem inuitũ traxerit ad iudicem, non licet; An matrem, ꝙ ad reuerentiam & honorẽ, eadem vtriſq; ratio: ꝙ ad poteſtatem, diſſimilis. Mortuo patre non adhibendus matris conſenſus, an liceat mihi ducere vxorem. Theologi ponunt, ICti non item. Hoc igitur primũ eſt diſcrimen. Deinde alius profecto honos parẽtibus, alius debetur ſapienti, aut Imperatori, aut Regi. [Imperatorẽ hoc loco appello *στρατηγόν*.] Parẽtibus debet tantus, quantus vero Deo, cui præclare ſemper cõparat

paren-

Digitized by Google

parentes Ariſtoteles, etſi patriæ & principi ſeu magiſtratui plus etiam deberi quàm parentibus, diſſerit multis in locis Cicero: patria, inquit, plus meretur quàm pater, quia patria verus parens. Honos igitur & parentibus debetur, ſed adhibito diſcrimine. Debetur idem & omnibus natu grandioribus, qui fit aſſurgendo, caput aperiendo, locum cedendo, aliis generibus quæ hic attingit Ariſtoteles, & latius explicat *lib. 1. Rhet.* Saluſtius *lib. 5. hiſtoriarum*, [quod præclarum opus periit] apud Nonium. Qua de cauſa Syllam in victoria dictatorem ſibi equo deſcendere, ſurgere de ſella, caput aperire ſoleat. Solet & hoc Pompeius iactitare, tantum ſibi honorem iuueni exhibitum.

πρὸς ἑτέρους δὲ.] Tria velut genera ſeu gradus amicorũ facit, quæ tamen ad illa duo nota parium & imparium, de quibus ſupra *lib. 8.* reuocari poſſunt. Primum eſt de parentibus & natu maioribus aduerſus liberos & iuniores, quos inter officia eſſe debeant, iam eſt expoſitum. Alterum genus eſt inter fratres & ſodales, quos inter officia hæc eſſe debere ait, vt omnia, quod prouerbio dici ſolet, ſint communia, ſit παῤῥησία quædam, nulla diſſimulatio, admonitiones & caſtigationes liberæ & apertæ, neuter vt alterum vereatur aut præferatur. Quemadmodum & Plutarchus *libr. 1. problematum ſympoſi. cap. penult.* In conuiuiorum accubationibus, [vel accubitionibus: vtrumque dicitur] inter impares vel ætate vel dignitate diſcrimen eſſe, inter ſocios non item luculenter explicat. Tertium genus eſt reliquorum propinquorum, tribulium & ciuium, de quibus & ſupra *lib. 8.* quibus quæ tribuenda ſint, non enucleat, ſed hoc tantum, quæ cuique conueniant ac debeantur, tribuenda monet, pro propinquitate, id eſt, propinquiori plus quam remotiori, pro virtutis præſtantia, pro vſu denique, hoc eſt, prout hoc vel illo tibi magis aut minus ſit opus, magis aut minus ille tibi ſit vtilis. Sic propter vſum in fructibus percipiendis, inquit Cic. magis iuues vicinũ, quam fratrem non vicinum. Sua igitur cuiq; conuenientia ſunt tribuenda pro cognatione, virtute & vſu. Quod etſi difficile eſt exquiſite videre, tamen inter eos qui eiuſdem ſunt generis aut cognationis facilius eſt, inter diuerſos difficilius; vt inter propinquos, quia propinquiori plus tribuendum, facilius, quæ quibus tribuenda ſint officia, cernas. Item inter duos ſapientes, ſapientiori plus tribuendum facilius cernas, quam

inter

Digitized by Google

inter amicum & virum bonũ, vtri plus tribuendum aut ſubueniendum. Et hoc eſt, ꝙ ait τῶν μ̃ ἐν ὁμοφύλων, &c. Itaq; etſi exquiſite diiudicare, quæ quibus ad amuſſim tribuenda ſint officia, difficile eſt: opera tamen danda eſt, adhibitis prioribus diſtinctionibus, & iis quæ adhuc ſæpe hac de re attulimus, id fiat quam commodiſſime & veriſſime. Theophraſtus olim hac de re enucleatius diſputauit *in libris de Amicitia*, qua de re ſupra initio [libri qui perierunt] huius capitis.

CAPVT III.

COMMENTARII.

Ἔχει δ' ἀπορίαν καὶ περὶ τοῦ.] Explicatur hic breuiter de amicitiis diſſoluendis, tam ex vtilitate & voluptate, quam ex virtute, de quo & ſupra aliquoties *libro 8. cap. 4 & 13. & hoc libro cap. 1.* Videatur ad hæc accommodatiſſimus locus apud Ciceronem *in Lælio. Eſt etiam quaſi quædam calamitas in amicitiis dimittendis, &c.*

Ἔχει δ' ἀπορίαν.] Locum hũc de diſſoluendis amicitiis, quæſtionis modo exponit Ariſtoteles. Quæri, inquit, ſolet, amicitiæ aduerſus eos, qui non idem permaneant, diſſoluine debeant, necne? Nam tota vis huius loci in his verbis, permanere & mutari, eſt poſita, quæ Ariſtoteles dicit διαμένειν καὶ ἀλλοιοῦσθαι. Quo modo & Cicero eo loco. *Sin autem & morum*, inquit, *aut ſtudiorum commutatio, vt fieri ſolet, facta erit*, &c. Hæc igitur duo diligenter ſunt attendenda.

ἢ πρὸς μ̃ τοὺς.] Priore loco de amicis vtilitate aut voluptate. Nam inter hos amicitiam continuo diſſolui, ſimul vtilitas aut voluptas deſierint. Neq; peccare eos qui ita amicitiã diſſoluant, propterea quod non tam ipſi inter ſe, quam vtilitatis potius & voluptatis fuerint amici. Quod idem & ſupra *lib. 8. cap. 3. & 4. & hoc lib. cap. 1.* Commutata igitur vtilitate aut voluptate, aut ſublata, tollitur & amicitia.

ἐγκαλέσειε δ' ἂν τις.] Interponit hoc loco Ariſtotel. quidam de reprehenſione ſeu accuſatione, de qua ſupra latius *lib. 8. cap. 4 & penult.* Ait igitur, merito quem accuſare poſſe eum, qui, cum reuera vtilitatis aut voluptatis cauſa amaret, ſimularet tamen amare propter virtutem aut mores. Simulator hic merito accuſari debet, propterea quod non præſtet, quæ alter exſpectat, Nam exſpectat viri boni officia, alter

captat

captat vtilitatem aut voluptatem. Quod vbi accidit, vt impares ſint amici, alter ob virtutem, alter voluptate, alter ob vtilitatem, diſſidia & crimina διαφορὰς oriri conſueſſe, & ſupra docuimus *lib. 8. cap. 3.* Et hoc eſt, quod ait, ὅπερ ἐν ἀρχῇ εἴπομεν, &c. Iure igitur dolus hic & ſimulatio accuſari poteſt, & quidem multo magis ſeu iuſtius, quam dolus vel fraus in re familiari admiſſa, propterea quod fraus eo ſit maior, quo in re præſtantiore eſt admiſſa. Atqui notum eſt, amicitiam pecunia aut re familiari longe eſſe præſtantiorem. Si igitur aliam ob rem amarit, ob aliam ſimularit, merito accuſari debet: ſin nihil ſimularit, ſed aperte poſtularit vel pertulerit, amare ſe propter vtilitatem, alter tamen imprudentia vel errore, eum exiſtimarit ob virtutem amare: hic certe accuſari non debet, quia potius ſe ipſe accuſet alter, vt nimis credulum vel imprudentem.

ἐὰν δὲ ἀποδέχηται ὡς.] Adhuc de amicis vtilitate aut voluptate; nunc de iis qui ob virtutem, de quibus breuiter ita ſtatuendum. vel enim permanent idem vel non. Si permanent, non diſſoluenda eſt amicitia: ſi non, id eſt, ex bonis fiant improbi, tum vel fiunt excellenter improbi, id eſt, plane perditi & inſanabiles, vel leuiter & ſanabiles, & aduerſus illos diſſoluatur amicitia neceſſe eſt; aduerſus hos qui potius ad frugem ſunt reducendi, non item.

ἐὰν δὲ ἀποδέχηται.] De bonorum amicitia, vt dictum hic quæritur, quando ſit diſſoluenda. Quæ quæſtio diſtinctione, quam breuiter & modo attulimus, adhibita, explicatur. Nam vel idem manent, vel non. De prioribus infra, ἡ δὲ ὁ μὲν διαμένοι. De altero igitur genere, ſi alter fiat improbus aut certe videatur (ſic legendum potius, μοχθηρὸς ἢ καὶ δοκῇ, quo modo habent quædam editiones meliores. nam ſatis eſt vel videri & exiſtimari ſupra *cap. 2.* ἤτε πηλὼ τῇ ἀληθείᾳ) amicitiam amplius conſiſtere aut permanere neque poſſe, neque debere, ait Ariſtoteles. Rationem adiungit, quod malum neque ſit φιλητὸν, amabile, neq; φιλητέον τὸν πονηρὸν, id eſt, non amandus ſit improbus. de quibus verbis, φιλητὸν & φιλητέον ſupra *lib. 8. cap. 2.* ad quorum diſcrimen hoc loco alludi mihi videtur ab Ariſtotele *Malum*, inquit, *non eſt* φιλητὸν. neq; enim omnia ſunt φιλητὰ, ſed bona duntaxat, ſup. *lib. 8. cap. 2.* non eſt & φιλητέον τὸν πονηρὸν. Sic. n. accipiendum de homine improbo, nō de improbitate, intelligendus inquam ὁ πονηρὸς,

non

non τὸ πονηρὸν, quod quidam faciunt. Amandus igitur nō eſt vir improbus. Nam turpe eſt eſſe φιλοπόνηρον, amantē & ſtudioſum improborum. Quare legendum puto, οὔτε δὲ φιλητέον πονηρὸν, φιλοπόνηρον γὰρ. nam hoc verbum, οὔτε δεῖ, abeſt à manuſcripto libro & veteri tralatione & ſuperuacaneū eſt. Hæc igitur eſt ratio, cur ex amicis altero facto improbo non permaneat amicitia, quia τὸ πονηρὸν non ſit φιλητὸν, & ὁ πονηρὸς non ſit φιλητέος, id eſt, quia cum improbo nulla nobis ſocietas eſſe debeat, nulla amicitia, neque poſſit, quia nullum φιλητὸν niſi bonum.

οὐδ' ὁμοιοῦσθαι φαύλῳ.] Hoc pertinet eo, vbi dictum non debere amicitiam permanere. cuius rationem iam vnam attulit, quia turpe ſit eſſe φιλοπόνηρον. Hic & altera affertur ratio, quia turpe ſit, ſimilem reddi improbo. Atqui notum eſt, cui quis fiat amicus, ei quoque ſimilem eum eſſe debere, qua de re ſupra *lib. 8. cap. 2. & cap 5. in fi.* Similis gaudet ſimili.

ἆρ' οὖν εὐθὺς διαλυτέον.] Poſito iam & firmato deſinere aut diſſolui amicitiam debere, altero ex amicis facto improbo: progreditur Ariſtoteles & quærit; An continuo ea ſit diſſoluenda? De qua quæſtione videatur & elegans locus apud Ciceronem *in Lælio Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione vſus deluendæ*, &c. Sic enim ibi legendum, vt & *in Officiis*, vbi de eadem re fere agitur. *vt amicitias*, inquit, *quæ minus delectēt, & minus probentur, magis decere cenſent ſapientes, ſenſim diluere* [*ſiue deluere*] *quam repente præcidere.* Ita namq; habent veteres libri manuſcripti: [Diluere, quando lauando detergimus maculas, elegans phraſis, Diluere amicitias:] Diſcrepat tamen ab Ariſt. Cicero. nam Ariſtot. omnes ille quidem amicitias, altero ex amicis facto improbo, diſſolui poſſe fatetur, neque alterum facere abſurde, ſi amicum ita immutatum repellat, vt qui non huic ita immutato, ſed priori fuerit amicus: melius tamen facturum eum ait, ſi diſtinctionem hanc ſequatur. Vt, ſi leuiter improbus ſit, non continuo eum repellat, ſed ad frugem potius perducat. Nam, vt præclare Cic. *ſi*, inquit, *amici & viri boni eſt, inopia laboranti ſuccurrere, quanto maiorem operam nauare debet, vt morbo animi laboranti amico opem ferat.* Sin autem plane eſt perditus, qui ad ſanitatem nunquam reuocari poſſit, ab hoc demum plane diſcedendum, ait Ariſtoteles. Cicero autem omnes eiuſmodi dirimendas ait, adhibito tamen & hoc diſcrimine, vt cum

leuiter

leuiter improbo ſenſim & paulatim ſint dirimendæ, cum perdito & profligato ſtatim præcidendæ.

εἰ δ' ὁ μὲν διαμένει.] Hic de iis qui non mutentur, certe qui non ex bonis fiant improbi, intercedat tamen quædam mutatio, nimirum ſi cum duo inter ſe amici eſſent viri boni, alter tamen virtute creſcat vſque adeo vt alterum longe ſuperet, & quaſi heros aliquis euadat. De his igitur quæritur, an amici permaneant. Negat Ariſtoteles, quia inter longe diſpares amicitia conſiſtere non poſſit; inter eos inquam, quos inter magna eſt virtutis, morum & ſtudiorum diſtantia διάστασις διάστημα, qua de re dictum ſupra *lib.8.cap.7.* & hoc eſt, quod ait, εἴρηται δὲ περὶ τούτων, &c.

ἆρ' οὖν οὐθὲν ἀλλοιότερον.] Quid ergo? inquit Ariſtoteles, Amicitia itane diſſoluetur funditus, vt nullum prorſus veſtigium ſupereſſe debeat, & eo loco vetus ille amicus ſit habendus, quo quiuis extraneus aut alienus? minime: nam quemadmodum plus amicis, quam alienis; ita & huic propter priſtinæ memoriam amicitiæ aliquid erit tribuendum, quibuſdam in rebus interdum gratificandũ, exceptis illis plane perditis & profligatis ſeu inſigniter improbis. Qua de re extat & elegans locus *in Lælio Ciceronis: quamobrem*, inquit, *primum danda opera eſt* [videtur Cic. ea deſcripſiſſe ex hoc loco] *ne qua amicorum diſſidia fiant, &c.* Sequens nunc caput aureum & fere Theologicum.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Τὰ φιλικὰ δ' ἐκ τῶν πρὸς τοὺς φίλους.] Extremum hoc eſt ad amicitiæ naturam & vim explicandam idoneum & pertinens, quod hoc cap. exponitur, quod quidem & præclariſſimum eſt. continet namq; fontẽ omnis amicitiæ. nam docet hoc cap. Ariſt. Amicitiam omnẽ aduerſus alios, ex ea quæ cuiq; ſecũ natura eſt, manare, tanquam ex fonte & capite: ſiue vt *in Eudem.* loquitur, ſuam cuiuſq; ſecũ amicitiam ſeu caritatem eſſe tanq̃ regulam & canonem amicitiæ aduerſus alios. Docet aũt hoc ex notis ſeu proprietatibus amicitię vulgo tributis. Secari aũt caput poteſt in duas partes, quarum priore de charitate viri boni ſecum: poſteriore de improborum charitate ſeu potius inimicitia & odio diſſeritur. De hac quæſtione videatur & *caput 6. lib.7. Eudem.* Eodẽ pertinet & diſputatio Theologorum ſchola-

ſcholaſticorum, qua dicitur charitas initium capere à ſeipſo. Cic. *in Lælio* hanc ſententiam improbare videtur, vt eodem modo erga amicum affecti ſimus, quo erga noſmetipſos, ſeu, vt quemadmodũ in ſe quiſque, ſic in amicũ ſit animatus. Quã ſententiam ille refellens, *quam permulta enim*, inquit, *quæ noſtra cauſa nunq̃ faceremus, facimus cauſa amicorũ, precari ab indigno, ſupplicare, tum acerbius in aliquem inuehi*. Verũ Cic. ſi recte intelligatur, ab Ariſt. non diſſentit. Nam & *in eod. lib.* Cic. hoc ipſo argumento, quo hic Ariſtot. vtens, docet, amicos propter ſe, non propter vtilitates ſpectandos eſſe, nec ipſi, inquit, ſibi exemplo ſunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta ſit: *ipſe enim quiſq; ſe diligit*, &c. Itaque non negat Cic. quin charitas erga ſe ipſum, norma ſit eius, quæ eſt aduerſus aliũ, ſed hoc tantum vult, Amico ſæpe plus tribuẽdum eſſe quam ſibi, quod idem & Ariſt. infra præclare docet *cap. 8.* nimirum, in rebus vtilibus & iucundis, in honeſtis non item. In honore enim diuitiis, voluptatibus ſemper plus tribuendũ eſſe. Quod ad honeſtatem maxime quis ſtudere debet, vt vir bonus euadat. φιλαυτία, qua cupimus nobis plus ex virtute quam amico, eſt laudabilis. φιλαυτία qua fortunæ bona plura nobis quam amico attribuenda cenſemus, eſt improbanda. Apud Theologos grauis quæſtio: An æquum & Chriſtiano homine dignum, aliquem in ius trahere. Medium tenentes, inquiunt, pro aliis licere, pro nobis non item. Anabaptiſtæ negant, noſtri affirmant.

τῇθεασι γὸ φίλον.] Ariſtoteles *lib. 2. Rhetorικῶν* varias affert Amici & Amicitiæ notas: hic tres fere afferre videtur. Prima nota eſt, qua amicus cognoſcatur, velle & facere, quæ vel ſint vel videantur bona, non ſua, ſed amici cauſa. Altera eſt, velle amicum viuere & incolumem eſſe non ſua ſed amici cauſa. Tertia, vna verſari & viuere, iiſdem rebus delectari, ſeu idem velle & nolle, angi denique & gaudere rebus amici. De prima dictum ſupra *libr. 8. cap. 2.* Altera, qua amicus amicum ſaluum & incolumem eſſe cupit, item veriſſima eſt. Neque enim ſolum bene eſſe amico, quod primæ eſt notæ, ſed eſſe quoque & viuere cupimus, quod in matribus aduerſus liberos, & patribus quoque, vt eſt *in Eudem.* etſi in matribus euidentius, quarum ardentior eſt amor: & iis in amicis, quos inter friguſculum [ſic Iuriſconſulti vocant] ſeu offenſiuncula quædam ſuborta ſit, quos eleganter Ariſtoteles hic vocat

 ἀγῶνας.

συγχαίρειν καὶ συναλγεῖν, cerni ait; Quid ita? Nam parentes, inquit Ariſtoteles *in Eudem.* liberos quidem viuere & incolumes eſſe volunt, etiam improbos & infantes, vt ſupra dictum *libr. 8. cap. 8.* Cum ipſi tamen cum aliis viuant, non cum liberis. Amici quoque inter quos ſimultas quædam ſeu offenſio extitit, etſi conuictum fugiunt, tamen amicum ſaluum nihilominus eſſe cupiunt. Tertiæ notæ vna quidem eſt ſumma, nimirum conſenſio & concors animus, ſed hæc tribus potiſſimum in rebus cernitur, nimirum, in conuictu, συνδιάγειν & συμμερίζειν, vocat etiam Ariſtoteles *lib. 2. Rhet.* Præterea ſi eadem velint & nolint: poſtremo, ſi amici rebus lætentur proſperis, angantur aduerſis. De conuictu dictum ſupra, & infra dicetur, quam notam & *in Rhet.* vt & primam, prætermiſſa ſecunda, commemorat. De vna voluntate eleganter Terentius: *Idem velle & idem nolle, ea demum firma eſt amicitia.* de quo & *in Rhet.* Cuius nouæ particulæ cauſa amicitia a Græcis dici ſolet μία ψυχὴ [vnus animus] de quo infra *cap. 8* & æqualitas, de quo ſupra *lib. 8 cap. 5.* Studiorum namque & voluntatum coniunctio, amicitię nota eſt veriſſima. Tertium amoris mutui & concordiæ ſignum diximus eſſe gaudere amici rebis ſecundis, dolere aduerſis, quod idem & *in Rhet.* Exemplo ſint Pylades & Oreſtes, Damon & Phindeas (ſic legendū apud Ciceronem *lib 3. Offic* & Valerium Maximum, teſtibus libris veterib. omnibus) & Dauid ac Ionathan, q̄ exēpla & ſuperiori ſecundæ notæ accommodari debent. Lætari igitur & dolere rebus amici ipſius cauſa, vera eſt amici nota. Quo modo matres liberorum rebus & caſibus, aues quoq; nonnullæ, vt turtures, inter ſe lætantur & dolent, inquit Ariſt. *in Eudem. Lib. 7. cap. vlt.* non quo modo ſerui interdum dolent, & ægre ferunt, ſtomachantem dominum, non huius, ſed ſua cauſa. De hac nota & Cic. *in Lælio Quamobrem angor iſte, qui pro amico ſæpe capiendus eſt.* Et alibi in eodem libello: *Quid dulcius quam habere, quo cum omnia audeas ſic loqui vt tecum? qui eſſet tantus fructus in proſperis rebus,* &c. Ex his iam perſpicuum eſt, has eſſe veras amici notas & proprietates.

πρὸς ἑαυτὸν δὲ τούτων.] Expoſitas modo amici notas, hoc loco tamen ad rem accommodat, hoc eſt, eas in viro bono reperiri, in improbo non item. In improbis inquam eatenus tamen ineſſe videri, quatenus ipſi ſe bonos quoque eſſe exiſtiment & fingant. Nam in reliquis, an hæ notæ reperiantur, ſpe-

tur, ſpectari debet vir bonus tanquam norma & menſura. Cum enim omnibus in rebus, ſuo quæque in genere, quæ eſt optima, cæterarum eſt velut canon & norma, tum in quæſtionibus de moribus, virtus & vir bonus aliis tanquam norma & menſura eſt propoſita. Quod inquit ſupra dictum & quidem copioſe *lib.3.cap.4.* De viro bono igitur priore loco, non ſeruato tamen ordine priore, notas eas illi ineſſe docet, & primum quidem virum bonum idem velle & idem nolle, id eſt, ſibi ipſum ſemper conſentire. Nam quod ex *lib.7.* perſpicuum eſt, in viro bono cupiditates rationi ſemper obtēperant. [ex Ariſtotelis ſententia repugnante Paulo.] Contra fit in improbis, de quibus infra. Eadem & idem expetit quæ hodie & cras, & ſemper illi ſunt bona & mala, iucunda & moleſta [non agit quemadmodum improbi, quibus quod mane iucundum, veſperi moleſtum eſt.] Eadem igitur expetit toto animo κατὰ πᾶσαν ψυχὴν, id eſt, quod ratio, idem reliquæ animi partes expetunt. Contra fit in improbis, & perſpicue in impotentibus. Et hæc quidem duo de voluntate & appetitione ad tertiam notam pertinent.

καὶ βούλεται δὴ ἑαυτῷ.] Hic de ſecunda nota, virum bonum ſibi ea quæ ſunt bona, & velle & facere. Rationem adiungit hanc, quia boni eſt bona velle & facere, & quidem ſua cauſa. Nam quiſque ſibi bene eſſe cupit, etiam vir bonus. Terentius *in Andria*, verum eſt verbum illud, quod dici ſolet; *Omnes ſibi melius eſſe malle quam alteri.* Sed de hac ratione videatur Eraſmus in Prouerbio: *Genu ſura propius, & Tunica pallio propior.* [vulgo liber Eraſmi *Adag.* non eſt notus, quod ad vſum: Vſus eſt ignotus.] Vult igitur & facit improbus, vult ille quidem, ſed non facit, de quo infra, *video meliora, proboque,* &c.

τοῦ γὰρ διανοητικοῦ.] Quod modo dictum ſua cauſa ſibi bonum velle virum bonum, quid illud ſua cauſa ſit, hic explicat, nimirum mentis ſuæ cauſa. Huic inquam & eſſe & bene eſſe cupit vir bonus. In hac perficienda & expolienda elaborat, tam agendo quam contemplando. Quid ita? nam in mente vis omnis fere & natura hominis eſt poſita. Homo non tam corpore quam animo & mente æſtimari debet. Magnam quidem partem Ariſtotelis ſententia: prorſus, Platonis *in Alcibiade.* vbi docet pulcherrime hominem mentem & animum, ſed corpus tanquam veſtem hominis. diſſentit

Ariſtoteles; ſubtile diſputat Plato hominis totam naturam conſiſtere in mente.

καὶ ζῆν δὲ βούλεται.] Hæc ſecunda eſt nota de ſalute & incolumitate. Docet igitur virum bonum ſe quoque cupere eſſe incolumem, & maxime ea parte, qua ſapit & intelligit; mentem inquam vult maxime eſſe ſaluam & incolumem, atque adeo florentem & perfectam. Rationem adiungit, ἀγαθὸν γὰρ, quia eſſe ſeu ſupereſſe, incolumem eſſe, ſit bonum quiddam, maxime viro bono: quod infra explicabimus *cap. 9.* Hinc τὸ εἶναι, viuere, quæritur infra, an vita ſit bonum quiddam. Ariſtot. diſſoluit. Si de vita terreſtri hac intelligit Ariſtoteles, nego. ſi de cœleſti, vera. Formula:

Quiſq; ſibi quæ ſunt bona, vult & expetit.
τὸ εἶναι autem viro bono eſt bonum.
Ergo non mirum eſt, ſi ſe incolumem eſſe velit.

Cæterũ de hoc ipſo, quam quiſq; ſe ſaluum & incolumem eſſe cupiat, præclare Cic. *lib. 5. de fin. Expoſita igitur,* inquit, *terminatione rerum expetendarum.*

γινόμενος δ' ἄλλος.] Obſcurior eſt locus, in quo explicando plurimos verſus conſumit Dn. Schegkius, à quo tamen diſſentio. Nam breuiter hæc mihi videtur huius loci ſententia: ſibi quemq; ea quæ ſunt bona, velle & cupere, quod modo dictum id paulo diſtinctius hic explicatur, nimirũ expetere quemque, quæ ſibi accommodata ſint bona, quæ ſuæ cuiuſq; naturæ cõueniant, quod explanat hic Ariſt. duobus exemplis tanquam à contrario. Nam, ſi homo alius efficiatur, in lapidem puta aut pecudem (nã ad μετεμψύχωσιν Pythagoricã alluſiſſe videtur, vt ẽt aliis in locis) cõuertatur: iam certe ſibi, iam aſino forte facto, nõ ea bona omnia cupiat, quæ olim ſibi voluerit, etiam adhuc homini. Nam accommodata ſibi quiſque bona expetit: at alia homini, alia pecudi & ſaxis ſunt bona. Aliud exemplum eſt in Deo: nam & hic ſuum habet bonum, ſibique accommodatum, qui ſi mutetur, quod fieri tamen nequit: non illud prius, ſed aliud ſibi bonum expetat. Ita igitur Deus, quicquid tandem ille ſit. Nam de Deo, qui, vel quid ſit, explicare non eſt huius loci.

συνδιάγειν τε ὁ τοιοῦτος.] Hoc ad tertiam notam pertinet de conuictu. Virum igitur bonum, ſecum agere & viuere cupit. Rationem adiungit, quia cum voluptate id ei accidit. Formula:

Vbi vo-

Vbi voluptas, ibi facilis eſt conuictus, de quo ſupra.
Atqui viro bono in ſecum agendo eſt voluptas.
Ergo & conuictus.

Aſſumptio τῶν τε γὰρ πεπραγμένων, &c. cur inquam vita viri boni ſecum agentis ſit iucunda, hanc affert rationẽ, quod recte factorum (vir bonus enim recte facit) memoria non poſſit non eſſe iucunda, vt & ſpes præmiorum, ob eadem recte facta futurorum conſequentium. Eadem autem voluptas in ſapiente eſt maior, propter contemplationem, ex qua liquidiſſimæ voluptates manare ſolent, qua de re infra *lib. 10.* Cum igitur omnis viri boni vita etiam ſecum acta eſt iucunda, tum ſapientis eſt iucundiſſima. Quare mirum non eſt, ſi vir bonus & ſapiens conuictum amet in ſe ipſo etiam, & ſecum agere gaudeat: Quo pertinet Scipionis dictum: *Nunquam ſe minus eſſe otioſum, quam cum eſſet otioſus.* id eſt, à Reipublicæ curis vacuus, & ſecum meditans. Hinc ille Philoſophus à quo quærebatur, quid ageret ſolus? Reſpondit, non ſum ſolus, habeo quo cum conteram tempus, mentem meam, inquit. In viro bono reperitur conuictus ſecum, meditari ea quæ egerit, & quæ præmia debeat expectare.

συναλγεῖται καὶ συνήδεται.] Et hoc ad tertiam notam, cuius tres partes eſſe diximus pertinet, virum bonum & angi, & gaudere rebus ſuis, & ſeipſo, aduerſis quidem angi, proſperis gaudere. Rationem adiungit, quia eadem illi ſemper ſint triſtia & aduerſa, eadem læta & proſpera, non idem nunc lætum, nunc triſte. Non eadem igitur re, nunc dolet, nunc gaudet, quod facit improbus, quem ſuorum ſæpe factorum pœnitet; probum non item. Nam vt eleganter Ariſtoteles: Vir bonus eſt, inquit, ἀμεταμέλητος, nunquam ſui ſuorumque factorum ipſum pœnitet, conſtans eſt & ſtabilis, in dolendo & gaudendo. Sic gaudet frui malis rebus, poſtquam potitus, pœnitet improbum. Ergo eadem re & dolet, & gaudet improbus. Rebus rectis & iuſtis gaudet probus, rebus improbis dolet: Improbus nihil habet conſtantiæ.

τῷ δὴ πρὸς αὐτόν.] Concludit diſputationem de viro bono, verbis ſatis obſcuris, quorum tamen hæc mihi videtur ſententia. Viro namque bono, quia priores notæ inſunt aduerſus ſe ipſum ſeu ſecum, & aduerſus amicum quoque, (quę namque aduerſus ſe, eadem & aduerſus amicum, vtpote alterum ipſum gerere & habere quiſque debet: quia igitur ea, in

viro bono tam aduerſus ſe, quam in amicum reperitur, hinc perſpicuum fit, & efficitur, vt amicitia quoq; eorũ trium aliquo, aut omnibus potius definiri debeat, & amici, quibus ea inter ſe communia erunt, ſint dicendi. Summa eſt, & amicitiam & amicum his tribus notis definiendum eſſe, & proinde virum quoque bonum, in quo eæ tres notæ reperiantur, ſecum quoq; amicitiam quandam eſſe, ſibi eſſe amicum. Verum quæri poteſt, an etiam vlla homini ſecum amicitia eſſe poſſit. Nam vt ſupra *lib.5. cap.vlt.* de iniuria diſputatum eſt, An ſibi quis iniuriam facere poſſit: ita & de Amicitia quæri poteſt. Et, vt de iniuria, ita & de Amicitia dicendum videtur, nullam ſibi ſecum eſſe, quia, vt iniuriam facere & accipere, in duobus diſiunctis, ita & amare & amari in duobus quoque diſtinctis eſſe videtur, inquit Ariſtoteles *in Eudem. lib.7. cap. 6.* Hanc quæſtionem Ariſtot. hoc loco reiicit ille quidem tanquam alio loco explicandam, (nam certe de ea infra paulo latius *cap. 8.*) breuiter tamen & eam hoc loco explicat. Nam præter ea, quæ hactenus attulit de notis illis tribus, adiungit & duo alia argumenta, quibus doceat, Amicitiam homini quoq; eſſe ſecum. Prius eſt, ex prioribus repetitum, quia notæ illæ priores, vel duæ, inquit, vel plures, oẽs inquam, ꝙ ſupra iam docuimus, in viro bono aduerſus ſe reperiant. Formula:

Vbi hæ notæ, ibi amicitia.. In probo aduerſus ſe eæ ſunt notæ. Ergo & amicitia.

Sic enim hæc verba, ἢ ἔστι δύο ἢ πλείω, ſunt accipienda, nõ vt putauit ſcholiaſtes Græcus, & Lambinus de corpore & anima, & huius facultatibus variis, quaſi homini ſecum amicitia ipſa ſit eatenus, quatenus ipſe homo ſit duo vel plura, id eſt, corpus & anima, ratio & cupiditas. Nam hos refellit verbum εἰρημένων. De anima namq; & corpore nihil ſupra eſt dictum, nihil εἴρηται, quo verbo & mox vtitur, φαίνεται δ' τὰ εἰρημένα, nimirum notæ illæ priores. Itaque loci huius hæc eſt ſententia: In homine ſecum eſſe amicitiam eatenus, quatenus in eo duo ſunt vel plura ex prædictis, quaſi diceret Ariſtoteles, vt admittamus, homini ſecum proprie non eſſe amicitiam, hactenus tamen eam admittere poſſimus, quatenus notæ amicitiæ in viro bono reperiuntur. Quæ explanatio confirmatur perſpicue *in Eudem.* vbi homini aduerſus ſe, ea quidem ratione, qua amare & amari eſt in duobus diſiunctis, negat eſſe amicitiam; ſed ratione notarum ſeu modorum, vt ibi loquitur

τρόποι,

τρόπων, quibus definitur amicitia, ait eſſe. Verbũ igitur ἔνι pro ἔνεςι, vt verbum ὑπάρχει pro συνυπάρχει, quo modo ſæpe vtitur & loquitur Ariſtoteles. Alterum argumentum ex quotidiano ſermone & vita communi, quia ſumma amicitia comparari ſoleat ei quæ cuiq; eſt ſecum. ſic enim vulgo loquimur, tam te amo, quam me ipſum. Quæ phraſis certe non eſſet vſitata, ſi nulla ſibi ſecum amor & amicitia eſſet, [vt in ſacris literis, Ama proximum, ſicut te ipſum.] His igitur duabus potiſſimum rationibus docet Ariſtoteles amicitiam quoq; homini ſecum eſſe: idque ἐν παρόδῳ leuiter, & tanquam præteriens [obiter dicunt vulgo] quod idem & infra attingit *cap. 8.* vbi hoc tamen potius agit, vt doceat, quem ſe ipſum amare, hoc argumento, quia ſibi ſecum ſit amicitia, ꝙ hic docetur, & *in Magn. lib. 2. c. 2.* vbi tñ vna tantum, prior nimirũ ratio, affertur, & refellitur argumentum, quo videatur nulla homini ſecũ eſſe amicitia, quia ea nõ ſit, niſi in diſiunctis, de quo & nos modo. Neq; .n. plane requiri, vt ſit diſiũctio, quin poti⁹ amicitiã maxime cerni ſumma cõiunctione ſeu copulatione, vbi nimirũ ex duob. tanq̃ vnus copulatus exſiſtat animus, ꝙ cõfirmat & eo loco & *infr. c. 8.* prouerbiis, quibus dicitur, Amicitia, æqualitas, & vnus animus, μία ψυχὴ. Eſt igitur & Amicitia homini ſecum, nimirũ in quo partes animi inter ſe conſentiunt, πάθη ſeu cupiditates cum ratione: non quidem propria omnia, ſed κατ' ἀναλογίαν, inquit *in Eudem.* Nam vere propria & vulgi ſermonibus vſitata amicitia, non eſt niſi inter diſiunctos. Eſt tamen hæc κατ' ἀναλογίαν amicitia, quia ſimilis eſt ei, quæ ex virtute: & propterea hæc quæ cuique ſecum amicitia, non eſt, niſi in viro bono, inquit *in Eudem.* & hoc loco explicatur. Coniungo hic explanationem omnium Ethicor. Ariſtotelis, ꝙ difficillimum. nam valde ſparſa ſunt.

φαίνεται δὲ τὰ εἰρημένα.] Adhuc de viro bono: hic de improbis & nequam, de quibus hic initio ita diſtinguit, vt ſi leuiter ſint impb., & in his amicitiã, ſibi ſecũ eſſe videri, & ineſſe tres eas amicitiæ notas, non qua parte ſint nequã, ſed qua parte boni ſibi videantur, & ſibi placeant, ꝙ ſupra explicatũ initio huius cap. τοῖς δὲ λοιποῖς, &c. Sin aũt plane ſint improbi & vitioſi, iam in his nullas plane eas notas reperiri. Nã tametſi ẽt in leuiter vitioſis eæ vere nõ inſint, ſpecie tñ tenus ineſſe videtur. Eſt aũt luculenta hęc Ariſt. diſputatio, qua docet improbos neq; ſibi ipſos, nec alii cuiq̃ eſſe amicos, & proinde horum vitam eſſe

Digitized by Google

miſerrimam, vtpote omni amicitia & beneuolentia orbatam ſeu expertem, & proinde deniq; vitia, quæ huius miſerrimæ vitæ ſint cauſa, ſummo ſtudio eſſe fugienda.

διαφέρονται γὰρ ἑαυτοῖς.] Docet improbos eadem neq; velle neq; nolle: alia cupere, alia velle, id eſt, alio ipſos trahi cupiditate, alio recta voluntate ſeu ratione. Exemplo ſint impotentes ſeu ἀκρατεῖς; de quibus ſupra *lib.7.* Hi namq; pro iis, quæ etiam bona videantur, perſequūtur nihilominus iucunda, quantumuis pernitioſa. Cuius variæ in improbis voluntatis ſeu expetitionis ratio eſt in his verbis, διαφέρονται γὰρ. nam ſecum, inquit, ipſi diſſentiunt & pugnant. Viri boni, vt ſupra inquit; ὁμογνωμονοῦσι. Non eſt igitur in improbis voluntas eadem, & conſtans, de qua in tertia nota.

οἱ δ' αὖ διὰ δειλίαν.] Attingitur hic prima nota. Nam improbos eſſe qui videant quidem quæ ſibi ſint optima, & velint, ſed non faciant tamen; vel propter metum, vel propter inertiam & ignauiam, & ſummam negligentiam, vt qui non curent bona. Hinc ſunt quidam, qui cupiunt aliis bona, ſed non mouerent pedem pro eo, verus nunquam impeditur, quod minus id, quod videt prodeſſe amico, præſtet.

οἷς δὲ πολλὰ καὶ δεινά.] Hic de ſecunda nota; Ait igitur, improbos eos maxime, qui grauia ſcelera & facinora admiſerint, ſuam ipſos vitam odiſſe, atq; adeo ſæpe ſibi manus afferre, recordatione ſummorũ ſcelerum qua vita ipſis fiat grauis & moleſta. Et hic legendum, μισοῦσι cum Argyropylo & Victorio, qui ait, & in quibuſdam libris manuſcriptis, id reperiri, non μισοῦνται. Neq; enim hoc vult Ariſt. ſceleratos ab aliis odio haberi, ſed ipſos ſeſe odiſſe, & vitam ſuam ꝑpter ſcelera, διὰ τὴν μοχθηρίαν. Articulus autem καὶ tranſponendus eſt ante verbum φεύγουσι, oderunt nimirum & fugiunt.

ζητοῦσί τε οἱ μοχθηροί.] Hic de conuictu, de quo in tertia nota. Improbos igitur ita ſe gerere in hac nota docet Ariſtoteles, vt quærant illi quidem conuictum, non tamen ſecum, ſed cum aliis. Quærant inquam alios, quibus cum verſentur, ſoli & ſecum eſſe nunquam velint. Rationem adiungit, cur aliorum cōſuetudinem quærant, quia hac cōſequantur obliuionem ſuorum ſcelerum, dum ſunt cum aliis, non mordet illos memoria ſcelerum & facinorum; at cum ſunt ſecum, premit illos conſcientia ſcelerum & mordet, quod quia moleſtiſſimum, ea re fugiunt. Formula:

Vbi

Vbi moleſtia, ibi nullus conuictus.

At improbo ſecum ὄντι [id eſt, exiſtenti, vulgo qui ſecum eſt & ſolus eſt] *ſumma eſt moleſtia ob conſcientiam & memoriam ſcelerum.*

Ergo ſecum eſſe non vult.

Aſſumptio eſt perſpicua, & multis præclaris ſententiis de cōſcientia ſcelerum confirmata. Plautus *in Moſell. Nihil eſt miſerius, quàm animus hominis ſibi male conſcius.* Eſaias, *Pax*, inquit, *nulla eſt impiis, feruent tanquam mare.* Et pulcherrime Cic. *in orat. pro S. Roſcio Amer.* (quod idem repetit *in Piſoniana:*) *Nolite*, inquit, *putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos qui aliquid impie ſcelerateq; commiſerint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: ſua quemq; fraus, & ſuus terror maxime vexat: ſuum quemq; ſcelus agitat, amētiaq; afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiaq; animi terrent, hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticaq; furiæ, quæ dies noctesq; pœnas à ſceleratis expetunt.* Exemplum huius vexationis extat apud Euripidem *in Oreſte Furioſo.* Videatur de hac eadem re pulcher Dialogus Eraſmi *in colloquiis* extremus, & Plutarchi liber aureus *de animi tranquillitate.*

οὐδὲ δὴ συγχαίρουσι.] Docet improbos ſuis rebus neque angi neque lætari, quod ad tertiam notam pertinet. Rationem adiungit, quod horum animus inter ſe diſcordet, ſeditionibuſque ag tetur: eius inquam partes, vt & Cicero loquitur *libro primo de fin* inter ſe diſſentiant & diſcordent, quarum partium, alia quidem, puta libido ſeu cupiditas, ἐπιθυμία, propter nequitiam, ſeu, quia flagitioſa & improbitatis cupida, angitur & dolet, ſi re expetita & iucunda potiri nequeat, etſi turpi & flagitioſa: altera lætetur, nimirum ratio, atque ita animum huc illuc in varias inquam partes diſtrahunt & diuellunt improbi. Quare cum non eadem his ſint iucunda & moleſta, ſed alia aliæ animi parte, mirum non eſt, ſi conſtanter vel lætari, vel dolere nequeant. Nam, nunc dolent, eodem tempore dolent & lætantur, improbus plane non poteſt dolere, ſed aliqua ſui parte lætatur, & quas ob res debeat lætari, aliqua ſui parte dolet. Sic in homine luxurioſo & Veneri dedito, ſi non poteſt potiri adamata muliere, dolet. Hanc animi pugnam & diſſidia improborum Plato *in Phædone* vocat ἀναρμοστίαν, vt concordiam ἁρμονίαν. Hinc Philoſophi in viro bono aiunt eſſe harmoniam animi partium, concentum,

& conſenſum: In improbo eſſe animi partium diſſenſionem. Theologi tam in viro bono, quam in improbo eſſe diſſidium. Paulus conqueritur de hac pugna, hoc negant Philoſophi, qui putant, in quocumque homine eſt virtus, ibi eſſe tranquillitatem, ſed tales quidem olim erimus. Philoſophi hæc non intellexerunt. De his ſupra *lib. 2.*

εἰ δὲ μὴ οἷόν τε.] Quod modo dictum vnum eundemque ſimul dolere & lætari pro diuerſis animi partibus, id, quia reprehendi poterat hac ratione, quod contraria in eundem non concurrant. [Non enim fieri poteſt, vt ſimul quis doleat & lætetur] eodem tempore: ea re huic reprehenſioni tacite hic occurrit. Ait igitur, vt hoc fieri nequeat, vt admittamus, fieri non poſſe, vt vnus idemque eodem momento lætetur & doleat (quod tamen ipſum admittendum quoque eſt propter diuerſas animi partes) tamen hoc ſaltem fatendum erit improbos gaudere illos quidem alio tempore, alio, ſed mox ſubſequente lętari aut contra, verbi gratia, vir improbus gaudet, poſtquã potitus re aliqua turpi, poſtea dolet, ſtatim ſubſequitur dolor, proinde non poteſt recte dolere conſtanter. Vt igitur non ſimul doleat & lætetur improbus, tamen modo lętatus, quia re potitus, mox ad ſe rediens, dolet. Adiungit rationem pulcherrimam, quia improbi omnes *μεταμελείας* ſeu *μετανοίας* [vulgo vocamus pœnitentiam] ſunt pleni. Virum bonum ſuarum actionum & rerum nunquam, improbum omnium & ſemper, pœnitet, vrgente ſcelerum conſcientiá. Qua de re dictum & ſupra *lib. 7 in fin.*

οὐ δὴ φαίνεται] Concluſio diſputationis de improbo. Ex his igitur perſpicuum eſt, inquit, improbos, quia nihil in ſe habeant amore dignum, id eſt, nulla in iis amicitiæ nota reperitur, quod iam docuimus, ſibi ſecum nõ eſſe amicos, quin potius inimiciſſimos [improbus nemini magis inimicus quã ſibi] quod præclare Cicero de Cæſare Tyranno, & Rempub. opprimente *lib. 10 epiſt. ad Atticum: corruat iſte neceſſe eſt.* [In epiſtolis ad Atticum eſt grauiſſima Reipub tractatio] *aut per aduerſarios, aut ipſe per ſe, qui quidem ſibi eſt aduerſarius vnus acerrimus.* Et Epiſtola 5. de eodem Cæſare: *Odium autem recte animaduertis ſignificatum theatro: duas legiones, etiam has, quas in Italia aſſumpſit, alieniſſimas eſſe video, ſed tamen nihil inimicus quam ſibi ipſe,* quaſi dicat, ſemper cogitat de ſcelere, quod contraxit de opprimenda Repub.

εἰ δὴ τὸ

εἰ δὴ τὸ οὕτως.] Elegante epilogo concludit priorem diſputationem, adhortando nimirum ad virtutem & deterrendo à vitiis [apud Ariſtotelem ſunt paræneſes, ſed non quales apud Cicer. apud Ariſtotelem ſemper adiunctæ ἀποδείξεις & rationes: hoc eſt, diſciplinabiles.] Nam prioris diſputationis argumento docet, vitia διατεταμένως, id eſt, acerrimo curſu (ſupr. de hoc *lib.4.cap.3.* de magnitudine animi) eſſe fugienda: Virtutem autem ſummo ſtudio eſſe colendam. Rationem hanc affert, quia vitium ſit cauſa inimicitiæ tam aduerſus ſe, quam alios: Virtus amicitiæ, quorum hoc iucundiſſimum, illud miſerrimum & moleſtiſſimum. Qua de re ſupra *libro 8 cap.1* & Cic. *in Lælio*, & infra *cap.9.* vbi quæritur, an poſſit vita humana conſiſtere, an is poſſit viuere, qui nec ſibi, nec aliis ſit amicus. Hoc eodem argumento in eadem re vtitur & Cicero [cũ Cicero vult homines adhortari ad amicitiam, proponit eis virtutem] *in Lælio. Virtutum,* inquit, *amicitia adiutrix à natura data eſt, non vitiorum comes, hæc eſt, inquam ſocietas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque iucunditas, vt & cum hæc aſſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cum optimum maximumque ſit, ſi id volumus aſſequi, virtuti opera danda eſt, ſine qua nec amicitiam, neq; vllam rem expetendam conſequi poſſumus.*

CAPVT V.

COMMENTARII.

Ἡ δὲ εὔνοια, φιλίᾳ μὲν.] Conſtituimus initio alteram hic libri huius partem, niſi quis velit & prius caput eo pertinere, quod rectius & verius videtur. Nam quæ primis tribus capitibus explicantur, pertinent ad diſputationem de querelis & interitu amicitiæ, inſtitutam iam *lib.8.* His autem tribus explicantur, ea quæ cum amicitia affinitatem ſummam habeãt. Nam primo, hoc eſt, capite priore explicatur amicitia, quæ cuique ſecum, non illa vere quidem & proprie amicitia, ſed τῇ συγγενικῇ ſeu propinquorum amicitiæ tamen ſimilima. Reliquis his duobus capitibus item explicantur affectiones quædam amicitiæ perſimiles, beniuolentia & concordia. Et hoc quidem capite de beniuolentia: priore quidem parte quid ſit, & quid non: altera, inter quos reperiatur; Videatur & *c. 12. lib. 2.*

lib.2. Magn. & *in Eudem.lib.7.cap.7.* De beneuolentia & Cic. interdum in Lælio.

ἡ δὲ εὔνοια.] Duabus rationibus (quas & ſupra expoſuit *cap.2.lib.8.*) docet, beniuolentiam non eſſe amicitiam, cum, quia beniuolentia ſit etiam aduerſus ignotos, amicitia non item, tum, quia illa etiam occulta, hæc nonniſi perſpicua eſſe poſſit, vt eo loco latius.

ἀλλ' οὐδὲ φίλησις ἐστιν.] Hic item duabus rationibus docet, beniuolentiam nō eſſe amorem ſeu φίλησιν, de quo verbo ſupra *libro 8.cap.2.* & *3.* cum, quia in amore ſeu in amando & diligendo eſt contentio διάτασις & deſiderium, id eſt, qui alterum diligit, eius & deſiderio tenetur, hoc eſt, & cum præſente eſſe gaudet, & abſentem deſiderat, & pro eodem contendit, id eſt, moleſtiam & periculum adire non recuſat. In amore igitur hæc inſunt, in beniuolentia non item: Nam beniuolus, vult ille quidem alteri bene, ſed vult & cupit tantum, facere autem & periculum adire non curat, vt nec curat eius, cui beniuolus eſt, præſentiam aut conſuetudinem, quod amoris & amicitiæ eſt proprium: Tum (altera ratio) quia amor eſt cum tempore & conſuetudine. Conſuetudo, inquit Lucretius, *lib.4.in fine* concinnat amorem. At beniuolentia etiam ſubito exſiſtit, quod videre licet in ludis, vbi aduerſus pugilem, aut hiſtrionem egregium ſtatim exſiſtit beniuolentia, & ſtudium aliquod ſeu fauor. Nam hiſtriones aut pugiles (quod genus hominum Græci vocant communi nomine ἀγωνιστὰς) eleganter quidem & dextre agentes aut pugnantes, laudamus illos quidem, & iiſdem fauemus: adiuuare tamen eos non ita volumus. Beniuolorum igitur leue eſt ſtudium, diligentium vero ardentius & efficacius.

ἔοικε δὴ ἀρχὴ φιλίας.] Gladiatores tempore Ariſtotelis non erant in vſu. Ludus gladiatorius Romanis notus, ἀγωνιστὰς vertit quidem vir magni nominis, vt ſibi videtur falſum. 150. annos poſt Ariſtotelem in Græcia viſi gladiatores, teſte Liuio. Expoſito de beniuolentia, quid non ſit, nunc quid ſit. Ait igitur, eam eſſe principium amicitiæ, quod explicat ſimilitudine amoris venerei. Nam quemadmodū huius principium eſt voluptas, quæ ex oculis ſeu aſpectu capitur, atque adeo ipſi oculi, vt ſupra *libro octauo, capite quarto*, & infra *capite vltimo*. Neque enim facile amat, qui non ante viſa muliere delectetur, qui quidem etiamſi delectetur, non continuo

tinuo tamen amat, ſed is demum, qui neque abſentis deſiderium ferre poteſt, & præſentis conſuetudine ſemper delectetur: ita etiam, vt amici qui ſint, ante beniuoli ſint, neceſſe eſt. Neque tamen hoc ſatis, vt ſint beniuoli, vt alter alteri bene velit, ſed hoc amplius, facere quoque & præſtare, quæ bona vel ſint, vel videantur, debent. Amicus namque & vult & facit bona: beniuolus vult tantum, nihil facit. Quare eleganter Ariſtoteles monet, beniuolentiam dici poſſe ignauam amicitiam & inertem. Quemadmodum & Philoſophi de Fato differentes, ignauam rationem ἀργὸν λόγον vocant, teſte Cicerone *in libello de Fato*. Sic igitur hic legendum ἀργὴν non ἀρχὴν, vt perperam Græcus Scholiaſtes & Argyropylus. Eſt quidem beniuolentia & ipſa principium amicitiæ, quod iam dictum, ſed eſt & ignaua quædam amicitia. Sic & Cic. *in Lælio* beniuolentiam vocat fontem amicitiæ, hoc eſt, ἀρχὴν ſeu principium, quæ temporis progreſſu & conuictu confirmata, tandem fiat amicitia vera, inquit Ariſtoteles.

ἢ τὴν διὰ τὸ χρήσιμον.] Altera huius capitis parte, beniuolentiam pertinere ad amicos virtute, non ad eos, qui vel vtilitate, vel ex voluptate. De vtilitate hæc adfertur hic ratio, quia vel beneficio iam accepto, vel ſpe accipiendi beniuolentia vtilitatis naſcitur, beniuolus alteri quis eſſe ſolet, quorum ille non tam ex animo, quam gratitudinis ergo, & quia iuſtum exiſtimet, à quo beneficium acceperit, ei, ſi non re ſaltem voluntate & beniuolentia reſpondere; hic vero alteri ſecundas res optans, ſpe fore, vt inde ad ſe quidquam redeat, perſpicue videtur beniuolus eſſe, & bene cupere non tam illi, quam ſibi. Prædium, inquit Martialis, ſeu fundum amat, non amicum, vt omnes ex vtilitate amici, non tam amicum, quam vtilitatem amant. Siue igitur ſpe, ſiue beneficio, vera non eſt beniuolentia, non ex animo, non cum adiunctione animi, quibus tribus rebus, ſpe, beneficio, & veritate animi, ad beniuolentiam homines duci, inquit præclare Cicero *in libello de petit. conſulatus*, & hoc loco ſignificatur ab Ariſtotele. Nam vera eſt beniuolentia, quæ cum adiunctione animi, reliquæ duæ ſunt adumbratæ, ad quas & ea, quæ ob voluptatem, referri poteſt, de qua hoc quidem loco ab Ariſtotele prætermiſſa eſt ratio, cur, inquam, beniuolentia vera inter amicos voluptate non exſiſtat. Quod eadem ſit cum priore, eadem voluptate, quæ vtilitate amicorum ſit ratio, quod no-

tum

tum ex *lib* 8. Adfertur tamen alia ratio *in Eudem. & in Magn.* hæc, quia inquit Ariſtoteles.

Si inter voluptate amicos eſt beneuolentia. Ergo eadem erit nobis aduerſus inanima.

At hoc falſum, vt nec amicitia ſupra lib. 8. cap. 2.

Ergo & illud.

Nam, quæ ratio eſt connexi, inanima, vt tabulas pictas, ſigna, delitias cibi & potus, voluptatis fere cauſa tantum perſequimur. Itaque vera beniuolentia ob virtutem, quam in aliis etiam hoſtibus, inquit Cicero *in Lælio*, viſam, adamamus, exſiſtit: & proinde eadem, niſi inter virtute amicos, eſſe nequit, &c.

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Φιλικὸν δὲ καὶ ἡ ὁμόνοια.] Altera, quæ cum amicitia affinitatem habeat, affectio hic explicatur, ea eſt cōcordia, Græce, ὁμόνοια. Sic namque Cicero *lib 8. epiſtolarum ad Atticum, & lib. 9.* Demetrii Magnetis librum περὶ ὁμονοίας, *de concordia* vertit. De huius cum amicitia ſimilitudine & ſupra nonnihil dictum *libro octauo, capite primo.* De eadem & Plato *in Alcibiade priore & Clitiphone* aduerſus quem hic quædam diſſeruntur, de quibus mox. De eadem & *in Magn. & in Eudem.* vbi de beniuolentia.

φιλικὸν δὲ καὶ ἡ.] Quod hîc initio ait, concordiam ad amicitiam quoque pertinere (nam eſt concordia quædam politica amicitia infra) eo tanquam argumento continuo vtitur ad docendum, concordiam non eſſe, quam Græci vocant ὁμοδοξίαν. Græcorum hæc vocabula, ὁμολογία, ὁμοδοξία, ὁμογνωμοσύνη & ὁμόνοια, valde ſunt affinia, & vt latina, concordia, conſenſus ſeu conſenſio & conſpiratio [conſpiratio hic in bonam partem] exiſtimat Plato iis locis, concordiam eſſe cōſenſionem in arte aliqua ſeu ſcientia, ὁμοδοξίαν Græci vocant, Latini aſſenſum. Hoc reprehendit Ariſtoteles duabus rationibus. Prior eſt, quia eadem ſentire in arte poſſint etiam, qui inter ſe non norint. Sæpe qui Romæ hoc vel illud, in hac vel illa arte ſentiat, reperit alium forte Athenis idem ſentientem, quem ne natum quidem ſcierit [prouerb. vulgi] ὁμοδοξία eſt

inter

inter ignotos, ὁμόνοια non item. De ὁμοδοξίᾳ certum & iam dictum de ὁμόνοια ſeu concordia, ratio eſt, quia eſt φιλικὸν, quia cum amicitia, quæ nulla eſt inter ignotos, ſupra *capite priore*, & alibi *libro octauo*, commune quid habet. Altera ratio ex vulgi ſermone & vſu petita, quia vulgo eos, qui de rebus, puta cœleſtibus aut phyſicis, opinione inter ſe conſentiunt, non vocent concordes, ſed ciuitates potius, quæ de communi vtilitate ſeu bono idem ſentiunt ſeu ὁμογνωμονοῦσι. Et recte quidem vulgus. Nam de rebus ſub intelligentiam cadentibus, περὶ τῶν νοητῶν, vt quæ ad artes pertinent, idem ſentire non eſt φιλικόν. Quid ita? quia φιλία cernitur προαιρέσει, quæ dominatur ἐν τοῖς πρακτοῖς, in rebus agendis, non in rebus intelligendis νοητοῖς, in quibus non προαίρεσις, ſed mens & ratio dominatur. Itaque inter Peripateticos aut Stoicos eadem principia ſectantes, eſt quidem ὁμοδοξία, non tamen ὁμόνοια, eſt aſſenſus & conſenſio quædam, non tamen concordia. De vera & vſitata huius verbi notione agimus. Nam impropriè & tranſlate, etiam ad ὁμοδοξίαν, ſeu in artibus conſentientes accommodari ſolet, tam Græcum, quam Latinum vocabulum.

περὶ τὰ πρακτὰ δή.] Diligenter & enucleate exponit Ariſtoteles, quibus in rebus concordia verſetur, & primum quidem non in iis, quæ ad intelligentiam, ſed quæ ad communem ciuitatum vtilitatem pertineant, & proinde in rebus agendis eam verſari aiunt. Deinde in rebus magnis, & ad ſummam Reipublicæ pertinentibus. Nam parua aut minima in re re diſſenſio inter ciuiles concordiam non labefactat. Præterea in rebus poſſibilibus, hoc eſt, quæ vel ambobus, quos inter ſit concordia, vel omnibus, qui ſint in ciuitate, obtingere poſſint. Nam pene ridiculum ſit, eos dicere concordes, qui ſibi inter ſe optent concordi animo ea, quæ aſſequi nefas ſit, vt apud Eraſmum in ἰχθυοφαγίᾳ: recte. Nam deliberatio non eſt, niſi de rebus, quæ fieri poſſunt: ita nec concordia ſupra *libro 3 & 6*. Quæ vtraque res ad Rempublicam maxime pertinet. Denique Cicero voluit ſcribere de concordia, ſed impeditus bello Cæſariano.

ἢ ἄρχειν Πιττακόν.] Pittacus communi Reipubl. conſenſu, & ſuo (nam & hoc requiritur ad plenam concordiam) princeps in patria conſtitutus fuit ad decennium, quo elapſo, cum amplius

amplius eum imperare vellet ciuitas, recuſauit, quo alluſit Ariſtot. his verbis, *ὅτε καὶ αὐτὸς ἤθελεν.*

ὅπερ δὲ ἐκράτει περ⸗ ἑαυτόν.] De Pittaco exemplum concordię modo attulit. Nam concordiam tum eſſe, vbi vno animo, & vnanimi conſenſu ciuium alicui magiſtratus vel imperium tribuitur: vel etiam inter duos, ſi vterque alteri tantum conſentienter aliquid tribuat, non vero ſi vterque ſibi petat, vt magiſtratum, vel imperium: conſentiunt hi quidem in eo, quod vterque petat, ſed quia ſibi vterque non concordant, vera non eſt inter hos concordia, ſed diſcordia potius, diſſenſio & ſeditio. Exemplum affert Ariſtoteles ex Phœniſſis Euripidi [veteres Euripidi & Euripidis dicunt,] vbi Etheocles & Polynices vterque regnum petit, ille ſolus, hic commune. Itaque eleganter Ariſtoteles: *Concordia*, inquit, *non in eo, quod vterq; idem, ſed quod in eodem ſentiat*, id eſt, non quod vterque eandem rem faciendam ſentiat, aut petendam, ſed quod in eadem re concurrant, & tertio aut ſaltem alteri ex ipſis vterque attribuant.

πολιτικὴ δὲ φιλία φαίνεται.] Hoc loco docet Ariſtoteles, quid ſit concordia. Plato *in Alcibiade priore* vult, amicitiam nihil eſſe aliud, quam concordiam, à quo longe diſſentit Ariſtoteles, qui concordiam vult eſſe non omnem, ſed ciuilem quandam amicitiam. Notum eſt autem ex *libro 8. cap. 9. & ſequentib.* quæ differentia ſit inter veram & inter ciuilem amicitiam. Verum quidem eſt, in vera amicitia concordiam quoque ineſſe, id eſt, ſtudiorum & voluntatium conſenſionem [vtrumque dicitur, voluntatum & voluntatium, quam ſupra diximus, eſſe notam amicitiæ & proprietatem quandam] ſed de hac animorum conſenſione hic non agitur: omnes quidem, inquit Ariſtot. *in Eudem.* amici *ὁμονοοῦσι* ſunt concordes, idem volunt & nolunt: ſed concordiæ vocabulũ propriè ſumptum, non ad priuata, ſed ad publica pertinet. Quare rectè Ariſtoteles dicit, eam eſſe ciuilem amicitiam, atque ita vulgo quoque dici ait, neque id abſque ratione. Nam vt ciuilis amicitia, qua de re ſupra *lib. 8. cap. 9.* ita & concordia in rebus vtilibus, & ad vitam bene beateque degendam pertinentibus, cernitur: vtriuſque eadem eſt & materia & finis.

ἔστι δὲ ἡ τοιαύτη ὁμόνοια.] Hoc loco diuiſionem concordiæ alteram afferre videtur Ariſtoteles, & apertius *in Eudem.* eadem autem opera explicat, in quibus ſeu inter quos vera cõcordia

cordia reperiatur. Itaq; concordia vel eſt inter bonos,vel inter improbos. Nam & hi interdum cõſpirant & conſentiunt. Vera tamen,de qua hic agitur concordia, inter bonos duntaxat reperitur, propterea quod hi ſoli cum ſibi ſecum, tum cũ aliis conſentiunt,de quo ſupra *capite 4.* horum ſtabilis eſt voluntas,de quo ſupra *lib. 8. cap. 8.* Hi denique iuſta ſeu recta & vtilia volunt,& communi conſenſu expetunt. In improbis alia omnia,quos ex iiſdem locis notum eſt,neq; ſibiipſis neq; aliis conſentire, eos tanquam Eurypum inſtabiles fluctuare, nunc denique recta, nunc praua expetere, & quod caput eſt, ſibi quemque cupere meliorem partem, in plus petendo eſſe nimios,in ſumptu adiuuando & faciendo,ad vtilitatem communem eſſe parcos & auaros. Atq; ita fit in improborũ conſenſione, cum quiſq; ad ſe rapit, & alterum detrudit,vt commune bonum ſeu Reſpubl. negligatur, in qua tamen tuenda maxime vis concordiæ elucet, fit etiam eadem auaritia, vt diſcordes continuo fiant, neque diu inter improbos concordia eſſe poſſit. Itaque improborum conſenſio eſt illa quidem interdum,ſed breuis & concordiæ nomine indigna, *conſpiratio potius*,inquit Cic. *in offic. lib. 3.* & *coniuratio dicenda*: de qua & *in Lælio,quamobrem id primum videamus*,&c. Vbi tandem: *Quare*,inquit,*talis improborum conſenſio, non modo excuſatione amicitiæ tegenda non eſt, ſed potius ſupplicio omni vindicanda.* Quemadmodum igitur inter improbos nulla diuturna eſt amicitia, neque adeo vera vlla ſupra *lib. 8. cap. 8.* & Cicero eo loco,ita nec concordia.

μὴ γὰρ τηρούντων, τὸ.] Articulus γὰρ,vt aliâs,hic valet idem, quod δὲ, id eſt, autem. Ait igitur commune interire & collabi, dum ſuæ quiſque ſtudet vtilitati, neque in commune conſulitur, ſed ad ſe, quæ poteſt, quiſque rapit, agit ac fert, (ἄγει καὶ φέρει dicunt Græci, vt in malis Rebuſpublicis fit, interea collabitur commune.) Nam verbum, τὸ κοινὸν, vt aliâs, & Latinum commune apud Ciceronem,hic pro Repub. poſitum videtur, etſi de communi quoque bono accipi non incommode poteſt,&c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Οἱ δὲ εὐεργέται τοὺς εὐεργετηθέντας.] Tertia huius libri parte,

de ſex quæſtionibus, vna hic explicatur iſta; Quid cauſæ ſit, cur bene meriti affectos à ſe beneficiis acrius ament, quam hi illos. De qua quæſtione & *in Magn. lib. 2 cap. 12. & in Eudem. lib. 7. cap. 8.* ad quam pertinent & quæ ſupra *libro 8. capite 8. & 12.* Cur autem huius rei cauſam veteres tam diligenter exquiſiuerint, hanc rationem initio affert Ariſtotel. quod res ea iniuſta eſſe, & rectæ rationi repugnare videatur. Affert autem priore quidem huius capitis parte, aliorum, & refellit: poſteriore, ſuas eius rei cauſas: & extremo capite quædam de matre,

τοῖς μὲν ἂν πλείστοις.] Veterum ratio, quia bene affecti ſint debitores, bene meriti tanquam creditores. quod & ſupra dictum de parentibus & liberis *lib. 8 cap. 12. & hic cap. 2.* Formula:

> *Omnis creditor in rebus contrahendis ἐπὶ τῶν δανείων, in creditis, non vt quidam vertit, in rebus mutuis,* [hoc eſt barbarum, videtur ille ſibi bonus latiniſmus, addito verbo res, non loquimur latine res mutuas, ſed res creditas, etſi mutuum & creditum in neutro idem valent] *magis amat debitorem. quam hic illum, magis certe curat, quod perſpicuum eſt, etſi hanc propoſitionem Ariſtoteles poſtea refellit.*
>
> *Atqui bene meritus eſt creditor, affectus debitor.*
>
> *Ergo, &c.*

Sic igitur argumentabantur illi, quos paulo infra refellet.

ἐπίχαρμος μὲν ἂν.] Ariſtoteles prius veterum ſententiam tuetur quodam modo, quam refellat ab Epicharmi oppugnatione. Hic enim ea fortaſſe de cauſa id accidere diceret, inquit Ariſtot. (quod Epicharmus dixerit aut ſenſerit, quia libri eius perierunt, certe ſcire non poſſumus) ob improbitatem hominum, ad hanc eos ſpectaſſe, qui dicerent, beneficia accipientes dantibus eſſe chariores quam contra, nimirum hoc accidere, quia plærique ſint ingrati & improbi. Huc ergo eos ſpectaſſe, putarit fortaſſe Epicharmus: non recte. Neque enim hoc tam improbitatis eſt, quam humanæ proprium naturæ, humanum eſt. *ἔοικε ἀνθρωπικῷ.* Docet hac ratione, quia plærique beneficii accepti ſint immemores, & ad accipiendum, quam ad dandum proniores ſupra *lib. 8. in fin.* Itaq; veteres illi non tam ad improbitatem, quam ad proprietatem hominis ſpectaſſe videntur.

δόξειε

δόξειε δὲ ἂν φυσικώτερον.] Hoc tandem loco affert Ariſtot. veras huius rei cauſas quatuor, quarum princeps eſt plane Phyſica. Huius generis rationibus in his libris etſi rarius, interdum tamen vtitur, vt & infra *cap.9. φυσικώτερον*, &c. Hinc in rebus Politicis non vtendum rebus phyſicis. In *lib. de Apodixi* hoc præceptum traditur, vt ne quis permiſceat artes, & politicas præceptiones velit phyſicis rationibus confirmare & demonſtrare, aut contra. Theologica docere phyſicis aut politicis argumẽtis eſt periculoſum, ineptum, indocti eſt, hoc tamen interdum facimus, accommodatione tantum. *In Magnis & in Eudem.* duas dũtaxat rationes, primam & vltimam, quæ certe præter cæteras maximi ſunt momenti.

καὶ οὐχ ὅμοιον τῷ.] Refellit hoc loco priuſquam ad ſuas rationes accedat, aliorum rationem ſupra expoſitam. Nam ſimile in quo vis rationis eorum eſt poſita, non eſſe bonum aut accommodatum, non eſſe creditorem aut debitorem ſimiles plane danti & accipienti beneficium; diſſimilitudo in eo eſt, quod creditor debitorem quidem cupit incolumem, ſed ſui commodi cauſa, hoc eſt, vt ſaluum ipſi ſit creditum, *κομιδῆς ἕνεκα*: quo verbo & ſupra hic eſt vſus *cap.2.* dator autem accipiẽtem cupit ſaluum & incolumem nullius commodi cauſa, ſed quia ipſi ſit charus. Similes igitur hi ſunt in eo, quod ſaluos cupiant, diſſimiles tamen, quod alter ſui commodi, alter nullius commodi, ſed amoris gratia id cupiat. Ex his perſpicuum eſt, hanc veterum rationem locum habere poſſe in amicitia, quæ ex vtilitate, non in ea, quæ ex virtute, quod idem nominatim dicit Ariſtot *in Magnis moralibus.*

ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν τεχνιτῶν.] Hic accedit ad ſuas rationes, quarum hæc eſt prima:

Quod opus cuiq; ſuum ſit charum & amabile.
Atqui dantis opus eſt ipſe accipiens.
Ergo hic illi eſt charus.

Propoſitio huius concluſionis ſeu formulæ, in qua tota & prima ratio conſiſtit, confirmatur ab Ariſtotele bifariam: Primum exemplo, poſtea ratione phyſica, quam ſupr. intellexit, in qua vis totius diſputationis eſt poſita. De exemplo igitur ait, cum omnes opifices opus quemq; ſuum adamare magis, quam opus ipſum opificem, etiam cum animatum eſſet, adamaret (nam domus verbi gratia non amat architectum, quod ſi animata eſſet domus, nec tam amaret architectam, quam

architectus domum] tum Poëtæ ſuos verſus amant tanquam liberos [tam delicate Poëtæ omnes verſus ſuos amant.] De quibus Cic. *lib 5. Tuſcul. In hoc enim*, inquit, *genere, neſcio quo pacto, magis quam in aliis* [ſupple opificibus] *ſuum cuiq; pulchrum eſt* [loquitur de Poëtis] ſed de his dictum ſupra *libro 4. cap. 1.* [Ariſtoteles ex Platonis *libro de Repub. 1.* hæc ſumpſit.] Ratio autem phyſica, cur opus cuique ſuum ſit charum, hæc eſt, quia eſſe τὸ εἶναι ſuum cuique charum, φιλητὸν & amabile, id eſt, quia ſua cuique vita & incolumitas eſt chara, ſui conſeruatrix eſt natura. Cicero *libro primo officior. initio & 2. & 4. de fin.* [Quiſque ſe cupit viuere, non opus longa confirmatione.] Quod ſi ita eſt, vt eſt. Ergo & ἐνέργεια ſua cuique eſt chara. Quid ita? [oportet hæc ἀναλύειν diligenter] quia τὸ εἶναι ſeu eſſe ſuum cuiuſq; in ipſa cuiuſque ſua ἐνέργεια eſt poſitum. Verbi gratia, ſerra, inquit Ariſtoteles, ſecando eſt ſerra [ſerra non eſt ſerra, niſi quatenus ſecat] manus tractando & vſu inquit, *in Polit. libro primo, capite ſecundo.* Sic manus abſciſſa à brachio non eſt manus, quia non amplius habet vſum, ἐνέργειαν, homo viuendo eſt homo [quæ ἐνέργεια eſt hominis? viuere, vita & actio: hominis natura & eſſentia, qua in re cernitur? in ἐνέργεια eſt poſita.] Iam vero ſi ἐνέργεια ſua cuique eſt chara. Ergo & opus [opus cuique charum, quia eſſe cuique ſuum charum. Si eſſe, & ἐνέργεια, ſi ἐνέργεια, & opus eſſe, charum ſequitur. opus architecti eſt domus, ἐνέργεια eſt ipſa ædificatio.] Nam ἐνέργεια quodammodo quis eſſe videtur opere effecto, atq; adeo vere tum ἐνέργεια eſſe videtur, ante, id eſt, opere nondum perfecto, poteſtate potius. Opus namque eſt velut index ἐνεργείας, opere declaratur quis eſſe ἐνεργεία, vt pictor tabula picta, poëta carmine. Itaque etſi energiæ τὸ εἶναι proprie tribui à phyſicis ſolet, quia tamen ea opere maxime cernitur in iis artibus, quæ præter ἐνέργειαν ſeu vſum opus quoddam perficiunt, non iniuria ἐνεργεία quoque quis eſſe dicitur ex ipſo opere perfecto. Quare, vt ἐνέργεια propter eſſe, ita & opus propter ἐνέργειαν, ad quam refertur, vt eius index & teſtis, ſuum cuique charum eſt & expetendum. Et hæc eſt veriſſima huius loci ἀνάλυσις, breuiter ita concludenda.

Si eſſe ſuum cuiq; eſt charum.
Ergo & ἐνέργεια.
Si hæc.

Ergo

Ergo & opus.

Si hoc.

Ergo accipiens danti, cuius ille eſt tanquam opus, charus eſt, non dator accipienti.

Itaq; hæc verba, ἐνεργείᾳ δὴ ὁ ποιήσας ad opus pertinent, hoc eſt, eo, ſi energia. Ergo & opus, quia per opus tanquam indicem & teſtem, ἐνεργείᾳ quis eſſe videtur, & quidem maxime, antea poteſtate, vt ſupra explicauimus. Nam hæc verba, ὁ γὰρ ἐστι δυνάμει pertinent ad illa, ἐνεργείᾳ δὴ, &c. ad eandem rem, ad opus. Hæc vero, ἐστι δὲ ἐνεργείᾳ... [sic] —

Hæc vero, ἔργει δὴ τὸ ἔργον, διότι, parentheſi includi debent, perſpicuitatis gratia, quæ alioqui interrumpunt contextum ſyllogiſmi, & continent idem quod initio, id eſt, propoſitionem totius diſputationis, hanc, opus cuique eſſe charum, propterea quod & eſſe ſuum cuiq; ſit charum. Perperam igitur Græcus Scholiaſtes & alii quidam hic ποιήσας τὸ ἔργον, verbum ἔργον putant eſſe nominatiuum caſum, & iungēdum verbo ἐστι, quaſi quiſque ſit ſuum opus, vt Poeta ſit nihil aliud quam carmen: non recte inquam. Nam Ariſtoteles hoc tantum docet, opus ad ἐνέργειαν facere, atque ita per opus ἐνεργείᾳ quem eſſe videri, vt diximus.

ἅμα δὲ καὶ τῷ μὲν] Altera ratio, quia iucundius quid in accipiente reperit is, qui dedit, quam in dante is qui accepit, aut certe non peræque iucundum. Docet ſeu confirmat hanc rationem bifariam, primum, quia quod dator reperit in accipiente eſt honeſtum: quod alter, ſi quid eſt, nihil certe eſt aliud quam vtile. Honeſtum eſt, dare beneficium, vtile accipere. Atqui honeſta vtilibus eſſe iucundiora, ſi veritatem, non vulgi opinionem ſpectes: Veriorem, inquam, rerum honeſtarum eſſe voluptatem quam vtilium, explicatum eſt ſupra *libro ſeptimo* latiſſime in fine. Deinde, quia vſu & actione cernitur ea voluptas ſeu iucunditas, quam capit is qui dedit. Sciendum eſt pro tribus temporibus variare voluptates rerum. Præteritarum autem rerum notum eſt dici memoriam ſeu recordationem: inſtantium, vſum & actionem: futurarum, ſpem & expectationem. Iam vero ex his tribus ſummam voluptatem afferunt, quæ in actione ſeu vſu conſiſtunt: fruitio ipſa recordatione & expectatione eſt iucundior. (Frui aliqua re eſt iucundius, quam ſperare) propterea quod reliquæ duæ propter fruitionem ſint iucundæ: Iam notum eſt ex *Analyt. poſt. initio*, propter quod quidque eſt tale, id magis eſt tale.

hoc recte hic admonet Argyropylus. Itaque in quo eſt vſus ſeu fruitio & actio, in eo maior eſt iucunditas. Atqui in dante eſt fruitio, diuturnior certe quam in accipiente. Quid ita? quia in dante eſt honeſtum; in accipiente vtile: Quorum illud notum eſt, eſſe diuturnum & ſtabile, hoc facile euaneſcere. Bene facta ſunt perpetua, vt ipſa virtus, vtilitatum ſtatim euaneſcit memoria. Dans igitur ratione fruitionis ſeu actionis & vſus maiorem capit voluptatem quam accipiens: fruitio in dante magis reperitur, quam in accipiente. Sed denique, quid de reliquis duobus, memoria ſeu recordatione & ſpe? certe memoriæ quoque ratione maior eſt dantis, quam accipientis voluptas; quia rerum honeſtarum ſuauior & iucundior eſt memoria, quam vtilium. Verum de ſpe ſeu expectatione aliter ſe res habet, in qua accipiens dantem ſuperat; quia expectatio rerum vtilium iucundior eſt, quam honeſtarum. Quid ita? quia res honeſtæ, niſi notæ & cognitæ non ſunt iucundæ. Futuræ non ſunt notæ, Ergo non iucundæ. At vtiles, quia ad vitam bene beateque degendam adiumentum ſint allaturæ, propterea magnam voluptatem, etiam expectatę adferunt. Itaque quia is, qui dat beneficium, honeſte ſeu recte factum ſuum in accipiente reperit, alter tantum vtile, mirum non eſt, quod dans accipientem plus diligat, quam hic illum.

Nam in quo iucundiora reperiuntur, id magis charum nobis eſſe ſolet.
Atqui in accipiente reperit dans iucundiora.
Ergo, &c.

ϰαὶ ἡ μὲν φίλησις.] Tertia ratio, quia amare eſt actionis, amari perpeſſionis. Notum eſt actionem perpeſſione eſſe præſtantiorem & meliorem. Ergo in quo actio, is antecellit ei, in quo perpeſſio. Dans igitur, in quo actio, id eſt, datio, antecellit accipienti, in quo perpeſſio, id eſt, acceptio. Atqui notum eſt ex prioribus (ex libro octauo) meliores & præſtantiores ad amandum eſſe proniores & procliuiores. Itaque dans, vt agens, ad amandum eſt procliuior, quam accipiens.

ἔτι δὲ τὰ ἐπιπόνως.] Quarta ratio, quia chariora ſunt, quæ magno labore parantur quam quæ paruo: difficilia facilibus ſunt chariora, quod confirmat exemplo eorum, qui ſua ſibi opera

opera diuitias pepererunt. Nam hos magis fere amare diuitias, quam eos, qui à parentibus acceperint. Quod idem & ſupra commemorauit *libro 4. cap. 1.* Atqui difficilius eſt dare, quam accipere beneficium. Ergo mirum non eſt, ſi dans accipientem magis diligat, quam hic illum.

Διὰ ταῦτα δὲ καὶ αἱ.] Quod hoc loco, idem & ſupra *libro 8. cap. 12.* dictum eſt, matres, quam patres liberorum eſſe amantiores, cum, quia procreatio matribus eſt difficilior & laborioſior, tum, quia matres ſunt certiores, vt inquiunt Iuriſconſulti, id eſt, liberos eſſe ſuos magis norint, quam patres, quâ de re ſup. eo loco. Hoc autem de matribus commemorat hic Ariſtot. argumenti loco. Nam propoſitionem, chariora eſſe, quæ ſint difficiliora & magis laborioſa, confirmat exemplo, & diuitiarum, labore partarum, & matrum. Cui propoſitioni mox adiungit aſſumptionem, δοκεῖ δὴ, &c. vbi legendum puto δὲ. Atqui videtur, &c. Sic enim ſolemus concipere aſſumptiones, non. Ergo videtur non.

CAPVT IIX.

COMMENTARII.

Ἀπορεῖται δὲ, πότερον δεῖ.] Altera hoc cap. explicatur quæſtio; An maxime amare ſe quis debeat, an alium potius. In qua quæſtione explicanda, & hoc explicatur; An vir bonus debeat eſſe φίλαυτος ſui amans. Nam & *in Magnis*, quæ hic coniuncte, ibi ſeparatim explicantur *libro ſecundo, capite 13. & 14.* Itaque multa hoc capite de φιλαυτίᾳ præclare diſſeruntur, quorum omnium hæc eſt ſumma; Virum bonum & maxime ſeipſum amare, & ſui amantem eſſe poſſe ac debere in rebus honeſtis, in rebus vtilibus & iucundis non item: contra improbum in his duobus rerum generibus poſterioribus ſeipſum & maxime amare & eſſe φίλαυτον. Ex quibus arrepta occaſione Ariſtoteles præclaram adiungit exhortationem ad virtutes, & à vitiis dehortationem. Videtur autem occulte & hic attingi Plato, qui *lib. 5. de legib.* omnem prorſus ſui amorẽ, vt vulgus ſolet, grauiter reprehendit, & viro bono fugiendum monet, tanquam omnium ſcelerum & peccatorum fontem, πάντων ἁμαρτημάτων αἴτιον. Vulgo φιλαυτίαν omnem faciunt vitioſam, de qua Stobæus λόγῳ κα. 21. Et Ariſt. *lib. 1. Polit. cap. 2.* Et Eraſmus *in prouerbiis.* Verum Ariſt. duo facit φιλαυτίας

 genera

Digitized by Google

genera, quarum altera ſit recta, & laudabilis, altera vitioſa & vulgaris.

ἐπιτιμῶσι γὰρ τοῖς.] Docet priore loco; maxime amare ſeipſum neminem debere: hac ratione, quia hoc ſit *φίλαυτον*. Atqui Philautum eſſe, res eſt reprehenſione digniſſima: probri loco philautiæ vocabulum vſurpari ſolet. Cur ita? quia id proprium ſit improbi, & probri plenum & reprehenſione dignum. Quod autem *φιλαυτία* improbi ſit propria, ex ipſa Philauti definitionē perſpici poteſt, quæ eſt apud Ariſtotelem *libro ſecundo Magn. capite duodecimo. Philautus*, inquit, eſt, *qui ſui commodi cauſa omnia agit, nulla alterius*. Atqui hoc idem proprium eſt improbi, inquit hoc loco Ariſtoteles. Improbus namque ſua cauſa facit omnia, idque eo magis, quo improbior & nequior: vt contra vir bonus, ſui commodi negligens, alterius omnia commodi cauſa facit, idque eo magis quo melior, vt qui nihil præter honeſtum & virtutem curet, emolumenta negligat. Itaque quia Philautum eſſe vitioſum eſt, Ergo & ſeipſum maxime amare. Ex hac analyſi perſpicue cernitur. hæc verba omnia, *ἐγκαλοῦσι δὴ αὐτῷ, οἷον ὅτι οὐδὲν ἀφ᾽ αὑτοῦ πράττει*, eſſe ſpuria & inducenda. Primum, quia non neceſſaria, 2. quia ſenſum & analyſin perturbantia, quæ in antitheſi improbi & viri boni eſt poſita. 3. Ob phraſin inauditam, *ἀπ᾽ αὑτοῦ πράττει*. 4. Ob ſcripturæ varietatem, quæ *παρεμβλήσεων* ſolet eſſe nota (hoc eſt, falſarum interiectionum.) Nam in veteri Codice meo manu ſcripto, abeſt, *οἷον*, & pro *αὑτοῦ*, in veteri tralatione eſt *αὐτοῦ*.

τοῖς λόγοις δὲ τούτοις] Hoc iam loco docet, maxime amare quem ſe ipſum poſſe & debere; duabus rationibus. Prior eſt à vita communi, à cuius vſu & priorem ſententiam refellit. Hæc, inquit, diſputatio & ſententia, repugnat *τοῖς ἔργοις*. Sic enim loqui ſolet Ariſtoteles, *λόγους τοῖς ἔργοις διαφωνεῖν*, quod latine dicere poſſumus, *verba à rebus diſſentire infra lib. 10. cap. 1. & 8.*

Diſputatio igitur prior vitæ & vſui communi repugnat, quia cernere licet omnes mortales ſibi melius eſſe malle, quam alteri, inquit comœdia, vitæ ſpecimen ſeu exemplar (hoc adduco, quod iſta diſputatio repugnet vitæ communi.) Quod idem & Euripides *in Medea, φιλεῖ δὲ, amat ſe ipſum quiſq;*, inquit, *maxime*, &c. At in Politicis & Ethicis, quæ à cōmuni vita abhorrent, non ſunt admittenda [diſputationes

iſtæ

iſtæ non diſputandi cauſa ſunt, ſed vitæ, viuendi cauſa] quales Stoicorum, de quibus Horatius:

Cum ventum ad verum eſt, mores ſenſusq; repugnant.

Quo argumento & Platonem reprehendit infra *lib.10. cap.1.* & ſuam de beatitudine Philoſophorũ ſententiam ſtabilit *cap. 8 in fi.* Hoc prius eſt argumẽtũ. Alterum eſt, non tam ex vita communi, q̃ ex ratione, iſtud, quia quiſq; ſibi maxime ſit amicus. Ergo & maxime ſe quiſq; amare debet. Antecedẽs etſi accurate explicatũ eſt ſupra *cap. 4.* tamen & hic confirmatur bifariam. Primum, hac ratione, quia notæ amici ſeu amicitiæ, quib⁹ ea definitur, omnes in vnoquoq; aduerſus ſe ipſum maxime reperiantur ſupra *cap. 4.* quarum vna hic cõmemoratur, velle amico optima quæque, etiamſi ad ſe nihil inde redeat. [nulla ſui vtilitate tantum amoris cauſa.] Atq; ita ſine dubio legendum puto ϰ̀ εἰ μηδὲν οἴσεται, id eſt, etſi nihil feret, ſcilicet commodi viciſſim ab amico, & hoc eſt, quod Cicero de hac nota *lib. 2. de fin. Quid autem eſt amare?* &c. de quibus ſupra *cap. 4.* [nihil aliud amare quam velle amicum omnibus bonis affici, etiamſi nihil ad ſe redeat.] Atque ita & recte Perionius *ad libri 8. caput 2.* [Dionyſius Lambinus, qui vertit poſt illum, grauiſſime reprehendit illum, ſed non viderat illud *caput 2. libri 8.*] Quem locum quia Dionyſius Lambinus non vidit, Perionium hic grauiter & iniuſte reprehendit ſeu accuſat. Ita etiam Grucchium clarum illum virum & inſignem. ϰ̀ τὰ λοιπὰ δὴ, legendum δὲ, non δὴ. non enim hic eſt quædam concluſio, aut complexio.

ϰ̀ αἱ παροιμίαι δὲ.] Alterum eſt argumentum à vulgi dictis ſeu prouerbiis ſumptum, quo docet ſibi quemque maxime eſſe amicum, non, vt vulgo accipiunt, ſe quemque maxime amare, quod perſpicuum eſt ex his verbis, πάντα γὰρ ταῦτα, &c. μάλιστα γὰρ φίλος, &c. Perſpicuum eſt & ex ipſis prouerbiis, quorum vis eo maxime pertinere videatur, vt amicus quiſque ſibi ſit maxime, non ſe amet, etſi hoc ex illo ſequitur. Adfert quatuor, de quibus Eraſmus. De tribus prioribus & ſupra aliquoties dictum, quæ plane ſunt Pythagorica, de quarto copioſe Eraſmus. Quibus adiungatur & hoc Plauti, TVNICA PALLIO PROPIOR. Ex his perſpicuum eſt, amare quemque ſe maxime debere, communem eſſe omnium mortalium φιλαυτίαν, vt Cicero loquitur *libro 13. Epiſtol. ad Atticum*, Niſi, inquit, *me fallit, communis hominum φιλαυτία.*

Latine ab Horatio & Cicerone dicitur *Amor ſui.* Et φίλαυτος ſui diligens & ſui amans, *in Lælio, & lib. 4. & 5. de fin.*

ἴσως οὖν τοὺς τοιούτους] Allatis de quæſtione ſeu controuerſia propoſita argumentis in vtramque partem; hic tandem quid de quæſtione ſentiendum ſit, exponit. Nam vtramque partem probabilitate niti, eaque re diſtinctione adhibita, vtramque vere ſentire oſtendit, ſuo quamque in genere, & prius quidem de iis, qui improbent φιλαυτίαν, poſterius de iis, qui probant, id eſt, de vitioſa φιλαυτίᾳ prius, poſtea de recta & laudabili.

εἰ δὴ λάβοιμεν.] Ait, quæſtionem omnem explicari poſſe ex ipſa philautiæ definitione, ſeu potius vocabuli notione.

οἱ μὲν οὖν εἰς.] Docet eos, qui philautos accuſent, & probri loco ducant φιλαυτίαν, iure & merito id facere, ſiquidem φιλαύτους definiant, & ſtatuant, eos eſſe qui in rebus vtilibus & iucundis, diuitiis, honoribus, & corporis voluptatibus maiorem & meliorem ſibi partem ſemper tribuant. At hoc turpe & accuſabile. Quid ita? quia & ea ipſa non ſunt recta & laudabilia bona, & qui in his ſtudent ac dediti ſunt [veteres ſic loquuntur, in his, pro his] non rectæ rationi, ſed cupiditatibus potius ſuis, & deteriori animæ parti obſequi ac gratificari ſolent. Itaque ſi his bonis definitur Philautus, reprehenſionem meretur. Quod autem hic proprie philautus vulgo dici conſuerit, docet quoque Ariſtot. ex eo accidere, quod plærique mortales alia vix bona norint, & de his maxime inter ſe digladiari ſoleant, eaque re, Græce eleganter dicuntur περιμάχητα. quo verbo vtitur ſæpe Ariſtoteles *in Rhet.* Iſocrates *in Helena*, & alibi, hoc eſt, vt Cicero *initio lib. 1. Offic.* vertit, de quibus inter ſe digladiari ſolent. Quod & à contrario docet; *nam, nemo*, inquit, *philautum vocat, qui bona animi virtutes & artes quærit, qui in his eſt deditus.* Merito igitur philauti vocabulum his, qui in eo genere bonorum ſint occupati, attribuitur. Nam vocabulorum notio ex maiore vſu & frequentiore naſci ſolet. *Ex maiore ſui parte*, inquit Cicero *lib. 5. Tuſcul. res quæque denominari ſolent.* Quam quidem huius verbi notionem tam ego veram eſſe puto, vt Ariſt. alteram mox afferenti, non plane aſſentiar. Nam quem mox ille philautum quoque vocauit, non tam eſt φίλαυτος, quam φιλαγαθής, vt ipſe loquitur *in Magn. libri ſecundi capite decimo quarto.*

δόξειε

δόξειε δ' ἂν ὁ τοιοῦτ⊙.] Hic de recta & vera φιλαυτίᾳ,quæ, an ſit vlla, quæritur. Ariſtoteles docet eſſe, duabus rationibus: Docet,inquam,virum bonum,qui ſe ſtudet,quam optimum reddere, & ex virtutibus meliorem ſemper partem ſibi ſumit,eſſe vere φίλαυτον. Prior ratio eſt,quia de bonis melioribus & præſtantioribus meliorem ſibi partem ſumit.

Quo de præſtantioribus bonis plus ſibi quis ſumit,eo magis videtur φίλαυτος:magis certe eo, qui de bonis contemtioribus & leuioribus.

Atqui bona animi cæteris præſtant.

Ergo,&c.

Altera ratio, καὶ χαρίζεται, quia animi ſui parti meliori obſequitur & gratificatur, nimirum menti & rationi: Atqui is certe magis videtur amare, qui potiorem partem & præſtantiorem amet. Vir igitur bonus,qui animi partem præſtantiorem amat, rationem & mentem ſuam, magis ſe amare videtur,quam is,qui reliquas animi partes deteriores.

ὥσπερ δὲ καὶ πόλις.] Docet Ariſtoteles, hominem maxime eſſe mētem & rationem ,tribus rationibus, quā de re & ſupra nonnihil *cap. 4.* Prima ratio, quia ciuitas & omnis alia ſocietas videtur eſſe id,quod in ea principatū tenet, τὸ κύριον,verbi gratia, in Democratia populus eſt τὸ κύριον, in regno Rex, &c. tot enim ſunt κύρια, quot Rerump. & ſtatuum genera, inquit Ariſtoteles. Nam ex principatu ſeu κυρίῳ æſtimatur & cernitur Reipubl. ſtatus. Eadem eſt & cæterarum ſocietatum & collegiorum ratio. Ergo vt in his maxime ſpectatur τὸ κύριον, atque adeo nihil aliud eſſe videtur, quam τὸ κύριον: ita & homo eſt ſuum τὸ κύριον, id eſt,mens & ratio. Altera ratio, καὶ ἐγκρατὴς δὲ, ſic legendum , non δὴ, quia continens & impotens ex hac animi parte, ratione dicuntur & cenſentur: cui ille paret,hic non item, ſupra *lib.7.* Itaque quia huius vnius partis continens quis & impotens totus dicitur, videtur ea eſſe homo ipſe. [continens dicitur, quia videl. paret rationi. Ergo quoniam denominatio cōtinentiæ & impotentiæ ſumitur ex vna parte, &c.] Tertia ratio, καὶ πεπραχέναι,&c. quia qua ratione quis fecerit, ea maxime ſponte feciſſe dicitur. Nā quæ voluntati,ea & rationi ſunt conſentanea. Eſt .n. rationis appetitio quędam voluntas. Ergo q̄ ratione fiunt,ea & voluntate & ſpōte. Quare videmus totā actionē noſtram ſola ratione dici volūtariam, & proinde homo nihil aliud eſſe videtur,

quam

quam ratio: vt cuius actiones totæ & omnes hac definiantur. Sic actiones hominis dicuntur voluntariæ, ratione, i. propter rationem. Voluntas eſt appetitio, quæ eſt rationalis. Quæ ex ratione fiunt actiones, dicuntur voluntariæ. Sequitur ipſum hominem eſſe rationē, & ratione definiēdum totū hominem.

ὅτι μ̀ ὖν τῦτ᾽.] Ex his, inquit, perſpicuū, quemq; eſſe rationem maxime, q.d. non proprie, neq; plane vere, ſed comparate eum reliquis animi partibus, qua de re ſupra *cap. 4.* [hominem iudicamus enim ex mente & ratione, ſed tamen homo conſtat etiam corpore] & ipſius corporis.

ϗ ὅτι ὁ ἐπιεικής.] Diſputatio hominem videri eſſe mentem ſeu rationem, eo pertinet, vt doceat, qui eam partem amet, eum amare ſe ipſum, vt qui ea parte maxime æſtimetur. Vir igitur bonus, quia perſpicue eam partē maxime amat, vt improbus reliquas partes: hinc efficitur vt vir bonus maxime ſit φίλαυτ☉, alia tamen ratione, quam improbus aut vulgi φίλαυτ☉. Nam hos inter ſe diſcrepare, quantum vitam ex ratione, & eam quæ ex perturbationibus, & quantum honeſti appetitionem, & cupiditatem vtilitatis ſimulatæ. φίλαυτ☉ namq; vir bonus ex ratione viuit & honeſtum ſequitur: alter φίλαυτ☉ & perturbationes, & non quæ honeſta, ſed quæ ſibi videantur vtilia & iucunda, ſectare ſolet. Sic intelligendum videtur, quod ait, ϗ ὀρέγεαζ, ἢ τῦ, &c. etſi hæc verba valde mihi ſunt ſuſpecta. Ex his iam perſpicuum eſt, virum bonū maxime videri eſſe φιλαύτον, hanc veriſſimam ſeu iuſtiſſimam eſſe φιλαυτίαν, alteram vulgarem non item, ſi non vſum vocabuli, ſed originis veritatem intuearis ſeu ſpectes. Nam φίλαυτ☉ eſt qui ſe amat. At vir bonus ſe ipſe maxime amat. Ergo eſt φίλαυτ☉ maxime. Quāquam ſi penitus & accurate hæc diiudicentur, vir bonus non tam ſe & naturam ſuam, quam virtutes & honeſtum quod in ſe eſt, amare videatur ex Ariſtotelis ſententia, atque ita non tam ſit, vt ſupra dictum, φίλαυτ☉, quam φιλάγαθ☉. Reuera tamen non ſolum propter virtutes, ſed quia homo, id eſt, propter naturam ſuam amare ſe ipſe debet, vt quæ bonum ſit quiddam ēt abſque virtutibus conſiderata. Et hanc qui amat, vere dici poteſt φίλαυτ☉, ſi vocabuli originem ſpectes, qui ſe ſuam naturam amat, non tam virtutes.

τὺς μ̀ ὖν περὶ τὰς.] Quia dictum initio, ſui cōmodi cauſa omnia agere, veriſſimā eſſe philauti notam: de ea hoc reliquo capite

capite explicat. Ait aũt, primum, laudari ab omnibus, qui omne ſtudium ponant in recte factis & virtuti conſentaneis. Sed enim, inquit, ſi quam eos laudarẽt, tam ipſi quoq; omnes facerent & certatim contenderent. [Hæc valde male & perperam diſtinguuntur à commentatoribus] & publice & priuatim omnia vtique bona ſuppeditarent, bene beateq; ageretur ſeu viueretur, publice & priuatim. Rationem adiungit, quia hæc vis eſt & poteſtas virtutis, vt actionum virtuti conſentientium, beatas reddere Reſpubl. domos & ſingulos, vt præclare Socrates *in Apologia legum*, ὅτι οὐκ ἐκ χρημάτων, dicens, non ex diuitiis virtutem, ſed ex virtute diuitias exſiſtere, aliaque omnia hominibus bona tam priuatim, quam publice.

ὥστε τὸ μὲν ἀγαθὸν.] Nunc ad eam notam propius accedit, eiuſque ratione docet, virum bonum ratione eſſe φίλαυτον, improbum non item. Viri itaque boni eſſe proprium, & ſibi, & aliis vtilem eſſe, improbi ſibi tantum, atque adeo ne ſibi quidem, ſed qui & ſibi & aliis potius noceat: propterea quod vir bonus, quæ facienda ſuadet recta ratio, ea facit; improbus non item, ſed cupiditatibus potius ſuis obſequitur. Bonus, quia menti, quæ ſemper optimum quidque ſibi ſumit, paret, ea re, ea quæ recta ſunt, ſemper facit: contra fit in improbo. Itaque vir bonus, quia & ſibi & aliis eſt vtilis, φίλαυτος eſſe debet: vir improbus, quia & ſibi & aliis inutilis, non item. Quod autem vir bonus & ſibi & aliis ſit vtilis, & iam docuit ex vi, & proprietate virtutis, & mox explicat latius, ἀληθὲς δὲ τὸ περὶ τοῦ σπουδαίου, vbi eleganter oſtendit, vir bonus pro amico quæ faciat, quæ pro ſe, eleganti diſtinctione.

ἀληθὲς δὲ τὸ περὶ τοῦ] Docet hoc loco, virum bonum philautum non ſibi ſoli, ſed & amicis & patriæ eſſe vtilem, hac ratione ſeu argumento, quod vir bonus vt honeſti & virtutis ſtudioſus, honeſtum duntaxat curet, & operam det, vt ſibi adquirat, reliqua fortunæ bona, diuitias & honores, aliis facile concedat, vt in qua conceſſione & honeſtum quoddam ſit poſitum: atque adeo quidem pro alio laborat, vir bonus, vt pro amico, vel patria mortem quoque ſi neceſſe ſit, oppetere non recuſet. De his duobus, id eſt, de morte oppetenda, & de concedendo bona fortunæ aliis, deinceps & ordine explicat Ariſtoteles, ὀλίγον γὰρ χρόνον, &c. Cur igitur mortem

mortem oppetere non recuſet, tribus argumentis luculente oſtendit ac docet. Nam hæc tria viri boni eſſe propria, vt magnam voluptatem etſi breuem anteponat paruæ etiam longiſſimæ, vt vitã vnius anni, ſed honeſtam & claram vitæ diuturnæ, multorumq; annorũ ſed obſcuræ & contemtæ: vnum denique facinus memorabile, magnum & honeſtum, multis paruis anteponat. Quid ita? quia honeſta hæc ſunt. At honeſtum præter, nihil admodum curat vir bonus. Iam vero in quo tria hæc reperiuntur, is ne mortem quidem curat. Nam facile pro alio mortem oppetat, pro amico, pro patria, ſi præclarum aliquod facinus edere poſſit, vel patriæ vel amici cauſa. præterea vir bonus non curat diuturnam, ſed glorioſam & claram vitam. Vnum aliquod facinus ſatis eſt illi edere modo magnificum & glorioſum, quam multa vilia & contempta. Formula:

In quo tria illa facile contemnit mortem, parui æſtimat vitam.

At in viro bono ea tria reperiuntur.

Ergo & hic mortem pro patria & amico contemnet.

Quod autem hic Ariſt. de viro bono, eum ſumma quæq; & honeſtiſſima curare, parua cõtemnere, id de philoſophia Cic. *initio lib 5. Tuſcul.* non abſimiliter. *Eſt autem vnus dies bene & ex præceptis tuis actus* [loquitur ad philoſophiam] *bene toti immortalitati anteponendus.* Hinc & Poſſidonius [inſignis Ciceronis amicus] dicere ſolet, *doctorum vnum diem plus patere* [eſſe longiorem] *quam idiotarum vitam longiſſimam.* Vulgo: *Vnus dies in cœlis æquat hoc ſæculum.*

καὶ χρήματα προοῖντ' ἂν.] Hic de altero, id eſt, de diuitiis & honoribus [hæc enim ſola ſunt ſunt duo bona, quæ maxime curantur ab hominibus diuitiæ & honores, iſta ſunt περιμάχητα, de quibus homines inter ſe digladiari ſolent.] De diuitiis igitur virum bonum, eas amico conceſſurum, docet hac ratione, quia viri boni eſt amicum beneficiis afficere & locupletare, & ſibi honeſtum acquirere. Atqui concedens amico diuitias, & amicum locupletat & ſibi honeſtum quærit (nam honeſtum eſt eſſe liberalem.) Ergo, &c. amico concedet diuitias. Præterea boni eſt, eſſe philautum: philauti ſibi maius bonum ſumere. At honeſtum præſtantius eſt bonum, quàm diuitiæ. Ergo has amico, illud ſibi quæret vir bonus. De honoribus & magiſtratibus eadem eſt ratio, quos

omnes

omnes amico concedet, quia hoc ſit honeſtum & laudabile. Quemadmodum Romæ olim tota vrbe celebratus fuit, qui deſignatus prætor, Catoni repulſam paſſo, vltro præturam, vt meliori conceſſerit, teſte Plutarcho *in vita Catonis*. Demum vir bonus eſt, qui omnibus rebus anteponit honeſtum, & quod laudabile eſt.

ἐνδέχεται δὲ καὶ πράξεις.] Quin etiam, inquit Ariſtotel. non honores tantum & diuitias vir bonus amico largietur & concedet, ſed etiam honeſtum aliqua ex parte, id eſt, honeſtas actiones. Nam interdum accidit, vt in rebus gerendis ſi amicum quis reperiat, vel aptiorem, vel cupidiorem ad rem aliquam gerendam, ad ducendum exercitum, ad oppugnandam vrbem, &c. amico id permittat, etſi ſibi attributum, aut, etſi ipſe deligatur; aut meliorem ipſe occaſionem habeat rei gerendæ, & gloriæ adquirendæ. Cur autem & hæc amico concedat, eadem quæ priorum eſt ratio, quia honeſtum. Sic homines, viros probos, non tam eſſe gloriæ cupidos, qui ea concedũt amicis, ex quibus illi magnam eſſent conſecuturi gloriam. Laudantur illi poſtea, cum ipſi potuiſſent omnia gerere, maluerint tamen etiam aliquid tribuere amico.

ἐν ἅπασι δὴ τοῖς.] Ex his, inquit, iam perſpicuum, bonos in rebus laudabilibus nihil aliud, quam honeſtum quærere, alia omnia contemnere. Honeſtum aũt, quia præſtantiſſimum eſt bonum, & eius ſtudioſi ſunt boni, efficitur, hos eſſe quam maxime *φιλαύτους*: eſſe tamen hos non ſibi tantum, ſed aliis quoque vtiles. Itaque ſi quæratur, An philautus quis eſſe debeat, nec ne? Reſpondendum vno verbo, vt probum, debere; vt improbum, non item, &c.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ἀμφισβητεῖται δὲ καὶ περὶ.] Tertia quæſtio; An beatus opus habeat amicis, ſeu, an beata vita abſque amicis conſiſtere non poſſit. De qua quæſtione & *in Magnis, lib. 2. cap. 15. Et in Eudem. lib. 7. cap. 12.* Fuit hæc quæſtio Ariſtotelis ætate nobilis. Theodor⁹ Atheos negauit beato opus eſſe amicis, teſte Laertio *in Ariſtippo.* Ariſt. in vtramq; partẽ, quæ dici poſſint, priore loco affert: poſtea accurate explicat, q̃d ſentiẽdum & tenendum ſit. Attingitur hæc quæſtio & à Cic. *in Lælio* aliquoties;

quoties? *Quod ſi ita eſſet, &c.* & poſtea: *Virtutum amicitia adiutrix.* Et *in Tuſcul.5. Adiunge fructum amicitiarum.*

ὅθεν γὰρ φασὶ φίλων.] Exponit argumentum eorum, qui negarent, beato opus eſſe amicis iſtud, quia beatus ſit αὐτάρκης, ſe ipſo contentus, boniſque omnibus affluens. Si beatus eſt αὐτάρκης, vt eſt, ſupra *lib.1. cap.6.* Ergo nulla re prætérea eget, ne amicis quidem, quorum hic eſt vſus, vt quæ per nos ipſi non poſſimus, ea per illos conſequamur. Nam rebus ſecundis nullus eſt amici vſus, inquit Euripides *in Oreſte*, rebus aduerſis proſunt, & vtiles ſunt amici. Sic enim ait Oreſtes *Actu 2.* τοὺς φίλους ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν, ὅταν ὁ δαίμων, &c. quem verſiculum adducit Ariſtoteles & *in Magnis.* Et hoc quidem argumento vſum quoque Theodorum ſcribit Laertius *in Ariſtippo.* Eodem & Cicero commemorat quoſdam eſſe vſus aduerſus amicitiam *in Lælio. Quid ſi ita eſſet?* &c. Et ante; *ſæpiſſime igitur mihi,* &c. vbi quidam amicitiam ex indigentia ortam, docebant hac ratione, quod amicitiæ ſit finis, vt dandis recipiendiſque meritis, Quod quiſque per ſe minus eſſe poſſet, id acciperet ab alio, viciſſimque redderet.

ἔοικε δὲ ἀτόπῳ.] Contrariam ſententiam tuentium, tria argumenta exponit. Primum, quia abſurdum ſit, beato, cui bona omnia cætera tribuas, non tribuere tamen amicitiam ſeu amicorum copiam, quod eſt in externis bonis vel præſtantiſſimum. Itaque Ariſtoteles *lib.1. Rhetor.* vbi exponit, bona omnia ad beatam vitam neceſſaria, adiungit πολυφιλίαν, & χρηστοφιλίαν, multorũ, bonorumq; copiam amicorum: & Cic. *in Tuſcul.5.* ſic ait: *Adiunge fructum amicitiarum ad beatam vitam videlicet.* Quod autem amicitiam & hoc loco & *in Rhet.* Ariſtot. attribuit bonis externis, id accipiendum ratione non noſtri (nam hactenus eſt in bonis animi, vt virtutis comes, ſupra *lib.8. cap.4. in fin.* ſed amici, qui extra nos eſt.

εἴτε φίλου ἐστί.] Altera ratio, quia viri boni potius eſt benefacere, quam accipere, quod idem eſt & amici proprium, quæ ſupra ſunt explicata. Atqui beneficia rectius collocantur in amicos & notos, quam in alienos & ignotos, ſupra *cap.2.* vbi de gradibus amicitiæ & beneficiorum. Itaque quia vir bonus habere debet, in quos conferat beneficia, eoſque maxime amicos, quia hoc iuſtius, ex eo efficitur, beatum, vtpote virum optimum habere amicos debere, in quos beneficia conferat.

ferat. Qua ratione vſus eſt & Cic. *in Lælio: Atq; haud ſciam, anne opus ſit quidem nihil vnquam omnino deeſſe amicis vbi enim ſtudia noſtra viguiſſent. ſi nunquam conſilio, nunquam opera noſtra, nec domi, nec militia, Scipio eguiſſet.*

διὸ καὶ ἐπιζητεῖται.] Ex eo, quod iam dictum, viro bono quoſdam eſſe neceſſarios, in quos beneficentiam ſuam oſtendat, quæſtionem aliam exiſtere monet Ariſtoteles. An rebus proſperis, an vero aduerſis maior ſit amicorum vſus, magis amicis ſit opus? Nam qui egent, & aduerſis rebus premuntur, quærunt amicos, à quibus ſubleuentur, contra qui proſpera fortuna florent, quærunt alios, quibus cum fortunæ proſperitatem communicent, vt modo dictum, de qua quæſtione infra *cap.11.*

ἄτοπον δὲ ἴσως καὶ.] Tertia ratio, quia abſurdum ſit, beatum facere ſolitarium. Quid ita? quia ſit homo: qui, vt natura eſt ad ſocietatem & ad conuictum natus, etiam vt ipſi omnia bona tanquam virgula diuina, inquit Cic. *libro 1 Offic. extremo,* ſuppeditent: tamen in ſolitudine viuere non poſſit aut velit. Hæc igitur duo, & ad ſocietatem, & ad conuictum eſſe natum, quia & in beato, vt homine, inſunt: profecto ſolitarius eſſe non poteſt. Quo pertinet & Ciceronis apud Lactantium *lib.1.Inſtitut. Chriſtianæ* [liber Ciceronis periit, puto tamen fuiſſe *in Hortenſio Ciceronis,* ſiue de philoſophiæ laude, quem dedicauerat Hortenſio amico ſuo, oratori ſummo:] concluſio, id eſt, argumentatio; ſi vnus, inquit, eſt Deus, Ergo non eſt beatus, quia in ſolitudine nulla reuera beata vita. Dicebat enim Hortenſius multos eſſe Deos. Conſtat Deum beatum. Ergo non poteſt eſſe ſolus. Non poteſt beatus eſſe μονότης, inquit hoc loco Ariſtoteles.

τί οὖν λέγουσιν.] Allatis, quæ in vtramq; partem dici poſſint: hoc tandem loco quid tenendum ſit, explicat. Et primũ quidem quid eos, qui negarint, beato opus eſſe amicis, in errorem impulerit, exponit, atq; ita quodammodo eos excuſat. Notum eſt amicorum tria eſſe genera, ex vtilitate, voluptate & virtute. illi igitur ſic argumentabantur:

> *Beato neq; vtilitate, neq; voluptate aduentitia eſt opus, quia omnia ad vitam neceſſaria in ſe habet beatus, vt* αὐτάρκης, *& voluptate ſua ſumma eſt præditus, ſupr. lib.1.c.8. Ergo amicis ei non eſt opus.*

Ariſtoteles negat conſequentiam. nam, vt amicis ex vo-

luptate aut vtilitate ei non ſit opus: non propterea tamen efficitur nullis ei amicis eſſe opus. Sed enim illos in errorem induxit, quod hi ex virtute amici vulgo vix ſint noti, quod amicitiam vtilitate probat & æſtimat, ſolos ex vtilitate amicos nouit. Amici igitur ex vtilitate beato non ſunt neceſſarii; non etiam ii, qui ex voluptate, niſi interdum & leuiter. Nam vt beato ſua ſit voluptas, eaq; ſumma, tamen & aduentitiam illi permittimus aliquam relaxandi & recreandi cauſa, ſupra *lib.4.cap.8.* Et hoc eſt, quod ait, ἢ ἐπὶ μικρὸν [οὐδὲν λέγεις, tu abſurda dicis, nihil ad rem; elegans loquendi phraſis Græca.]

ἐν ἀρχῇ γὰρ εἴρηται.] Hic tandem veram ſententiam, beato amicis eſſe opus, confirmat bifariam, id eſt; Ethice & Phyſice. Politicas rationes affert tres, vnam phyſicam. Politica ratio prima hæc eſt, quia per amicum tanquam per ſpeculum, vt ait *in Magn.* ſuas actiones intuetur & cognoſcit, vt qui ſit alter ipſe: Nam per nos ipſi actiones & vitam noſtram non ſatis cognoſcimus, vel, quia amore noſtri (omnis enim amans in re amata cæcutit) vel quia perturbationibus non recte de nobis ipſis iudicare poſſimus, inquit *in Magn.* Itaque vt hæc ſit formula:

Si beatus actiones & honeſtas & ſuas noſſe cupit, amicos vt habeat neceſſe eſt. Rationem diximus.

At verum primum.

Ergo & ſecundum.

Ratio autem primi hæc eſt, quia id ſit iucundum, quia iucundæ ſint honeſtæ actiones tam ſuæ quam alienæ, id eſt, amici. Omnes honeſtæ actiones ſua vi & natura ſunt iucundæ, vt omnia natura bona ſunt iucunda, ſupra *lib.1. cap.8.* Iam vero niſi ſint notæ, iucundæ eſſe nequeunt. Quid ita? Quia, inquit poeta:

Ignoti nulla cupido.

Et proinde rerum inanimarum nulla eſt voluptas, quia nulla notitia. Res igitur honeſtæ, vt ſint iucundæ, notæ vt ſint neceſſe eſt. Noſcuntur per amicos. Ergo hi neceſſarii. At inquies, Quid ad rem de actionibus honeſtis? Reſpondeo, beatitudinem eſſe ipſam actionem quandam, eſſe in viuendo & agendo poſitam, ſupra *libro 1. capite 7.* & quidem quoad humana patitur natura, perpetuam, qua de re mox. Nam actionis hoc eſt proprium, vt ſemper gignatur & oriatur, nunquam velut res aliqua familiaris menſa, veſtis, poſſideatur

deatur & habeatur, id eſt, actio non habitu aut poſſeſſione, ſed vſu cernitur, non ὑπάρχει, inquit Ariſtoteles phyſicorum more, ſed γίνεται. Actio ſemper eſt in motu, in ortu nunquam quieſcit, nunquam vt res familiaris habetur. Quare & beatitudo, quia eſt actio, non habitu, ſed vſu cernitur, ſupra *libro 1. capit. 9.* Eſt actio, inquam, perpetua, & ſemper actio. Itaque ſi beatitudo eſt actio, ſi beati eſt actio, eaque honeſta & laudabilis, & proinde iucunda, eademque ſit & amici, viri boni actio. Item honeſta & iucunda: profecto, vt hæ & ſuæ & amici actiones ipſi ſint iucundæ, notæ illi eſſe debent. Quod quia per ſe non aſſequitur, ſed per amicum; merito dicimus, beato amicis eſſe opus.

ἔστι δὲ καὶ τὸ οἰκεῖον.] Viri boni actiones eſſe iucundas, docet bifariam, cum, quia ſint honeſtæ, ſupra *lib. 1. cap. 9.* tum, quia propriæ viri boni. At quod proprium, eſt iucundum. Suum cuique pulchrum & iucundum. Ergo ſuæ cuiq; actiones honeſtæ ſunt propriæ & iucundæ.

ἄμφω γὰρ ἔχουσι] Docet, cur actiones viri boni & amici, bonis ſint iucundæ, hac ratione, quia vtrique ἄμφω, id eſt, & vir bonus & amicus [non de re aliqua, ſed perſonis intelligendum] in ſe habent, quæ natura ſunt iucunda. Vir bonus quidem virtutes, quæ vt natura ſunt bonæ, ita iucundæ, ſupra *libro 3. capit. 4.* Amicus quoque natura eſt iucundus; amicitiia iunctam habet voluptatem, ſupra *libro octauo, capit. 3 & 4.*

οἴονται δὲ δεῖν ἡδέως.] Altera ratio politica, quia alioqui beati voluptas non erit perpetua: at hoc abſurdum, vt beatus ſit interdum in dolore, & cum moleſtia, infra *lib. 10. cap. 4. & 7.* ſupra *lib. 1. cap. 9.* Quid ita? cur ſequeretur, voluptatem non fore perpetuam, ſi beato deſint amici; quia actio eius non ſit futura perpetua. At beati voluptas omnis eſt in actione honeſta, ſupra *hoc capite, & libro primo capit. 9.* Cur autem actio eius non ſit futura perpetua, hæc redditur hoc loco ratio, quia per ſe quiſque omnia facere nequeat, multis in rebus adminiſtro & adiutore opus habeat, quod & infra *lib. 10. cap. 4. & 9.* Ratio igitur, cur voluptas illi non ſit futura perpetua, hæc eſt, quia neque actio. Intexitur & altera ratio, cur, inquam, voluptas beato non ſit futura plena & ſincera abſque amicis, quia ſolitudo omnis ſit moleſta, quam rationem ſupra iam explicauimus.

ὁ δεῖ περὶ τὸν μουσικόν.] Nimirum vt actionibus virtuti conſentaneis delectetur perpetuo. Nam bonus, qua bonus, iis delectatur, prauis dolet: non ſecus atque bonus Muſicus bonis cantionibus delectatur, malis diſcrepantibus & abſurdis dolet. Quæ pæclara ſententia & ſimilitudo ex Platone eſt ſumpta, qui ſæpe virtuti cõgruentes actiones & ipſam virtutem harmoniæ comparare ſolet. ſed enim, dicet aliquis, ex eo, quod ſolitudo ſit moleſta, non effici continuo, amicis propterea eſſe opus, cum ſolitudo non ſolum per amicos, ſed per alios quoque depelli poſſit. Reſpondet Ariſtoteles paulo ſupra *δῆλον δὲ ὡς μᾶλλον*, &c. melius tamen & iucundius id fieri per amicos. *Perſpicuum namque*, inquit, *eſt, iucundius eſſe agere cum viris bonis & amicis, quam cum alienis & quibuslibet, nulla forte rei hominibus, τυχοῦσι* vocant Græci.

γίνοιτο δὲ ἂν καὶ.] Tertia ratio politica, quod bonorum ex conuictu, exercitatio quædam virtutis capiatur, quod bonorum cõſuetudine virtus excolatur, quod eleganter Theognis *in γνώμαις, κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει ἀνδράσι*, &c. quos verſus laudat & Plato *in Menone*, & Ariſtoteles infra *cap. vlt. in fin.* vbi eadem vtitur ratione, in eiuſdem tamen rei cauſa. Hic ea vtitur, vt doceat, beato opus eſſe amicis, quia vtile ſit beato excolere virtutes, quod fit conuictu viri boni; ibi vt doceat, conuictum amicis maxime eſſe neceſſarium. Formula:

Excolere virtutem beato eſt vtile.
At hoc conſuetudine bonorum fit.
Ergo hac beato eſt opus.

φυσικώτερον δὲ ἐπισκοποῦσιν.] Nunc de Phyſica ratione: ea hæc eſt, quia viro bono amicus bonus ſit expetendus. Hæc quidem ratio non eſt phyſica, ſed in ea docenda, vtitur ratione phyſica Ariſtotel. Docet igitur hunc in modum: primum oſtendit, ſuam cuiq; vitam eſſe iucundam, & bonũ quiddam, prius tamen quam hoc doceat, explicat, quid ſit vita; & ait, vitam in beluis quidem (quas *ζῶα* cõmuni nomine hic vocat Ariſt. vt & alias, quemadmodum & *animalis* verbum Latine interdum ſumitur, quod obſeruauit Petrus Victorius *lib. 23. variar. lect. cap. 9*) In his igitur terminari ſeu definiri vi & poteſtate ſenſus: in hominibus vero, vi & poteſtate ſenſus & intelligentiæ *lib. 2. de Anima.* verũ, quia poteſtas omnis ad *ἐνέργειαν* reuocari & deduci ſolet, vt in qua laus omnis & principatus

eipatus τὸ κινεῖν ſit poſitus, poteſtas res eſt inchoata, ἐνέργεια completa & perfecta; efficitur, vt vitæ quoque perfectio non poteſtate, ſed ἐνεργείᾳ ſentiendi & intelligēdi definiri debeat. Sentire igitur & intelligere eſt viuere, eſt vita. Hoc præmunito, ſic docet, viro bono vitam cuiq; ſuam, eſſe bonum quiddam & iucundum, quod ſuapte ſponte & animi, natura ſimpliciter & abſolute eſt bonum, idem viro bono eſt bonum & iucundum, ſupra dictum εἴρηται, *lib.1.cap.8. lib.3.cap.7. lib.7. cap.12.& 14.* vbi dictum eſt:

Vir bonus eſt tanquam norma & menſura rerum.
Atqui vita natura eſt bonum.
Ergo vita viro quoq; bono erit bonum.

Aſſumptio, vitam natura eſſe bonum quiddam, explicatur copioſe ab Alexandro *lib.4.quæſtionum naturalium*, & attingitur ab Ariſt. *lib.2. Polit.cap.4.* Hic cōfirmatur duabus rationibus, quarū prior, quia vita ſit ex numero rerū definitarum eſt definitum quiddam. At quæ definita, ea ſunt bona, redolent naturam boni, vt infinita mali, ex Pythagoreorum quoque συστοιχίᾳ, de qua ſupra *lib.1. cap.6.* Altera ratio, quia ab omnibus expetatur vita, quæ nota eſt boni, atque adeo ſummi boni, ſupra *initio lib 1.& lib.7.* vbi de voluptate initio *cap. 10.* Et hac quidem ratione, quod vita etiam cum miſeria ab omnibus cupidiſſime expetatur, vt eſt eleganter apud Ciceronem *lib.5. de fin.* vbi de Polyctete, docet *in Politic.* eo loco Ariſtoteles, ſuauitatem quandam naturalem in vita ineſſe. Expetitur igitur vita ab omnibus, maxime tamen à beatis, vt quorum vita ſit ſuauiſſima, ſupra *lib.3.cap.9.in fine.*

οὐ δεῖ δὲ λαμβάνειν.] Occurrit tacitæ quæſtioni. Nam quod dictum, vitam eſſe natura bonam, refelli poſſe videatur ex eo, quod vita quædam ſit deprauata & vitioſa. Reſpondet Ariſtoteles, non intelligendam eſſe vitam vitioſam in hac diſputatione, propterea quod ſit ea ea infinita. Quid ita? quia quæ in ea ſunt vita, ea ſunt infinita. verbi gratia, in vitioſa inſunt vitia, quæ conſtat eſſe indefinita, multiplicia: in vita moleſta inſunt dolores & ægritudines, quæ item ſunt infinitæ & innumerabiles. Itaque vt, quæ inſunt in vita vitioſa aut moleſta, ſunt infinita, ita & ipſa vita: contra, vt, quæ in vita vera & honeſta inſunt, ea ſunt finita, ita & ipſa vita. Nam generaliter, qualia ſunt ea quæ inſunt, tale eſt & id, in quo inſunt. Nam hoc illis terminatur & definitur. Quale quid-

que ſit, ex iis rebus, quas in ſe continet, diiudicari debet. Cur autem vita finita ſit, hæc eſt ratio, quia eſt ἐνέργεια ſeu actio quædam. Nam vt poteſtas eſt interminata, & quæ ad multa deduci & explicari poteſt; ita ἐνέργεια eſt terminata, exemplo ſint materia & forma.

διόπερ ἔοικε πᾶσιν.] Hanc clauſulam puto falſam hic interiectam, eſſe inducendam. Nam id, quod ea clauſula rectius paulo infra dicitur, εἰ δὲ αὐτὸ τὸ, &c. Docuit modo vitam eſſe bonum quiddam. Si bonum, inquit, Ergo iucundum. Quanquam & hac ratione, quia ſit ἐνέργεια, idem doceri poteſt: omnis namque ἐνεργείας comes eſt voluptas aut dolor, qua de re infra *lib. 10.*

ἐν τοῖς ἐχομένοις δὲ.] Intelligunt vulgo librum decimum, vbi de voluptate & dolore ſeu moleſtia. etſi & hæc clauſula mihi ſuſpecta eſt.

ὁ δὲ ὁρῶν ὅτι ὁρᾷ.] Adhuc docuit, viro bono vitam eſſe in bonis, eſſe iucundam & expetendam: Hoc loco docet eandem eſſe iucundiorem, quia ſentiatur, vitam, inquam, viro bono ſenſu ſeu conſcientia & perceptione eſſe iucundiſſimam & ſuauiſſimam, quod ipſum priusquam oſtendat, admonet, an vita quoque ſentiri poſſit. Poſſe igitur quemque ſentire, ſe viuere, docet hac ratione, quia quiſque poſſit ſentire, ſe ſentire, id eſt, quia quiſque ſentiat, ſe ſentire, & intelligat ſe intelligere. Formula:

> *Si ſe ſentire quis ſentit, & ſe intelligere quis intelligit, ille ſe viuere ſentit & percipit.*
>
> *Verum illud.*
>
> *Ergo & hoc.*

Ratio connexi, quia viuere nihil eſt aliud, quam ſentire & intelligere, vt ſupra dictum. Antecedens explicatur à Phyſicis *initio libri tertii de Anima*, verbi gratia, qui videt, inquit hic Ariſtoteles & eo loco de anima, idem ſentit quoque ſe videre, qui ſtudet, qui audit, qui ambulat, qui quidquid facit, idē ſentit, ſe id agere. Eadem eſt & intelligentiæ ratio. Hunc ſenſum vulgo vocant reflexum, non ſatis recte. Neque enim idem eſt ſenſus, qui ſentit quidquam, & qui ſentit, ſe ſentire illud ipſum, verbi gratia, aſpectus ſentit, & videt colores, ſed idem aſpectus non ſentit ſe videre, ſed alius, aut certe alia pars animi. Quæ autem hæc ſit vis, qua ſentiamus nos ſentire, explicare non eſt huius loci. Videatur Philoponus, [qui diſſen-

diſſentit ab Ariſtotele & à vulgo] ad initium *libri primi de Anima*. Hoc nobis ſit ſatis, ſentire nos ſentire, & intelligere nos intelligere. Verum igitur cum ſit antecedens. Ergo & conſequens. Sentimus igitur nos viuere.

τὸ δὲ αἰσθάνεσθαι ὅτι.] Hoc iam præmunito & poſito, nos ſentire, nos viuere: nunc accedit ad rem, de qua agitur, nimirũ docet, ſentire ſe viuere eſſe viro bono iucundiſſimum; ſenſum inquam vitæ eſſe ſuauiſſimum, hac ratione, quia ſentire ſibi ineſſe boni aliquid, ſit ſuaue. Formula:

Sentire ineſſe ſibi bonum, eſt iucundum.

Atqui ſentire ſe viuere, eſt ſentire ineſſe ſibi aliquod bonum.

Ergo ſentire ſe viuere eſt iucundum.

Propoſitio, τὸ δὲ ἀγαθὸν ὑπάρχον, id eſt, quæ etſi per ſe perſpicua, tamen dilucidari poteſt his rationibus. Primum, quia ſenſus mali eſt moleſtus, vt conſcientia eſt moleſtiſſima, ſuprà *cap.* 4. Deinde, quia ſenſu hoc bonum magis cognoſcitur. At bona quo notiora, eo iucundiora. Ignoti nulla cupido. Tertio, quia hoc ſenſu voluptas in animum penitus inſinuatur, atque ita magis hominem afficit. Itaque etſi quæ ſunt bona, eadem & ſunt iucunda: tamen multo magis redduntur ſuauiora ſi ſentiantur, percipiantur, & cognoſcantur. Qua ratione doceri poteſt, cœleſtium animarum multis partibus maiorem eſſe voluptatem, atque adeo incredibilem, quam ſit hominum, propterea quod illarum ſenſus hic & intelligentia ſit acrior, obtuſior ſit harum. Eadem ratione dicendum quoque, animantium rationis expertium & puerorum, nõ tantam eſſe voluptatem, quanta eſt virorum & ratione recta ac perfecta vtentium: tanta eſt huius conſcientiæ συναισθήσεως, vis & poteſtas. Aſſumptio confirmatur ab Ariſtotele hac ratione, quia vita ſit per ſe bona, quia viuere ſit expetendum, & maxime viris bonis, quorum vita ſit ſuauiſſima, quod ſupra explicatum.

ὡς δὲ πρὸς ἑαυτόν.] Adhuc docuit, ſuam cuique vitam eſſe expetendam, cum, quia bonum, tum, ob ſenſum & conſcientiam. Quæ diſputatio quo pertineat, initio dictum, eo nimirum, vt doceatur viro bono & beato opus eſſe amicis. Hoc igitur tandem loco, eam diſputationem ad rem accommodat, docendo, vt ſuam cuique, ita & amici vitam, viro bono eſſe iucundam, hac ratione, quia vt in ſe quiſque,

ita & in amicum animatus & affectus eſſe conſuerit. Formula:

Vt in ſe, ita & in amicum quiſq; eſt animatus. [*Cicero in Lælio ſic loquitur:*] *Ratio huius propoſitionis, quia amicus alter ipſe.*

Atqui ſua cuiq; vita eſt iucunda & expetenda, tum, quia bonum, tum ob ſenſum, quod iam explicatum.

Ergo amici vita cuiq; viro bono erit iucunda & expetenda, non ſecus atq; ſua, aut certe non multo ſecus, ἢ παραπλησίως.

Nam maior cuiq; ſecum, quam cum amico eſt cognatio. *Proximus*, inquit ille, *egomet ſum mihi.* ſupra *cap. 5.*

τὸ δ' εἶναι ἦν.] Iam conſtat amici vitam viro bono eſſe expetendam, eſſe iucundam: nunc adiungit modum, quemadmodum expetatur, nimirum συναισθάνεσθαι, conſcientiam ſeu ſenſum. Nam vt amici vita viro bono ſit iucunda, ſentiatur, neceſſe eſt. Quid ita? quia idem de ſua cuiuſque vita ſupra dictum, eam eſſe eo ſuauiorem, quo ſentiatur. Amici igitur vita eo erit ſuauior viro bono, quo magis ſentiatur.

τοῦτο δ' γίνοιτ' ἄν.] Elegans Ariſtotelis gradatio:

Si ſua cuique vita eſt iucunda & expetenda. Ergo & amici.

At ſua cuique vita ſenſu ſeu conſcientia eſt iucundior. Ergo & amici.

Si ſenſu amici vita eſt iucunda.

Ergo conuictu eſt opus & conſuetudine, qua ſine ſenſus ille capi non poteſt.

Nam conuictu cognoſcitur amicus & exploratur ſupra *lib. 8. cap. 5.* Conuictus autem amicorum qua in re ſit poſitus, præclare hic adiungit Ariſtoteles, non in voluptatibus vna fruendis, in compotationibus, concœnationibus, colluſionibus, conſpirationibus, ſed in animi potius actionibus communicandis & honeſtis ſermonibus: concœnandi namque conſuetudinem pecudum potius eſſe quam hominum. pecudes ad paſtum ſunt natæ, & paſtus gratia gregatim agunt, & ſocietatem coeunt, apud Ciceronem *lib. 2. de Natura Deorum.* Homines animo & animi muneribus cernuntur. Hallucinantur igitur, qui amicorum conſuetudinem concœnationibus metiuntur. Quo pertinet & quod apud Cic. *de ſenect. & lib. 9. epiſt. Epiſtola antepenult.* incip. *Rufum, &c.* monet, rectius

ctius Latinos *conuiuii* vocabulum feciſſe, quam Græcos συνδείπνου & συμποσίου: nam Latinos ſpectaſſe communicationnm vitæ & victus, & dulcium ſermonum: Græcos edendi potius & potandi ſocietatem.

εἰ δὴ τῷ μακαρίῳ] Omnem priorem diſputationem, tam de ſua cuiuſque, quam de amici vita viro bono expetenda, tandem hic vna concluſione, velut epilogo complectitur hunc in modum:

Si ſua cuiq; vita eſt expetenda, quia bona.
Amici autem eadem eſt ratio.
Ergo amicus viro bono eſt expetendus.

Nam amicus eſt in numero expetendarum, bonarum, iocundarum.

ὁ δὲ ἔστιν αὐτῷ.] Sæpe iam dictum hanc diſputationem eo pertinere, vt doceatur, beato opus eſſe amicis. Id quod extremo hoc verſu tandem concluditur, hunc in modum:

Si amicus eſt expetendus, viro bono, vt eſt.
Ergo amicus viro bono eſſe aliquis debet, & viro beato.

Ratio connexi, quia ἢ ταύτῃ ἐνδεὴς ἔσται, quia alioqui fieret, vt hac parte claudicaret beatus, fieret, vt ei ex rebus expetendis aliqua deeſſet. At hoc abſurdum. Nam ex *libro primo* conſtat, omnia quæcumque ſint expetenda, in beato tanquam cumulo quodam ineſſe debere. Ne igitur nulla res expetenda deſit beato, concludendum erit, ei amicos eſſe neceſſarios atque opus, &c.

CAPVT X.

COMMENTARII.

Ἆρ' οὖν ὡς πλείστους φίλους.] Quarta quæſtio de πολυφιλίας, de multitudine amicorum, de qua iam dictum ſupra *lib. 8. ca. 6.* De eadem & Cicero copioſe *in Lalio. Nam quibuſdam, quos audio ſapientes habitos, &c.* & Euripides *in Hippolyto coronato.* χρὴ γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους, id eſt, *oportet habere mediocres amicitias.* Et Eraſmus in prouerbio: *Vnus Deus, multi amici.* Ariſtoteles πολυφιλίαν præter politicam, improbat: Cic. contra, hac ratione, quia virtus aduerſus multos eſſe poteſt, id eſt, virtutis opera aduerſus multos exerceri poſſunt, & in multos conferri. Non eſt enim inhumana virtus, neque immunis (ſic loquuntur veteres immunis, quod nos immanis, quia loqui-

tur de ſenibus, tribuit illis ſermonem Plautinum] neque ſuperba, quæ etiam populos vniuerſos tueri, eiſq; optime conſulere ſolet, quod non faceret profecto, ſi à charitate vulgi abhorreret. Tota reliqua diſputatione nihil aliud Cicero, quam refellit aduerſariorum argumentum iſtud, quia moleſtum ſit implicari multorum negotiis, quod ipſum & Ariſtoteles hic commemorat. Plutarchus, cuius de πολυφιλίᾳ aureus extat libellus, aſſentitur Ariſtoteli. Lucianus certe *in Doxari πολυφιλίαν* apud Scythas tam ſcribit fuiſſe infamem, vt apud alios vnius mulieris cum multis viris conſuetudinem.

ἆρ' οὖν ὡς πλείστους.] Quaſi diceret, poſtquam conſtat, amicos eſſe parandos; an igitur quam plurimos.

εἰρῆσθαι δοκεῖ τό.] Ab Heſiodo *lib. 2* ἔργων, quod Heſiodi dictum Eraſmus inter prouerbia retulit: *Neque nulli ſis amicus, neq; multis.*

τοῖς μὲν δὴ πρὸς.] Hic quæſtionem diſſoluit, adhibita diſtinctione pro amicitiarum generibus. Et primum quidem amicos ex vtilitate docet, non poſſe eſſe multos hac ratione, quia multis obſequuium tribuere & ſuccurrere nimis ſit laborioſum ac difficile, atque adeo ad vitam ſuam bene degendam impedimento, implicari alienis negotiis, & deſeruire aliorum vtilitatibus, quod tamen hoc amicitiæ genus poſtulat. Amici quoque ex voluptate multi eſſe nequeunt, quia inter paucos voluptas ſit ſuauior, interior & iucundior. Quemadmodum, inquit Ariſtoteles, condimenta ciborum, ſi multa adfundantur, ingrata exſiſtunt: ſi aſpergantur, iucunda & grata. Nam quod ſupra *libro octauo, capite ſexto* dictum in his duobus amicitiæ generibus πολυφιλίαν eſſe poſſe (quod huic loco repugnare videtur) ita accipiendum eſt, vt in his duobus facilior ſit polyphilia, quam in amicitia ex virtute: difficilis tamen eſt in omnibus. Quod autem quidam hic vertunt βίος facultates & rem familiarem, errant. Argumento ſit, quod ait, πρὸς οἰκεῖον βίον, & quod hic βίος *in Magnis* dicitur φύσις, id eſt, vitam & naturam noſtram eſſe imparem ad omnia amicorum obſequia plurimorum. Exemplum affert elegans Plutarchus *in eo libello : Si ex multis vnus roget ad cœnam, alius ad funus, alius, vt in foro ſibi ſis aduocatus, alius ad nuptias, alius ad iter, alius denique alio, alius pecuniam roget mutuam, alius veſtem, &c.* omnes eodem tempore, quis par his omnibus eſſe poſſet. Βίος enim ſæpe non noſtram vitam,

tam, ſed ea quibus vita noſtra ſuſtentatur, ſed hoc loco non accipitur in ea ſignificatione.

τοὺς δὲ σπουδαίους.] Nunc de amicis ex virtute. Et ne horum quidem magnam multitudinem eſſe poſſe, docet ratione & vſu ſeu authoritate vitæ & morum. Ait autem initio, multitudinis amicorum modum quendam eſſe debere, non ſecus atque ciuitatis. Nam in ciuitate ſi nimis multi ſint ciues, non tam ciuitas, quam natio quædam erit, verbi gratia, inquit Ariſtoteles; ſi centum millia ſint ciuium; contra ſi nimis pauci, iam quoque non erit ciuitas, vt ſi decem, aut viginti ſint ciues. Modus eſt ciuium aliquis, vt neque nimis multi, neque nimis ſint pauci. Non tamen modus hic vnus idemque eſt & certus. Nam pro loci differentia & aliis attributis nunc maior, nunc minor debet eſſe ciuium numerus. Extrema quidem, id eſt, nimium & parum certa ac definita eſſe poſſunt, verbi gratia, nimium conſtituere poſſumus centum millia, parum decem ciues: ſed inter hæc extrema interiectus modus variat, & hoc eſt, quod ait perobſcure, *τὸ δὲ ποσὸν ἴσως*, &c. Vt igitur in ciuitate definitus eſt ciuium numerus, ita & in amicitia amicorum. Et in ciuitate quidem numerus ſeu multitudinis modus capitur ex rerum copia, *libro 7. Politicorum, capite quarto.* Vbi de hac re latiſſime: ita in amicitia multitudinis amicorum modus, & regula, & norma eſt conuictus, id eſt, tot poſſunt eſſe ciues, quot ager & locus poſſit alere commode: tot eſſe amici, quot vna viuere poſſint. Cur autem in ciuitate ciuium multitudo definiatur *αὐταρκείᾳ* rerum copia, explicatur *in Politic.* cur in amicitia, conuictu, hic adiungitur ratio iſta, quia conuictus amicitiæ nota ſit vna omnium veriſſima, ſit *φιλικώτατον*.

ὅτι δὲ οὐχ οἷόν τε.] Iam rationes affert, non tres, vt putant, ſed quatuor, cur multi amici vni eſſe non poſſint. Prima ratio eſt, quia conuictus multorum ſeu cum multis ſit difficilis, atque adeo *ἀδυνάτος*: Hoc, inquit Ariſtoteles, eſt perſpicuum. Et Plutarchus *ἀδυνάτον* cum multis verſari: & ſe tanquam in multas partes diuidere ac diſtrahere, tanquam ſcortum cum multis rem habere, inquit ille.

ἔτι δὲ κἀκείνους.] Altera ratio, quia difficile ſit, & *ἀδυνάτον* potius

potius, qui mihi ſint amici, eos omnes & inter ſe eſſe amicos: oportere autem eos omnes inter ſe amicos eſſe, docet Ariſtoteles hac ratione, quia vna omnes viuere oporteat. Si mihi ſunt amici. Ergo mecum viuant, oportet, atque ita vnâ viuunt omnes: vna viuere niſi amici non poſſunt.

χαλεπὸν δὲ γίνεται.] Tertia ratio, quia difficile ſit cum multis ex animo dolere & lætari, præſertim cum in amicorum multitudine ſæpe euenire neceſſe ſit, vt quia aliorum res ſint proſperæ, aliorum aduerſæ, vno eodemq; tempore & lætandum ſit & dolendum, quod eſt abſurdum. Quinetiam, inquit Ariſtot. *in Magn. lib 2. cap. pen.* oportet quem in perpetuis eſſe doloribus & angoribus, quia abeſſe vix poſſit, vt magna amicorum multitudine, nemo ſit in calamiate.

ἴσως οὖν εὖ ἔχει.] Priuſquam exponat quartam rationem, interiicit quaſi concluſionem Ariſtotel. & hortationem, non eſſe quærendos multos amicos, non hoc agendum, vt ſit *πολύφιλος*, ſed tot eſſe quærendos, quot ad conuictum & conſuetudinem ſint ſatis. Nam, vt modo, conuictus eſt norma multitudinis.

οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεσθαι.] Quarta ratio, quia valde multis eſſe amicus nemo facile poſſit, quia multos ſummo amore complecti ſit difficilimum. Formula:

> *Summa omnia & excellentia in paucis eſſe ſolent.*
>
> *At amicitia eſt excellentia quædam, amicorum amor non languidus, ſed feruidus, acerrimus, & acerbus eſſe debet.*
>
> *Ergo amicitia non cum multis, ſed cum paucis eſſe poterit.*

Sed de hoc dictum ſupra *lib. 8. cap. 6.* nam vt amantes, non multas, ſed vnam aut alteram adamare: ita & amici paucos diligere ſolent. Legendum igitur pro *διόπερ ὥσπερ*, vt & ſupra *lib. 8. cap 6.* Quod autem *eo cap. 6.* ſupra duo fecimus argumenta: alterum, quia amicitia ſit excellentia; alterum, quia multis valde placere ſit difficile, etſi ita omnes interpretes, tamen videtur vnum potius eſſe debere [Lambinus hic perperam, vt recte admonuit Zvvingerus] vt hoc loco & hęc, *ὑπερβολὴ* & *σφοδρὰ* eodem pertinere.

ἔοικε δὲ ἔοικεν.] Quod adhuc ratione, id iam vſu confirmat: In rebus ipſis, inquit Ariſtoteles, cernitur id eſſe verum. Nam cernere licet in vita communi, qui ſociorum amicitia, id eſt,

ſum-

ſumma & veriſſima inter ſe ſint amici, ſemper eſſe paucos, Cui rei argumento eſt & hoc, quod fere inter duos id amicitiæ genus ab antiquis prædicetur: hinc paria amicorum. De quibus Valerius Maximus & Cicero *in Lælio.* Etſi Cicero *libro primo & ſecundo de Fin.* narrat Epicurum domi ſuæ magnos habuiſſe amicorum greges fidelium. Sed hi non tam amici, quam ſectatores & auditores Epicuri exiſtimandi videntur. Inter condiſcipulos eſt quidem amicitia, ſed non tam ἑταιρικὴ, quam politica, niſi alia ad hetæricam neceſſaria accedant.

οἱ δὲ πολύφιλοι.] Et hoc ad vſum vitæ pertinet. Nam vulgo, qui omnibus ſtudent eſſe amici, haberi ſolent nulli vere amici, politice tantum & ciuiliter. Quo in genere ſunt, qui Græcis dicuntur ἄρεσκοι, de quibus ſupra *libro 4 cap. 6.* quo pertinet & vulgi dictum, quod commemorat Ariſtotel. *in Eudem. lib. 7. cap. 12.* οὐθεὶς φίλος, ᾧ πολλοὶ φίλοι, *nullus amicus, cui multi amici. Qui vbiq; eſt,* inquit Seneca, *nuſquam eſt.* Itaque & in Politicis Ariſtoteles *lib. 2. cap. 2.* ciuium inter ſe amicitiam, quia inter multos, eleganter vocat ὑδαρῆ dilutam, tenuem & imbecillam, & vt aquæ pauxillum in vini cadum defuſum euaneſcit: ita & amoris vis in multos diſtracta, diluitur, inquit ibidem Ariſtoteles, non ſecus etiam atque vis fluminis in varios riuos deducti, inquit Plutarchus *in eo libello.*

πολιτικῶς μὲν οὖν.] Perfecto & concluſo, in tribus illis amicitiæ generibus non admitti πολυφιλίαν; hic tandem eam eſſe poſſe in amicitia politica, idque bifariam, vel recte, vel vitioſe. Hi quidem qui vitioſe, ſunt ἄρεσκοι: Viri boni autem nihil impedit, quin & ipſi multos ament politice, vitæ communis cauſa, non aſſentandi aut blandiendi, vt ἄρεσκοι blandi.

ἀγαπητὸν δὲ καὶ ὀ.] De vero tum paucitate amicorum ſupra dictum *lib. 8. cap. 3. in fin.* Ariſtot. teſte Laërtio ſæpe in ore habere ſolet: ὦ φίλοι οὐθεὶς φίλος, &c.

CAPVT XI.

COMMENTARII.

Πότερον δὲ ἐν εὐτυχίαις.] Hic de vſu amicorum, putant vulgo, quia amicitiam vtilitate æſtimant, amicorum vſum non tam in rebus proſperis, quam in aduerſis cerni, Ariſtoteles in vtriſ-

vtriſque amicorum vſum eſſe oſtendit. Pro vulgo faciunt dicta & prouerbia, & hoc Ennii. *Amicus certus in re incerta cernitur.* & Euripidis *in Oreſte* τοὺς φίλους ἐν τοῖς κακοῖς, *&c.* ſupra adduximus *capite nono, in principio.* Cicero *in Lælio: Quod Tarquinium dixiſſe fertur, tum, cum exul eſſet, ſe intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſſet, quosque infidos, cum iam neutris gratiam referre poſſet.* Et illud apud Ariſtotelem *lib. 7. Eudem.* ὁ χρόνος τὸν φιλούμενον, &c. Sed rectius Cicero *in Lælio: Quid dulcius,* inquit, *quam habere qui cum omnia, &c.* & Marcellus *in epiſtola ad Ciceronem libro 4. Hoc vero eiuſmodi eſſe ſtatuo, vt ſine talium virorum & amicorum beniuolentia, neque in aduerſa, neque in ſecunda fortuna quiſquam viuere poſſet.* Eſt igitur quinta hæc quæſtio; An amici vſus magis ſit in rebus aduerſis, an in proſperis.

ἐν ἀμφοῖν γὰρ ἐπιζητοῦνται.] Ait in vtraque fortuna amicum quæri; in aduerſa quidem adiumenti & præſidii cauſa, in proſpera conſuetudinis, & vt ſit, cui beneficium detur: Nam hoc amici proprium, beneficiis amicum proſequi.

ἀναγκαιότερον μὲν δή.] Nunc diſſoluit adhibita diſtinctione. Nam in rebus aduerſis eſſe magis neceſſarios, in proſperis magis honeſtos amicos. Cui rei hoc argumento eſt, quod illi quærunt vtiles, hi bonos & probos. Nam ab illis eſt adiumentum, hos honeſtius eſt & iuuare beneficiis, & vti iis familiariter.

ἔστι γὰρ ἡ παρουσία.] Nunc hoc amplius docet, non vſum tantum amicorum & in aduerſis & in ſecundis rebus eſſe, ſed ipſam quoque præſentiam vtroque tempore expetendam. Et de aduerſis quidem prius, eam eſſe iucundam & expetitam, quia adferat leuamen dolentibus & calamitate oppreſſis, ſi amicos vnâ dolere cernant: ſocietas doloris calamitoſos recreat; tum quia & ipſo aſpectu, & ſermonibus ſeu conſulando amicum quis recreare ſolet. Quod autem dictum ſocietate doloris leuari dolorem, etſi per ſe perſpicuum eſt & verum, quæri tamen poteſt, quid cauſæ ſit, cur id fiat; an quia, vt in onere ferendo, ſi alter partem ferat, alter ex parte leuatur. Sic etiam in dolore fieri dicendum ſit, non videtur. Nam in onere detrahitur aliquid ſodali, atque ita leuatur: In dolore, capit quidem & ſodalis dolorem, ſed amico nihil detrahit. An igitur hæc erit cauſa, cogitatio, quod amicus nobiſcum doleat, & ipſa præſentia, quia hæ duæ res, inquam, præſen-

præſentia & cogitatio ſunt iucundæ, eo ipſo minuent aliqua ex parte dolorem. Nam quæ iucunda, dolorem temperare aut minuere ſolent. An alia quæ erit cauſa, forte, quia habeant, in cuius ſinum effundant dolorem, & quaſi ſe exonerent. Quod quidem adeo expetunt hi, qui ſunt in dolore, vt neminem habeant alium, vel Soli ipſi & Lunæ & aſtris dolorem ſuum teſtari cupiant, vt eſt apud Ciceronem *in Tuſcul.* & apud Victorium *in Variis*. Compreſſus & retentus dolor eſt grauior; explicatus, & cum altero communicatus, leuior. Sed enim, quæ tandem cunque huius rei ſit cauſa, ipſa tamen res, quin vera ſit, nemo dubitat, quod ſolum huius eſt loci; De cauſa, aliâs.

ἔοικε δὲ ἡ παρουσία.] Dictum, præſentiam amicorum eſſe iucundam: nunc id velut corrigens, ait eſſe mixtam, id eſt, partim iucundam, partim moleſtam.

διόπερ οἱ μὲν ἀνδρώδεις.] Ait viros fortes & magnanimos valde cauere, vt ne ſuis rebus vna doleant amici. Rationem adiicit, quia cum ipſi minime ſint ad lachrymas propenſi, alios quoque dolentes, cernere non ſuſtineant, niſi forte ſint duri, & pœne ferrei, ita vt alios licet dolentes maxime, tamen ſiccis oculis intueri poſſint, vt, inquam, ſua indolentia, aliorum dolorem ſuperent. Sic namque intelligenda puto hæc verba, κἂν μὴ ὑπερτείνῃ. Quin etiam magnanimi eſt, non amicum tantum, ſed omnes omnino vna dolentes, non admittere, & ſuſtinere.

ἡ δὲ ἐν ταῖς ἀτυχίαις.] Hic de præſentia in rebus proſperis, quam item iucundam eſſe docet, cum quia amici conſuetudo ipſa per ſe ſit iucunda, tum, quia cogitatio amicum rebus noſtris vnâ lætari, item ſit iucunda. Eſt & altera ratio, quia ipſe amici conſpectus ſit iucundus, & altera, quia, vt omnia iucunda nobis adeſſe, ita & amicum, quem diximus ſup. eſſe in rebus bonis & iucũdis: nobiſcum eſſe iucundum eſt, inquit Ariſtot. *in Eudem. lib. 7. cap. 12.* Eſt miſerrimum caput, ſed inde elicio quædam huc pertinentia.

διὸ δόξειεν ἂν δεῖν.] Explicata iam quæſtione, adiungit Ariſtot. præclara quædam documenta ſeu monita, quemadmodum in hac præſentia quiſque ſe gerere debeat, tam in rebus aduerſis, quam lætis & proſperis. Aut enim accerſimus ipſi amicos, aut ad eos ipſi imus, vel in rebus aduerſis, vel in proſperis. In vtroque genere, quemadmodum nos gerere debeamus, ſatis plane exponitur ab ipſo Ariſtot.

καὶ τὰ

καὶ τὸ μὴ ἀξιώσαντας.] Ait, amico non roganti ferre opem, eſſe vtrique tam ferenti, quam accipienti opem, & honeſtius & iucundius: honeſtius quidem illi [hoc eſt, ferenti] quia maiore ſtudio & ſponte tulerit, quod honeſtius; huic [accipienti] quia rogare amicum, ne ei ſit oneri, etſi opus haberet, noluerit: Iucundius vero illi, quia ſua ſponte virtutis actionem ediderit: huic vero, quia non rogarit, atque ita pudore, quem ex amicis rogandis capere ſolemus, nullo afficiatur.

καὶ γὰρ εἰς ταῦτα.] Hoc & ſupra dictum *cap. 9.* ad agendum ex virtute, aliorum quoque conſuetudine eſſe opus. Ergo inquit, εἰς τὰς δυστυχίας, &c.

πρὸς δὲ τὴν ἀπόλαυσιν δὲ] Res proſperas diuidit bifariã, in συνεργειαν & συμπάθειαν, id eſt, vt amicos bona fortuna florentes iuuemus, & rurſus ab iiſdem beneficium expectemus, quorum ad illud cupide, ad hoc cunctanter eundum eſſe ait, quia non ſatis ſit honeſtum, ambire beneficia. Cauendum tamen, ne quis incurrat ſuſpicionem acerbitatis, & inhumanitatis. Nam, ſi amicus vrgeat, & plane velit, nos beneficium auferre, non erit præfracte & præciſe repugnandum: alioqui namque putaret, nos vel alieno in ſe eſſe animo, vel ſuum beneficium eſſe leuius, & quod à nobis contemnatur, & ipſi habebimur homines inhumani, acerbi & inſuaues.

ὅθεν, τὸ Ἅλις ἐγώ.] Dictum eſt Euripidis *in Oreſte. Satis,* inquit ille, *me eſſe in calamitate ac dolore: non eſt, quod & alius mea cauſa quoq; doleat, &c.*

CAPVT XII.

COMMENTARII.

Ἆρ' οὖν ὥσπερ τοῖς ἐρῶσι.] Hic de conuictu, eum eſſe rem vnam omnium maxime charam & iucundam, quæque ab amicis maxime expetatur: & in extremo capite non paruam in conuictu & conſuetudine vim eſſe poſitam ad virtutes & vitia. De conuictu dictum & ſupra *lib. 8. cap. 5. & in hoc libro ſupra cap. 4.* Plutarchus certe in libello de πολυφιλίᾳ: In amicitia tria maxime ſpectanda eſſe, iudicium (de quo copioſe Cicero *in Lælio*) conuictum ſeu conſuetudinem, & officia, ſeu vſum & vtilitates.

ἆρ' οὖν ὥσπερ τοῖς.] Supra *lib. 8. cap. 4. initio*, quod idem hic dicitur, dictum eſt: Amantes præter cæteros ſenſus, viuendi ſenſum

ſenſum maxime adamare. *An igitur*, inquit Ariſtoteles, *vt amantibus aſpectus, ita & amicis conſuetudo ſeu conuictus erit charisſimus.* Quæ ſexta & vltima eſt quæſtio. Nam particula ἆρα ἐρωτηματικὸν, non vt Scholiaſtes Græcus putat κατηφατικὸν eſt, hoc eſt, non eſt hic affirmatio quædam, ſed interrogatio.

κοινωνία γὰρ ἡ φιλία.] Docet Ariſtoteles conuictum amicis eſſe iucundiſſimum, maximeque expetendum tribus rationibus, quarum hic prima eſt iſta, quia amicitia ſit quædam ſocietas ſeu communitas omnium rerum diuinarum & humanarum, inquit Cic. & ſupra dictum, *lib 8 cap. 11.* Si igitur amicitia eſt ſocietas, Ergo conuictus merito eſt expetendus. Nam ſocietas omnis in conſuetudine & communicando maxime cernitur.

καὶ ὡς πρὸς ἑαυτὸν.] Altera ratio, quia ſenſus amici expetitur. Quid ita? quia ſui ſenſus expetitur. Ergo amici, qui eſt alter idē. Si igitur amici ſenſus expetitur. Ergo conuictus. Quid ita? quia ſenſus iſte conuictu maxime cernitur, conuictu maxime capitur, ſiue, vt loquitur Ariſtoteles, ἐνέργεια maxime eſt in conuictu, ἐνέργεια inquam, ſenſus ſeu conſcientiæ συναισθήσεως, id eſt, ipſa συναίσθησις. Sed hoc explicatum ſupra *cap. 9.*

καὶ ὅποτε ἐστιν.] Tertia ratio, quia quæ quiſque maxime adamat ſtudia, ea conuictus cauſa cum amicis excolere gaudet. Notum eſt, varia eſſe hominum ſtudia, aliis alios delectari, adeo quidem, vt in his vitam omnem ſuam poſitam eſſe exiſtiment, quaſi eſſe cuiuſque ſuum his ſtudiis definiatur, non proprie tamen. Nam quibus in rebus vita ſeu eſſe cuiuſque ſuum ſit poſitum, ſupra dictum *capite 9.* In ſtudiis tamen eſſe quoddam ſecundum, vt in ἐνεργείᾳ quadam, poſitum dici recte poteſt, verbi gratia, Philoſophi eſſe in philoſophando; eius qui talis & teſſeris delectetur, vt Curius olim, in talis ludendo: alius in potando. Hoc præmunito, in ſtudiis cuiuſque ſuis vitam cerni: nunc hoc præterea adiiciatur, eadem ſtudia quemque cum amico excolere cupere, quia in iis conuictum poſitum eſſe putet. Quod ſi verum eſt, vt eſt. Ergo conuictus maxime eſt expetendus. Antecedens veriſſimum eſt, id eſt, quemque ſtudia cum amicis, quia in iis conuictum poſitum eſſe putet, excolere cupere, perſpicuum eſt ex vita communi. Nam Philoſophi quærunt, quibus cum philoſophentur, alii

alios, quibus cum ſtudia quiſque ſua communicet & excolat. Venatores cum quibus venentur.

γίνεται οὖν ἡ μὲν.] Hic de conuictu & conſuetudine, quæ eius ſit vis ad mores tam bonos, quam malos, & ad ipſam amicitiam. Nam improborum conſuetudine amicorum, amicitiam quoq; naſci improbam, quia flagitioſa inter ſe communicent, & facile huc & illuc, vt inſtabiles (nam improbi inſtabiles, viri boni conſtantes & ſtabiles eſſe ſolent ſupra *lib. 7. &* *8.*) abduci poſſint ad quæuis vitia, atque ita ipſi peiores mutua conſuetudine euadunt. Contra fit in bonis & bonorum amicitia. Nam cum hæc mutuo conuictu incrementum capit, tunc illi meliores quoque euadunt, agendo, & dum alter ab altero tanquam exemplum in vita capit, alterum imitando, Nam vt & Cicero eleganter *in Lælio*, amicum quiſque ſuum tanquam exemplar intuetur ſui, quod Ariſtoteles verbo *ἀπομάττονται* ſubindicat. Quo pertinet & Theognidis ſententia, de qua & ſupra *cap 9.*

περὶ μὲν οὖν.] Hæc verba non ſunt inducenda. Nam repetiuntur & ſunt conſentanea inſtituto Ariſtotelico, &c.

FINIS LIBRI IX.

LIBER

LIBER X.

ARGVMENTVM.

Liber hic in tres partes ſecari poteſt, quarum in prima de voluptate; in altera cap. 6. 7. & 8. de beata vita; in tertia denique concluſio huius operis, & præmunitio ad libros Politicorum adfertur & explicatur. De voluptate quidem explicatio item in tres partes diuiditur. Nam primum, cur de ea in his libris explicet; deinde cap. 2. & 3. quæ alij de voluptate ſenſerint & diſſeruerint, perpenduntur. Poſtremo capite quarto & quinto, quæ voluptatis vera ſit vis & natura ex Ariſtotelis ſententia propius explicatur. Cæterum de voluptate & ſupra copioſe eſt explicatum ſeu diſputatum libro ſeptimo, capite vndecimo. Cur autem hoc loco rurſus de ea diſſeratur, rationem, quam vulgo afferunt, non probo, aliam non reperio, quam quod Ariſtoteles in libris, qui hodie extant, ſæpe ſolet ταυτολογεῖν.

CAPVT I.

COMMENTARII.

Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ.] Duæ ſint huius capitis partes, quarum priore duæ afferuntur cauſæ, cur de voluptate explicandum ſit politico: altera parte ſui temporis philoſophorum ſententiæ afferuntur, quid quiſque de voluptate exiſtimarit.

μετὰ δὲ ταῦτα.] Prior ratio, quia voluptas humano generi ſit cognata, id eſt, quia ſit quiddam humanum, ad homines pertinens. Formula:

Humana, ad vitam rectè degendam pertinentia, hic ſunt explicanda omnia:
At voluptas huius eſt generis.
Ergo hic explicanda.

De propoſitione dictum *libro 1.* De aſſumptione *lib. 7.* de qua & hic adiungit Ariſtoteles ex Platone tamen *libro 1. & 2. de*

legib. ſumtum. *Adeo quidem tractationem de voluptate ad vitam pertinere, vt pueri & adoleſcentes voluptate potiſſimum & dolore regantur. Dum alij munuſculis, pomis, & id genus aliis rebus in officio continentur: alij vero verberibus, rebuſque alijs moleſtiis à vitio deterrentur.* Certe Plato iis locis pulcherrime docet de voluptate & dolore tractationem eſſe bonæ inſtitutionis ſeu pædiæ princeps caput.

δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς τὴν.] Altera hæc eſt ratio, quia in voluptate magnum ſit poſitum momẽtum ad virtutes morum. Quid ita? duas huius rei cauſas adiungere mihi videtur Ariſtoteles. Prior eſt, quia negotium de voluptate per omnem vitam ſit diffuſum, longe lateque pateat: At vitæ moderari eſt virtutis officium. Altera eſt, quia virtutis eſt diſtinguere, quæ expetenda, quæ fugienda. At illa ſunt iucunda, hæc aſpera & moleſta. Tertia autem ratio, cur in voluptate vis aliqua ſit ad virtutes morum, ſit iſta, quia virtutum moralium [non virtutum rationis] eſt moderari perturbationibus ſupra *lib.* 2. quarum perturbationum ſumma genera & fontes eſſe, voluptatem & dolorem, ibidem eſt explicatum. De hac autem ipſa re, cur in his libris de voluptate explicetur, latius diximus ſupra *lib.7.cap.11.*

ὑπὲρ δὲ τῶν τοιούτων.] Hac altera huius capitis parte, aliorũ ſententiæ de voluptate nunc exponũtur. Monet autem, quod ad priorem partem pertinet, eo magis de voluptate eſſe explicandum, quo maiores de illa ſint difficultates. Nam his verbis tacitæ quæſtioni occurrit, quaſi non opus ſit de voluptate explicare, de qua omnibus ſit notum, etiam beluis. Minime vero inquit Ariſtoteles, id quod ex diſſentientibus Philoſophorum ſententiis perſpicuum erit. Nam aliis quidem voluptatem videri ſummum bonum; aliis ne bonum quidem atque adeo ſummum malum. Et his quidem partim, quia ita reuera exiſtiment; partim, quia, etſi aliter exiſtimant, tamen melius ita putent ſpargere ac diſputare: ne ſi forte vulgo intelligatur, voluptatem eſſe vel ſummum bonum, vel bonum, maiore quam par ſit ſtudio ad eam ferantur, ad quam alioqui ſuapte ſponte plærique ſatis ſint procliues. Itaq; melius eſſe, vt dicatur eſſe malum, atque ita reuocentur ad voluptatem procliuiores, non quidem ad ſtuporem quendam & ἀναισθησίαν immanitatem & duritiem, ſed ad mediocritatem. Nam qui ab vno extremorum ad mediocritatem alios reuocare velit, ei

lit, ei faciendum eſt, vt prius ad alterum extremum eos reuocet. Hac namque ratione fiet, vt in medio conſiſtant, quem modum & rationem à vitiis ad virtutes reuocandi ſupra quoque docuit *lib. 2. extremo*. Etſi Ariſtotelica hæc ratio à Plutarcho grauiter reprehenditur [non citat Ariſtotelem, ſed eandem ſimilitudinem] *in libello de differentia amici & adulatoris*. Hac igitur ratione freti quidam melius exiſtimabant eſſe, vt verbis dicerent, voluptatem eſſe malum, etſi re aliter ſentirent.

μή ποτε δὲ οὐ καλῶς.] Ariſtotel. non improbat quidem eam rationem, ſed monet, non ſemper habere locum. Nam hoc certum eſt & notum, & ſępius dictum, diſputationes Politicas & Ethicas à moribus & vita communi abhorrere non debere. Quid ita? quia alioqui fidem non mereantur, quia rideantur & contemnantur, vt olim Stoicorum præcepta ſupra *lib. 9. ca. 8.* & infra *cap* 7. Non debent igitur hæ diſputationes & pręcepta repugnare vitæ & ſenſui, cum, ne fides plane nulla eis habeatur, tum, quia etiam hoc alioqui incommodum ſecum trahunt, vt etiam aliâs, ſi quid veri continuerint, tamen iis nõ credatur, atque ita ipſam veritatem ſecum ipſæ euertũt, quod de mendace dici ſolet. Quomodo grauiter Hieronymum reprehendit Auguſtinus. nam cum ille officioſum, vt loquuntur Theologi, mendacium probaret, non reuera, ſed quia vtile eſſet ad vitam; reſpondit Auguſtinus, maximum inde ſequi incommodum. Nam ſi intelligãt homines, hoc decere Theologos, non veritatis, ſed vtilitatis cauſa, fore, vt omnia quæ in ſacris libris continentur, in controuerſiam reuocentur, quaſi & in his, quæ adferuntur, non tam ſint vera, quam ad homines in officio continendos vtilia. Perperam igitur & Plato *lib. 3. de legib.* cum mendacium ſua ſponte turpe & nefarium eſſe dicit, tamen magiſtratibus interdum vtilitates publicæ permittant. Incommodum autem, quod dixi, vna cum falſo verum tolli, confirmat hunc in modum. nam qui voluptatẽ eſſe exercendam vituperarit, ſi forte idem voluptatem poſtea expetere deprehenſus fuerit bonam; continuo exiſtimabunt vulgo, omnem voluptatem eſſe expetendam; quia vel aliqua ſaltem ab eo, qui olim voluptatem grauiter vituperarit, expetatur. Ex aliqua omnem expetendam iudicabunt, neque enim, cuiuſuis eſt diſtinguere, quę voluptas ſit expetenda, quæ non.

ἐοίκασιν ὖν οἱ ἀληθεῖς.] Expoſitis falſæ orationis incōmodis, adiungit veræ commoda orationis. Nam hanc nō ad cognitionem tantum, ſed ad vitam quoq; eſſe vtilem; quia cum ſenſui vitæ ac moribus conſentiant, facile mereantur fidem: atq; ita vita & moribus exprimatur, vt cōtra cui fides abrogatur, cōtemni ſolet. Hæc igitur duo ſunt veræ orationis cōmoda, ꝙ ad intelligendū, & ad agendū, id eſt, ad vitam ſit vtiliſſima. Cui rei argumento ſit & iſtud, quod vulgo hortari adoleſcentes ſoleant, vt vitam ex præceptis, id eſt, ex vera oratione inſtituant & moderentur. Hortationes, inquam, argumēto ſint, præcepta hæc ad vitam eſſe vtilia, ſiquidem vera & moribus congruentia. Et hæc quidem duo commoda, in pręceptis politicis maxime ſpectari debent, vt quæ non tam cognitionis, quam vitæ & actionis cauſa dentur. Qua de re ſup. *lib 2. cap. 2. & lib. 1. cap. 3.* vbi & de vtilitate præceptorum in fine nonnihil dictum, &c.

CAPVT II.

COMMENTARII.

Εὔδοξος μὲν ὖν τὴν ἡδονὴν.] Hoc capite & proximo, quæ modo ſint explicatæ & expoſitæ, aliorum de voluptate ſententię perpenduntur, eaque re hęc duo male ſunt ſciſſa, quia eiuſdem ſunt rei. Sed hoc cap. Eudoxi ſententiam, exiſtimantis, voluptatem ſummum eſſe bonum, eiuſque rationes, & Platonis earum rationum reprehenſiones, ſuas denique Platonicarum refutationum reprehenſiones adfert.

εὔδοξος μὲν ὖν.] Ait Eudoxum exiſtimaſſe, voluptatē ſummum eſſe bonum, quod idem de Eudoxo cōmemorat Laërtius ex Nicomacho. Nam Laërtius horum librorum authorem putauit, non Ariſtotelem, ſed eius filium Nicomachum, vt & Cic. qua de re ſupra *in prolegomen.* Hanc Eudoxi ſententiam 100. poſt annis arripuit Epicurus, cuius eadem quæ Eudoxi duo argumenta commemorantur à Cic. *lib. 1. de Fin.* & refelluntur duo. Eſt & tertium hic Eudoxi argumentum, quo tamen doceatur voluptatem non tam eſſe ſummum bonum, quam eſſe bonum duntaxat.

Διὰ τὸ πάνθ' ὁρᾷν.] Prius argumentum, quia ſenſu ipſo cognoſci poſſit ab omnibus, tam ratione vtentibus, quam eius expertibus animantibus expeti. Formula:

Quod

Quod ab omnibus expetitur, id ſummũ eſt bonum. Nam veriſſima eſt ſummi boni nota ab omnibus expeti, ſup. initio lib. 1.

At voluptas ab omnibus expetitur. Teſtes ſint vel ipſi ſenſus, quibus hæ diſputationes ſi repugnent, fidem eas nõ mereri, ſupra dictum. Quod idem ſenſuum teſtimonio mirifice vrget Torquatus Epicurus libr. de Fin.

Ergo voluptas eſt ſummum bonum.

Confirmat & propoſitionem Ariſtotel. Quod expetendum, inquit, eſt bonum, Ergo quod maxime expetendum, eſt optimũ. At voluptas maxime eſt expetenda, quia nõ ſecus atq; cibus, ita & voluptas quoq; ab omnibus expetatur, teſtimonio ſenſuum.

ἐπιστεύοντο δὲ οἱ λόγοι.] Interiicit de Eudoxi moribus caſtis, & vita temperante ac moderata, & ab omnibus voluptatibus turpibus abhorrente His.a. eius moribus magnam fidem diſputationibus eius acceſſiſſe. Notum namque eſt in moribus ad fidem faciendam, vim maximam ſitam eſſe, τρόπος, inquit, Menander, ἐστὶ ὁ πείθων τοῦ λέγοντος οὐ λόγος, quem tamen verſiculum grauiter reprehendit Plutarchus *in lib. de legendis Poëtis*, & in altero, *de præceptis Reip. gerendæ.* Videatur tamen Ariſtot. *lib. 2. Rhet. & init. 1.* & Cic. *lib. 2. de Fin.*

οὐχ ἧττον δὲ.] Alterum argumentum à contrario, quia dolor omnibus maxime ſit fugiendus & vitetur. Ergo voluptas maxime eſt expetenda. Sed de hoc argumento ſup. *lib. 7. cap. 13.*

μάλιστα δὲ εἶναι.] Si attentius locus hic conſideretur, videri poſſit hoc agi potiſſimum, vt doceatur, voluptatem rem eſſe vnam omnium maxime expetendam, & proinde ſummũ bonum. De quo connexo ſup. *lib. 1. cap. 2.* idq;, id eſt, voluptatem maxime eſſe expetendam, trifariam confirmari, quia vel ſenſibus teſtibus, eam expetant tam beluæ, quam homines, quia dolor maxime ſit fugiendus, quia voluptatis gratia res aliæ, ipſa nullius cauſa expetatur. At hoc maxime expetẽdum docuimus ſupra *lib 1. cap. 7.*

προστιθεμένην δὲ ὁτῳοῦν.] Adhuc docuit, voluptatem ſummũ eſſe bonũ, quia maxime expetendã; nunc idem docet, quia rebus aliis addita, eas faciat omnes magis expetendas. Formul.

Si voluptas, quibus accedit rebus, eas facit omnes optabiliores. Ergo ſummum eſt bonum. Verum primum. Nam plura bona vno ſunt optabiliora lib. 3. Topicorum. Sic

iuſte agere cum voluptate eſt optabilius, quam cum moleſtia.

Verum igitur primum.

Ergo & ſecundum.

Sed Ariſtoteles hoc connexum reprehendit. Nam ex eo non effici voluptatem eſſe ſummum bonum, quod aliis rebus addita, eas faciat optabiliores, ſed eſſe duntaxat in bonis. Argumento ſit vel ipſa antecedētis ratio, quia plura bona vno ſunt meliora & optabiliora, quæ de quibuſuis bonis intelligitur. Non valet igitur neque conſtat hæc ratio. Voluptas rebus aliis addita eas facit optabiliores. Ergo eſt ſummum bonum. Sic potius fuerat concipienda:

Voluptas aliis rebus addita, eas facit optabiliores.

Ergo eſt in bonis.

Itaque Eudoxi perſpicuus hic fuit paralogiſmus.

τοιούτῳ δὴ λόγῳ.] Qua ratione ſeu concluſione Eudoxus nitebatur docere, voluptatem ſummum eſſe bonum, eadē in Eudoxum retorta Plato, docuit non eſſe, hunc in modum:

Summo bono nihil addi poteſt, vt magis expetatur.

At voluptati bonum aliud addi poteſt, aut ipſa alij, vt hæc duo mixta & copulata magis expetantur, quam ſola.

Ergo voluptas non eſt ſummum bonum.

Aſſumptio fuit ipſius Eudoxi. De propoſitione explicatum ſupra *lib.1.cap.7.*

δῆλον δὲ ὡς οὐδ᾽.] Ariſtoteles priorem Platonis reprehenſionem ſeu concluſionem hic refellit ab abſurdo. Nam ex illa effici, vt nullum ſit bonum ſummum, quod in hominem cadat. Quid ita? nam certum eſt, bona quo ſunt plura, eo eſſe optabiliora *lib.3.Top.* Quare & ſummo bono, ſi qua præterea bona adiiciantur, optabilius vt efficiatur, neceſſe eſt ſupra *libro primo, capite ſeptimo.* At ſummo bono adiici poſſe quædam, ſummum bonum creſcere poſſe, non ratione habitus & ſui ipſius, ſed ratione ſubiecti & hominis, in quo ineſt (nam vt alii aliis ſunt iuſtiores fortioreſque; ita alii aliis ſunt beatiores, & contra miſeriores) ibidem demonſtrauimus, & Cicero ex Peripateticorum ſententia copioſe oſtendit *libro quarto de Fin.* Platonis igitur ratio ad Ideas potius & bona in homines non cadentia pertinet. In his tamen libris bona humana quæruntur, non cœleſtia, aut in hominem

non

non cadentia, vt ſupra *libro primo, capite 6. in fin.* Atque ita non recte Plato, quia voluptas bonis aliis addi poſſit, eam propterea ſummum bonum eſſe negauit, cum omnis ſummi boni, quod quidem in hominem cadat, eadem ſit ratio, vt ratione ſubiecti creſcere poſſit. Beatæ vitæ namque habitus eſt idem, gradus non item.

οἱ δ' ἐνισταμένοι ὡς] Iam Ariſt. adfert Platonicas Eudoxi rationum reprehenſiones, eaſq; & ipſe ſtatim refellit. Plato ex eo, quod ab omnib. expetatur non effici dicebat, voluptatem ſummum eſſe bonũ, maxime quod in tam graui cauſa argumentũ à beluis non ſit petendum. Ariſt. contra, qui hanc rationẽ leuem eſſe dicant, eos non multa probabiliora allaturos eſſe ait. Nam quod omnibus videtur; id, inquit, eſſe dicimus. Nam cõmunis hominũ ſenſus & iudicium eſt tanq̃ lex naturæ, *in lib. de Natura Deorum.* Bona igitur ea eſt Eudoxi ratio. Quod autem Plato de beluis, eſſe quidẽ id aliquid, ſi à beluis tantum expeteretur voluptas. Verũ conſtat, & à ratione vtentibus eã expeti: quin etiam qua parte & ipſæ beluæ voluptatem experunt, non tam vitioſa ſui parte [natura duce] q̃ naturali quodã bono inſtigante, id facere iudicari debẽt. Sciendum in beluis, etſi harũ natura eſt vitioſior & deterior, q̃ hominũ & ratione vtentium, ineſſe tñ bonum aliquod naturale: cuius quidẽ boni ratione illæ hanc volptatem vno oẽs ſenſu expetant, tanq̃ accommodatam & congruentẽ bono illi naturali, non ſuæ naturæ deteriori. Argumento ſit, ꝙ vt vitioſæ & deteriores naturæ variant, ita & variat earũ appetitus. Iam vero, quia beluæ, in expetenda voluptate omnes ad vnũ conſentiunt, efficitur, hunc appetitũ proficiſci ex bono quodam naturali illis inſito, non ex earum natura deprauata & vitioſa.

ἴσως δ'.] Et ſic intelligenda hæc verba, alioqui perobſcura, ἴσως δὲ καὶ ἐν τοῖς φαύλοις, ſcil. ζώοις, eſt enim neutri generis.

οὐκ ἔοικε δ' οὐδέ.] Platonica eſt reprehenſio, alterius concluſionis Eudoxi, de qua, quia explicatum ſupra *lib. 7. cap. 13. initio*, nihil hic repetendum, &c.

CAPVT III.

COMMENTARII.

οὐ μὴν οὐδ' εἰ μὴ τῶν.] Pergit Ariſtoteles Platonicorum rationes, etiam bonorum numero eximentium voluptatem, refellere quatuor hoc capite.

οὐ μὴν οὐδέ.] Platonicorum ratio, cur voluptas non ſit in bonis, hæc vna fuit, quia voluptas non ſit qualitas, ſed actio potius, vtpote ἐνέργεια ex Ariſt. ſententia *lib.7. c.12.* Formula:

Si voluptas non eſt qualitas.

Ergo non eſt in bonis.

Connexi ratio hęc fuiſſe videtur, quod virtutes & vitia, id eſt, habitus boni & mali in categoria qualitatis collocētur, quod differentia boni & mali in ea ſit categoria. Ariſtoteles negat connexi rationem. Nam multa eſſe, quæ non ſint in qualitatis categoria, & tamen ſint in bonis, vt ſunt actiones virtutis & ipſa beata vita, item actio, non qualitas, ſupr. *lib.1.* Ex hoc loco obſeruandum, virtutis actiones ab Ariſtot. remoueri à qualitatis categoria, contra atq; nonnulli hodie ſentiunt.

λέγουσι δὲ τὸ μὲ ἀγαθόν.] Altera Platonicorum ratio, quia voluptas ſit interminata ſeu infinita. Formula:

Bonum omne eſt finitum.

Voluptas non eſt finita.

Ergo non eſt in bonis.

Propoſitio manat ex συστοιχίᾳ Pythagorica, de qua ſupra *lib.1. & 2.* Aſſumptionis ratio, cur voluptas ſit infinita, hæc ab illis redditur, quia capiat id quod magis, & quod minus, id eſt, quia maior & minor voluptas eſſe poteſt, quia intentionem capit & remiſſionem. Formula:

Quod creſcit & decreſcit, ſiue quod augetur & diminuitur, id eſt infinitum.

At voluptas alia eſt maior, alia minor.

Ergo eſt infinita.

Aſſumptio eſt certa. Nam alium videmus maiore voluptati affici, alium minore. Deinde, alia eſt purior voluptas, vt animi, alia impurior, & cum dolore quodam mixta vt corporis. Siue igitur ſpectes voluptate affectos, ſiue voluptates ipſas, videbantur aliæ aliis eſſe minores & maiores. Reſpond. Ariſtoteles, ſi affectos ſpectes, idem accidere & aliis omnibus, affectibus, habitibus ſeu affectionibus. Nam alius alio eſt iuſtior, fortior, temperantior, atq; ita hac eorum concluſione efficeretur, vt ne virtutes quidem ſint in bonis, quia virtute præditi, alius alio ſit magis, alius alio minus. Si voluptates ipſas ſpectes, fatetur Ariſt. alias aliis eſſe puriores & præſtantiores, ex eo tñ non effici, vt ſint infinitæ, aut nō ſint in bonis, Nam habitus omnes, etſi per ſe id quod magis & minus non capiunt,

capiunt, ſed ſint finiti, capiunt tamen ea ratione qualitatum patibilium, quæ ſunt in rebus ſubiectis, i. habituum ſunt gradus aliqui non per ſe, ſed propter qualitates rerum ſubiectarum, ſuapte alioqui natura iidem, quiq; neque intentionem aut remiſſionem capiunt, v. g. ſcientia, qua parte eſt habitus, non capit id quod magis aut minus, vt per ſe cõſideratur habitus: qua parte ineſt in hoc aut illo: capit, id eſt, in hoc maior eſt, in illo minor ſcientia. Atq; ita ratione hominum gradus fiunt ſcientiæ. Eadem & virtutum eſt ratio. Ariſt. exemplum adfert de ſanitate. Nam & hanc in alio eſſe planiorem, in alio non item. Eſt quidem ſanitatis habitus quidam perfectus & plenus, in certa ſymmetria partium poſitus: ſanitas tamen & ea dicetur, quæ etſi non erit in ea perfecta ſymmetria, tamen aliqua ex parte accedit. Gradus namq; ſunt ſanitatis. Quare, vt ſanitas, quamuis perfecta, minor tamen eſt ſanitas, eſt finita & in bonis corporis, etſi voluptate animi minor, tamen eſt & voluptas, neq; deſinit eſſe aut finita, aut in bonis. Itaq; vt habituum, ita & voluptatum ſunt gradus. Rationem huius connexi ſupra explicauimus copioſe *lib. 7. cap. 12 in princ.*

καὶ περὶ τὴν δικαιοσύνην.] Locus hic eſt mendoſus, inducenda ſunt hæc verba, καὶ κατὰ τὰς ἀρετάς, vel hæc omnia, καθ' αὖ ἐνεργῶς, &c. vſque ad verbum ἔσται.

τέλειόν τε τἀγαθόν.] Tertia Platonicorum ratio, quæ, vt & ſecunda, extat *in Philebo Platonis*, quia voluptas ſit motus & ortus, & proinde non eſt perfecta. Nam motus eſt actio inchoata, inquit Ariſtoteles *in Phyſ. lib. 3.* Ortus eſt motionis genus. Formula:

> *Omne bonum eſt perfectum quiddam ex Pythagorea συστοιχία. Voluptas eſt inchoatum quiddam, quia ortus & motus. Ergo non eſt in bonis.*

Ariſtoteles refellit aſſumptionem, & neq; motum neque ortum eſſe docet. De motu prius, cur non ſit voluptas, hanc affert rationẽ à proprietate motus ſumpta, quia voluptas non ſit particeps celeritatis aut tarditatis. Formula:

> *Omnis motus vel eſt celer, vel tardus.*
> *At nulla voluptas celer vel tarda eſt vel dicitur.*
> *Ergo non eſt motus.*

De propoſitione explicatur *in Phyſ.* nam & eadem ratione ſeu concluſione Ariſt. *lib. 4. Phyſ. ἀκροασ.* docet, tẽpus quoq; non eſſe motũ, ſed in motu potius, vt hoc loco voluptatẽ non eſſe motum,

motum, ſed motus comitē. Motus autem celer eſt & tardus, vel per ſe & abſolute, vel cōparate πρὸς ἄλλο, πρὸς ἕτερον. Per ſe in rebus, quarū non eſt æquabilis motus, vt nauis curſus nūc eſt tardior, nunc celerior. item equi, currus, &c. cōparate quo modo plærunq; motus intelligi ſolet, vt Solis curſus cum Saturno comparatus eſt celer, cum Luna, tardus, ſuapte alioqui natura æquabilis. Cœlum etiam ipſum, cuius rotatio eſt æquabilis, & per ſe neque celer neque tarda; comparatione tamen aliarum rerum ita dici poteſt. His præmunitis, nunc ad aſſumptionem. Ait igitur has notas motus, celeritatem & tarditatem, voluptati neutro modo conuenire, neque abſolute, neque comparate. Quod ipſum diſtinctione adhibita, melius intelligetur: aut enim voluptatem acquirimus, aut iam ſumus in voluptate, eaque fruimur, illi notæ illæ conueniunt, huic non item. nam alius alio citius vel tardius voluptate perfundi ſeu eam adquirere poteſt. Acquiſita autem frui, nemo dicitur tardius vel celerius. Abſurdum ſit dicere, tarde aut celeriter aliquem lætari; non abſurdum tarde aut celeriter aliquem lætari cœpiſſe: contra fit in veris motibus. Nam recte dicas, vt cucurriſſe, ita & currere aliquem celeriter vel tarde, atque etiam cœpiſſe currere. Non conuenit igitur tarditas aut celeritas voluptati, ratione loquendi vſitata repugnante. Quæ loquendi ratio, & rei veritatis eſt ſymbolum & index. Non conuenit inquam, ſiue per ſe, ſiue comparate. Nam vt modo dictum, nemo dicitur lætari celeriter vel tarde: phraſis eſt inaudita. Itaque traduci quidem inquit Ariſtoteles, μεταβάλλειν, id eſt, acquirere voluptatem tardius aut celerius poſſumus, (quia abſque motu non acquiritur) frui tamen & in ea eſſe, non item. Falſum eſt itaque, quod Plato voluit & Stoici poſtea tenuerunt, quos ſequitur Cicero *libro 4. Tuſcul.* Voluptatem eſſe motum, vt & hoc falſum, quod iidem Stoici tenent, perturbationes πάθη, iram, odium, inuidiam, miſericordiam eſſe motus. Nam ſi ſunt motus. Ergo celeritatem & tarditatem capiunt. At hoc falſum. Nam ridiculum ſit dicere aliquem tarde aut celeriter iraſci, id eſt, in ira eſſe: tarde quidem & celeriter concitari ad iram quis poteſt, vt ad voluptatem, ſed in iis non item, vt voluptas comes eſt motionis. Nam ex appetitu conſequitur; ita & perturbationes motum conſequuntur, vt ira commotionem cordis, neque voluptas tamen, neque perturbationes ſunt motus,

motus, aut ita dici debent. Hinc multa in Rhetoricis populariter & improprie ſcribit Ariſtoteles, vocat voluptatem motum, quia quodammodo voluptas in motu eſt. Igitur ſubiectum in quo voluptas eſt, attribuitur ipſi voluptati, ſed improprie. Hoc loco Ariſtoteles diſputat exquiſite: In Topic. & Rhetor. populariter, quod qui non animaduertunt, ſtatim inuehuntur in Ariſtotelem, ſibi diſſentire eum. Ideo diligenter Ariſtoteles monet, aliam eſſe Analyticam, Dialecticam, Topicam, Rhetoricam probationem.

γένεσίς τε πώς ἐν.] Nunc; An voluptas ſit ortus? Platonis ratio in Philæbo, ortum eſſe, hæc eſt, quia ſit expletio. Ariſtoteles rationem hanc falſam eſſe docet, quia non omnis voluptas ſit expletio, ſed corporis tantum. Concludendum aūt Platoni fuit hunc in modum. Ex quo quid oritur, in idem interit. Neq; enim omnia ex omnibus oriuntur, omnia in omnia occidunt, ſed certum eſt, quibus ex rebus quidq; oriatur, & in quas recidat interitu; ex mari non oriuntur homines, vt nec ex terra piſces, quod eleganter Lucret. *lib. 1.* Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus omne genus naſci poſſet, &c. è mari primum homines, è terra poſſet oriri ſquamigerum genus. Suis igitur è rebus quidque oritur, & in eaſdem recidit. Atqui voluptas, cuius rei ipſa eſt ortus, eius eiuſdem dolor eſt interitus. Ergo voluptas eſt ortus, dolor interitus, φθορά. Sic Plato aſſumptionem confirmabat hac ratione, quia voluptas ſit expletio, dolor indigentia, verbi gratia, fame aut ſiti laborans, & indigens, dolet; qui ſi expleatur, gaudet. Ergo, inquiebat Plato, eodem pertinet voluptas & dolor, ex eadem re & interit & oritur voluptas. Ergo ortus eſt. Ariſtoteles docet contra, voluptatem non eſſe expletionem duabus rationibus: altera ab abſurdo conſequente. Nam efficeretur, vt voluptas eſſet corporis, voluptas inquam perciperetur corpore. At hoc falſum. Voluptatis ſedes eſt in animo, non in corpore, eſt τῶν ψυχικῶν, eſt partium animi. Qua de re tamen videatur præclara diſputatio Nobilii *lib. 2. de voluptate.* [eſt Italus doctiſſimus.] Formula:

Expletio & indigentia ſunt πάθη σωματικά, affectiones corporis.

Atqui voluptas & dolor ſunt πάθη ψυχικά, nō σωματικά.

Ergo voluptas & dolor non ſunt expletio & indigentia.

De propoſitione & aſſumtione iam explicatū: Quam tam in vtramq;

vtramq; ſine dubio negarit Plato eſſe veram. Eaque re & Ficinus Platonicus refellit *in lib. de volup.* Flaminius Peripateticus conciliat *lib. 2. de volupt.*

ἡ δόξα ϛ̓ αὕτη δοκεῖ.] Ariſtot. *lib. 8. cap 12.* monuit, multum ad fidem facere, ſi non veritas tantum, ſed erroris quoq; fons & origo aperiatur. Cuius præcepti memor, poſtquam refellit Platonis ſententiam, exiſtimantis voluptatem eſſe expletionem, hoc amplius hic adiungit, quid illum in errorem hunc duxerit. Hæc, inquit, opinio manauit ex voluptatibus & moleſtiis cibi ac potus. Sic enim concluſerunt:

Voluptas cibi eſt expletio. Ergo omnis, vt ſi quis diceret, homo eſt animal ratione praditum. Ergo omnis.

Eos igitur ſeduxerunt voluptates hæ cibi & potus. Non oẽs autem voluptates eſſe expletiones, perſpicuũ eſt cum ex iis, quæ capiũtur ex bonis artibus, tũ ex iis, quæ de ſenſibus quibuſdam, vt odoratus aurium & oculorũ, capiuntur. Quas oẽs conſtat eſſe abſq; moleſtia præegreſſa, i. indigentia, atq; ita hic neq; eſt indigẽtia, neq; proinde expletio. In his aũt verbis latet & altera ratio, quia multæ ſint voluptates doloris omnis expertes, & proinde abſq; indigentia, quæ vbi abeſt, ibi neq; expletio conſequi poteſt. Quas autem Ariſt. hic vocat μαθηματικὰς, reddidi voluptates artium ſeu ſcientiarum omnium, non vt vulgo reddunt, tantũ Mathematicorum ſeu Geometricarũ. Nã μαθηματικὸν apud Græcos alias eſt Generis, alias ſpeciei vocabulum. Vniuerſe autem ſeu generaliter hoc loco id eſſe accipiẽdum, doceo, cum ex eo, quod eadem omnium ſcientiarum ſit ratio, quarum inquam voluptates non ſunt expletiones, vtpote doloris expertes; tũ ex his verbis, ſupra *li. 7. c. 12.* αἱ ἐν τῷ θεωρεῖν ἐνέργειαι, &c. vbi, quas hic μαθηματικὰς, vocat θεωρητικὰς, ἐν τῷ θεωρεῖν, & *in Magn. lib. 2 c. 7.* voluptates partitur, & facit alias τῆς θεωρίας ἐν τῷ θεωρεῖν, alias corporis.

καὶ διὰ τῆς ὀσφρήσεως.] Quidam pro καὶ, legit αἱ, repugnantibus omnib. libris [coniectura ductus emendat] nõ recte. Nã Ariſt. trium ſenſuum, & odoratus & auriũ (Græci, & ipſe Cic. aliquot in locis ἀκροάματα vocant, & ipſa carmina muſica, & ipſos cantores & hiſtriones: introducuntur aũt ἀκροάματα, i. muſici, vulgo non notum:] & oculorum [vt ſunt tabulæ picta] voluptates hoc articulo καὶ ter iterato, copulat.

πολλαὶ ϛ̓ ἐκ μνήμης.] De voluptatibus q & ex memoria reũ præteritarum, & ex ſpe rerum futurarum capiantur, quæ & ipſæ

ipſæ ſunt ἄλυποι, copioſe Ariſtot. *lib.1. Rhet.* vbi de voluptate.

περὸς ἢ τὰς περφέρονζας.] Quarta Platonicorũ ratio, cur voluptas nõ ſit in bonis, aut per ſe bonũ, quia multæ voluptates ſint flagitioſæ, & turpes, vt meretriciæ,&c. Reprehẽditur hic ab Ariſtot (de qua & ſupra *lib.7. cap.13.*) bifariam illi occurrente, I. quia ea, ex quibus hæc capiuntur, non ſint iucunda, etſi forte eas capientibus ita contra videntur. Neq; .n. ſtatim hoc vel illud ita reuera ſe habet, prout huic vel illi videt᷑ male forte affecto, virtus & bona affectio, tam animi q̃ corporis, norma eſt & regula rerũ, ſupra *lib.3.c.5.& li.1.c.8.* Nam male affectis quæ ſuapte vi ſunt bona, videntur mala, & cõtra, quæ mala, ea bona videntur, vt ægrotis quæ iucunda ſunt, moleſta & amara: Lippis aut prope cæcutientibus, quæ alba, videntur alia. Ad eundem igitur modum, etſi quibuſdam ea, q̃ ſuapte alioqui natura nõ ſunt iucunda, tñ contraria ſæpe videri ſolent. Prima eſt igitur hęc ratio occurrendi iis, qui propter turpes voluptates oẽs bonorum numero eximant, eas inquam non eſſe voluptates, quod idem & infra iteratur *cap.5. extrem.*

ἢ ὅτω δὴ λέγοιτ᾽.] Altera iiſdem occurrendi ratio, nimirum voluptates eſſe quidem illas expetendas, non tamen ab his rebus profectas. Non ſequitur, inquit Ariſtoteles, voluptates, quia à rebus turpibus profectæ ſint turpes & flagitioſæ, ea ꝓpter omnes eſſe eiuſdẽ notæ. Nam & diuitiæ, quas conſtat eſſe ex bonorũ numero, ex proditionibus tamen aut iniuſtis rationibus partæ, non ſunt expetendæ: bona valetudo, & ipſa per ſe alioqui expetenda, non tamen ſi pariatur humanis carnibus, bonum eſt non laborare elephantiaſi [lepra vulgo, ſed non eſt: in Germania morbus notiſſimus & in Ægypto, in Græcia & Italia ignotus elephantiaſis] nõ tamen ea curatione, quam ſibi quæſiuiſſe dicitur Rex Galliæ Franciſcus I I. hauſtu ſanguinis infantium [curatur optime hauſtu ſanguinis infantium. vacare eo morbo bonum eſt, ſed cum ſanatur eiuſmodi remedii modo, nõ eſt bonum.] Atq; ita vulgo hæc verba, ὥσπερ καὶ τὸ πλουτεῖν accipiunt, q̃ confirmatur verbo ἀπὸ τούτων. Sic .n. Ariſtot. vt diuitiæ rationibus iniuſtis, ſeu per fas & nefas (vt loquuntur) partæ, item ſanitas vetitis cibis aut potionibus parta, non ſunt expetendæ, alioquin ſuapte vi bonæ: ita & voluptas ex rebus turpibus manans, nõ eſt in bonis, ſuapte alioqui vi expetenda. Thomas ita; vt diuitiæ proditori, qui his adiutus, plus nocere poſſit, non ſunt bonæ, neque

ſanitas

ſanitas qualibet re veſcenti (nam qui ſerpentem ederit, melius illi ſit laborare elephantiaſi, quam eſſe ſanum) ita nec voluptas omnium eſt in bonis, bonorum inquam duntaxat virorum, non improborum, quam explanationem videntur ſuadere verba, προσδῶντι & φαύλοις.

ἢ τῷ εἴδει διαφέρουσιν.] Tertia occurrendi ratio, quod voluptatũ non eadem omnium ſit ratio, non idem genus, quod inquam ſpecie differant. Nam voluptates, partim eſſe in bonis, quæ à rebus honeſtis capiantur, in malis, quæ à rebus turpibus. Voluptates autem ſpecie differre, id eſt, varia eſſe voluptatũ genera, alias, inquam, voluptates eſſe bonas, honeſtas, & laudabiles, alias turpes & flagitioſas, alias expetendas, alias fugiendas, & hoc loco breuiter & infra *cap 5.* latius docebit. Hic igitur id docet quatuor ſignis, ſeu argumentis. Primum eſt, quia perſpicuum eſt, non iiſdem rebus affici & lætari bonos & improbos, non iiſdem Muſicos & Amuſos, qua de re ſupra latius *libro primo cap.8.* Secundum ſignum à diſcrimine adulatoris & veri amici ſumptum, de quo exſtat inſignis Plutarchi commentarius, quorum hic omnia ad honeſtatem, ille ad voluptatem facit ac dicit, quorum illud eſt laudabile, hoc vituperabile. Eſt igitur voluptas quædam vituperabilis, eſt & altera laude digna, quæ inter veros amicos, de qua ſupra *libro octauo & nono.* III. ſignum à puerorum voluptate. Nam pueriles voluptates eſſe quidem illas pueris expetendas, viris tamen minime. Nemo namque velit vel perpetuis in huiuſmodi eſſe voluptatibus. Sunt igitur voluptates quædam vt pueriles non expetendæ. IV. ſign. οὐδὲ χαίρειν ποιῶν τι, &c. quia nemo facile delectetur, faciendis rebus turpibus, vt nullam ex turpibus iis factis moleſtiam ſit habiturus. Natura abhorrent à turpibus factis homines, etiam vt ea cælari poſſint, vrgente nimirum ſemper conſcientia facinoris. Itaq; à factorum turpium voluptatibus abhorrent homines, quia à factis, atq; ita voluptates quædam non ſunt expetendæ, neq; in bonis.

περὶ πολλά τε σπουδὴν.] Docet voluptatẽ non eſſe ſummum bonũ, quia propter eã multa ſint, q̃ non expetãt. Formula:

Si voluptas ſit ſummum bonum. Ergo propter eam omnes res, ipſa propter nullas alias erit expetẽda, ſup. li.1. c.7. At hoc falſum, docet hic Ariſt. Nam multa eſſe quæ expetantur, etiam quæ nulla conſequatur voluptas, vt

ſenſuum

ſenſuum munera & actiones, meminiſſe, ſcire, quæ omnia, quantumuis nulla ſequatur voluptas, tamen ſua vi expetuntur, nulla inquam propoſita voluptate, aut etiam vtilitate. Ergo, &c.

ὅτι μὲν οὖν ὅτι.] Concludit priorem duorum capitum diſputationem, quæ fuit de veterũ dictis & ſententiis philoſophorum de voluptate. Ex qua diſputatione, inquit, & hoc perſpicuum eſt: primum voluptatem non eſſe ſummum bonũ, voluptatem non omnem eſſe expetendam, nec omnem fugiendam, ſed quasdam voluptates eſſe in bonis & expetendas: voluptates deniq; ſpecie diſcrepare. Atq; ita in hoc orationis & diſputationis contextu, dum Ariſtot. aduerſariis turpes voluptates quaſdam afferentibus, tertia ratione occurrit, quia voluptates ſpecie differant, vna & hoc intexitur, voluptates non omnes eſſe in bonis, vt quæ ſunt adulatorum, puerorum comparatione facta ad viros, & flagitioſorum hominum.

ἢ ἀφ' ὧν.] Sic præciſe & eleganter vocat res ſubiectas, de quibus capiantur voluptates, quarum rerum pro differentia & varietate, variant ipſæ quoque voluptates, quæ à rebus honeſtis, ſint honeſtæ, quæ à turpibus capiantur, ſint flagitioſæ.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Τί δ' ἐστὶν, ἢ ποῖόν τι.] Explicatis aliorum de voluptate ſententiis; nunc nouo quaſi initio facto, eius ipſe vim & naturam explicat duobus his capitibus. Quorum priore, primum docet, voluptatem eſſe integrum quiddam & expletum, ὅλον τι, non vero eſſe motum aut ortum: poſtea voluptate actiones omnes perfici. Qua occaſione adiungit, cur voluptates nõ ſint perpetuæ, & cur ab omnibus expetantur.

δοκεῖ γὰρ ἡ μὲν.] Voluptatem eſſe ὅλον τι, integrum & expletum quiddam ſeu perfectum, docet duabus rationibus: quo ipſo confirmato, hoc amplius docet, velut ex repugnantibus, eam non eſſe motum. Nam hæc duo hic implicite docentur. Prior ratio, cur voluptas ſit perfectio quædam, hæc eſt, quia nulla re egeat, cuius acceſſione poſtea expleatur. Formula.

Quæ res alia non eget, quæ quo tandemcunque tempore accedente expleri poſſit, ea eſt integra & perfecta.

At voluptas quo tandemcunque tempore nulla re alia expletior effici poteſt

Ergo eſt perfectio & expletio quædam.

Propoſitio eſt perſpicua, vt & aſſumptio. Nam quo ad naturam voluptatis, tam plena & expleta eſt vnius horæ, quam diei voluptas. Explanat Ariſtoteles ſimilitudine quadam à videndi ſenſu ducta. Nam & huius actionem ſtatim eſſe perfectam, momẽto inquam eo, quo rem intuentur oculi: qui aſpectus vt eam rẽ toto die aſtans quis intueatur, non tamen ea re fiet perfectior. Itaque, quia vt in ſenſuum muneribus & actionibus, ita & in voluptate tempus ad rei naturam & vim nihil adiicit: merito voluptatem dicimus expletum quiddam. Alia eſt ratio earum rerum quæ tempore perficiuntur, vt domus aut templi, quarũ partes paulatim & temporibus perficiuntur. Eadem eſt & hominis ipſius ratio, qui paulatim & temporis progreſſu perfici ſolet.

διόπερ οὐδὲ κίνησις.] Iam interiicit & intexit, voluptatem non eſſe motum, quod docet tribus rationibus: quarum duæ priores ex hac ratione, quia voluptas ſit integrum quiddam & expletum, ſunt aptæ ſeu inde pendent. Prima ratio hic affertur, quia motus perficiatur tempore, voluptas non item. Motum autem tempore perfici, & eſſe in tempore, docet exemplis motus incrementi & motus in loco. Nam domum paulatim perfici, ac tum demum ædificationem perfectam eſſe, cum eo deducta fuerit, cuius gratia erat inſtituta & ſuſcepta. Toto igitur hoc tempore perficitur demum ædificatio, cuius partes proinde non ſunt perfectæ & expletæ, quia eius totius temporis parte tantum continentur aliqua, atque ita totum ædificium à partibus diſcrepat perfectione, atque adeo ipſæ partes inter ſe ſpecie differunt. Nam quæque ſibi eius temporis partem capit, qua parte conficiatur: verbi gratia templi ædificatio toto tempore, quo ad tectum perducitur, perfici dicenda eſt. At fundamenti extructio aut mutuli (τρίγλυφον vocant Græci, ornamentum & particulam quandam columnæ, teſte Vitruuio *libro quarto* non vt perperam quidam reddunt, Lacunar, quod φάτνωμα græci vocant.) Harum igitur templi partium conſtructio eſt imperfecta, ipſæ & inter ſe, & à toto templo diſcrepantes. Aliud genus motus eſt mutatio loci, ingreſſus, ſaltus, volatus &c. quod ipſum & tempore variare & perfici, docet. Nam motum hunc ab vno extremo ad alterum ſpecie differre, extrema Ariſtoteles vocat eleganter πόθεν καὶ ποῖ, vnde & quo.

Huius

Huius igitur generis motus, vt ſaltus inquam volatus & ingreſſus ſpecie differunt, atque adeo, vnus idemque ingreſſus etiã in eadem linea, & in eodem ſtadio ſpecie differt, non tam ratione ſtadii aut lineæ, quæ vna eademque eſt, quam ratione extremorum, quę identidem mutentur, dum ab vno in alium locum fiat progreſſus, atq; ita partes mutentur & extrema, quibus definitur & circumſcribitur motus. His inquam extremis mutatis & variatis, mirum non eſt, ſi & motus variet, atque ita ſpecie differat, etiam in eadem re & loco. Itaq; ſtadii totius percurſio eſt ea quidem perfecta, ſed ſingulę ſtadii partes, dum percurruntur, ſunt imperfectæ, vt modo dictum de tempore & ædificiis. Quare motus omnis tempore perficitur. Nam quæ horum duorum generũ, eadem eſt omnium motuum ratio. Formula: Si igitur motus tempore perficitur, certe voluptas non eſt motus, vt quæ momento perficiatur, & ſit expletum quiddam. Cæterum de motu copioſius *lib.4. & 6. Phyſica ἀκροάσεως.*

ἔοικε δ᾽ οὐκ ἐν] Quod modo dictum motũ toto ſeu integro tempore perfici, hunc totius temporis motum eſſe perfectum inquam, Spacium autem temporis motum non eſſe: hoc amplius hic agit, ne quidem omni & toto tempore motũ ſemper perfici, eſſe inquam & totius temporis motus quoſdam inchoatos neque dum perfectos: cuius generis ſunt opera, & naturæ, & artium inchoata quam plurima. Itaque motus non tantum ratione partium, ſed interdum etiam toto tempore eſt inchoatus neq; perfectus: voluptatis autem perfectio eſt quo tandem cunq; tempore.

εἰδοποιὸν τὸ πόθεν, ποῖ.] Cur motus ſpecie differant. hæc eſt ratio, quia extrema quæ vocat Ariſt. *πόθεν ποῖ* ſunt *εἰδοποιά*, id eſt, efficientia ſpeciei, hoc eſt, quia extremis variantibus, variant & motus, cum extrema erunt alia, erunt & motus, voluptatem enim non motum eſſe docet, quia voluptatis ſtatim perfectio.

δῆλον οὖν ὡς.] Ex his inquit, id eſt, ex eo, quod voluptas, quo tandem cunque tempore perficiatur; motu non niſi toto, & interdum ne toto quidem: ex hoc inquam argumento clara ſunt & perſpicua hæc duo, voluptatem à motu differre, voluptatem inquam non eſſe motum; & voluptatem eſſe perfectum quiddã & abſolutũ, eſſe inquã, perfectionẽ quandam. Ariſt. inquiunt vulgo, nihil aliud agit, quam vt oſtẽdat de voluptate quidnam ea non ſit, poſtea explicabit, quid ſit. Imo

in quam cauſa illa agat, καθ' ἕκαστον δὲ βελτίστη &c. verbi gratia pictura ab optimo pictore in optima tabula, & ex coloribus optimis depicta, eſt perfectiſſima: item ſcriptura, quæ ab optimo ſcriptore & in optima charta. Eadem eſt & aliarum rerum ratio: vbi enim optimus opifex, & optima materia, opus exiſtit præſtantiſſimum.

Ergo & ſenſus actio erit optima & perfectiſſima, ſi & ipſe ſenſus ſeu facultas tanquam opifex & cauſa belliſſime ſe habeat, & res ei ſubiecta ſimiliter.

Eadem eſt & mentis ratio cuius ea actio erit perfectiſſima, cum & ipſa mens optime erit affecta, & in rebus verſabitur præclariſſimis. Hic ſummus eſt gradus actionum ſenſus & mentis, à quo gradu ſtatim diſceditur, quantum vel facultas, vel res ſubiecta mutauerit: adeo, vt etiamſi res pulcherrime ſit affecta, facultas contra peſſime; actio certe perfecta eſſe nequeat. Ex quibus perſpicuum eſt, actionum ſenſus & mentis multos eſſe gradus: alias enim aliis eſſe perfectiores, quo melius, aut deterius ſe habebunt facultas & res ſubiecta. Acerrimi igitur ſenſus, [id eſt, optime affecti] in rem optime affectam agentis actio eſt perfectiſſima, eademque iucundiſſima: perfectiſſima quidem propter facultatem & rem ſubiectam optime affectas: iucundiſſima vero propterea, quia perfectiſſima. Nam cum omnis actionis perfectæ, tum perfectiſſimæ maxima comes eſt voluptas. Si igitur actio, quæ eſt perfecta, eadem & iucunda; quæ perfectiſſima eadē & iucundiſſima: id eſt, ſi actio, qua parte eſt perfecta, eadem eſt iucunda, efficitur voluptatem & actionum quandam eſſe perfectionem. Itaque iam perſpicuum eſt, actiones & facultate, & re ſubiecta, & voluptate, perfici, & ad ſummum perduci. Alio tamen modo actiones facultate & re ſubiecta perficiuntur, alio voluptate. Quemadmodum bona valetudo, aliter à medico, aliter ab habitu bonæ valetudinis ſeu ſanitatis efficitur, ſanitatis cauſa eſt & medicus & ipſa ſanitas, non eodem tamen modo. Nam Medicus eſt ſanitatis cauſa efficiens, ſanitas ſanitatis eſt forma. Nam vt quis ſit & dicatur ſanus, ex habitu ſanitatis inſito proficiſcitur tanquam ex forma. Qua de re & ſupra *libro ſexto, capite 12.* vbi eandem habet ſimilitudinem [de ſapientia ibi loquitur] Ad eundem modum ſenſus actionum ſuarum eſt cauſa efficiens; res ſubiecta earundem eſt tanquam materia. Voluptas autē eſt actio

num

num perfectio aduentitia & cõſequens, velut complemētum quoddam & acceſſio ſeu appendix. Neq; enim voluptas actiones perficit tanquam habitus, ſed quemadmodum florentis ætatis perfectio eſt venuſtas & decor, velut cumulus quidam & extrema expletio [perfecta & florens ætas non perficitur ex venuſtate, ſed venuſtas quodammodo perficit, vt ſit quiddam aduentitium extrinſecus. Sic eſt voluptas. Sed non facit, quemadmodum Medicus ſanitatē, ſed tantum quemadmodum in florentibus ætate plærumque adeſt decor & venuſtas, qui eſt conſequens & connexum venuſtatis. Sic etiam etſi actiones ſenſus & mētis complentur tribus rebus, tamen aliter atq; aliter. Inde iam videri poteſt, quæ ſit vis voluptatis, nihil aliud, quam quædam actionum tam ſenſus quam mentis quoddam complementum & acceſſio perpetua tanquam comes omnium actionum, non eſt habitus] voluptas igitur eſt actionum perfectio, non inſita, vt habitus, ſed conſequens. Nam ſi habitus eſſet aut perfectio tanquam forma, efficeretur, vt omnes actiones eſſent iucundæ. Forma namq; ei cuius eſt forma ſemper ineſt. At conſtat, multas actiones eſſe cum dolore & moleſtia. Non eſt igitur habitus voluptas, non etiam eſt actio: non eſt inquit infra capite proximo ipſe ſenſus, vel mens, id eſt, actio ſenſus vel mentis, ſed actionis potius complementum & ἐπιγιγνόμενον ſeu ἐπιγέννημα, vt vocat Ariſtoteles. Cur ergo, dicet aliquis, Ariſtoteles ſupra *libro ſeptimo* voluptatem definiuit actionem ſeu ἐνέργειαν habitus, quo cum natura conſentiat, non impeditam actionem: cur, inquam, ſemper vocat actionem? Reſpondet infra capite proximo.

αὐτὴν δὲ λέγειν.] Hæc verba parentheſi includenda ſunt. Nihil inquit, refert ad rē præſentem, vtrum dicamus ſenſum ipſum agere, an hominem, in quo eſt ſenſus. Nam de hoc *lib. 2. de Anima* diſputatur, vbi quæritur, An oculi dicantur cernere, an vero ſenſus, aut homo ipſe; pertinet ad phyſicum hæc quæſtio. μηδὲν διαφερέτω, nihil ad rem.

ἕως δὲ ἂν ποτε.] Explicata iam vi & natura voluptatis, quam diximus actionum eſſe perfectionem non inſitam, ſed conſequentem: hic de voluptatis breuitate & longitudine adiungit. Ait igitur, eandem duraturam voluptatem, quam diu eodem modo affectæ fuerint & facultas & res ſubiecta. Facultas eſt bipartita, ſenſus & ratio: res quoque ſubiecta

iuſte agere cum voluptate eſt optabilius, quam cum moleſtia.

Verum igitur primum.

Ergo & ſecundum.

Sed Ariſtoteles hoc connexum reprehendit. Nam ex eo non effici voluptatem eſſe ſummum bonum, quod aliis rebus addita, eas faciat optabiliores, ſed eſſe duntaxat in bonis. Argumento ſit vel ipſa antecedẽtis ratio, quia plura bona vno ſunt meliora & optabiliora, quæ de quibuſuis bonis intelligitur. Non valet igitur neque conſtat hæc ratio. Voluptas rebus aliis addita eas facit optabiliores. Ergo eſt ſummum bonum. Sic potius fuerat concipienda:

Voluptas aliis rebus addita, eas facit optabiliores.

Ergo eſt in bonis.

Itaque Eudoxi perſpicuus hic fuit paralogiſmus.

τοιούτῳ δὴ λόγῳ.] Qua ratione ſeu concluſione Eudoxus nitebatur docere, voluptatem ſummum eſſe bonum, eadẽ in Eudoxum retorta Plato, docuit non eſſe, hunc in modum:

Summo bono nihil addi poteſt, vt magis expetatur.

At voluptati bonum aliud addi poteſt, aut ipſa alij, vt hæc duo mixta & copulata magis expetantur, quam ſola.

Ergo voluptas non eſt ſummum bonum.

Aſſumptio fuit ipſius Eudoxi. De propoſitione explicatum ſupra *lib. 1. cap. 7.*

δῆλον δὲ ὡς οὐδ'.] Ariſtoteles priorem Platonis reprehenſionem ſeu concluſionem hic refellit ab abſurdo. Nam ex illa effici, vt nullum ſit bonum ſummum, quod in hominem cadat. Quid ita? nam certum eſt, bona quo ſunt plura, eo eſſe optabiliora *lib. 3. Top.* Quare & ſummo bono, ſi qua præterea bona adiiciantur, optabilius vt efficiatur, neceſſe eſt ſupra *libro primo, capite ſeptimo.* At ſummo bono adiici poſſe quædam, ſummum bonum creſcere poſſe, non ratione habitus & ſui ipſius, ſed ratione ſubiecti & hominis, in quo ineſt (nam vt alii aliis ſunt iuſtiores fortioreſque; ita alii aliis ſunt beatiores, & contra miſeriores) ibidem demonſtrauimus, & Cicero ex Peripateticorum ſententia copioſe oſtendit *libro quarto de Fin.* Platonis igitur ratio ad Ideas potius & bona in homines non cadentia pertinet. In his tamen libris bona humana quæruntur, non cœleſtia, aut in hominem

non

non cadentia, vt ſupra *libro primo, capite 6. in fin.* Atque ita non recte Plato, quia voluptas bonis aliis addi poſſit, eam propterea ſummum bonum eſſe negauit, cum omnis ſummi boni, quod quidem in hominem cadat, eadem ſit ratio, vt ratione ſubiecti creſcere poſſit. Beatæ vitæ namque habitus eſt idem, gradus non item.

οἱ δ' ἐνιστάμενοι ὡς] Iam Ariſt. adfert Platonicas Eudoxi rationum reprehenſiones, eaſq; & ipſe ſtatim refellit. Plato ex eo, quod ab omnib. expetatur non effici dicebat, voluptatem ſummum eſſe bonũ, maxime quod in tam graui cauſa argumentũ à beluis non ſit petendum. Ariſt. contra, qui hanc rationẽ leuem eſſe dicant, eos non multa probabiliora allaturos eſſe ait. Nam quod omnibus videtur, id, inquit, eſſe dicimus. Nam cõmunis hominũ ſenſus & iudicium eſt tanq̃ lex naturæ, *in lib. de Natura Deorum.* Bona igitur ea eſt Eudoxi ratio. Quod autem Plato de beluis, eſſe quidẽ id aliquid, ſi à beluis tantum expeteretur voluptas. Verũ conſtat, & à ratione vtentibus eã expeti: quin etiam qua parte & ipſæ beluæ voluptatem expetunt, non tam vitioſa ſui parte [natura duce] q̃ naturali quodã bono inſtigante, id facere iudicari debẽt. Sciendum in beluis, etſi harũ natura eſt vitioſior & deterior, q̃ hominũ & ratione vtentium, ineſſe tñ bonum aliquod naturale: cuius quidẽ boni ratione illæ hanc volptatem vno oẽs ſenſu expetant, tanq̃ accommodatam & congruentẽ bono illi naturali, non ſuæ naturæ deteriori. Argumento ſit, ꝙ vt vitioſæ & deteriores naturæ variant, ita & variat earũ appetitus. Iam vero, quia beluæ, in expetenda voluptate omnes ad vnũ conſentiunt, efficitur, hunc appetitũ proficiſci ex bono quodam naturali illis inſito, non ex earum natura deprauata & vitioſa.

ἴσως δ'.] Et ſic intelligenda hæc verba, alioqui perobſcura, *ἴσως δ' καὶ ἐν τοῖς φαύλοις*, ſcil. *ζώοις*, eſt enim neutri generis.

οὐκ ἔοικε δ' οὐδὲ.] Platonica eſt reprehenſio, alterius concluſionis Eudoxi, de qua, quia explicatum ſupra *lib. 7. cap. 13. initio*, nihil hic repetendum, &c.

CAPVT III.

COMMENTARII.

οὐ μὴν οὐδ' εἰ μὴ τῶν.] Pergit Ariſtoteles Platonicorum rationes, etiam bonorum numero eximentium voluptatem, refellere quatuor hoc capite.

οὐ μὴν οὐδ'.] Platonicorum ratio, cur voluptas non ſit in bonis, hæc vna fuit, quia voluptas non ſit qualitas, ſed actio potius, vtpote ἐνέργεια ex Ariſt. ſententia *lib. 7. c. 12.* Formula:

Si voluptas non eſt qualitas.

Ergo non eſt in bonis.

Connexi ratio hęc fuiſſe videtur, quod virtutes & vitia, id eſt, habitus boni & mali in categoria qualitatis collocētur, quod differentia boni & mali in ea ſit categoria. Ariſtoteles negat connexi rationem. Nam multa eſſe, quæ non ſint in qualitatis categoria, & tamen ſint in bonis, vt ſunt actiones virtutis & ipſa beata vita, item actio, non qualitas, ſupt. *lib. 1.* Ex hoc loco obſeruandum, virtutis actiones ab Ariſtot. remoueri à qualitatis categoria, contra atq; nonnulli hodie ſentiunt.

λέγουσι δὲ τὸ μὲν ἀγαθὸν.] Altera Platonicorum ratio, quia voluptas ſit interminata ſeu infinita. Formula:

Bonum omne eſt finitum.

Voluptas non eſt finita.

Ergo non eſt in bonis.

Propoſitio manat ex συστοιχίᾳ Pythagorica, de qua ſupra *lib. 1. & 2.* Aſſumptionis ratio, cur voluptas ſit infinita, hæc ab illis redditur, quia capiat id quod magis, & quod minus, id eſt, quia maior & minor voluptas eſſe poteſt, quia intentionem capit & remiſſionem. Formula:

Quod creſcit & decreſcit, ſiue quod augetur & diminuitur, id eſt infinitum.

At voluptas alia eſt maior, alia minor.

Ergo eſt infinita.

Aſſumptio eſt certa. Nam alium videmus maiore voluptati affici, alium minore. Deinde, alia eſt purior voluptas, vt animi, alia impurior, & cum dolore quodam mixta vt corporis, Siue igitur ſpectes voluptate affectos, ſiue voluptates ipſas, videbantur aliæ aliis eſſe minores & maiores. Reſpond. Ariſtoteles, ſi affectos ſpectes, idem accidere & aliis omnibus, affectibus, habitibus ſeu affectionibus. Nam alius alio eſt iuſtior, fortior, temperantior, atq; ita hac eorum concluſione efficeretur, vt ne virtutes quidem ſint in bonis, quia virtute præditi, alius alio ſit magis, alius alio minus. Si voluptates ipſas ſpectes, fatetur Ariſt. alias aliis eſſe puriores & præſtantiores, ex eo tñ non effici, vt ſint infinitæ, aut nō ſint in bonis. Nam habitus omnes, etſi per ſe id quod magis & minus non

capiunt,

capiunt, ſed ſint finiti, capiunt tamen ea ratione qualitatum patibilium, quæ ſunt in rebus ſubiectis,i.habituum ſunt gradus aliqui non per ſe, ſed propter qualitates rerum ſubiectarum, ſuapte alioqui natura iidem, quiq; neque intentionem aut remiſſionem capiunt, v.g. ſcientia,qua parte eſt habitus, non capit id quod magis aut minus, vt per ſe cõſideratur habitus: qua parte ineſt in hoc aut illo: capit,id eſt, in hoc maior eſt, in illo minor ſcientia. Atq; ita ratione hominum gradus fiunt ſcientiæ. Eadem & virtutum eſt ratio. Ariſt.exemplum adfert de ſanitate. Nam & hanc in alio eſſe planiorem,in alio non item. Eſt quidem ſanitatis habitus quidam perfectus & plenus, in certa ſymmetria partium poſitus: ſanitas tamen & ea dicetur, quæ etſi non erit in ea perfecta ſymmetria, tamen aliqua ex parte accedit. Gradus namq; ſunt ſanitatis. Quare, vt ſanitas, quamuis perfecta, minor tamen eſt ſanitas, eſt finita & in bonis corporis, etſi voluptate animi minor, tamen eſt & voluptas, neq; deſinit eſſe aut finita, aut in bonis. Itaq; vt habituum,ita & voluptatum ſunt gradus. Rationem huius connexi ſupra explicauimus copioſe *lib.7.cap.12 in princ.*

καὶ περὶ τὴν δικαιοσύνην.] Locus hic eſt mendoſus, inducenda ſunt hæc verba, καὶ κατὰ τὰς ἀρετάς, vel hæc omnia, καθ᾽ ἃς ἁπλῶς, &c. vſque ad verbum ἔσται.

πέλειόν τε τἀγαθόν.] Tertia Platonicorum ratio, quæ, vt & ſecunda, extat *in Philebo Platonis*, quia voluptas ſit motus & ortus, & proinde non eſt perfecta. Nam motus eſt actio inchoata, inquit Ariſtoteles *in Phyſ. lib. 3.* Ortus eſt motionis genus. Formula:

> *Omne bonum eſt perfectum quiddam ex Pythagorea συστοιχίᾳ. Voluptas eſt inchoatum quiddam, quia ortus & motus. Ergo non eſt in bonis.*

Ariſtoteles refellit aſſumptionem, & neq; motum neque ortum eſſe docet. De motu prius, cur non ſit voluptas, hanc affert ratione͂ à proprietate motus ſumpta, quia voluptas non ſit particeps celeritatis aut tarditatis. Formula:

> *Omnis motus vel eſt celer, vel tardus.*
> *At nulla voluptas celer vel tarda eſt vel dicitur.*
> *Ergo non eſt motus.*

De propoſitione explicatur *in Phyſ.* nam & eadem ratione ſeu concluſione Ariſt. *lib.4. Phyſ. ἀκροασ.* docet, tẽpus quoq; non eſſe motũ, ſed in motu potius, vt hoc loco voluptatẽ non eſſe motum,

motum, ſed motus comitẽ. Motus autem celer eſt & tardus, vel per ſe & abſolute, vel cõparate πρὸς ἄλλο, πρὸς ἕτερον. Per ſe in rebus, quarũ non eſt æquabilis motus, vt nauis curſus nũc eſt tardior, nunc celerior. item equi, currus, &c. cõparate quo modo plærunq; motus intelligi ſolet, vt Solis curſus cum Saturno comparatus eſt celer, cum Luna, tardus, ſuapte alioqui natura æquabilis. Cœlum etiam ipſum, cuius rotatio eſt æquabilis, & per ſe neque celer neque tarda; comparatione tamen aliarum rerum ita dici poteſt. His præmunitis, nunc ad aſſumptionem. Ait igitur has notas motus, celeritatem & tarditatem, voluptati neutro modo conuenire, neque abſolute, neque comparate. Quod ipſum diſtinctione adhibita, melius intelligetur: aut enim voluptatem acquirimus, aut iam ſumus in voluptate, eaque fruimur, illi notæ illæ conueniunt, huic non item. nam alius alio citius vel tardius voluptate perfundi ſeu eam adquirere poteſt. Acquiſita autem frui, nemo dicitur tardius vel celerius. Abſurdum ſit dicere, tarde aut celeriter aliquem lætari; non abſurdum tarde aut celeriter aliquem lætari cœpiſſe: contra fit in veris motibus. Nam recte dicas, vt cucurriſſe, ita & currere aliquem celeriter vel tarde, atque etiam cœpiſſe currere. Non conuenit igitur tarditas aut celeritas voluptati, ratione loquendi vſitata repugnante. Quæ loquendi ratio, & rei veritatis eſt ſymbolum & index. Non conuenit inquam, ſiue per ſe, ſiue comparate. Nam vt modo dictum, nemo dicitur lætari celeriter vel tarde: phraſis eſt inaudita. Itaque traduci quidem inquit Ariſtoteles, μεταβάλλειν, id eſt, acquirere voluptatem tardius aut celerius poſſumus, (quia abſque motu non acquiritur) frui tamen & in ea eſſe, non item. Falſum eſt itaque, quod Plato voluit & Stoici poſtea tenuerunt, quos ſequitur Cicero *libro 4. Tuſcul.* Voluptatem eſſe motum, vt & hoc falſum, quod iidem Stoici tenent, perturbationes πάθη, iram, odium, inuidiam, miſericordiam eſſe motus. Nam ſi ſunt motus. Ergo celeritatem & tarditatem capiunt. At hoc falſum. Nam ridiculum ſit dicere aliquem tarde aut celeriter iraſci, id eſt, in ira eſſe: tarde quidem & celeriter concitari ad iram quis poteſt, vt ad voluptatem, ſed in iis non item, vt voluptas comes eſt motionis. Nam ex appetitu conſequitur; ita & perturbationes motum conſequuntur, vt ira commotionem cordis, neque voluptas tamen, neque perturbationes ſunt

motus,

motus, aut ita dici debent. Hinc multa in Rhetoricis populariter & improprie ſcribit Ariſtoteles, vocat voluptatem motum, quia quodammodo voluptas in motu eſt. Igitur ſubiectum in quo voluptas eſt, attribuitur ipſi voluptati, ſed improprie. Hoc loco Ariſtoteles diſputat exquiſite: In Topic. & Rhetor. populariter, quod qui non animaduertunt, ſtatim inuehuntur in Ariſtotelem, ſibi diſſentire eum. Ideo diligenter Ariſtoteles monet, aliam eſſe Analyticam, Dialecticam, Topicam, Rhetoricam probationem.

γένεσίς τε πῶς ἄν.] Nunc; An voluptas ſit ortus? Platonis ratio in Philæbo, ortum eſſe, hæc eſt, quia ſit expletio. Ariſtoteles rationem hanc falſam eſſe docet, quia non omnis voluptas ſit expletio, ſed corporis tantum. Concludendum aũt Platoni fuit hunc in modum. Ex quo quid oritur, in idem interit. Neq; enim omnia ex omnibus oriuntur, omnia in omnia occidunt, ſed certum eſt, quibus ex rebus quidq; oriatur, & in quas recidat interitu; ex mari non oriuntur homines, vt nec ex terra piſces, quod eleganter Lucret. *lib. 1.* Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus omne genus naſci poſſet, &c. è mari primum homines, è terra poſſet oriri ſquamigerum genus. Suis igitur è rebus quidque oritur, & in eaſdem recidit. Atqui voluptas, cuius rei ipſa eſt ortus, eius eiuſdem dolor eſt interitus. Ergo voluptas eſt ortus, dolor interitus, φθορά. Sic Plato aſſumptionem confirmabat hac ratione, quia voluptas ſit expletio, dolor indigentia, verbi gratia, fame aut ſiti laborans, & indigens, dolet; qui ſi expleatur, gaudet. Ergo, inquiebat Plato, eodem pertinet voluptas & dolor, ex eadem re & interit & oritur voluptas. Ergo ortus eſt. Ariſtoteles docet contra, voluptatem non eſſe expletionem duabus rationibus: altera ab abſurdo conſequente. Nam efficeretur, vt voluptas eſſet corporis, voluptas inquam perciperetur corpore. At hoc falſum. Voluptatis ſedes eſt in animo, non in corpore, eſt τῶν ψυχικῶν, eſt partium animi. Qua de re tamen videatur præclara diſputatio Nobilii *lib. 2. de voluptate.* [eſt Italus doctiſſimus.] Formula:

Expletio & indigentia ſunt πάθη σωματικά, affectiones corporis.

Atqui voluptas & dolor ſunt πάθη ψυχικά, nõ σωματικά.

Ergo voluptas & dolor non ſunt expletio & indigentia.

De propoſitione & aſſumtione iam explicatũ: Quam tam a
vtramq;

vtramq; ſine dubio negarit Plato eſſe veram. Eaque re & Ficinus Platonicus refellit *in lib. de volup.* Flaminius Peripateticus conciliat *lib. 2. de volupt.*

ἡ δόξα δ' αὕτη δοκεῖ.] Ariſtot. *lib. 8. cap 12.* monuit, multum ad fidem facere, ſi non veritas tantum, ſed erroris quoq; fons & origo aperiatur. Cuius præcepti memor, poſtquam refellit Platonis ſententiam, exiſtimantis voluptatem eſſe expletionem, hoc amplius hic adiungit, quid illum in errorem hunc duxerit. Hæc, inquit, opinio manauit ex voluptatibus & moleſtiis cibi ac potus. Sic enim concluſerunt:

Voluptas cibi eſt expletio. Ergo omnis, vt ſi quis diceret, homo eſt animal ratione præditum. Ergo omnis.

Eos igitur ſeduxerunt voluptates hæ cibi & potus. Non oẽs autem voluptates eſſe expletiones, perſpicuũ eſt cum ex iis, quæ capiũtur ex bonis artibus, tũ ex iis, quæ de ſenſibus quibuſdam, vt odoratus aurium & oculorũ, capiuntur. Quas oẽs conſtat eſſe abſq; moleſtia prægreſſa, i. indigentia, atq; ita hic neq; eſt indigẽtia, neq; proinde expletio. In his aũt verbis latet & altera ratio, quia multæ ſint voluptates doloris omnis expertes, & proinde abſq; indigentia, quæ vbi abeſt, ibi neq; expletio conſequi poteſt. Quas autem Ariſt. hic vocat μαθηματικὰς, reddidi voluptates artium ſeu ſcientiarum omnium, non vt vulgo reddunt, tantũ Mathematicorum ſeu Geometricarũ. Nã μαθηματικὸν apud Græcos alias eſt Generis, alias ſpeciei vocabulum. Vniuerſe autem ſeu generaliter hoc loco id eſſe accipiẽdum, doceo, cum ex eo, quod eadem omnium ſcientiarum ſit ratio, quarum inquam voluptates non ſunt expletiones, vtpote doloris expertes; tũ ex his verbis, ſupra *li. 7. c. 12* αἱ ἐν τῷ θεωρεῖν ἐνέργειαι, &c. vbi, quas hic μαθηματικὰς, vocat θεωρητικὰς, ἐν τῷ θεωρεῖν. & *in Magn. lib. 2 c. 7.* voluptates partitur, & facit alias τῆς θεωρίας ἐν τῷ θεωρεῖν, alias corporis.

καὶ διὰ τῆς ὀσφρήσεως.] Quidam pro καὶ, legit αἱ, repugnantibus omnib. libris [coniectura ductus emendat] nõ recte. Nã Ariſt. trium ſenſuum, & odoratus & auriũ (Græci, & ipſe Cic. aliquot in locis ἀκροάματα vocant, & ipſa carmina muſica, & ipſos cantores & hiſtriones: introducuntur aũt ἀκροάματα, i. muſici, vulgo non notum:] & oculorum [vt ſunt tabulæ pictæ] voluptates hoc articulo καὶ ter iterato, copulat.

πολλαὶ δὲ ἐ μνήμαι.] De voluptatibus q̃ & ex memoria rerũ præteritarum, & ex ſpe rerum futurarum capiantur, quæ & ipſæ

ipſæ ſunt ἄλυποι, copioſe Ariſtot. *lib.1. Rhet.* vbi de voluptate.

περὶ δὲ τὰς προφέροντας.] Quarta Platonicorũ ratio, cur voluptas nõ ſit in bonis, aut per ſe bonũ, quia multæ voluptates ſint flagitioſæ, & turpes, vt meretriciæ, &c. Reprehẽditur hic ab Ariſtot (de qua & ſupra *lib.7. cap.13.*) bifariam illi occurrente, I. quia ea, ex quibus hæc capiuntur, non ſint iucunda, etſi forte eas capientibus ita contra videntur. Neq; .n. ſtatim hoc vel illud ita reuera ſe habet, prout huic vel illi videt̃ male forte affecto, virtus & bona affectio, tam animi q̃ corporis, norma eſt & regula rerũ, ſupra *lib.3.c.5. & li.1.c.8.* Nam male affectis quæ ſuapte vi ſunt bona, videntur mala, & cõtra, quæ mala, ea bona videntur, vt ægrotis quæ iucunda ſunt, moleſta & amara: Lippis aut prope cæcutientibus, quæ alba, videntur alia. Ad eundem igitur modum, etſi quibuſdam ea, q̃ ſuapte alioqui natura nõ ſunt iucunda, tñ contraria ſæpe videri ſolent. Prima eſt igitur hęc ratio occurrendi iis, qui propter turpes voluptates oẽs bonorum numero eximant, eas inquam non eſſe voluptates, quod idem & infra iteratur *cap.5. extrem.*

ἢ οὕτω δὴ λέγοιτ'.] Altera iiſdem occurrendi ratio, nimirùm voluptates eſſe quidem illas expetendas, non tamen ab his rebus profectas. Non ſequitur, inquit Ariſtoteles, voluptates, quia à rebus turpibus profectæ ſint turpes & flagitioſæ, ea ꝓpter omnes eſſe eiuſdẽ notæ. Nam & diuitiæ, quas conſtat eſſe ex bonorũ numero, ex proditionibus tamen aut iniuſtis rationibus partæ, non ſunt expetendæ: bona valetudo, & ipſa per ſe alioqui expetenda, non tamen ſi pariatur humanis carnibus, bonum eſt non laborare elephantiaſi [lepra vulgo, ſed non eſt: in Germania morbus notiſſimus & in Ægypto, in Græcia & Italia ignotus elephantiaſis] nõ tamen ea curatione, quam ſibi quæſiuiſſe dicitur Rex Galliæ Franciſcus II, hauſtu ſanguinis infantium [curatur optime hauſtu ſanguinis infantium. vacare eo morbo bonum eſt, ſed cum ſanatur eiuſmodi remedii modo, nõ eſt bonum.] Atq; ita vulgo hæc verba, ὥσπερ καὶ τὸ πλουτεῖν accipiunt, ꝙ confirmatur verbo ἀπὸ τούτων. Sic .n. Ariſtot. vt diuitiæ rationibus iniuſtis, ſeu per fas & nefas (vt loquuntur) partæ, item ſanitas veritis cibis aut potionibus parta, non ſunt expetendæ, alioquin ſuapte vi bonæ: ita & voluptas ex rebus turpibus manans, nõ eſt in bonis, ſuapte alioqui vi expetenda. Thomas ita; vt diuitiæ proditori, qui his adiutus, plus nocere poſſit, non ſunt bonæ, neque

Digitized by Google

ſanitas qualibet re veſcenti (nam qui ſerpentem ederit, melius illi ſit laborare elephantiaſi, quam eſſe ſanum) ita nec voluptas omnium eſt in bonis, bonorum inquam duntaxat virorum, non improborum, quam explanationem videntur ſuadere verba, πρόσθεν τι & φαῦλον τι.

ἢ τῷ εἴδει διαφέρουσιν.] Tertia occurrendi ratio, quod voluptatū non eadem omnium ſit ratio, non idem genus, quod inquam ſpecie differant. Nam voluptates, partim eſſe in bonis, quæ à rebus honeſtis capiantur, in malis, quæ à rebus turpibus. Voluptates autem ſpecie differre, id eſt, varia eſſe voluptatū genera, alias, inquam, voluptates eſſe bonas, honeſtas, & laudabiles, alias turpes & flagitioſas; alias expetendas, alias fugiendas, & hoc loco breuiter & infra *cap 5.* latius docebit. Hic igitur id docet quatuor ſignis, ſeu argumentis. Primum eſt, quia perſpicuum eſt, non iiſdem rebus affici & lætari bonos & improbos, non iiſdem Muſicos & Amuſos, qua de re ſupra latius *libro primo cap.8.* Secundum ſignum à diſcrimine adulatoris & veri amici ſumptum, de quo exſtat inſignis Plutarchi commentarius, quorum hic omnia ad honeſtatem, ille ad voluptatem facit ac dicit, quorum illud eſt laudabile, hoc vituperabile. Eſt igitur voluptas quædam vituperabilis, eſt & altera laude digna, quæ inter veros amicos, de qua ſupra *libro octauo & nono.* III. ſignum à puerorum voluptate. Nam pueriles voluptates eſſe quidem illas pueris expetendas, viris tamen minime. Nemo namque velit vel perpetuis in huiuſmodi eſſe voluptatibus. Sunt igitur voluptates quædam vt pueriles non expetendæ. IV. ſign. οὐδὲ χαίρειν ποιῶν τι, &c. quia nemo facile delectetur, faciendis rebus turpibus, vt nullam ex turpibus iis factis moleſtiam ſit habiturus. Natura abhorrent à turpibus factis homines, etiam vt ea cælari poſſint, vrgente nimirum ſemper conſcientia facinoris. Itaq; à factorum turpium voluptatibus abhorrent homines, quia à factis, atq; ita voluptates quædam non ſunt expetendæ, neq; in bonis.

περὶ πολλά τε σπουδὴν.] Docet voluptatē non eſſe ſummum bonū, quia propter eā multa ſint, q̄ non expetanť. Formula:

Si voluptas ſit ſummum bonum. Ergo propter eam omnes res, ipſa propter nullas alias erit expetēda, ſup. li.1. c.7.

At hoc falſum, docet hic Ariſt. Nam multa eſſe quæ expetantur, etiam quæ nulla conſequatur voluptas, vt ſenſuum

ſenſuum munera & actiones, meminiſſe, ſcire, quæ omnia, quantumuis nulla ſequatur voluptas, tamen ſua vi expetuntur, nulla inquam propoſita voluptate, aut etiam vtilitate. Ergo, &c.

ὅτι μὲν οὖν ὅτι.] Concludit priorem duorum capitum diſputationem, quæ fuit de veterũ dictis & ſententiis philoſophorum de voluptate. Ex qua diſputatione, inquit, & hoc perſpicuum eſt: primum voluptatem non eſſe ſummum bonũ, voluptatem non omnem eſſe expetendam, nec omnem fugiendam, ſed quaſdam voluptates eſſe in bonis & expetendas: voluptates deniq; ſpecie diſcrepare. Atq; ita in hoc orationis & diſputationis contextu, dum Ariſtot. aduerſariis turpes voluptates quaſdam afferentibus, tertia ratione occurrit, quia voluptates ſpecie differant, vna & hoc intexitur, voluptates non omnes eſſe in bonis, vt quæ ſunt adulatorum, puerorum comparatione facta ad viros, & flagitioſorum hominum.

ἢ ἀφ' ὧν.] Sic præciſe & eleganter vocat res ſubiectas, de quibus capiantur voluptates, quarum rerum pro differentia & varietate, variant ipſæ quoque voluptates, quæ à rebus honeſtis, ſint honeſtæ, quæ à turpibus capiantur, ſint flagitioſæ.

CAPVT IV.

COMMENTARII.

Τί δ' ἐστὶν, ἢ ποῖόν τι.] Explicatis aliorum de voluptate ſententiis; nunc nouo quaſi initio facto, eius ipſe vim & naturam explicat duobus his capitibus. Quorum priore, primum docet, voluptatem eſſe integrum quiddam & expletum, ὅλον τι, non vero eſſe motum aut ortum: poſtea voluptate actiones omnes perfici. Qua occaſione adiungit, cur voluptates nõ ſint perpetuæ, & cur ab omnibus expetantur.

δοκεῖ γὰρ ἡ μὲν.] Voluptatem eſſe ὅλον τι, integrum & expletum quiddam ſeu perfectum, docet duabus rationibus: quo ipſo confirmato, hoc amplius docet, velut ex repugnantibus, eam non eſſe motum. Nam hæc duo hic implicite docentur. Prior ratio, cur voluptas ſit perfectio quædam, hæc eſt, quia nulla re egeat, cuius acceſſione poſtea expleatur. Formula.

Quæ res alia non eget, quæ quo tandemcunque tempore accedente expleri poſſit, ea eſt integra & perfecta.

At voluptas quo tandemcunque tempore nulla re alia expletior effici poteſt.

Ergo eſt perfectio & expletio quædam.

Propoſitio eſt perſpicua, vt & aſſumptio. Nam quo ad naturam voluptatis, tam plena & expleta eſt vnius horæ, quam diei voluptas. Explanat Ariſtoteles ſimilitudine quadam à videndi ſenſu ducta. Nam & huius actionem ſtatim eſſe perfectam, momẽto inquam eo, quo rem intuentur oculi: qui aſpectus vt eam rẽ toto die aſtans quis intueatur, non tamen ea re fiet perfectior. Itaque, quia vt in ſenſuum muneribus & actionibus, ita & in voluptate tempus ad rei naturam & vim nihil adiicit: merito voluptatem dicimus expletum quiddam. Alia eſt ratio earum rerum quæ tempore perficiuntur, vt domus aut templi, quarũ partes paulatim & temporibus perficiuntur. Eadem eſt & hominis ipſius ratio, qui paulatim & temporis progreſſu perfici ſolet.

διόπερ οὐδὲ κίνησις.] Iam interiicit & intexit, voluptatem non eſſe motum, quod docet tribus rationibus: quarum duæ priores ex hac ratione, quia voluptas ſit integrum quiddam & expletum, ſunt aptæ ſeu inde pendent. Prima ratio hic affertur, quia motus perficiatur tempore, voluptas non item. Motum autem tempore perfici, & eſſe in tempore, docet exemplis motus incrementi & motus in loco. Nam domum paulatim perfici, ac tum demum ædificationem perfectam eſſe, cum eo deducta fuerit, cuius gratia erat inſtituta & ſuſcepta. Toto igitur hoc tempore perficitur demum ædificatio, cuius partes proinde non ſunt perfectæ & expletæ, quia eius totius temporis parte tantum continentur aliqua, atque ita totum ædificium à partibus diſcrepat perfectione, atque adeo ipſæ partes inter ſe ſpecie differunt. Nam quæque ſibi eius temporis partem capit, qua parte conficiatur: verbi gratia templi ædificatio toto tempore, quo ad tectum perducitur, perfici dicenda eſt. At fundamenti extructio aut mutuli (τρίγλυφον vocant Græci, ornamentum & particulam quandam columnæ, teſte Vitruuio *libro quarto* non vt perperam quidam reddunt, Lacunar, quod φάτνωμα græci vocant.) Harum igitur templi partium conſtructio eſt imperfecta, ipſæ & inter ſe, & à toto templo diſcrepantes. Aliud genus motus eſt mutatio loci, ingreſſus, ſaltus, volatus &c. quod ipſum & tempore variare & perfici, docet. Nam motum hunc ab vno extremo ad alterum ſpecie differre, extrema Ariſtoteles vocat eleganter πόθεν καὶ ποῖ, vnde & quo.

Huius igitur generis motus, vt ſaltus inquam volatus & ingreſſus ſpecie differunt, atque adeo, vnus idemque ingreſſus etiã in eadem linea, & in eodem ſtadio ſpecie differt, non tam ratione ſtadii aut lineæ, quæ vna eademque eſt, quam ratione extremorum, quę identidem mutentur, dum ab vno in alium locum fiat progreſſus, atq; ita partes mutentur & extrema, quibus definitur & circumſcribitur motus. His inquam extremis mutatis & variatis, mirum non eſt, ſi & motus varietur, atque ita ſpecie differat, etiam in eadem re & loco. Itaq; ſtadii totius percurſio eſt ea quidem perfecta, ſed ſingulę ſtadii partes, dum percurruntur, ſunt imperfectæ, vt modo dictum de tempore & ædificiis. Quare motus omnis tempore perficitur. Nam quæ horum duorum generũ, eadem eſt omnium motuum ratio. Formula: Si igitur motus tempore perficitur, certe voluptas non eſt motus, vt quæ momento perficiatur, & ſit expletum quiddam. Cæterum de motu copioſius *lib. 4. & 6. Phyſica ἀκροάσεως.*

ἔοικε δὲ οὐκ ἐν] Quod modo dictum motũ toto ſeu integro tempore perfici, hunc totius temporis motum eſſe perfectum inquam, Spacium autem temporis motum non eſſe: hoc amplius hic agit, ne quidem omni & toto tempore motũ ſemper perfici, eſſe inquam & totius temporis motus quoſdam inchoatos neque dum perfectos: cuius generis ſunt opera, & naturæ, & artium inchoata quam plurima. Itaque motus non tantum ratione partium, ſed interdum etiam toto tempore eſt inchoatus neq; perfectus: voluptatis autem perfectio eſt quo tandem cunq; tempore.

εἰδοποιὸν τὸ πόθεν, ποῖ.] Cur motus ſpecie differant. hæc eſt ratio, quia extrema quæ vocat Ariſt. πόθεν ποῖ ſunt εἰδοποιά, id eſt, efficientia ſpeciei, hoc eſt, quia extremis variantibus, variant & motus, cum extrema erunt alia, erunt & motus, voluptatem enim non motum eſſe docet, quia voluptatis ſtatim perfectio.

δῆλον οὖν ὡς.] Ex his inquit, id eſt, ex eo, quod voluptas, quo tandem cunque tempore perficiatur; motu non niſi toto, & interdum ne toto quidem: ex hoc inquam argumento clara ſunt & perſpicua hæc duo, voluptatem à motu differre, voluptatem inquam non eſſe motum; & voluptatem eſſe perfectum quiddã & abſolutũ, eſſe inquã, perfectionẽ quandam. Ariſt. inquiunt vulgo, nihil aliud agit, quam vt oſtẽdat de voluptate quidnam ea non ſit, poſtea explicabit, quid ſit. Imo

Ariſtoteles oſtendit ſimul quid non & quid ſit, videtur expreſ-ſe hic.

δόξειε δὲ ἂν τοῦτο.] Alterum argumentum, vt & prius, ad duo eſt vtile. Nã & hoc docetur, voluptatẽ, & eſſe perfectum quiddam, & non eſſe motum. Ratio igitur hæc eſt, quia motus omnis eſt in tẽpore, voluptas non item. Nam voluptas eſt ἐν τῷ νῦν, id eſt, momento. Momentum autem non eſſe tempus, ſed initium quaſi temporis, vt punctum lineæ, & monas numeri [vnum, vnitas non latine, ſed barbare dicitur] Formula.

Motus omnis eſt in tempore. 4. Phyſic.

At voluptas non eſt in tẽpore, quia in momento. Nam re ſuaui obiecta, continuo quis delectatur.

Ergo voluptas non eſt motus.

Hoc vnum: alterum, id eſt, voluptatem eſſe perfectum quiddam ita concludatur.

Quod in momento, id perfectum. Ariſtoteles lib. 6. ἀκροάσεως Phyſica, & perſpicuum eſt ex ijs quæ ſupra.

At voluptas eſt in momento & puncto temporis.

Ergo eſt perfectum quiddam.

ἐκ τούτων δὲ δῆλον.] Tertia hæc poteſt eſſe ratio, cur voluptas non ſit motus, quia motus res ſit diuidua, voluptas non item. Motum namque in rebus duntaxat diuiduis locum habere tum in Phyſicis, tum hic, οὐδὲ τῆς &c. exemplo aſpectus, monados & puncti docet. Nam horum vt nullæ ſunt partes, neque vlla diuiſio, ita nec motus, voluptas ig tur, quia & ipſa res eſt indiuidua, eſt totum quiddam & perfectum, certe motus eſſe nequit. At inquies, voluptas, ſi eſt totum quiddam. Ergo partes habet, & res erit diuidua. Reſpondeo, totum bifariam intelligi, vel vt quod partes habeat, vel vt perfectum quiddam, ſic de anima diſſeritur, quæ & ipſa totum quiddam eſt, an partes tamen habeat *lib. 3. de Anima.* Domus eſt totum quiddam, ſed quod partes habeat, ſic & homo, non ita voluptas, cuius etſi ea perfectum quiddam & totum eſt, nullę tamen ſunt partes, ſic ſenſuum munera & actiones ſunt totum quiddam, ſed partium expertes.

αἰσθήσεως δὲ πάσης.] Ad huc docuit, voluptatem non eſſe motum, ſed perfectionem: nunc docet, quæ voluptas ſit & perfectiſſima ſeu pleniſſima & vnde hæc perfectio manet & oritur. Qua re cognita, continuo intelligetur vera vis & na-

tura

tura voluptatis, [in his malim Doctorem habere, quam eſſe doctor, quia difficilia. Ariſtoteles rem aliquam volens definire, primum cauſam quęrit, inuenta cauſa, forma cognoſcitur, ſtatim forma cognita res ipſa] qui locus, quia & verborum interiectionibus & iterationibus eſt obſcurior, & vim omnem fere & naturam voluptatis complectitur: eum paullo altius repetito principio, ſic explicemus. Notum eſt ex prioribus, voluptatem quicquid tandem ſit, eſſe in animo, non in corpore, ſupra *libro primo capit. 8. & hoc libro capit. 3. & in Magnorum libro ſecundo cap. de voluptate* Animi autem partes tres eſſe, altricem, ſentientem & intelligentem, notum eſt ex Phyſic. Iam vero in altrice nulla eſt voluptas, quia nulla actio, cuius perpetua comes eſt voluptas. Reliquum eſt igitur, vt in his tantum duabus animi partibus, ſentiente & intelligente collocetur: atque ita omnis voluptas, vel eſt in ſenſu, vel in mente. Hoc vno iam præmunito, & alterum eſt cognoſcendum, nimirum ad huius vtriuſque animi partis perfectionem duo eſſe neceſſaria, ipſam animi facultatem ſiue ſenſum ſiue mentem, & rem denique facultati vtrique ſubiectam; hæc inquam duo hic ſpectari debent: facultas & res ſubiecta. Eſt & tertius, vtriuſque facultatis ſuam eſſe voluptatem, non quo ſit facultatis (nam actionis eſt comes voluptas) ſed quia actio ex facultatę manat, cuius actionis propria eſt voluptas. Senſus igitur voluptates ſunt ἀκροάματα aurium, oculorum ſpectacula, narium odores, guſtatus cibi & potionis. Mentis voluptates ſunt in artibus & ſcentiis. His præmunitis, nunc videamus de hoc loco. Docet igitur Ariſtoteles ſenſum & mentem perfici tribus rebus, facultate ipſa, re ſubiecta, & voluptate. Perfici id dicitur, quod ita expletur, vt ad ſummā naturam perductum nihil amplius deſideret. His igitur tribus earum facultatum actiones expleri & perfici, docet, aliter tamen atq; aliter. De ſenſu quidē vere eſt ſermo, ſed mentis eadem eſt ratio. ſenſus igitur actio ea erit perfectiſſima, omnibus numeris abſoluta, quæ & à facultate optime affecta, & facultati congruente, proficiſcatur, & cui tandem velut ἐπίμετρον & corollarium quoddam comes accedat voluptas. Hoc docet hunc in modum.

Omnis actio ea eſt pulcherrima & perfectiſſima, quæ & ab optime affectâ cauſa proficiſcitur, & ab optime affecta materia,

 in

in quam cauſa illa agat, καθ' ἕκαστον δὲ βελτίστη &c. verbi gratia pictura ab optimo pictore in optima tabula, & ex coloribus optimis depicta, eſt perfectiſſima: item ſcriptura, quæ ab optimo ſcriptore & in optima charta. Eadem eſt & aliarum rerum ratio: vbi enim optimus opifex, & optima materia, opus exiſtit præſtantiſſimum.

Ergo & ſenſus actio erit optima & perfectiſſima, ſi & ipſe ſenſus ſeu facultas tanquam opifex & cauſa belliſſime ſe habeat, & res ei ſubiecta ſimiliter.

Eadem eſt & mentis ratio cuius ea actio erit perfectiſſima, cum & ipſa mens optime erit affecta, & in rebus verſabitur præclariſſimis. Hic ſummus eſt gradus actionum ſenſus & mentis, à quo gradu ſtatim diſceditur, quantum vel facultas, vel res ſubiecta mutauerit: adeo, vt etiamſi res pulcherrime ſit affecta, facultas contra peſſime; actio certe perfecta eſſe nequeat. Ex quibus perſpicuum eſt, actionum ſenſus & mentis multos eſſe gradus: alias enim aliis eſſe perfectiores, quo melius, aut deterius ſe habebunt facultas & res ſubiecta. Acerrimi igitur ſenſus, [id eſt, optime affecti] in rem optime affectam agentis actio eſt perfectiſſima, eademque iucundiſſima: perfectiſſima quidem propter facultatem & rem ſubiectam optime affectas: iucundiſſima vero propterea, quia perfectiſſima. Nam cum omnis actionis perfectæ, tum perfectiſſimæ maxima comes eſt voluptas. Si igitur actio, quæ eſt perfecta, eadem & iucunda; quæ perfectiſſima eadẽ & iucundiſſima: id eſt, ſi actio, qua parte eſt perfecta, eadem eſt iucunda, efficitur voluptatem & actionum quandam eſſe perfectionem. Itaque iam perſpicuum eſt, actiones & facultate, & re ſubiecta, & voluptate, perfici, & ad ſummum perduci. Alio tamen modo actiones facultate & re ſubiecta perficiuntur, alio voluptate. Quemadmodum bona valetudo, aliter à medico, aliter ab habitu bonæ valetudinis ſeu ſanitatis efficitur, ſanitatis cauſa eſt & medicus & ipſa ſanitas, non eodem tamen modo. Nam Medicus eſt ſanitatis cauſa efficiens, ſanitas ſanitatis eſt forma. Nam vt quis ſit & dicatur ſanus, ex habitu ſanitatis inſito proficiſcitur tanquam ex forma. Qua de re & ſupra. *libro ſexto, capite 12.* vbi eandem habet ſimilitudinem [de ſapientia ibi loquitur] Ad eundem modum ſenſus actionum ſuarum eſt cauſa efficiens; res ſubiecta earundem eſt tanquam materia. Voluptas autẽ eſt actionum

num perfectio aduentitia & cõſequens, velut complemẽtum quoddam & acceſſio ſeu appendix. Neq; enim voluptas actiones perficit tanquam habitus, ſed quemadmodum florentis ætatis perfectio eſt venuſtas & decor, velut cumulus quidam & extrema expletio [perfecta & florens ætas non perficitur ex venuſtate, ſed venuſtas quodammodo perficit, vt ſit quiddam aduentitium extrinſecus. Sic eſt voluptas. Sed non facit, quemadmodum Medicus ſanitatẽ, ſed tantum quemadmodum in florentibus ætate plærumque adeſt decor & venuſtas, qui eſt conſequens & connexum venuſtatis. Sic etiam etſi actiones ſenſus & mẽtis complentur tribus rebus, tamen aliter atq; aliter. Inde iam videri poteſt, quæ ſit vis voluptatis, nihil aliud, quam quædam actionum tam ſenſus quam mentis quoddam complementum & acceſſio perpetua tanquam comes omnium actionum, non eſt habitus] voluptas igitur eſt actionum perfectio, non inſita, vt habitus, ſed conſequens. Nam ſi habitus eſſet aut perfectio tanquam forma, efficeretur, vt omnes actiones eſſent iucundæ. Forma namq; ei cuius eſt forma ſemper ineſt. At conſtat, multas actiones eſſe cum dolore & moleſtia. Non eſt igitur habitus voluptas, non etiam eſt actio: non eſt inquit infra capite proximo ipſe ſenſus, vel mens, id eſt, actio ſenſus vel mentis, ſed actionis potius complementum & *ἐπίμετρον* ſeu *ἐπιγέννημα*, vt vocat Ariſtoteles. Cur ergo, dicet aliquis, Ariſtoteles ſupra *libro ſeptimo* voluptatem definiuit actionem ſeu *ἐνέργειαν* habitus, quo cum natura conſentiat, non impeditam actionem: cur, inquam, ſemper vocat actionem? Reſpondet infra capite proximo.

αὐτὴν δὲ λέγειν.] Hæc verba parentheſi includenda ſunt. Nihil inquit, refert ad rẽ præſentem, vtrum dicamus ſenſum ipſum agere, an hominem, in quo eſt ſenſus. Nam de hoc *lib. 2. de Anima* diſputatur, vbi quæritur, An oculi dicantur cernere, an vero ſenſus, aut homo ipſe, pertinet ad phyſicum hæc quæſtio. *μηδὲν διαφερέτω*, nihil ad rem.

ἕως δὲ οὖν ἄν ποτε.] Explicata iam vi & natura voluptatis, quam diximus actionum eſſe perfectionem non inſitam, ſed conſequentem: hic de voluptatis breuitate & longitudine adiungit. Ait igitur, eandem duraturam voluptatem, quamdiu eodem modo affectæ fuerint & facultas & res ſubiecta. Facultas eſt bipartita, ſenſus & ratio: res quoque ſubiecta

eſt duplex, altera quæ ſub ſenſum, altera quæ ſub rationem cadit, atque ita prout hæ res id eſt facultas & res ſubiecta, vel manſerint, vel mutauerint, durabunt quoque vel mutabunt voluptates; atque pro harum rerum diſcrimine, voluptatum quoque gradus erunt, vt in quo acrior oculorum ſit acies, maiorem voluptatem capiat, quam is in quo hebetior & obtuſior. Eademque eſt & mentis ratio. Quare perſpicuum eſt, Dei, cæleſtium animarum & ſapientum, quorum mentis acies eſt acerrima, voluptates quoque eſſe numeris omnibus abſolutas. His igitur duabus rebus in ſuo ſtatu manentibus eadem quoque erit voluptas. Nam non mutata cauſa manet idem effectus.

πῶς οὖν οὐδεὶς συνεχῶς.] Etſi & eadem facultas, & eadem res ſubiecta manet, tamen docet Ariſtoteles voluptatem non fore perpetuam homini, hac ratione, quia hominum actiones non ſint perpetuæ. Quid ita? quia defatigentur agendo homines. Qua re vel maxime homo differt à Deo, cuius vt nulla eſt laſſitudo aut defatigatio: ita & actiones ſunt continentes ac perpetuæ, vt præclare Ariſtoteles *libro 8. Phyſ. ἀκροάσεως & libro 2. cap. 1. de cælo.* & pulcherrime autor *libri de Mundo* [tribuitur Ariſtoteli, ſed certum eſt, nõ eſſe. Autor enim ille docet, fere vt Chriſtianus. Guilielmus Budæus admodum docte olim vertit: putabat eſſe Ariſtotelis, quemadmodum multi exiſtimant; perperam] & Cicero *de Natura Deorum* [Epicuræi docebant Deum nihil agere, quia actiones adferunt moleſtiam. Atqui certũ Deum vacare moleſtia. Ergo ab actionibus. Reſpond. à diuinis ad humana non valet conſequentia; actiones humanæ nõ perpetuæ, ſed diuinæ ſunt] Et hac re propius accedit philoſophus. Nã contemplatio, in qua munus eſt philoſophi, diuturnior & magis perpetua eſſe poteſt, quam actio, inquit Ariſtoteles infra *capitul. ſeptimo.* Quare & philoſophi, vt Dei, conſtantiores & diuturniores erunt voluptates, quam cæterorum hominum. Formula.

Vbi actio, ibi & voluptas. nam actionis comes eſt voluptas.

Ergo vbi actio non eſt perpetua, ibi nec voluptas: vbi perpetua actio, aut ſaltem diuturnior, ibi voluptas.

Hæc igitur ratio eſt vna, cur voluptates hominum non ſint

ſint perpetuæ aut continentes etiam illis duabus rebus, facultate & re ſubiecta, iiſdem manentibus. Eſt & altera ratio, ex priore tamen apta ſeu pendens. Nam cur res nouæ maiorem afferant voluptatem, (videatur Eraſmus in prouerbio: *Grata nouitas*) quam obſoletæ vel vſitatæ, hæc eſt ratio, quia acrior eſt actio & intentio in res nouas quã in vſitatas videre namq; licet, obiecta re aliqua noua maiore ardore & contentione vel oculos vel mentem eo homines dirigere. Formula.

Vbi maior & vehementior actio, ibi & maior voluptas.

At in rebus nouis maior eſt actio ſeu mentis, ſeu ſenſus.

Ergo & voluptas eſt maior.

ὀρέγεσθαι δὲ τῆς ἡδονῆς.] Quia ſupra docuit, voluptatem actionũ eſſe τέλος, id eſt, perfectionem; (ſic enim hoc verbum eo loco reddendum puto, non vt alii finem. Nam, vtrumque valet ſupra *libro 1. capitul. ſeptimo*) adiungit de voluptate, cur eam omnes expetant. Ratio namque ex prioribus eſt apta, iſta, quia voluptas, vt cæteras actiones omnes, ita & vitam, quam & ipſam conſtat eſſe actionem, perficiat. Formula.

Si voluptas vitam perficit. Ergo omnibus eſt expetenda.

Verum primũ, quia vita eſt actio, cuius omnis perfectrix eſt voluptas.

Ergo, &c.

Ratio connexi: quia vita ab omnibus expetatur natura. Voluptatem autem ad vitam facere, & ad vitæ actiones, confirmat & hoc ſigno, quod plærique omnes libenter in his actionibus verſari ſoleant, quas ipſi caras habent, quæque cuiq; placent: vt ſtudioſus in litteris, Muſicus in carminibus, poeta in verſibus, &c.

Nauita, inquit poeta, de ventis, de tauris narrat arator.

Vt igitur vita ita & voluptas omnibus eſt expetenda. Sed enim quæri poteſt, vtra alterius cauſa expetatur, vita ne voluptatis, an voluptas vitæ gratia? Quam diſputationem alio reiicit: hoc inquit, certe conſtat, has res ita coniunctas eſſe, & amice conſpirare tanquam coniuges, vt altera ſine altera eſſe nequeat. Nam actio nulla eſt, à facultate & re ſubiecta bene affectis perfecta, quin comitem habeat voluptatem, contra ex prioribus certiſſimum eſt, nullam eſſe poſſe voluptatem

abſque actione. Ex prioribus tamen & de quæſtione ipſa perſpicuum eſſe poteſt, vitam non eſſe voluptatis, ſed voluptatem vitæ cauſa expetendam, nimirũ vt actiones vitæ melius exercerantur, alioqui efficeretur, voluptatem eſſe ſummum bonum & τέλος, quod ſupra refellimus, voluptas eſt vitæ tanquam condimentum, & actionum adiutrix, non τέλος, contra atq; putauit Epicurus, &c.

CAPVT V.

COMMENTARII.

Ὅθεν δοκοῦσι καὶ τῷ εἴδει.] Explicata vi & natura voluptatis, id eſt, definitione: hic eius differentiæ & diuiſiones quatuor afferuntur.

ὅθεν δοκοῦσι καὶ τῷ] Vnde ſeu ex quo, ὅθεν, id eſt, ex eo quod modo dictum, actiones omnes voluptate perfici, ex eo inquam, argumentum capi poteſt, voluptates & ſpecie differre, quod erit primum ex quatuor. Nam 4. argumentis oſtendit, voluptates ſpecie diſcrepare. Primum, quia voluptates aliæ ſunt ſuæ, aliæ alienæ. Alterum: aliæ honeſtæ, aliæ triſtes: 3. aliæ puræ, aliæ impuræ: 4. aliæ denique beluinæ, aliæ humanæ. Hæc ſunt voluptatum genera, quæ & ſupra præter alia quædam attigimus *lib. 7.*

τὰ γὰρ ἕτερα τῷ] Docet voluptates differre ſpecie, primum hac ratione, quia alias actiones aliæ voluptates perficiant. Formula.

> *Quæ res non ab iiſdem, ſed alia ab aliis perficiuntur, eæ ipſæ ſpecie inter ſe differunt.*
> *At voluptates alia alias actiones perficiunt.*
> *Ergo inter ſe ſpecie differunt.*

Propoſitionem explicat, & confirmat exemplo rerum & naturalium & arte factarum. Nam animantes & arbores, res naturales quia aliter atq; aliter perficiuntur (animantium perfectio eſt ſenſuum acumen, arborum fœcunditas) ſpecie quoq; differunt. Sic & tabulæ pictæ & ſigna, domus vaſa & ſupellectilia, res artificioſæ: quia & harum aliud atq; aliud eſt τέλος, merito & ipſæ ſpecie inter ſe differunt.

Aſſumptionem confirmat, ὁμοίως δὴ καὶ τὰς &c. hunc in modum.

Si

Si omnia, quæ alia ab aliis perficiuntur & ipſa ſpecie inter ſe differunt.

Ergo & actiones aliæ aliis ab rebus perficiendæ & ipſa inter ſe ſpecie differunt.

Et certe notum eſt, alias eſſe mentis, alias ſenſuum actiones, ſpecie inter ſe diſcrepantes. Itaque & voluptates, quæ pro actionum, quarum ſunt comites, diſcrimine variant, & ipſæ ſpecie differant neceſſe eſt, quod ſupra attigimus *cap.3.in fin.*

φανείη δὲ ἂν τοῦτο.] Altera ratio, cur voluptates ſpecie differant, quia actionum aliæ aliarum ſuæ ſunt & propriæ voluptates Formula.

Quæ ſpecie differentium ſunt ſua & propria, ea & ipſa ſpecie inter ſe differunt.

At voluptates actionum ſpecie differentium ſuæ ſunt & propria. Ergo & ipſa ſpecie inter ſe differunt.

Propoſitionis ratio hæc eſt, quia affectiones ſeu πάθη ſuarum quæque rerum ſubiectarum naturam ſequuntur: ſubiectis ſpecie differentibus differũt & πάθη ſubiectorum. Nam idem ſpecie id dicitur, quod in eodem primo eſt ſubiecto: contra ſpecie differt, quod in diſſimili, vt fuſcum & de colore, & de voce dicitur [fuſca vox quaſi ſemirauca] quæ duo, quia diſſimilima ſunt ſubiecto, & fuſcum vocis à fuſco coloris ſpecie differt. Aſſumtionem confirmat Ariſtoteles hac ratione, συναύξει γὰρ τὴν, &c. quia voluptate actiones ſua quæque augeatur & amplificetur Formula.

Quæ augent, ea ſunt propria eorum, quæ augent.

At voluptas actionem auget & amplificat.

Ergo eius eſt propria, quam auget.

Propoſitionis, τὰ δὲ συναύξοντα &c. ratio, quia ſimile auget ſimile, vt contra diſſimile perimit & minuit [Quæ cuiuſque naturæ ſunt propria & accommodata, ea ſolent amplificare hominem] Ariſtoteles *libro primo de ortu & interitu capit.5.* & copioſe *libro ſeptimo Metaphyſ.* Aſſumtionem, id eſt, voluptate actiones amplificari & augeri, confirmat exemplo Geometriæ, Muſicæ & fabricæ. Nam his artibus deditos: ſi cum voluptate earum ſunt ſtudioſi, maiorem facturos progreſſum, quam ſi cum moleſtia. Eademq; eſt omnium artium & actionum ratio, quas voluptate adiuuari & promoueri conſtat, ſua & propria. Actionum, inquit Ariſtoteles *libro 2. Magn.c.7.* voluptas eſt προτρεπτικὸν & πάρορμα, inſtigat atq;

incitat

incitat ad agendum. Itaq; quia actiones ſpecie differunt, & voluptates earum proprias, quia auctrices, ſpecie quoque differe neceſſe eſt.

σωαύξουσι δὲ] Legendum δὴ.

τοῖς ἑτέροις δὲ τῷ.] Hæc eſt propoſitio prioris concluſionis. vetus interpres legit τῷ εἴδει οἰκεῖα, καὶ ἕτερα &c. Quo modo & nos propoſitionem concepimus.

Quæ differentibus ſpecie ſunt propria, ea & inter ſe ſpecie ipſa differunt.

At voluptas eſt ſpecie differentium propria.

Ergo & inter ſe etiam ſpecie ipſa differt.

ἔτι δὲ μᾶλλον τοῦτ.] Tertia ratio cum ſecunda tamen coniuncta, cur voluptates ſpecie differant; quia alienæ voluptates actionibus ſint impedimento, quod confirmat Ariſtoteles exemplo eorum, qui tibiarum ſono delectentur. Nam hos vix poſſe ſe dare litteris, ſimul tibiam inaudierint. Tibiarum namque ſonus litterarum ſtudio eſt impedimento. Itaque voluptas ex tibiis vt aliena impedit literarum ſtudium & actionem. Eadem eſt aliarum artium ac ſtudiorum ratio: qua de re & ſupra *libro ſeptimo*, *capitu. 12.* adeo quidem, vt, ſi duo ſtudia inſtituantur, duo agantur, quorũ ex altero maior capiatur voluptas, hoc ſolum excolatur omiſſo altero. Quin etiam, quæ agantur, ſi non magnam afferant voluptatem, certe remiſſius agi & ſæpe omitti ſolent. Quod docet exemplo ſpectantium ludos, comœdias & Tragœdias. Nam hos ſi actio ipſis non ſit iucunda, aut diſpliceat, non amplius attentos ſe præbere, ſed ad bellaria ſe ſua conferre ſolitos. Spectatores namque olim, quia totos interdum dies in theatris aſſiderent, maxime infima plebe, ſecum poma, pyra, nuces, & id genus alia, in theatrum adferre ſolitos, indicat & hoc loco Ariſtoteles (nam his veſcentes vocat τραγηματίζοντες) & Ariſtophanes *in Pluto.* & Horatius in arte Poetica.

Nec ſiquid fricti ciceris probat aut nucis emptor.

Sic deſcribit plebeium Horatius. [In Italia ſæpe omnes actores pomis & pyris explodunt, id in Italia ego vidi ſæpe. ſic olim fecerunt, ſi cui actio non placuit, poma interim, pyra, nuces &c. edit] Ex his perſpicuum eſt, actiones ſuis voluptatibus adiuuari & perpoliti, alienis impediri, interrumpi & omitti [voluptas ex *vino* impedit literarum ſtudia, Ariſtoteles *in Magnis*] Suæ autem voluptates & alienæ quæ ſint,

vno

vno verbo indicat infra *οἰκεῖαι δὲ εἰσίν*, *& in Magnis. Suæ igitur voluptates ſunt, quæ ex ea ipſa re, quæ agitur, ex eius rei inquam actione capiuntur.* Aliena vero & aduentitia voluptas eſt quæ aliunde, verbi gratia, ex ſtudio literarum quæ capitur voluptas, ea illius eſt ſtudii propria & ſua: vt igitur ex eo, quod actionum ſpecie differentium ſuæ cuiuſque actionis propriæ voluptates, & ipſæ ſpecie differunt: ita & ex eo quod alienæ quædam ſunt voluptates, quæ actionibus ſint impedimento, ſpecie quoque differant neceſſe eſt. Formula.

Si voluptates alienæ actionibus ſunt impedimento.

Ergo ſpecie differunt.

Ratio connexi, quia ea, quorum ipſæ ſint voluptates, perſpicue & clariſſime inter ſe diſiuncta ſint & ſpecie differant. Ex his & hoc perſpicuum, qua in re ſuæ voluptates ab alienis diſcrepent. Nam illis actiones adiuuari & expoliri: his eas impediri & intermitti atque corrumpi. Nam voluptatum alienarum eandem fere eſſe vim, quam doloris & moleſtiæ. Vt enim dolor, ita & alienæ voluptates actionibus ſunt impedimento. De dolore & moleſtia conſtat: Terent. *nihil eſt tam facile, quin difficile fiat, ſi inuitus facias* Differunt tamen hac ipſa in re dolor & voluptas aliena. Nam ille propter ſe & ſua natura, hæc propter actiones alienas (nam multis ſimul ſtudiis vacare, eſt nefas: eſt impoſſibile dicunt vulgo, eſt ἀδύνατον) eſt impedimento. Quare & hoc dicēdum, dolorem magis impedire actiones, quam alienam voluptatem, & hoc eſt, quod ait, οὐχ ὁμοίως δέ.

οἱ γὰρ φίλαυλοι.] Exemplum cōmemorat elegans Strabo *lib 14 de citharœdo Iaſſio*: & aliud Cic. *lib. 2. de orat. de Diſco.* Et Terent. *in prologo Hecyræ de Funambulo.*

διαφερουσῶν δὲ τῶν.] Tres adhuc rationes, cur voluptates ſpecie differant, attulit, atq; vna voluptatum partitionem vnam. Hic & quarta ratio, & ſecunda affertur diuiſio. Nam voluptates partim eſſe bonas, partim malas: illas expetendas, has fugiendas. Qua in re Plato, quo cum & Cicero facit, tacite reprehendi videtur, qui voluptates omnes malas eſſe voluit. Quanquam Platonem erudite tuentur Ficinus & Nobilius, vt qui voluptatis vocabulo eas duntaxat voluptates complectatur more vulgi, quæ ſunt corporis, & quidem eæ, in quibus diximus verſari intemperantem ſupra *libro tertio extremo*: voluptates igitur partim eſſe bonas, partim malas, docet bifa

riam

riam. Primum, quia & actiones partim ſint bonæ, partim malæ. Quid ita? quia partim ſunt expetendæ, partim fugiendæ, partim laudabiles, partim vituperatione dignæ: quod certum. Quare cum actionum naturam imitentur & ſequantur voluptates, merito, vt actones, ita & voluptates, partim erunt malæ, partim bonæ. Et quidem bonæ, quæ bonarum actionum propriæ, malæ, quæ malarum. Deinde quia & cupiditates partim ſint laudabiles & bonæ, partim malæ & repræhenſione dignæ: illæ rerum honeſtarum, hæ turpium. Formula.

Si cupiditates partim ſunt bonæ, partim malæ & turpes.
Ergo multo magis voluptates partim erunt bonæ, partim malæ.

Ratio connexi, quia voluptates actionibus (quæ proprie dici ſolent bonæ & laudabiles, vel contra, & ex quibus fit, vt ipſæ cupiditates ita dicantur, quia ſint cupiditates rerum & actionum honeſtarum vel turpium) ſint coniunctiores, quam cupiditates, duplici ratione, tempore nimirum & natura. Nam cupiditas & actio tempore ſunt diſiunctæ, altera alteram ſequente. Prior eſt cupiditas & expetitio, poſterior actio. Differunt & natura, quia actio eſt perfectio quædam, cupiditas non item, vtpote motus. At voluptas & eodem cum actione eſt tempore, vt actionis comes aſſidua, & naturæ fere eiuſdem, adeo quidem vt vix vllum diſcrimen reperiri poſſit, eaq; re & ſupra voluptatem dixit eſſe actionem. Quanquam reuera voluptas non eſt actio, ſiue ea ſit ſenſus ſiue mentis, ſed actionis tam ſenſus quam mentis quiddam cõſequens, ſupra explicauimus *cap. 4*. Obſeruandum autem quod hic indicat Ariſtoteles præclarum præceptum, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ χωρίζεσθαι, ea quæ inter ſe maximam cognationem habeant pro iiſdem ſæpenumero haberi, & quidem rerum cognatarum vocabula ſæpe communicari & confundi. Sic voluntas eſt animi quædam facultas, quæ tamen quia cum voluntatis actione magnam affinitatem habet (volitionem dicunt barbari) ſæpe voluntatis vocabulum actioni tribui ſolet ſupra *libro 3. capitul. 5*. Sic intelligentia eſt & animi facultas & habitus: tamen ſæpe ita dici ſolet [habitus intelligentiæ ſæpe intelligentia dicitur] propter arctiſſimam coniunctionem habitus cum facultate ſupra *lib. 6*. ſic voluptas & dolor non ſunt appetitus & fuga rei iucundæ & moleſtæ. Nam appetitus & fuga

fuga proprie dici debeant amor ſeu deſiderium & odium. Sæpe tamen appetitus hic, voluptas, & fuga dici ſolet dolor, propter ſummam affinitatē, qua eadem ratione & voluptas ac dolor inter πάθη ſeu perturbationes numerari ſolent *lib. 1. Rhet.* etſi proprie & vere voluptas ac dolor non ſunt πάθη, quia πάθη pertinent ad ὀρεκτικόν, id eſt, ad animi partem appetentem. Nam πάθος nihil eſt aliud, quam ὄρεξις cupiditas ſeſe prodens & erumpens, nihil aliud quam ὄρεξις actuoſa. Atqui ὄρεξις eſt commotio quædam ſenſus, à quo motus genere quia voluptas eſt remota, merito non eſt πάθος: propter affinitatem tamē vt dixi, ſæpe πάθος dici ſolet. Affinitas perturbationum & voluptatis ac doloris in eo eſt poſita, quod & hæc duo, & illæ verſentur omnia in rebus vel iucūdis vel moleſtis, expetendis & fugiendis. Itaq; voluptas nō eſt illa ſenſus aut mentis actio, ſed huius comes & ἐπιγέννημά τι, quiddam conſequens. Ad eundem modum & beatæ vitæ definitio ſupra *lib. 1. cap. 7.* explicata, intelligi debet. Neq; enim beata vita ſeu beatitudo proprie & vere eſt actio virtuti cōgruens, ſed eius comes & effectus. Nā beata vita verius eſt quędam animi trāquillitas & ſecuritas virtute parta, quā Democritus ἀθυμίαν vocat, vt eſt apud Cic. *lib. 5. de fin.* Qui locus perobſcurus ita intelligi debet.

διαφέρει δὲ ἡ ὄψις.] Quinta ratio, cur voluptates ſpecie differant, & earum tertia diuiſio, hic afferuntur. Ratio hæc eſt, quia actiones ſenſuum puritate inter ſe & ab actionibus mentis (quæ & ipſæ inter ſe puritate) differunt. Formula.

Si actiones ſenſuū ab actionib. mētis & vtraq; inter ſe puritate differunt. Ergo voluptates alia aliis erunt puriores, & ſpecie proinde diſcrepātes. Verū primū. Ergo &c.

Puræ dicuntur actiones, quæ nihil aut parum admixtionis habent ex corpore. Itaque mentis actiones, quia à corpore ſunt ſeiunctiores, quam actiones ſenſus, merito puriores dicuntur: mens autem ipſa quia partim practica, partim theoretica, quarū hæc ab actionib. corporis eſt ſeiunctiſſima, altera nōnihil permixta, merito & ipſæ mentis actiones inter ſe puritate differunt. Sic & ſenſus actiones non ſolum mentis actionibus ſunt impuriores, & hactenus ab iis differunt: ſed etiam inter ſe, quatenus altera altera plus commercii cum corpore habeat. Quare actio aſpectus ex ſenſus actionib. erit puriſſima: proxima aurium, deinde olfactus, poſtea guſta-

tus, & tandem tactus, cuius conſtat & perſpicuum eſt munus & actionem eſſe craſſiſſimam & maxime concretã. Cui rei argumento eſt, quod hic ſenſus tangendi facilime lædatur omnis corporis contrectatione. Et hinc quoque eſt, quod animantes quò ſunt craſſiores, eo minus ſint participes aſpectus, &c. ſenſuum ſubtiliorum. Verum autem primum. Ergo & ſecundum. Connexi ratio eſt, quia eadem ſit voluptatum quæ actionum ratio. Itaque voluptates aliæ ſunt puræ, veræ, & integræ, aliæ impuræ, & concretæ. De qua voluptatum partitione multa præclare Plato *in Philebo extremo*, *& de Rep. libro nono*: de qua & ſupra *capitul 3* & infra *capit. ſeptimo* attingitur. Cicero liquidas vocat & liberas *libro primo de fin.* quas Ariſtoteles *eo capitul. 6.* vocat εἰλικρινεῖς καὶ ἐλευθερίας, vocat & ἀμιγεῖς ſupra *libro 3 extremo*, & plerunque vt & Plato καθαράς. Alteras vocat μικτάς. Vtræ autem aliis ſint puriores, ex facultatibus & earum actionibus modo diximus eſſe diiudicandum. Itaque mentis voluptates erunt puriſſimæ, & liquidiſſimæ infra *capitul. ſeptimo*: & inter has purior ea, quæ eſt in contemplando, impurior, quæ in agendo. Quare Dei, cæleſtium animarum & Philoſophorum voluptates eſſe ſummas, liquidiſſimas & puriſſimas, eſt conſentaneum, proximas eas quæ ex virtutis actionibus capiuntur, quæ hominum ſunt propriæ. Sic philoſophus non eſt homo, eſt plus quam homo, colit id quod in ipſo eſt diuinum, mentem videlicet, inquit infra Ariſtoteles. Ex ſenſuum autem voluptatibus puriſſima eſt quæ aſpectu capitur. De qua Cic. *lib. 5. de fin* & eleganter Nobilius *lib. 2. de voluptate* [ſiquis in ſpelunca inquit per aliquot annos incluſus, educeretur, & adduceretur ei puella pulcherrima; illa luce ſaltem frui mallet quam puellæ aſpectu] proxima eſt aurium, & carminum voluptas: deinde odoratus & florum atq; vnguentorum. [Hiſpani & Afri floribus & vnguentis delectantur, ea de cauſa Afri hodie inter flores & odores dormiunt, inſaniunt ex odoribus, eſt ridiculum: illi plerunq; lippiũt & cæcutiunt, vt etiã apud Italos multi] Horũ triũ ſenſuum vt actiones, ita voluptates ſunt puræ, nullo dolore admixtæ. Contra fit in guſtatu & tactu, qui duo ſenſus, quia egeſtate laborant & expletione opus habent, numquam vacant dolore, ſupra *cap. 3.* Hac igitur ratione, & quia hi ſenſus maxime ſunt cõcreti & craſſi, vt modo dictũ, horũ voluptates impuriſſimas eſſe neceſſe eſt. Eaq; re egregie Ariſt. *lib. 3. docuit*

in hic

in his duntaxat duabus voluptatibus intemperantiam collocari, eaſque docuit eſſe non tam humanas quam beluinas. Ficinus *libro de Voluptate, capite 7.* & aliam Platonicorum rationem, cur voluptates aſpectus & aurium cæterorum ſenſuum voluptatibus antecellant, affert iſtam, quia cum mentis voluptate duæ iſtæ cognationem habeant, quod docet hunc in modum. Notum eſt, & carminum bonorum, & tabularum pictarum, aut rerum ſimilium ſuam quandam eſſe harmoniam & pulchritudinem, atq; partium conuenientiā. Harmonia nulla eſt abſq; ordine; ordo eſt mentis & rationis. Quare non iniuria dicimus, cum mentis voluptates ſint ſuauiſſimę, & horum ſenſuum cæteris eſſe ſuauiores, vt qui ſolum harmoniæ & ordinis ſint participes.

δοκεῖ δ' εἶναι ἑκάστῳ.] Sextā ratio, & quarta poteſt eſſe voluptatum partitio. Ratio hæc eſt, quia hi, in quibus eſt voluptas, ſpecie differant. Ergo & ipſæ voluptates, & hoc eſt, quod ait, *αἱ μὲν ὧν τῶν ἑτέρων.* Antecedens, id eſt, voluptates eſſe ſuas cuique animāti docet bifariam. Primum, quia ſua cuiuſq; eſt animantis actio. Ergo & voluptas, quę actionis eſt comes. Suam autem cuiuſq; animantis eſſe actionem, & opus quoddam ac munus, docuit ſupra *lib. 1. cap. 7.* Deinde inductione idem docet, quia omnia animantium genera percurrenti, id perſpicuum fiat, eſſe ſuam cuiuſque voluptatem, equi ſuam, &c. Cuius rei teſtem adducit & Heraclitum, cuius dictum; *Aſinum ſtramen malle quam aurum*, inter prouerbia retulit Eraſmus: homo ex auro, aſinus ex ſtramento capit voluptatem: homo ex gemma, gallus gallinaceus ex grano frumenti, vt eſt apud Æſopum.

Torua leana lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella.
Te Corydon, ô Alexi, trahit ſua quemq; voluptas.

inquit Virg. *Eclog. 2.* Sua igitur cuiuſq; animantis eſt voluptas. Itaque voluptates partim erunt beluinæ, partim humanæ. De qua partitione & *ſupr. lib. 7.*

διαλλάττουσι δ' οὐ μικρόν.] Quaſi diceret, non tantum humanæ voluptates à beluinis differunt, ſed quæ in hominibus ſolis reperiuntur, id eſt, inter humānas ipſas magna eſt varietas. Cuius rei cauſa hæc eſt, quod etiam hominibus alia aliis ſint iucunda & chara, alia aliis moleſta & odioſa. Quemadmodum & multis aliis in rebus vſuuenit: verbi gr. non eadem ſunt dul-

cia febre laboranti, quæ valenti: non eadem calida imbecillo, quæ firmo & pancratico corpori & athletico: non eadem atra vel alba videntur hebeti oculorum aciei, quæ acri. Itaque vt omnibus alijs in rebus variatur pro affectione ſubiectorum, ita & in rebus iucundis, & moleſtis, in quib. voluptas & dolor cernuntur Qua de re dictum ſupra *lib. 3. cap. 4. lib. 1. c. 8. & alibi.* Itaque quia alia alijs ſunt iucunda & moleſta hominibus, merito & ipſæ humanæ voluptates variabunt.

δοκεῖ δὲ ἐν ἅπασι.] Hic iam docet & affert normam, qua voluptates humanas dirigamus, quæ ex ijs veriores, quæ non ſint habendæ. Ait igitur normam eſſe virtutem & virum bonum. Quod idem iam ſupra ſæpius iteratum eſt *eo cap. 4 lib. 3.* & hic *cap. 3.* & ſupra *cap. 4. lib. 9 & lib 7. cap. 12.* Quare, quæ viri boni erunt voluptates, veriſſimæ & iuſtiſſimæ haberi debent, vt & quæ illi videbuntur iucunda, & erunt chara: quæ autem alijs & iucunda erunt, & voluptates habebuntur, neque iucunda proprie, neque erunt voluptates, niſi ijs, proprie inquam & abſolutè non erunt, ſed comparate duntaxat: Erunt voluptates, & erunt iucunda deprauatis & corruptis & improbis hominibus, per ſe & abſolute non item. Quod idem & ſupra *cap. 3.* expoſuit.

τὰ δὲ τούτῳ δυσχερῆ.] Cauſam affert, cur ea, quæ vere ſint iucunda, tamen quibusdam ſint & videantur moleſta, & aſpera, hanc: quia multæ, inquit, hominum ſunt corruptelæ & deprauationes. Deprauatio igitur cauſa, cur quæ ſuapte ſponte [per ſe] ſunt iucunda, tamẽ videantur moleſta & contra. Deprauationis autem cauſæ ſunt natura praua & inſtitutio, vt præclare Cic. *in Tuſculanis* [in 2. aut 3. l. procemio] & ſupra Ariſt. *lib. 4. in fine.*

τῶν δ᾽ ἐπιεικῶν δοκουσῶν.] Eleganti gradatione vtitur Ariſtoteles. Primum námque voluptates humanas à beluinis ſecreuit: deinde humanas partim fecit honeſtas & veras, partim turpes & falſas. Nunc omiſſis turpibus, veras perſequitur easq; ipſas item variare oſtendit pro actionum diſcrimine. Si, inquit, viri boni vna eſt actio, aut potius plures, quarum aliæ alijs ſint perfectiones & meliores Ergo & voluptates aliæ erunt primæ, aliæ velut ſecundæ. Verum primum: nam viri boni & beati ac perfecti actiones partim in agendo ſunt poſitæ, partim in contemplando, quarum hæ quam multis partibus illis antecellant, mox copioſe docebit *cap. 7. & 8.*

CAPVT

COMMENTARII.

'Εὐδαιμονίας δὲ τῶν περὶ.] Altera hac libri huius parte de beata vita duo fere adferuntur: prius.eam in actione eaque non ludicra,ſed ſeria,non vero in habitu eſſe poſitam; Alterum,eam perfectionem in actione non agendi, ſed contemplandi, ſeu theoretica verſati. De priore *hoc capite*, de altero *cap. 7. & 8.*

εὐδαιμονίας δὲ.] Expoſitis, quæ ad virtutes, libris 7. prioribus & ijs,quæ ad amicitias *libs 9. &*. & ijs, quæ ad voluptates *lib. 7. & hoc libro*,pertinent:reliquum eſſe ait,vt de beatitudine explicetur. Cauſam affert hanc,quia rerum humanarum,quarum ſcientia eſt Politica his in libris explicanda ſit finis & vltimum. Verum quia & de hac *toto fere lib. 1.* eſt explicatum,ea re breuiorem ſe hic fore ait,poſitis tanquam certis& fixis ijs,quæ *lib. 1.* ſunt explicata. Methodus autem explicationis indicatur verbo, τύπῳ:qua de re ſupra;*lib. 1.*

εἴπομεν δὲ ὅτι οὐκ.] Docet beatitudinem non eſſe habitum, ſed actionem, ex habitu tanquam ex capite & fonte profluentem. Non eſſe habitum,& ſupra *lib. 1. cap. 5.* docuit,& hic iterat breuiter duabus rationibus, quarum prior, quia efficeretur vt etiã qui toto vitæ tempore ſterteret ac dormiret,eſſet beatus. Altera ratio,quia efficeretur, vt ſummis oppreſſus calamitatibus, nihilominus ſit beatus. Itaq; beatitudo non habitus, ſed actio potius erit, quod docuit ſupra *lib. 1. cap. 7.*

τῶν δ' ἐνεργειῶν αἱ μὲν.] Poſito beatitudinem eſſe actionem; exquirendum præterea & videndum, quæ & qualis ſit actio. Nam actionũ duo ſunt genera,quarum aliæ ſint propter ſe expetendæ,aliæ non item, ſed propter aliud & neceſſitatis cauſa: qua de re dictũ & ſup. *l. 1. ca. 6.* Docet igitur beatitudinẽ eſſe actionẽ per ſe expetendã,quia ſit αὐτάρκης ſe ipſa cõtenta& nullæ rei indiga,quę vera eſt actionum per ſe expetendarũ nota & ꝓprietas , vt ait his verbis,καθ' αὑτάς. Nam illæ, inquit ſunt actiones per ſe expetendæ, à quibus præter actiones nihil quæratur aut expectetur, nullã ad rẽ prętetea ſint vtiles aut neceſſariæ.

τοιαῦται δ' εἶναι δοκοῦσιν.] Expoſito beatitudinẽ eſſe actionẽ per ſe:iã ꝓgreditur,quia eius actionũ generis multæ ſunt ſpecies docet,quænã actio ꝑ ſe expetenda ſit beatitudo. Adfert autem hoc loco duo earũ actionũ genera,virtutũ ſeu honeſtas&ludi-

in quam cauſa illa agat, καθ' ἕκαστον δὲ βελτίστη &c. verbi gratia pictura ab optimo pictore in optima tabula, & ex coloribus optimis depicta, eſt perfectiſſima: item ſcriptura, quæ ab optimo ſcriptore & in optima charta. Eadem eſt & aliarum rerum ratio: vbi enim optimus opifex, & optima materia, opus exiſtit præſtantiſſimum.

Ergo & ſenſus actio erit optima & perfectiſſima, ſi & ipſe ſenſus ſeu facultas tanquam opifex & cauſa belliſſime ſe habeat, & res ei ſubiecta ſimiliter.

Eadem eſt & mentis ratio cuius ea actio erit perfectiſſima, cum & ipſa mens optime erit affecta, & in rebus verſabitur præclariſſimis. Hic ſummus eſt gradus actionum ſenſus & mentis, à quo gradu ſtatim diſceditur, quantum vel facultas, vel res ſubiecta mutauerit: adeo, vt etiamſi res pulcherrime ſit affecta, facultas contra peſſime; actio certe perfecta eſſe nequeat. Ex quibus perſpicuum eſt, actionum ſenſus & mentis multos eſſe gradus: alias enim aliis eſſe perfectiores, quo melius, aut deterius ſe habebunt facultas & res ſubiecta. Acerrimi igitur ſenſus, [id eſt, optime affecti] in rem optime affectam agentis actio eſt perfectiſſima, eademque iucundiſſima: perfectiſſima quidem propter facultatem & rem ſubiectam optime affectas: iucundiſſima vero propterea, quia perfectiſſima. Nam cum omnis actionis perfectæ, tum perfectiſſimæ maxima comes eſt voluptas. Si igitur actio, quæ eſt perfecta, eadem & iucunda; quæ perfectiſſima eadē & iucundiſſima: id eſt, ſi actio, qua parte eſt perfecta, eadem eſt iucunda, efficitur voluptatem & actionum quandam eſſe perfectionem. Itaque iam perſpicuum eſt, actiones & facultate, & re ſubiecta, & voluptate, perfici, & ad ſummum perduci. Alio tamen modo actiones facultate & re ſubiecta perficiuntur, alio voluptate. Quemadmodum bona valetudo, aliter à medico, aliter ab habitu bonæ valetudinis ſeu ſanitatis efficitur, ſanitatis cauſa eſt & medicus & ipſa ſanitas, non eodem tamen modo. Nam Medicus eſt ſanitatis cauſa efficiens, ſanitas ſanitatis eſt forma. Nam vt quis ſit & dicatur ſanus, ex habitu ſanitatis inſito proficiſcitur tanquam ex forma Qua de re & ſupra *libro ſexto, capite 12.* vbi eandem habet ſimilitudinem [de ſapientia ibi loquitur] Ad eundem modum ſenſus actionum ſuarum eſt cauſa efficiens; res ſubiecta earundem eſt tanquam materia. Voluptas autē eſt actio-

num

num perfectio aduentitia & cõſequens, velut complemẽtum quoddam & acceſſio ſeu appendix. Neq; enim voluptas actiones perficit tanquam habitus, ſed quemadmodum florentis ætatis perfectio eſt venuſtas & decor, velut cumulus quidam & extrema expletio [perfecta & florens ætas non perficitur ex venuſtate, ſed venuſtas quodammodo perficit, vt ſit quiddam aduentitium extrinſecus. Sic eſt voluptas. Sed non facit, quemadmodum Medicus ſanitatẽ, ſed tantum quemadmodum in florentibus ætate plærumque adeſt decor & venuſtas, qui eſt conſequens & connexum venuſtatis. Sic etiam etſi actiones ſenſus & mẽtis complentur tribus rebus, tamen aliter atq; aliter. Inde iam videri poteſt, quæ ſit vis voluptatis, nihil aliud, quam quædam actionum tam ſenſus quam mentis quoddam complementum & acceſſio perpetua tanquam comes omnium actionum, non eſt habitus] voluptas igitur eſt actionum perfectio, non inſita, vt habitus, ſed conſequens. Nam ſi habitus eſſet aut perfectio tanquam forma, efficeretur, vt omnes actiones eſſent iucundæ. Forma namq; ei cuius eſt forma ſemper ineſt. At conſtat, multas actiones eſſe cum dolore & moleſtia. Non eſt igitur habitus voluptas, non etiam eſt actio: non eſt inquit infra capite proximo ipſe ſenſus, vel mens, id eſt, actio ſenſus vel mentis, ſed actionis potius complementum & ἐπίμετρον ſeu ἐπιγέννημα, vt vocat Ariſtoteles. Cur ergo, dicet aliquis, Ariſtoteles ſupra *libro ſeptimo* voluptatem definiuit actionem ſeu ἐνέργειαν habitus, quo cum natura conſentiat, non impeditam actionem: cur, inquam, ſemper vocat actionem? Reſpondet infra capite proximo.

αὐτὴν δὲ λέγειν.] Hæc verba parentheſi includenda ſunt. Nihil inquit, refert ad rẽ præſentem, vtrum dicamus ſenſum ipſum agere, an hominem, in quo eſt ſenſus. Nam de hoc *lib. 2. de Anima* diſputatur, vbi quæritur, An oculi dicantur cernere, an vero ſenſus, aut homo ipſe; pertinet ad phyſicum hæc quæſtio. μηδὲν διαφερέτω, nihil ad rem.

ἕως δὲ ἂν ποτε.] Explicata iam vi & natura voluptatis, quam diximus actionum eſſe perfectionem non inſitam, ſed conſequentem: hic de voluptatis breuitate & longitudine adiungit. Ait igitur, eandem duraturam voluptatem, quam diu eodem modo affectæ fuerint & facultas & res ſubiecta. Facultas eſt bipartita, ſenſus & ratio: res quoque ſubiecta eſt du-

eſt duplex, altera quæ ſub ſenſum, altera quæ ſub rationem cadit, atque ita prout hæ res id eſt facultas & res ſubiecta, vel manſerint, vel mutauerint, durabunt quoque vel mutabunt voluptates; atque pro harum rerum diſcrimine, voluptatum quoque gradus erunt, vt in quo acrior oculorum ſit acies, maiorem voluptatem capiat, quam is in quo hebetior & obtuſior. Eademque eſt & mentis ratio. Quare perſpicuum eſt, Dei, cæleſtium animarum & ſapientum, quorum mentis acies eſt acerrima, voluptates quoque eſſe numeris omnibus abſolutas. His igitur duabus rebus in ſuo ſtatu manentibus eadem quoque erit voluptas. Nam non mutata cauſa manet idem effectus.

πῶς οὖν οὐδεὶς συνεχῶς.] Etſi & eadem facultas, & eadem res ſubiecta manet, tamen docet Ariſtoteles voluptatem non fore perpetuam homini, hac ratione, quia hominum actiones non ſint perpetuæ. Quid ita? quia defatigentur agendo homines. Qua re vel maxime homo differt à Deo, cuius vt nulla eſt laſſitudo aut defatigatio: ita & actiones ſunt continentes ac perpetuæ; vt præclare Ariſtoteles *libro 8. Phyſ. ἀκροάσεως & libro 2. cap. 1. de cælo.* & pulcherrime autor *libri de Mundo* [tribuitur Ariſtoteli, ſed certum eſt, nõ eſſe. Autor enim ille docet, fere vt Chriſtianus. Guilielmus Budæus admodum docte olim vertit: putabat eſſe Ariſtotelis, quemadmodum multi exiſtimant; perperam] & Cicero *de Natura Deorum* [Epicuræi docebant Deum nihil agere, quia actiones adferunt moleſtiam. Atqui certũ Deum vacare moleſtia. Ergo ab actionibus. Reſpond. à diuinis ad humana non valet conſequentia; actiones humanæ nõ perpetuæ, ſed diuinæ ſunt] Et hac re propius accedit philoſophus. Nã contemplatio, in qua munus eſt philoſophi, diuturnior & magis perpetua eſſe poteſt, quam actio, inquit Ariſtoteles infra *capitul. ſeptimo.* Quare & philoſophi, vt Dei, conſtantiores & diuturniores erunt voluptates, quam cæterorum hominum. Formula.

> *Vbi actio, ibi & voluptas. nam actionis comes eſt voluptas.*
>
> *Ergo vbi actio non eſt perpetua, ibi nec voluptas: vbi perpetua actio, aut ſaltem diuturnior, ibi voluptas.*

Hæc igitur ratio eſt vna, cur voluptates hominum non

ſint

ſint perpetuæ aut continentes etiam illis duabus rebus, facultate & re ſubiecta, iiſdem manentibus. Eſt & altera ratio, ex priore tamen apta ſeu pendens. Nam cur res nouæ maiorem afferant voluptatem, (videatur Eraſmus in prouerbio: *Grata nouitas*) quam obſoletæ vel vſitatæ, hæc eſt ratio, quia actior eſt actio & intentio in res nouas quā in vſitatas videre namq; licet, obiecta re aliqua noua maiore ardore & contentione vel oculos vel mentem eo homines dirigere. Formula.

Vbi maior & vehementior actio, ibi & maior voluptas.

At in rebus nouis maior eſt actio ſeu mentis, ſeu ſenſus.

Ergo & voluptas eſt maior.

ὀρέγεσθαι δὲ τῆς ἡδονῆς.] Quia ſupra docuit, voluptatem actionū eſſe τέλος, id eſt, perfectionem; (ſic enim hoc verbum eo loco reddendum puto, non vt alii finem. Nam vtrumque valet ſupra *libro 1. capitul. ſeptimo*) adiungit de voluptate, cur eam omnes expetant. Ratio namque ex prioribus eſt apta, iſta, quia voluptas, vt cæteras actiones omnes, ita & vitam, quam & ipſam conſtat eſſe actionem, perficiat. Formula.

Si voluptas vitam perficit. Ergo omnibus eſt expetenda.

Verum primū, quia vita eſt actio, cuius omnis perfectrix eſt voluptas.

Ergo, &c.

Ratio connexi: quia vita ab omnibus expetatur natura. Voluptatem autem ad vitam facere, & ad vitæ actiones, confirmat & hoc ſigno, quod plærique omnes libenter in his actionibus verſari ſoleant, quas ipſi caras habent, quæque cuiq; placent: vt ſtudioſus in litteris, Muſicus in carminibus, poeta in verſibus, &c.

Nauita, inquit poeta, de ventis, de tauris narrat arator.

Vt igitur vita ita & voluptas omnibus eſt expetenda. Sed enim quæri poteſt, vtra alterius cauſa expetatur, vita ne voluptatis, an voluptas vitæ gratia? Quam diſputationem alio reiicit: hoc inquit, certe conſtat, has res ita coniunctas eſſe, & amice conſpirate tanquam coniuges, vt altera ſine altera eſſe nequeat. Nam actio nulla eſt, à facultate & re ſubiecta bene affectis perfecta, quin comitem habeat voluptatem, contra ex prioribus certiſſimum eſt, nullam eſſe poſſe voluptatem

abſque actione. Ex prioribus tamen & de quæſtione ipſa perſpicuum eſſe poteſt, vitam non eſſe voluptatis, ſed voluptatem vitæ cauſa expetendam, nimirũ vt actiones vitæ melius exercerentur, alioqui efficeretur, voluptatem eſſe ſummum bonum & τέλος, quod ſupra refellimus, voluptas eſt vitæ tanquam condimentum, & actionum adiutrix, non τέλος, contra atq; putauit Epicurus, &c.

CAPVT V.

COMMENTARII.

Ὅθεν δοκοῦσι καὶ τῷ εἴδει.] Explicata vi & natura voluptatis, id eſt, definitione: hic eius differentiæ & diuiſiones quatuor afferuntur.

ὅθεν δοκοῦσι καὶ τῷ] Vnde ſeu ex quo, ὅθεν, id eſt, ex eo quod modo dictum, actiones omnes voluptate perfici, ex eo inquam, argumentum capi poteſt, voluptates & ſpecie differre, quod erit primum ex quatuor. Nam 4. argumentis oſtendit, voluptates ſpecie diſcrepare. Primum, quia voluptates aliæ ſunt ſuæ, aliæ alienæ. Alterum: aliæ honeſtæ, aliæ triſtes: 3. aliæ puræ, aliæ impuræ: 4. aliæ denique beluinæ, aliæ humanæ. Hæc ſunt voluptatum genera, quæ & ſupra præter alia quædam attigimus *lib. 7*.

τὰ γὰρ ἕτερα τῷ] Docet voluptates differre ſpecie, primum hac ratione, quia alias actiones aliæ voluptates perficiant. Formula.

> *Quæ res non ab iiſdem, ſed aliæ ab aliis perficiuntur, ea ipſa ſpecie inter ſe differunt.*
> *At voluptates aliæ alias actiones perficiunt.*
> *Ergo inter ſe ſpecie differunt.*

Propoſitionem explicat, & confirmat exemplo rerum & naturalium & arte factarum. Nam animantes & arbores, res naturales quia aliter atq; aliter perficiuntur (animantium perfectio eſt ſenſuum acumen, arborum fœcunditas) ſpecie quoq; differunt. Sic & tabulæ pictæ & ſigna, domus vaſa & ſupellectilia, res artificioſæ: quia & harum aliud atq; aliud eſt τέλος, merito & ipſæ ſpecie inter ſe differunt.

Aſſumptionem confirmat, ὁμοίως δὴ καὶ τὰς &c. hunc in modum,

Si

Si omnia, quæ alia ab aliis perficiuntur & ipſa ſpecie inter ſe differunt.

Ergo & actiones aliæ aliis ab rebus perficiendæ & ipſa inter ſe ſpecie differunt.

Et certe notum eſt, alias eſſe mentis, alias ſenſuum actiones, ſpecie inter ſe diſcrepantes. Itaque & voluptates, quæ pro actionum, quarum ſunt comites, diſcrimine variant, & ipſæ ſpecie differant neceſſe eſt, quod ſupra attigimus *cap. 3. in fin.*

φανεῖν δὲ ἂν τοῦ.] Altera ratio, cur voluptates ſpecie differant, quia actionum aliæ aliarum ſuæ ſunt & propriæ voluptates Formula.

Quæ ſpecie differentium ſunt ſua & propria, ea & ipſa ſpecie inter ſe differunt.

At voluptates actionum ſpecie differentium ſua ſunt & propria. Ergo & ipſa ſpecie inter ſe differunt.

Propoſitionis ratio hæc eſt, quia affectiones ſeu πάθη ſuarum quæque rerum ſubiectarum naturam ſequuntur: ſubiectis ſpecie differentibus differũt & πάθη ſubiectorum. Nam idem ſpecie id dicitur, quod in eodem primo eſt ſubiecto: contra ſpecie differt, quod in diſſimili, vt fuſcum & de colore, & de voce dicitur [fuſca vox quaſi ſemirauca] quæ duo, quia diſſimilima ſunt ſubiecto, & fuſcum vocis à fuſco coloris ſpecie differt Aſſumtionem confirmat Ariſtoteles hac ratione, συναύξει γὰρ τὴν, &c. quia voluptate actiones ſua quæque augeatur & amplificetur Formula.

Quæ augent, ea ſunt propria eorum, quæ augent.

At voluptas actionem auget & amplificat.

Ergo eius eſt propria, quam auget.

Propoſitionis, τὰ δὲ συναύξοντα &c. ratio, quia ſimile auget ſimile, vt contra diſſimile perimit & minuit [Quæ cuiuſque naturæ ſunt propria & accommodata, ea ſolent amplificare hominem] Ariſtoteles *libro primo de ortu & interitu capit. 5.* & copioſe *libro ſeptimo Metaphyſ.* Aſſumtionem, id eſt, voluptate actiones amplificari & augeri, confirmat exemplo Geometriæ, Muſicæ & fabricæ. Nam his artibus deditos: ſi cum voluptate earum ſunt ſtudioſi, maiorem facturos progreſſum, quam ſi cum moleſtia. Eademq; eſt omnium artium & actionum ratio, quas voluptate adiuuari & promoueri conſtat, ſua & propria. Actionum, inquit Ariſtoteles *libro 2. Magn. c. 7.* voluptas eſt προτρεπτικὸν & παρορμή, inſtigat atq; incitat

incitat ad agendum. Itaq; quia actiones ſpecie differunt, & voluptates earum proprias, quia auctrices, ſpecie quoque differe neceſſe eſt.

σωαύξουσι δὲ] Legendum δή.

τοῖς ἑτέροις δὲ τῷ.] Hæc eſt propoſitio prioris concluſionis. vetus interpres legit τῷ εἴδει οἰκεῖα ; καὶ ἕτερα &c. Quo modo &nos propoſitionem concepimus.

Quæ differentibus ſpecie ſunt propria, ea & inter ſe ſpecie ipſa differunt.

At voluptas eſt ſpecie differentium propria.

Ergo & inter ſe etiam ſpecie ipſa differt.

ἔτι δὲ μᾶλλον τῷ τ.] Tertia ratio cum ſecunda tamen coniuncta, cur voluptates ſpecie differant: quia alienæ voluptates actionibus ſint impedimento, quod confirmat Ariſtoteles exemplo eorum, qui tibiarum ſono delectentur. Nam hos vix poſſe ſe dare litteris, ſimul tibiam inaudierint. Tibiarum namque ſonus litterarum ſtudio eſt impedimento. Itaque voluptas ex tibiis vt aliena impedit literarum ſtudium & actionem. Eadem eſt aliarum artium ac ſtudiorum ratio: qua de re & ſupra *libro ſeptimo, capitu. 12.* adeo quidem, vt, ſi duo ſtudia inſtituantur, duo agantur, quorũ ex altero maior capiatur voluptas, hoc ſolum excolatur omiſſo altero. Quin etiam, quæ agantur, ſi non magnam afferant voluptatem, certe remiſſius agi & ſæpe omitti ſolent. Quod docet exemplo ſpectantium ludos, comœdias & Tragœdias. Nam hos ſi actio ipſis non ſit iucunda, aut diſplice at, non amplius attentos ſe præbere, ſed ad bellaria ſe ſua conferre ſolitos. Spectatores namque olim, quia totos interdum dies in theatris aſſiderent, maxime infima plebe, ſecum poma, pyra, nuces, & id genus alia, in theatrum adferre ſolitos, indicat & hoc loco Ariſtoteles (nam his veſcentes vocat τραγηματίζοντας) & Ariſtophanes *in Pluto.* & Horatius in arte Poetica.

Nec ſiquid fricti ciceris probat aut nucis emptor.

Sic deſcribit plebeium Horatius. [In Italia ſæpe omnes actores pomis & pyris explodunt, id in Italia ego vidi ſæpe. ſic olim fecerunt, ſi cui actio non placuit, poma interim, pyra, nuces &c. edit] Ex his perſpicuum eſt, actiones ſuis voluptatibus adiuuari & perpoliri, alienis impediri, interrumpi & omitti [voluptas ex *vino* impedit literarum ſtudia, Ariſtoteles *in Magnis*] Suæ autem voluptates & alienæ quæ ſint,

vno

vno verbo indicat infra οἰκεῖαι δέ εἰσιν, *& in Magnis .Sua igitur voluptates ſunt, quæ ex ea ipſa re, qua agitur, ex eius rei inquam actione capiuntur.* Aliena vero & aduentitia voluptas eſt quæ aliunde, verbi gratia, ex ſtudio literarum quæ capitur voluptas, ea illius eſt ſtudii propria & ſua: vt igitur ex eo, quod actionum ſpecie differentium ſuæ cuiuſque actionis propriæ voluptates, & ipſæ ſpecie differunt: ita & ex eo quod alienæ quædam ſunt voluptates, quæ actionibus ſint impedimento, ſpecie quoque differant neceſſe eſt. Formula.

Si voluptates alienæ actionibus ſunt impedimento.

Ergo ſpecie differunt.

Ratio connexi, quia ea, quorum ipſæ ſint voluptates, perſpicue & clariſſime inter ſe disiuncta ſint & ſpecie differant. Ex his & hoc perſpicuum, qua in re ſuæ voluptates ab alienis diſcrepent. Nam illis actiones adiuuari & expoliri: his eas impediri & intermitti atque corrumpi. Nam voluptatum alienarum eandem fere eſſe vim, quam doloris & moleſtiæ. Vt enim dolor, ita & alienæ voluptates actionibus ſunt impedimento. De dolore & moleſtia conſtat: Terent. *nihil eſt tam facile, quin difficile fiat, ſi inuitus facias* Differunt tamen hae ipſa in re dolor & voluptas aliena. Nam ille propter ſe & ſua natura, hæc propter actiones alienas (nam multis ſimul ſtudiis vacare, eſt nefas: eſt impoſſibile dicunt vulgo, eſt ἀδύνατον) eſt impedimento. Quare & hoc dicēdum, dolorem magis impedire actiones, quam alienam voluptatem, & hoc eſt, quod ait, οὐχ ὁμοίως δέ.

οἱ γὰρ φίλαυλοι.] Exemplum cōmemorat elegans Strabo *lib 14 de citharœdo Iaſſio*: & aliud Cic. *lib. 2. de orat. de Diſco.* Et Terent. *in prologo Hecyræ de Funambulo.*

διαφερουσῶν δὲ τῶν.] Tres adhuc rationes, cur voluptates ſpecie differant, attulit, atq; vna voluptatum partitionem vnam. Hic & quarta ratio, & ſecunda affertur diuiſio. Nam voluptates partim eſſe bonas, partim malas: illas expetendas, has fugiendas. Qua in re Plato, quo cum & Cicero facit, tacite reprehendi videtur, qui voluptates omnes malas eſſe voluit. Quanquam Platonem erudite tuentur Ficinus & Nobilius, vt qui voluptatis vocabulo eas duntaxat voluptates complectatur more vulgi, quæ ſunt corporis, & quidem eæ, in quibus diximus verſari intemperantem ſupra *libro tertio extremo*: voluptates igitur partim eſſe bonas, partim malas, docet bifa

riam

riam. Primum, quia & actiones partim ſint bonæ, partim malæ. Quid ita? quia partim ſunt expetendæ, partim fugiendæ, partim laudabiles, partim vituperatione dignæ: quod certum. Quare cum actionum naturam imitentur & ſequantur voluptates, meritò, vt actones, ita & voluptates, partim erunt malæ, partim bonæ. Et quidem bonæ, quæ bonarum actionum propriæ, malæ, quæ malarum. Deinde quia & cupiditates partim ſint laudabiles & bonæ, partim malæ & repræhenſione dignæ: illæ rerum honeſtarum, hæ turpium. Formula.

Si cupiditates partim ſunt bonæ, partim malæ & turpes.
Ergo multo magis voluptates partim erunt bonæ, partim malæ.

Ratio connexi, quia voluptates actionibus (quæ proprie dici ſolent bonæ & laudabiles, vel contra, & ex quibus fit, vt ipſæ cupiditates ita dicantur, quia ſint cupiditates rerum & actionum honeſtarum vel turpium) ſint coniunctiores, quam cupiditates, duplici ratione, tempore nimirum & natura. Nam cupiditas & actio tempore ſunt diſiunctæ, altera alteram ſequente. Prior eſt cupiditas & expetitio, poſterior actio. Differunt & natura, quia actio eſt perfectio quædam, cupiditas non item, vtpote motus. At voluptas & eodem cum actione eſt tempore, vt actionis comes aſſidua, & naturæ fere eiuſdem, adeo quidem vt vix vllum diſcrimen reperiri poſſit, eaq; re & ſupra voluptatem dixit eſſe actionem. Quanquam reuera voluptas non eſt actio, ſiue ea ſit ſenſus ſiue mentis, ſed actionis tam ſenſus quam mentis quiddam cōſequens, ſupra explicauimus *cap. 4.* Obſeruandum autem quod hic indicat Ariſtoteles præclarum præceptum, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ χωρίζεσθαι, ea quæ inter ſe maximam cognationem habeant pro iiſdem ſæpenumero haberi, & quidem rerum cognatarum vocabula ſæpe communicari & confundi. Sic voluntas eſt animi quædam facultas, quæ tamen quia cum voluntatis actione magnam affinitatem habet (volitionem dicunt barbari) ſæpe voluntatis vocabulum actioni tribui ſolet ſupra *libro 3. capitul. 5.* Sic intelligentia eſt & animi facultas & habitus: tamen ſæpe ita dici ſolet [habitus intelligentiæ ſæpe intelligentia dicitur] propter arctiſſimam coniunctionem habitus cum facultate ſupra *lib. 6.* ſic voluptas & dolor non ſunt appetitus & fuga rei iucundæ & moleſtæ. Nam appetitus &
fuga

fuga proprie dici debeant amor ſeu deſiderium & odium. Sæpe tamen appetitus hic, voluptas, & fuga dici ſolet dolor, propter ſummam affinitatẽ, qua eadem ratione & voluptas ac dolor inter πάθη ſeu perturbationes numerari ſolent *lib. 1. Rhet.* etſi proprie & vere voluptas ac dolor non ſunt πάθη, quia πάθη pertinent ad ὀρεκτικὸν, id eſt, ad animi partem appetentem. Nam πάθος nihil eſt aliud, quam ὄρεξις cupiditas ſeſe prodens & erumpens, nihil aliud quam ὄρεξις actuoſa. Atqui ὄρεξις eſt commotio quædam ſenſus, à quo motus genere quia voluptas eſt remota, merito non eſt πάθος: propter affinitatem tamẽ vt dixi, ſæpe πάθος dici ſolet. Affinitas perturbationum & voluptatis ac doloris in eo eſt poſita, quod & hæc duo, & illæ verſentur omnia in rebus vel iucũdis vel moleſtis, expetendis & fugiendis. Itaq; voluptas nõ eſt illa ſenſus aut mentis actio, ſed huius comes & ἐπιγέννημά τι, quiddam conſequens. Ad eundem modum & beatæ vitæ definitio ſupra *lib. 1. cap. 7.* explicata, intelligi debet. Neq; enim beata vita ſeu beatitudo proprie & vere eſt actio virtuti cõgruens, ſed eius comes & effectus. Nã beata vita verius eſt quędam animi trãquillitas & ſecuritas virtute parta, quã Democritus ἀθυμίαν vocat, vt eſt apud Cic. *lib. 5. de fin.* Qui locus perobſcurus ita intelligi debet.

διαφέρει δὲ ἡ ὄψις.] Quinta ratio, cur voluptates ſpecie differant, & earum tertia diuiſio, hic afferuntur. Ratio hæc eſt, quia actiones ſenſuum puritate inter ſe & ab actionibus mentis (quæ & ipſæ inter ſe puritate) differunt. Formula.

Si actiones ſenſuũ ab actionib. mẽtis & vtraq; inter ſe puritate differunt. Ergò voluptates alia aliis erunt puriores, & ſpecie proinde diſcrepãtes. Verũ primũ. Ergo &c.

Puræ dicuntur actiones, quæ nihil aut parum admixtionis habent ex corpore. Itaque mentis actiones, quia à corpore ſunt ſeiunctiores, quam actiones ſenſus, merito puriores dicuntur: mens autem ipſa quia partim practica, partim theoretica, quarũ hæc ab actionib. corporis eſt ſeiunctiſſima, altera nõnihil permixta, merito & ipſæ mentis actiones inter ſe puritate differunt. Sic & ſenſus actiones non ſolum mentis actionibus ſunt impuriores, & hactenus ab iis differunt: ſed etiam inter ſe, quatenus altera altera plus commercii cum corpore habeat. Quare actio aſpectus ex ſenſus actionib. erit puriſſima: proxima aurium, deinde olfactus, poſtea guſtatus

tus, & tandem tactus, cuius conſtat & perſpicuum eſt munus & actionem eſſe craſſiſſimam & maxime concretã. Cui rei argumento eſt, quod hic ſenſus tangendi facilime lædatur omnis corporis contrectatione. Et hinc quoque eſt, quod animantes quò ſunt craſſiores, eo minus ſint participes aſpectus, &c. ſenſuum ſubtiliorum. Verum autem primum. Ergo & ſecundum. Connexi ratio eſt, quia eadem ſit voluptatum quæ actionum ratio. Itaque voluptates aliæ ſunt puræ, veræ, & integræ, aliæ impuræ, & concretæ. De qua voluptatum partitione multa præclare Plato *in Philebo extremo, & de Rep. libro nono*: de qua & ſupra *capitul 3* & infra *capit. ſeptimo* attingitur. Cicero liquidas vocat & liberas *libro primo de fin.* quas Ariſtoteles *eo capitul. 6.* vocat εἰλικρινεῖς ϗ ἐλευθερίας, vocat & ἀμιγεῖς ſupra *libro 3 extremo*, & plerunque vt & Plato καθαρὰς. Alteras vocat μικτάς. Vtræ autem aliis ſint puriores, ex facultatibus & earum actionibus modo diximus eſſe diiudicandum. Itaque mentis voluptates erunt puriſſimæ, & liquidiſſimæ infra *capitul. ſeptimo*: & inter has purior ea, quæ eſt in contemplando, impurior, quæ in agendo. Quare Dei, cæleſtium animarum & Philoſophorum voluptates eſſe ſummas, liquidiſſimas & puriſſimas, eſt conſentaneum, proximas eas quæ ex virtutis actionibus capiuntur, quæ hominum ſunt propriæ. Sic philoſophus non eſt homo, eſt plus quam homo, colit id quod in ipſo eſt diuinum, mentem videlicet, inquit infra Ariſtoteles. Ex ſenſuum autem voluptatibus puriſſima eſt quæ aſpectu capitur. De qua Cic. *lib. 5. de fin* & eleganter Nobilius *lib. 2. de voluptate* [ſiquis in ſpelunca inquit per aliquot annos incluſus, educeretur, & adduceretur ei puella pulcherrima; illa luce ſaltem frui mallet quam puellæ aſpectu] proxima eſt aurium, & carminum voluptas: deinde odoratus & florum atq; vnguentorum. [Hiſpani & Afri floribus & vnguentis delectantur, ea de cauſa Afri hodie inter flores & odores dormiunt, inſaniunt ex odoribus, eſt ridiculum: illi plerunq; lippiũt & cæcutiunt, vt etiã apud Italos multi] Horũ triũ ſenſuum vt actiones, ita voluptates ſunt puræ, nullo dolore admixtæ. Contra fit in guſtatu & tactu, qui duo ſenſus, quia egeſtate laborant & expletione opus habent, numquam vacant dolore, ſupra *cap. 3*. Hac igitur ratione, & quia hi ſenſus maxime ſunt cõcreti & craſſi, vt modo dictũ, horũ voluptates impuriſſimas eſſe neceſſe eſt. Eaq; ſe egregie Ariſt. *lib. 3. docuit*

in his

in his duntaxat duabus voluptatibus intemperantiam collocari, eaſque docuit eſſe non tam humanas quam beluinas. Ficinus *libro de Voluptate, capite 7.* & aliam Platonicorum rationem, cur voluptates aſpectus & aurium cæterorum ſenſuum voluptatibus antecellant, affert iſtam, quia cum mentis voluptate duæ iſtæ cognationem habeant, quod docet hunc in modum. Notum eſt, & carminum bonorum, & tabularum pictarum, aut rerum ſimilium ſuam quandam eſſe harmoniam & pulchritudinem, atq; partium conuenientiā. Harmonia nulla eſt abſq; ordine; ordo eſt mentis & rationis. Quare non iniuria dicimus, cum mentis voluptates ſint ſuauiſſimę, & horum ſenſuum cæteris eſſe ſuauiores, vt qui ſolum harmoniæ & ordinis ſint participes.

δοκεῖ δ' εἶναι ἑκάστῳ.] Sexta ratio, & quarta poteſt eſſe voluptatum partitio. Ratio hæc eſt, quia hi, in quibus eſt voluptas, ſpecie differant. Ergo & ipſæ voluptates, & hoc eſt, quod ait, *αἱ μὲν ἐν τῶν ἑτέρων*. Antecedens, id eſt, voluptates eſſe ſuas cuique animāti docet bifariam. Primum, quia ſua cuiuſq; eſt animantis actio. Ergo & voluptas, quę actionis eſt comes. Suam autem cuiuſq; animantis eſſe actionem, & opus quoddam ac munus, docuit ſupra *lib. 1. cap. 7.* Deinde inductione idem docet, quia omnia animantium genera percurrenti, id perſpicuum fiat, eſſe ſuam cuiuſque voluptatem, equi ſuam, &c. Cuius rei teſtem adducit & Heraclitum, cuius dictum; *Aſinum ſtramen malle quam aurum*, inter prouerbia retulit Eraſmus: homo ex auro, aſinus ex ſtramento capit voluptatem: homo ex gemma, gallus gallinaceus ex grano frumenti, vt eſt apud Æſopum.

Torua leana lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella.
Te Corydon, ô Alexi, trahit ſua quemq; voluptas.

inquit Virg. *Eclog. 2.* Sua igitur cuiuſq; animantis eſt voluptas. Itaque voluptates partim erunt beluinæ, partim humanæ. De qua partitione & *ſupr. lib. 7.*

διαφέρουσι δ' οὐ μικρὸν.] Quaſi diceret, non tantum humanæ voluptates à beluinis differunt, ſed quæ in hominibus ſolis reperiuntur, id eſt, inter humānas ipſas magna eſt varietas. Cuius rei cauſa hæc eſt, quod etiam hominibus alia aliis ſint iucunda & chara, alia aliis moleſta & odioſa. Quemadmodum & multis aliis in rebus viuuent: verbi gr. non eadem ſunt dul-

CAPVT VI.

COMMENTARII.

Εἰρημένων δὲ τῶν περὶ.] Altera hac libri huius parte de beata vita duo fere adferuntur: prius.eám in actione eaque non ludicra, ſed ſeria, non verò in habitu eſſe poſitam; Alterum, eam perfectionem in actione non agendi, ſed contemplandi, ſeu theoretica verſari. De priore *hoc capite*, de altero *cap. 7. & 8.*

εἰρημένων δὲ.] Expoſitis, quæ ad virtutes, libris *7.* prioribus & ijs, quæ ad amicitias *lib 9. &*. & ijs, quæ ad voluptates *lib. 7. & hoc libro*, pertinent: reliquum eſſe ait, vt de beatitudine explicetur. Cauſam affert hanc, quia rerum humanarum, quarum ſcientia eſt Politica. his in libris explicanda ſit finis & vltimum. Verum quia & de hac *toto fere lib 1.* eſt explicatum, ea re breuiorem ſe hic fore ait, poſitis tanquam certis & fixis ijs, quæ *lib.* 1. ſunt explicata. Methodus autem explicationis indicatur verbo, *τύπῳ*: qua de re ſupra; *lib. 1.*

εἴπομεν δὲ ὅτι οὐκ.] Docet beatitudinem non eſſe habitum, ſed actionem, ex habitu tanquam ex capite & fonte profluentem. Non eſſe habitum, & ſupra *lib. 1. cap. 5.* docuit, & hic iterat breuiter duabus rationibus, quarum prior, quia efficeretur vt etiã qui toto vitæ tempore ſterteret ac dormiret, eſſet beatus. Altera ratio, quia efficeretur, vt ſummis oppreſſus calamitatibus, nihilominus ſit beatus. Itaq; beatitudo non habitus, ſed actio potius erit, quod docuit ſupra *lib. 1. cap. 7.*

τῶν δ᾽ ἐνεργειῶν αἳ μὲν.] Poſito beatitudinem eſſe actionem; exquirendum præterea & videndum, quæ & qualis ſit actio. Nam actionũ duo ſunt genera, quarum aliæ ſint propter ſe expetendæ, aliæ non item, ſed propter aliud & neceſſitatis cauſa: qua de re dictũ & ſup. *l. 1. ca. 6.* Docet igitur beatitudinẽ eſſe actionẽ per ſe expetendã, quia ſit *αὐτάρκης* ſe ipſa cõtenta & nullæ rei indiga, quę vera eſt actionum per ſe expetendarũ nota & ꝓprietas, vt ait his verbis, *καθ᾽ αὑτάς.* Nam illæ, inquit ſunt actiones per ſe expetendæ, à quibus præter actiones nihil quæratᷣ aut expectetᷣ, nullã ad rẽ pręterea ſint vtiles aut neceſſariæ.

τοιαῦται δ᾽ εἶναι δοκοῦσιν.] Expoſito beatitudinẽ eſſe actionẽ per ſe: iã ꝓgreditᷣ, quia eius actionũ generis multæ ſunt ſpecies docet, quænã actio ꝑ ſe expetenda ſit beatitudo. Adfert autem hoc loco duo earũ actionũ genera, virtutũ ſeu honeſtas & ludi-

& libera poteſt. Quod idem de Tyrannis & Plato *lib. 9. de Rep. Ea re maxime à veris regib. differre, quod illi omnis vera & propria voluptatis expertes moleſtiſſime: hi iucundiſſime vitã tranſigant.* Non igitur, quia Tyranni corporis voluptates aliis omnibus præferunt, ea re meliores reuera & ſunt & haberi debent. Nam & pueris multa licet per ſe vilia, vt pilæ, ſphæræ, turbines, tali, trochi, cruſtulæ, &c. ſunt chara & in pretio. Quare vt eadẽ non ſunt viris, quæ pueris chara & honorata: ita & conſentaneum eſt, nõ eadem eſſe chara viris bonis, quæ improbis. Hoc poſito ad principium redeundum, & videndum in hac rerum diſſimilitudine, à quo petendum ſit iudicium, an à viro bono, an vero ab improbo. Ait igitur iam ſæpe id iteratum, iudicium, & de actionibus & de voluptatibus non ab improbis, ſed à viro bono eſſe petendum. Quod ſi ita eſt, vt eſt, ſequitur, iudicium Tyranni aut diuitis, aut potentis in rebus bonis aut malis diiudicandis eſſe plane nullum.

ἑκάστῳ δ᾽ ἡ κατὰ.] Reprehenſa aduerſariorum ratione, hoc amplius 4. preterea adfert rationes, quib. doceat beatã vitam non eſſe in ludo, aut in ludicris actionibus, ſed in ſeriis & virtuti conſentaneis. Prima ratio, cur beata, inquam, vita non ſit in ludo, quia eſt in virtute. Eſſe in virtute docet hac ratione, [in virtutis actione, intellige,] quia virtutis actio viro bono (cuius iudicium iam diximus vnius eſſe ſpectandum) maxime ſit expetenda. Quid ita? quia ἑκάστῳ δ᾽ ἡ, &c. ea cuique actio eſt expetenda maxime, quæ à ſuo cuiuſque habitu oriatur & manat. Sic Muſico canere, docto philoſophari, pictori pingere maxime eſt & iucundum & expetendum ſupra *lib. 9. cap. 9. in fin.* Viri autem boni habitus eſt virtus. Ergo virtutis actiones viro bono ſunt & iucundiſſimæ & maxime expetendæ. Si maxime expetendæ. Ergo in his eſt beata vita. Nam hoc eſſe maxime expetendum & iucundiſſimum, eſt beatæ vitæ nota & proprietas veriſſima, ſupra *lib. 1. cap. 5 & 7.* In actionibus igitur virtutis eſt beatitudo: Ergo non in ludo, non in ludicris, quia virtutis actiones omnes ſunt ſeriæ, ſunt σπουδαῖαι, quas conſtat ludicris ex diametro aduerſari. Atq; ita hæc verba, ἑκάστῳ δ᾽ ἡ κατὰ τὴν, &c. cum iis, quæ infra δοκεῖ δ᾽ ὁ εὐδαίμων βίος, ſunt copulanda. Nam prioribus quidem hoc maxime agitur, vt doceatur, beatam vitam eſſe in actionibus virtutum: poſterioribus non eſſe in ludicris, priorum argumento, quia ſit in virtutis actionibus, quas conſtat eſſe σπουδαίας & ſerias.

καὶ γὰρ ἄτοπον τὸ τέλος.] Altera ratio, cur beata vita non ſit in ludo, quia ludus non eſt τέλος. Formula:

Beatitudo eſt τέλος.
Ludus non eſt.
Ergo &c.

Aſſumtionem confirmat bifariam. Primum, quia ridiculum, ſtultum, puerile & abſurdum, ludi cauſa omnes vitæ moleſtias ſubire. Deinde, quia ludus eſt relaxatio quædam & animi recreatio, eſt ἀνάπαυσις & reqes. Quod & ſupra aliquoties iteratum *lib. 4 cap pen. lib. 7. cap. 7.* & Plato *in Philebo*, ἀνάπαυλα [vocabulum multo magis Heroicum & grauius] τῆς σπουδῆς ἡ παιδιὰ [relaxatio ſtudiorũ eſt ludus]. Iam vero notum eſt relaxationem eſſe alterius rei cauſa, nimirum ſtudiorum & actionum. Nam ea fere de cauſa requieſcimus, & nos relaxamus, vt melius & contentius poſteà ad labores & ſtudia noſtra perſequenda, velut recentes redire poſſimus. Formula:

Omnis relaxatio & requies eſt actionũ & ſtudiorũ cauſa.
Ludus eſt relaxatio.
Ergo eſt actionum & ſtudiorum cauſa, non eſt igitur τέλος.

Et hoc eſt quod eleganter Anacharſis, LVDENDVM, VT STVDEAS, NON STVDENDVM VT LVDAS. Quemadmodum Socrates, EDENDVM VT VIVAS, NON VIVENDVM VT EDAS. Sic Ariſtoteles hoc Anacharſis dicto propoſitionem illam, ludum eſſe ſtudij cauſa, cõfirmat. Illam vero relaxationes omnes eſſe ſtudiorum cauſa & melius agendi, cõfirmat eo, quod alioqui nullæ hominum perpetuæ poſſint eſſe actiones & labores, non temperati relaxationibus, ἀδυνατοῦντες δὲ &c. vt & ſupra *de cap. 4. & l. b. 9. cap. 9.* Nam quod *caret alterna requie &c.* Ex his perſpicuum eſt, non tantum infirmum eſſe argumẽtum illud à principum aut potẽtũ iudicio ſumtum, ſed & hoc, ꝙ initio allatum fuerat, ludicras actiones eſſe ex earum numero, quæ ſint per ſe, non propter alia, & hoc inq̃ eſſe falſum, quia iã cõſtet, luſus & relaxationes eſſe actionũ cauſa.

βελτίω τε λέγομεν.] Tertia ratio, cur beatitudo non ſit in rebus ludicris, quia ſit in melioribus, ſiue vt ait Ariſtoteles ἡ δὲ τοῦ βελτίονος κρείττων. Formula:

Beatitudo eſt in rebus melioribus.
At res ſeria ludicris ſunt meliores, & tam hominum, quã eius partium meliorum meliores quoque ſunt actiones & magis ſeria.

Ergo

Ergo beatitudo eſt in ſerijs, non in iocularibus aut ludicris actionibus.

ἀπολαύσειέ τ' ἄν.] Quarta ratio, quia & mancipia aut ſerui voluptatum quoque corporis participes & compotes eſſe poſſint, eaque re Ariſtoteles has voluptates vocat ſeruiles, ſupra *lib. 3. in fin.* Formula:

Serui ſunt participes & compotes voluptatum corporis, & id genus oblectationum.
Atqui ſunt expertes beatæ vitæ.
Ergo beata vita non eſt in voluptatibus corporis aut ludicris actionibus.

Propoſitio eſt nota. Aſſumtionis ratio indicatur his verbis, εἰ μὴ καὶ βίου &c. Ex Ariſtotelis ſententia & decretis, in ſeruos non cadit beatitudo, quia nec vita, quæ particula ſatis eſt obſcura. Nam alij intelligunt vitam beatam, alii vitam virtuti conſentaneam, vt Euſtratius & Argyropylus. Poſſet & abſolute dici, ſeruos eſſe vitæ expertes, non quidem ζωῆς [ſunt enim animantes] ſed βίου. Nam vt eleganter Iuriſconſulti, *ſerui pro mortuis & pro nullis habentur*, quod ad vitam ciuilem attinet. *lege quod attinet. Digeſtis de Reg. iuris*: ſententia tamen Ariſt. hæc eſt, in ſeruos non cadere beatitudinem, hac ratione, quia virtutis actiones eorum ſunt nullæ, in quib. tñ beata vita conſiſtit. Cur autem ſeruorum nulla ſint recte facta, ratio redditur ab Ariſtotele *in Polit. lib. 7. cap. 13.* hoc prouerbio, quia οὐ σχολὴ δούλοις, *non eſt ocium ſeruis*, quia cum alieno pareant imperio, non poſſunt ipſi rebus honeſtis vacare, qua de re ibi copioſius, &c.

CAPVT VII.

COMMENTARII.

Εἰ δὲ ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία κατ'.] De argumẽto dictũ priore capite: hic & proximo docet, qua in re cõſiſtat pfectiſſima beatitudo. Docet igitur eam conſiſtere in contemplatione, id eſt, mentis actione, idque nouem argumentis, non pluribus aut paucioribus, quantumuis varient interpretes. Ex qua diſputatione & hoc fiet perſpicuum, cõtẽplationẽ actioni, id eſt, vitã Theoreticam practicæ multis partibus antecellere. Qua de re extat

 grauiſſi-

grauiſſima diſputatio apud Platonem,& ipſum Ariſtotel. *lib.* 7. *Polit. cap.* 2. Quod idem Cicero de Peripateticis ait, eos contemplationi priores partes tribuere *in libb. de legibus*. Ciceronis enim argumenta valde leuia, præfert practicum, affert aliquot argumenta *lib.* 1. *Offic. in fin.*

εἰ δ᾽ ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία.] Admirabilis eſt in Ariſt. diſputationum contextus & ſeries. Primum namque poſito, beatitudinem eſſe non in habitu, ſed in actione: deinde etiam hoc poſito, eam eſſe in actionum genere, nō quæ propter aliud, ſed quæ per ſe: poſtea explicato, eam eſſe in actione, quæ per ſe, eaque ex virtute. Iam quia & virtutum plura ſunt genera, exquirit, cuius in virtutis actione eadem ſit collocanda. Ait igitur, rationi eſſe conſentaneum, beatitudo vt collocetur in præſtantiſſima virtute Quid ita? quia ex *libro primo*, & de ſenſu communi notum eſt omnibus, beatitudinem rem eſſe vnam omnium præſtantiſſimam.

αὕτη δ᾽ ἂν εἴη.] Oſtendit, quænam ea ſit virtus præſtantiſſima, idque ab habitu ſeu facultate potius. Nam conſentaneum eſt facultatis optimæ, optimam quoque eſſe virtutem, & optimam denique actionem. Quæ autem in homine facultas ſit optima, & nomine & proprietatib. deſcribit Ariſt. Ait eam eſſe mentem, aut ſi alio dicatur nomine, vt à Platone νοερὰ ψυχὴ, intelligens anima, eſſe certe quiddam, quod reliquis partibus imperet & dominetur, & quo res præclaræ ac diuinæ intelligantur, ſiue rurſus ipſum dicatur eſſe diuinum quiddam, diuinæ particulam auræ, vt quidam exiſtimarunt, ſiue dicatur & ſit omnium, quæ ſint in homine partium, pars diuiniſſima, vt Ariſtoteles exiſtimauit, qui naturam mentis non diuinam eſſe arbitratus eſt, ſed vi & poteſtate tamē tanquam diuinam. Nam vere diuina à corporibus ſunt ſeiuncta, mens non item. Qua de re proximo capite. Sit igitur qualicunque nomine, tamen præſtantiſſimum in homine, & præſtantiſſima vis ac facultas, nimirū, quæ dominetur libidini, iræ, reliquis animæ partib. & intelligat diuiniſſima quæque, efficietur, vt quia huius facultas eſt præſtantiſſima, virtus quoque ſeu habitus & actio tandem eiuſdem ſit generis, id eſt, præſtantiſſima: atque ita ſequetur, in mentis actione, vt perfectiſſima collocandam beatitudinē perfectā. Ex his intelligitur, eam in homine partē eſſe præſtantiſſimam, quæ & cæteris dominetur, & qua res præclariſſimæ cognoſcantur, ſiue ea mens, ſiue alio gaudeat nomine:

ſiue

ſiue ea ſit diuinum quiddam, ſiue inter omnes partes diuiniſſima, & diuinis proxima. Quæ facultas, quia eſt præſtantiſſima, & actionem eiuſdem generis eſſe oportet, in qua ſita ſit beatitudo perfecta Hanc autem actionem non in agendo aut efficiendo, ſed in contemplando eſſe poſitam, eſſe contemplatricẽ quandam actionẽ, *ſupra* dictum monet *lib. 6. c. 2.*

ὁμολογούμενον δὲ *τοῦτ'.*] Hoc tandem loco orditur argumenta Ariſtoteles, quibus docet, perfectam beatitudinem eſſe actionem in contemplando. 1. Argumentum h. eſt, quia contemplatio ſit actio vna omnium præſtantiſſima. Quid ita? quia & ſit facultatis p̄ſtantiſſimæ, & in reb. p̄ſtantiſſimis. Contemplatio eſt mentis, q̃ conſtat eſſe rem p̄ſtantiſſimam: eadem rerum ſub intelligentiam cadentium *τ̃ νοητῶν*, q̃ multis partib⁹, alijs rebus antecellunt. Iam ratum ex prioribus, eas eſſe præſtatiores actiones, q̃ & ex facultatib. & rebus ſubiectis, optime vtriſque affectis proficiſcantur. Contemplatio igitur, quia & mentis eſt & rerum ſub intelligentiam cadentium, actio eſt merito præſtantiſſima. Ergo in ea eſt beatitudo. Ratio connexi iam eſt explicata, & *initio huius capitis & capite priore, & li. 1.* Quod autem hic leuiter de mente, idem copioſius *infra h cap.* explicatur, eſſe eam rem prope diuinam.

ἔτι δὲ *συνεχεστάτη* ſcil. *ἐνέργεια.*] Altera ratio, quia contemplatio actio eſt maxime diuturna, multo certe diuturnior, quã actio ſeu *πρᾶξις*. [*ἐνέργεια* eſt genus, partiuntur in *πρᾶξιν* & *θεωρίαν* Græci. Latine non poſſumus, etſi *πράξεως* apud Græcos quoq; genus eſt & ſignificat *ἐνέργειαν*] cuius rei ratio ab Ariſt. p̄termiſſa, h. c eſt, quia in contẽplando minor eſt defatigatio & labor q̃ in agendo. Quid ita? quia contemplatio à corpore ſit remotior, cuius de corporis *συμπάθεια* cum exercendo mutatur, & de ſtatu ſuo quaſi dimouetur, exſiſtit omnis defatigatio. Adeo .a. hoc verum eſt, vt niſi contemplatio phantaſmatis & viſis niteretur, quæ corporis organis concipiuntur, nullũ vnq̃ laborem aut laſſitudinem ſit ſenſura, neq; vnquam interrumpenda. Sic vbi nõ corpus, ibi nõ defatigatio. Itaq; quia cõtemplatio mentis potius q̃ corporis, nõ defatigationi eſt obnoxia. Interrumpitur contemplatio, quia vtitur phantaſmatis. *πρᾶξις* plurium de corpore participat, quod quia defatigat̃, actiones non tam diuturnæ quam contemplatio. Eſt & altera ratio, cur contemplatio actione ſit diuturnior, & minus interrumpatur iſta, quia contemplatio intra ſe vertatur, actio regatur occaſio-

nibus. Qui cōtēplatur, ex ſeipſo fere ſolus pendet. πρακτικὸς & tēpora & cauſas & perſonas, & loca obſeruare debet. Formula:

Actio, quæ maxime diuturna, ea eſt præſtantiſſima, quia diuinæ ſimilima.

At contemplatio diuturnior eſt quam praxis, ſup. cap. 4.

Ergo contemplatio actione eſt præſtantior.

οἰόμεθά τε δεῖν ἡδονήν.] Tertia ratio, quia contemplatio ex omnibus virtutū actionib. eſt iucundiſſima actio. Nam cū ſuarum quæq; virtutū actiones ſuā coniunctā habeant voluptatē, quod ſupra docuimus, ſapientiæ certe virtutis præſtantiſſimæ, ſ. *lib. 6.* actio præſtantiſſima contemplatio habet voluptatem coniunctam, & ſinceritate atq; ſtabilitate cæteris præſtantem. Sinceritate quidem ratione materiæ: ſtabilitate vero, ratione rerū, in quibus verſatur ſapientia, quas res ſupr. *lib. 6.* docuimus eſſe ſtabiliſſimas, neq; variari & mutari inſtar rerū politicarum [Res, in quibus ſapientia & mens verſatur, ſunt diuinæ fere diuturnæ: & proinde earum voluptas & actio eſt ſtabilior: merito itaque dicimus, voluptatem manantem ex hac virtute, ſapientia, reliquarum virtutum actionibus antecellere: hoc volumus oſtendere, contemplationem eſſe actionem iucundiſſimam.] Voluptas igitur ex contemplatione manans, multis partibus antecellit ei, quæ ex actione reliquarum virtutum. De hac re & infra hoc cap. in fine ratio adfertur alia, cur contemplatio actio ſit iucundiſſima.

τῷ λεχθέντι πρότερον.] Hæc ratio alia affertur, quia hominis ea maxime ſit propria. Maxime autem eſſe propriam, ex eo perſpicitur, quod ea pars, in qua eſt contemplatio, id eſt, mens, maxime ſit homo, qua de re & ibi & ſupra latius. Iam conſtat ex *cap. 4.* ſuas & proprias voluptates alienis eſſe maiores. Itaq; contemplatio actio eſt vna omnium iucundiſſima. Ergo beatitudini maxime propria, cuius hanc docuimus ſupr. *lib. 1.* eſſe notam, eam eſſe actionem iucundiſſimam.

εὔλογον δὲ τοῖς εἰδόσι.] Hoc velut additamēti loco ſeu ἐκ περιουσίας adiicitur, nimirum cum omnem contemplationem iam conſtet eſſe actionem voluptate iunctam, maiorem tamen eius eſſe voluptatem, qui ſcientiam iam ſit conſecutus, quam eius, qui etiam non quærat. Docti igitur contemplatio erit iucundior, quā ſtudioſi, vtriuſq; tamen iucunda, & voluptate iuncta.

ἥ τε λεγομένη αὐτάρκεια.] Quarta ratio ex αὐταρκείᾳ tota ſumitur: αὐτάρκεια Latine dici poteſt *ſatis*, ſeu *quod ſatis*, barbare

ſuffi-

ſufficientia, [Galli eleganter dicunt, etiam Itali *contentamentum.*] quæ eſt bonorum ea copia, vt nihil præterea ad bene viuendum deſideretur. Docuimus autem ſupr. *li.1. c.7. & ſeq.* & hanc eſſe beatitudinis notam, beatum debere eſſe αὐτάρκη, ſe ipſo contentum, cui ſit ſatis. Sit igitur hæc formula:

> *Beatus eſt αὐτάρκης.*
> *At θεωρητικὸς magis eſt αὐτάρκης, quam πρακτικὸς.*
> *Ergo hoc ille magis eſt beatus.*
> *Ergo in θεωρίᾳ & contemplatione magis verſatur beatitudo, quam in actione.*

De propoſitione, vt dixi, explicatum ſupra. De aſſumptione & hic & infra *cap. prox.* δόξειε δ' ἂν καὶ τῆς, &c. & *eod. cap. inferius,* δεήσει δὲ καὶ τῆς &c. quæ tria loca perſpicuitatis & breuitatis cauſa coniunctim explicabimus. Eſt autem inſignis hic locus de bonorum copia externorum, quæ & quanta beato ſit neceſſaria, de quo & ſupra nonnihil *lib.1. cap. 8. extrem & lib.7 cap.13.* & copioſe Alexander *lib.2. de Anima* & Ariſtoteles *lib.7. Politic. cap.1.* Cic. *lib.4 & 5. de Fin. & 5. Tuſcul.* Ariſt. bona externa & cõtemplationi & actioni ait eſſe neceſſaria, ſed huic maiora, illi pauciora, quin etiã per ſe conſideratę contemplationi nulla eſſe neceſſaria, ſed tantum qua ratione is, qui contemplatur, eſt homo, nõ ratione contemplationis. Practicæ igitur vitæ bona hæc eſſe neceſſaria, & alienis adiumentis illi eſſe opus, docet hunc in modum. Nam iuſtum, niſi quem habeat, quo cum actiones iuſtas exerceat, quo cum res contrahat, & rurſus cui ſi quid ab eo acceperit, tantundem reddat: niſi, inquam, ille, aduerſus quem, & hæc, per q̃ ſuppeditent iuſte agere non poterit. Sic & temperans, niſi ſit, in quo temperantiæ actiones exerceat & declaret, ſciri non poteſt, an ſit temperans: verbi grat. homo tenuis, quique nullam luxuriæ occaſionem habeat, vere vix poteſt cognoſci, an ſit temperans: contra, qui in potentia, & in imperio, & opibus eſt, hic ſi ſe contineat, vere temperans dici poteſt. Quemadmodum Cicero de Pompeio *lib. 2. de Fin.* magnam illi gratiam habendam cenſeat, qui cum impune multa poſſit, tamen nulla faciat inique, quod & præclare Plato *libro primo de legibus,* iuſtitiam & temperantiam diſſimiliter ſe habere. Nam illam in re tenui, hanc in copioſa & rerum affluentia cerni, iuſtum eſſe, qui in ſumma inopia tamen neminem fraudet, [egeſtas mater ſcelerum & iniuſtitiæ,] temperans, qui in ſumma rerũ copia, tamẽ non luxuriet. Sic & libera-

liberalis, niſi ſint, aduerſus quos liberalitatem exercere poſſit, & etiam quorum opera interdum vti poſſit, atque adeo niſi & copiæ ſuppeditent, an ſit, cognoſci non poteſt. Eadem eſt & omnium virtutum, eiuſq; congruentium actionum ratio, nullæ vt ſint, aut certe cognoſci nequeant, niſi hæc externa & hominum adiuuantium, & vna contrahentium, atq; rerum & copiarum aſſint adiumenta. Verum quidem eſt, iuſtos, liberales, temperantes, &c. Vno verbo viros bonos non tantum ex factis & actionibus, ſed etiam ex voluntate & animo ſeu προαιρέσει ſpectandos eſſe: & quæri ſolet ad hoc, vt quis ſit & dicatur vir bonus, in vtro, id eſt, in factone, an in animo plus ſit ponendum. De qua quæſtione Ariſtoteles *lib 2 Eudem. cap. ult.* & reuera plus quidem in voluntate & προαιρέσει eſt poſitum, ſed opinione & vulgi cenſura plus in facto, quod factum in oculos incurrat & cernatur, προαίρεσις non item. Atq; ita facta ſunt, inquit Ariſtoteles eleganter, laudabiliora ἐπαινετώτερα, voluntas & προαίρεσις eſt optabilior ſeu ἐπαινετώτερα. Quicquid ſit, conſtat ad perfectionem viri boni vtrumque eſſe neceſſarium. Iam igitur conſtat ad agendum his externis adiumentis eſſe opus beato: Ad contemplandum vero neque adiutoribus, neque rebus magnopere opus eſſe, docet. De adiutoribus quidem hic, quia & ſolus quis, nullo adiuuante contemplari poſſit, etſi hoc mitigans nonnihil adiungit, melius fortaſſe contemplaturum adhibito adiutore, vt Doctore vel adminiſtro. Hoc tamen certum eſt, ſapientem, cuius eſt contemplatio, minime adiutore egere, eoque minus, quo ſit doctior. De rebus *infra cap proximo*, eas illi non eſſe opus ratione contemplationis, ſed humanitatis tantum, quia ſit homo, & propterea corpore debeat eſſe apto ad contemplandum ac ſano, & cibis ac potione, alijſq; ad humanitatem & conſuetudinem quoque cum alijs, (nam hanc non fugiet prorſus, alioqui futurus vel Deus, vel beſtia, Ariſtoteles *libr. 1. Polit.*) colendam neceſſarijs, πρὸς ἀνθρωπεύεσθαι, inquit Ariſtoteles, ſapienti hæc ſunt neceſſaria, non ad contemplandum. Nam contemplationi tantum abeſt, vt hæc ſint adiumento, vt potius ſint impedimento. Itaque & vir bonus & ſapiens his quidem adiumentis opus vterq; habet, ſed diſſimiliter. Nam vir bonus ad agendũ, alter non item, ſapiens non idem Ex his iam perſpicuum eſt, ſapientis vitam eſſe αὐταρκεστέραν quam viri boni. Deinde vtrique externis bonis, quib & ea, quæ corporis, hic continentur,

eſſe

Digitized by Google

eſſe opus. Verũ quæritur, an multis & magnis, an vero mediocribus & viro bono & practico ſit opus, i. an maxima bonorũ copia ad beatitudinẽ practicã ſit neceſſaria, an ſatis ſit mediocris, q̃ explicatur *eod. c. 8.* *οὐ μὴν οἴη δέον*, &c. & *in Polit. lib. 7.* & quidem non magnam, ſed mediocrẽ bonorũ copiã vitæ beatæ eſſe neceſſariã & vtiliorẽ, docet hac ratione: primũ, quia ſatis ſeu *αὐτάρκες*, non in magnitudine *ὑπερβολῇ*, magna rerum & bonorum copia, vt neq; iudicium, neq; actio. Notum eſt beatitudinis notam eſſe *αὐτάρκειαν* ſeu ſatis. Atqui ſatis non magnitudine definitur, ſed eo quo quis eſt contentus etiam minimo. Ergo bonorum magnitudo aut multitudo externorum beato non eſt neceſſaria. Altera ratio poſita eſt in verbo *πρᾶξις*, & explicatur poſtea his verbis, *δυνατὸν γὰρ καὶ μὴ*, &c. quia actiones honeſtæ & præclaræ, virtutum, inquam, facta item non æſtimentur magnitudine bonorum. Nam cernere licet quotidie, & in vita communi, multos etiam priuatos tam honeſte ſe gerere, quam potentes & opulentos, atq; adeo ſæpe honeſtius, quia opulentia ſeu opes, id eſt, principatus & imperia, vt & diuitiæ non tam modeſtos ſæpenumero, quam inſolentes reddant. Si igitur magnitudo bonorum ad actiones virtutum, in quibus beatitudo conſiſtit, non eſt neceſſaria. Ergo nec ad beatitudinem, vt quæ in illis, quod iam dixi, conſiſtat. Antecedens perſpicuum eſſe dixi ex vita communi. Quod quidem argumentum in his diſputationib. ſæpe diximus eſſe maxime idoneum. Nam diſputationes politicas ſi à rebus ipſis & vita communi prorſus abhorreant (cuius generis fuerunt Stoicæ plæræq; & nonnullæ Platonicæ) vanas eſſe & inutiles, atq; adeo fide indignas. Nam cum harum diſputationum finis ſit non cognitio, ſed actio, cum, inquam, vis omnis earum ſit in actione, merito & veritas & fides earum, atq; rerum agendarum ex actionibus & factis, atq; ex vita communi ſpectari debent, eoq; pertinent hæc verba paulo infra licet poſita, *πίστιν μὲν οὖν*. Eſt & tertia ratio, ab authoritate ſapientum Solonis & Anaxagoræ, qui vterque non magnitudine, ſed mediocritate bonorum & recte facta & beatitudinem æſtimarint. Verba & dicta eorum hic ab Ariſt. commemorãtur. Solonis quidem dictum de Mediocritate laudatur & *lib. 1. Politic.* & à Plutarcho *in Solone.* Anaxagoræ vero in eos; qui propter bonorum copiam externorum vel diuitias, vel opes, [id eſt, imperia,] beati ſibi præter cæteros videantur, & alios contemnãt, commemo-

rat

ratur & ab Ariſt. *in Eude.* Ex his perſpicuum eſt, beatitudinem non magnitudine ὑπερβολῆς, [hoc loco non valet nimium, vt quidam vertunt] ſed mediocritate potius bonorũ externorum æſtimandam. Quin etiam docet Ariſt. *lib. 2. Magn. cap. 3. in fin.* nimiam horum copiam rectis actionibus potius nocere quam prodeſſe, quod & nos ſupra alicubi explicauimus de differentia inter bona externa, & bona animi, ex *cap. 8.* hæc enim ſunt coniungenda, οὐδ᾽ ἡ κρίσις, id eſt, ne iudicium quidem in bonorum magna copia cernitur, id eſt, ſiue non continuo bono putandi ſunt iudicio, qui id genus bonis abundent, vt nec αὐτάρκεις, neque boni: ſiue quod iudicium non ſit faciundum ex bonorum multitudine more vulgi: qui ex rebus externis, vt quas ſolas norit & ſentiat, iudicare conſueuit, & hoc eſt, quod ait, ἴσως γὰρ κρίνουσι, &c. vbi de dicto Anaxagoræ. Cæterum de hac quæſtione, id eſt, de bonorum copia, ad beatitudinem neceſſaria, alias latius *in Politicorum libro 7. in principio.*

δόξειε δ᾽ ἂν αὐτή.] ſcilicet ἐνέργεια θεωρητική. Quinta ratio, cur perfecta beatitudo in contemplatione verſetur, quia contemplatio propter ſe ſola expetatur, actio non item. Nam contemplatio non commodi alicuius externi, ſed ſua ipſius cauſa fit, intra ſe tota vertitur. Nam tametſi & contemplationum ſiue ſcientiarũ theoreticarũ magnus eſt ſæpe vſus: ſic ẽt ſciẽtiarum theoreticarum magnæ vtilitates & opportunitates, vt Phyſicæ, Mathematicæ, &c. id tamen accidit iis potius, quarũ proprium eſt, & vtilitates hæ earum ſcientiarũ ſunt velut aduentitiæ comites, nõ neceſſariæ proprietates. Alia eſt ratio rerũ agẽdarum & ſcientiarũ practicarũ, quarum vis omnis & natura ad vſum vitæ humanæ ſpectat, vt & ipſa earum actio ſeu praxis, vnius magis, alterius minus. Si igitur contemplatio propter ſe magis expetitur, actio propter aliud. Ergo hac illa eſt præſtantior, & proinde non in hac, ſed in illa collocanda eſt vera beatitudo.

δοκεῖ δ᾽ ἡ εὐδαιμονία.] Sexta ratio, q̃a cõtẽplatio ſit otioſa, actio negotioſa. Ergo hac illa magis propria eſt beatitudinis, magiſq; accõmodata. Ratio connexi: quia beatitudo eſt in otio & quiete. Quid ita? quia beatitudo eſt τέλος, vt & otiũ. Nã otii cauſa eſt negotium. Negotiamur ſeu agimus otii & requietis cauſa, id conſecuti, cuius cauſa egerimus. Argumẽto ſit bellum & pax: nam bellum pacis cauſa geritur. Negotiũ igitur ſeu actio eſt otii & requietis cauſa, atq; ita otium eſt velut τέλος, eaq; re beati-

beatitudini magis accommodatum. Quod autem *ſupr.c.6.* dictum, luſiones & relaxationes eſſe actionum cauſa, ita accipi debet: luſiones quidem eſſe actionum cauſa, nimirũ vt melius poſtea repetantur actiones & perficiãtur. Illæ igitur relaxationes priores ſunt actionum cauſa, ſed ipſę tandẽ actiones pfectæ ſunt requietis & otii cauſa, atq; ita requies vna eſt prior actione perfecta, eaq; breuis: altera requies poſterior eſt actione perfecta & opere, eaq; diuturna. Beatitudo igitur eſt in otio potius & requiete, quam in negotio. Et hoc eſt, quod apud Cic. *lib.5.de Fin.* Democritus beatitudinem poſuit in animi quadam ſecuritate ac tranquillitate. Sciẽdum autem, vitæ ciuilis & actuoſæ duas eſſe ſummas partes, belli vnam, pacis alteram. Ariſt. & *hic & l.1.Polit.c.3 duo ſunt in omni vita tempora, belli & pacis.* Imperator Iuſtinian. *initio præfat. Inſtit.* vtiunq; eſſe negotioſum, turbis & tumultibus plenum, ab otio & quiete remotũ, oſtendit h.l. Ariſt. De vita quidem militari rem eſſe perſpicuam, eam eſſe & tumultu plenam, & nõ propter ſe, ſed pacis cauſa Nam eum qui bellũ gerat, non pacis & otii cauſa, ſed quia ipſum bellum ei ſit charũ & amet, ab hominis natura eſſe alienum, eſſe ſicarium potius quendã immanẽ & ſanguinariũ, ꝙ idem Cic. de bellum ciuile amante *13. Philip. Nam nec priuatos foces, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere, quam diſcordia, quam ciuium cædes, quam ciuile bellum delectat, eumq; ex numero hominum eijciendũ, ex finib. humanæ naturæ exterminandum puto.* Militaris igitur vita perſpicue & tumultibus eſt plena & otii cauſa. Eadem eſt & ciuilis vitæ ratio. Nam & hæc multis implicatur moleſtiis, atque odioſiſſimis negotiis, turbatum & tumultuum pleniſſima ἄσχολος, & alio ſpectat, nimirum ad opes & principatus & honores, beatam deniq; vitam, & ſibi & ſuis pariat. Quod & ſupr. *lib.1.cap.5.* docuit, vitæ politicæ honores tanquam ſcopum eſſe propoſitos, & *cap vlt.* aliiſque in locis ſæpe docet, Politici hoc eſſe munus, vt ciues reddat quam beatiſſimos, copiis omnibus & opibus florentes: ſed hæc beatitudo, quam ſibi ſuiſque parit Politicus, alia eſt ab ea, de qua hoc loco quæritur. Nam illa in agendo, hæc in contemplando cernitur: de illa totis his libris, de hac duobus his capitibus explicatur. Et hoc eſt, quod ait; τὴν γε εὐδαιμονίαν αὐτοῖς, &c. ἑτέραν οὖσαν: vbi loco verbi τῆς πολιτικῆς Euſtathius [Græcus Scholiaſtes] ſubſtituit τῆς θεωρητικῆς, quod certe Ariſt. agere hic videtur, atq; ita explicauimus.

Neq;

Neq; dum tamen locus perpurgatus erit. Quid enim ſibi hæc, ἑτέραν οὖσαν, & δῆλον ὡς ἑτέραν οὖσαν iterata verba ſibi volunt? Itaque hæc verba, ἑτέραν οὖσαν τῆς πολιτικῆς ἣν καὶ ζητοῦμεν, arbitror eſſe ſpuria, atque ita locum hunc legendum, τοῖς πολιτικοῖς δῆλον ὡς ἑτέραν οὖσαν, εἰ δὴ τῶν μὲν, &c id eſt, vita ciuilis parit beatam vitam, & ſibi & ſuis perſpicue aliam, ſcilicet ab ea, de qua hic agitur, quæ in contemplando, [δῆλον ὡς dicunt Græci, pro δήλως perſpicue.] Iam vero vitam contemplatricem eſſe otii & quietis amicam, omnium turbarum ac tumultuum expertem, vitæq; negotiis liberam, perſpicuum eſt. Quare & vulgo hoc genus vitæ otioſum vſurpatur. Et Virgilius *lib. 4. Georg. extremo*, ſe, dicit, ſtudiis florentem ignobilis otii. Et Cicero apud Lactantium *libro 3* [in Ciceronis operibus non extat.] *cap. 12.* ait, contemplationem repertam videri ad otii quandam oble-ctationem. Et Varro *in lib. de Philoſophia*, apud Auguſtinum *lib. 19. de ciuitate Dei*, vitæ genera facit tria, otioſum, negotioſum, & mixtum, qua de re nos paulo *infra*. Ex his iam perſpicitur, verum eſſe antecedens, id eſt, vitam in cõtemplando eſſe otii & quietis amicam: vitam in agendo non item. Ergo hæc illa beatitudini eſt cognatior & accommodatior, quam & ipſam initio docuimus eſſe quietam non turbulentam.

ἐν δὴ τῶν μὲν κατὰ τὰς.] Breuem hic facit priorum ſex rationum velut ἀνακεφαλαίωσιν Ariſtoteles. Nam, ſi, inquit mentis actio, contemplatio nimirum aliarum actionibus virtutũ antecellit, vt quia mens pars eſt princeps, & præſtãtiſſima, & eius actio maxime diuturna, intra ſe vertens ſeu nullius rei indiga, maxime iucunda, vt quæ ſemper iunctam habeat voluptatem, qua & ipſa amplificatur ſupr. *cap. 5.* ſe ipſa contenta, & otii ac quietis amica, merito in hac perfecta beatitudo erit collocanda. Quia, inquam, omnes notæ & conditiones beatæ vitæ maxime inſunt in cõtemplatione. ea re, in hac maxime collocãda videbitur beata vita, eaq; perfectiſſima, ſi tamen adiungatur & vitæ longitudo cõueniens & perfecta. Nam q̃ imperfecta & nõ ſatis plena, à beatitudine abhorrent, quæ beatitudinis ſunt propria, omnia ſunt perfecta, pro captu hominum, [quatenus humana natura patitur.] Quare & vitæ curſus perfectus beato erit neceſſarius, qua de re ſup. latius eſt explic. [Adoleſcẽs. n. ex Ariſt. ſentẽtia, q incipit cõtemplari, nõ eſt beat⁹.] *l. 1. c. 7. & 10.*

ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη.] Priuſquam pertexat diſputationẽ inſtitutam, qua doceat perfectã & veram beatitudinẽ in contemplatione

tione ſitam eſſe: hic interiicit comparationem vitæ theoreticæ & practicæ, quas duabus in rebus inter ſe comparat. Nam theoreticam eſſe diuinam, practicam vero humanam. Deinde de δόξειε δ' ἄν, &c. vtranque quidem opus habere bonis externis, ſed diſſimiliter. De hoc iam ſupra eſt explicatum, ἥ τε λεγομένη αὐτάρκεια. Nunc igitur de altero: & prius quidem, vitam contemplatricem eſſe diuinam, plus quam humanam, docet hac ratione, quia cōtemplatio ſit mentis, quæ natura quædam eſt diuina: ſiue, quia vitam in contemplando homo agat, non qua parte eſt homo, ſed quatenus in ſe diuini quiddam habet. Quod vt intelligatur, ſciendum, hominem, vt hominem proprie ſpectari ex corpore & anima, eſſe naturã ex his duabus rebus rebus conflatam & concretam, quam Ariſtotel. hic & paulo infra vocat σύνθετον. Præter hæc duo eſt & tertium quiddam in homine, ſed aduentitium, & quaſi peregrinum, quod Ariſtotel. vocare ſolet mentem ſeu νοῦν τὸν θύραθεν, id eſt, hominis minime proprium, cuius naturam Ariſt. vbique diuinam & immortalem eſſe ait. Itaque qua parte homo intelligitur, non eſt contemplatio, ſed ratione mentis, & proinde contemplatio ad hominem comparata, diuina quædam actio intelligi debet, vtpote mentis. Atque ita & vita theoretica cum homine & hominis propria vita comparata, nōn erit humana, ſed diuina potius. Nam vt eleganter Ariſt. quam multis partibus mens homini, totidem mentis actio & vita in ea poſita, humanis actionibus & vitæ præſtabit. Hic mentem ſeiungimus ab anima ex ſententia Ariſtotelis, mentem illam dicit emigrare ex corpore, & tranſmigrare in alia, multifariam ibi peccat Ariſtoteles.

χρὴ δ' οὐ κατὰ τούς.] Expoſito, vitam theoreticam eſſe diuinam, reliquum erat, de practica docere, eam eſſe humanam, quod priuſquam explicet, capta occaſione eos hic refellit, qui deterrēt homines à vita hac theoretica, ea tempeſtate multos, vt Socratem, de quo Plato *in Apologia*, Xenoph. *lib.3. & 4. de de dictis & fact. Socr.* Diogenes *in lib. de Natura*, teſte Simplic. *initio explanationum Ariſt. in lib.1. ἀκροάσεως Phyſ.* Iſocratem *in laudatione Helenæ*, & his antiquiorem Anaxagoram, de quo Ariſt. *lib.1. Metaph cap 2.* quorum prætermiſſis argumentis aliis, de quibus eo loco Xenoph. Euſeb. *in libris præparationis Euangel.* & Lactantius *lib.3. Inſtitut.* Vnum hic affert Ariſtoteles iſtud, quia hominem deceat humana, mortalē mortalia

ſapere & exquirere. Quo argumento vſum & Anaxagoram eo loco commemorat Ariſtot. Summa igitur argumenti & vis eſt hæc: quia ea, quæ ſupra nos ſint, non ſint cognoſcenda vel exquirenda. Ariſt. contra, quemq; potius id agere debere, vt diuina & immortalia quam ſtudioſiſſime perquirat & cognoſcat, & proinde vitam in contemplando poſitam, non eſſe abiiciendam, ſed ſummo ſtudio & inſtituendam & excolendam. Rationem adiungit hanc, quia ea vita parti noſtri præſtantiſſimæ ſeu principi, id eſt, menti, ſit maxime cognata & accommodatiſſima. Formula:

Ea vita, quæ meliori noſtri parti eſt accommodata, & ipſa eſt melior & magis excolenda: cui rei argumento eſt, quod vitam voluptuariam deteriorem eſſe dicimus vita temperata: quia illa animæ partem libidinē, hac rationem tanquā ducem ſequatur, & in ſua quæq; parte excolenda, ſeque illi accommodanda & conformanda elaboret.

Atqui vita theoretica hoc agit, vt optimā noſtri partem excolat.

Ergo eſt & laudatiſſima, & maxime expetenda.

Quod autem illi afferunt, hanc vitam non eſſe propriam, ſed alienam, & proinde abiiciendam aut deſerendā, quia ſua quiſq; curare debeat, non aliena. Et hoc vanum & falſum eſſe docet Ariſt. hac ratione, quia homo ea ſui parte maxime cernatur & æſtimetur, q̄ cæteris antecellit, vt *ſupr. l. 9.* docuimus. Quare cū mens hominis ſit pars prętantiſſima, merito hac maxime cenſeri & æſtimari debet, & propterea vita menti cōſentanea, non aliena, ſed maxime propria hominis exiſtimari debet. Et hoc eſt, quod ait, δόξειε δ' αὖ καὶ ἕκαστος, &c. Inſigne autem Ariſt. de mente obſeruandum eſt elogium, εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ, eam mole quidem & magnitudine eſſe paruam, ſed vi & dignitate cæteris omnibus præſtanrem. Quod docendi genus, quo dicimus, rem aliquam mole paruam, vi & poteſtate magnam, tanquam prouerbium obſeruabimus. Nam & *ſup. c. 8. l. 1. in fin. & l. 2. de ortu. & lib. 2. reprehenſ. Sophiſtar. cap. vlt.* rerum principia, ait mole, ὄγκῳ eſſe parua, ſed vi & poteſtate maxima. Et Cleomedes Aſtrologus *libro 1. de Terra,* eam ὄγκῳ eſſe paruam, ſed vſu & poteſtate magnam, &c.

τὸ λεχθὲν τε πρότερον.] Hoc ſupra explicauimus, οἰόμεθα δὲ, &c.

CAPVT

CAPVT VIII.

COMMENTARII.

Δευτέρως δ' ὁ κατὰ. Quod ſupr. monuimus, duo hæc capita perperam eſſe diſiuncta, pleniſſime perſpicitur ex diſputationis contextu. Nam confectis iis, quæ ad eorũ reprehenſionẽ pertinent, qui à contemplando deterrere conſuerint: hic redit ad inſtitutam theoreticæ & practicæ vitæ comparationem, qua primum docuit, theoreticã eſſe non humanã ſed diuinã potius vitam, eaq; re in hoc perfectam conſiſtere beatitudinẽ. Nunc de practica, eam eſſe humanã, eaq; re non primam ſeu principem, ſed ſecundam quaſi, & minus perfectã beatitudinem in hac eſſe poſitam. Eſſe igitur hanc vitam, quæ non in ſumma virtute, ſapientia, aut cõtemplatione, ſed in aliis virtutibus, quas morum dicimus & practicas, cernit', eam, inquam, eſſe humanã, docet tribus rationibus: I. hæc eſt, quia facta virtutibus congruentia, iuſta, fortia, liberalia, &c. ſint humana, quod perſpicuum eſt ex rebus contrahendis, in quibus iuſtitia: ex rebus bellicis, in quib. fortitudo: ex donis & muneribus, in quibus liberalitas, &c. quæ omnia perſpicue ſunt humana, & ad homines pertinẽtia. Neq; enim beatarum & cœleſtium animarum vel vlli ſunt contractus, bella, &c. qua de re paulo infra. II. ratio, ἔνια δὲ καὶ συμβαίνειν, &c. quia virtutum facta, & virtutes ipſæ plæræque ex corpore manant, id eſt, ortum habent etiam ex corporum conſtitutione & temperatione. Nam pro corporum diſſimili conſtitutione & craſi, alii ad iuſtitiam, alii ad temperantiam, alii ad liberalitatem ſunt magis propenſi & procliuiores. Quas procliuitates vocant virtutes naturales, ſeu natura inſitas, de quibus explicatum ſupra *libro ſexto, capite vltimo.* Iam quæ corporis, ea certe non diuina, ſed humana exiſtimari debent. III. ratio, καὶ πολλὰ συνῳκειῶσθαι, &c. quia virtus morum (non vero virtus mentis ſeu rationis, excepta prudentia, de qua mox) magnam cum perturbationibus cognationem & affinitatem habeat, quia perturbationibus ſit cognata & coniuncta. Formula:

Virtus morum ad perturbationes pertinet.
Ergo eſt humana.

Ratio cõnexi hæc eſt, qa pturbationes ſunt in parte animi ὀρεκτικῇ: at q̃ animi, omnia ſunt humana Nã homo eſt natura ex anima & corpore cõſlata. Antecedẽs, nimir. magnã cognationẽ

eſſe virtuti cum perturbationibus, notum eſt ex *li. 2.* vbi docuimus, virtutes morum poſitas eſſe in perturbationib. moderandis & regēdis. Hinc perſpicuū eſt igitur, quia ad perturbationes pertineant virtutes morū, has nō eſſe mentis ſeu primæ huius particulæ, ſed totius potius naturæ ex animo & corpore concretæ. Nam, vt dixi, perturbationes ad ὀρεκτικὸν pertinent: quæ cum ipſa eſt pars animi, tum plurimum trahit à corpore. Merito igitur hæ morum virtutes ſunt humanæ, vtpote cum hominis partibus copulatæ & coniunctæ, & proinde vita quoque his virtutibus conſentanea, atque ipſa beatitudo ex his virtutibus manans, erunt humanæ. Mentis autem beatitudo diuina, quia mens nihil habeat commune cum corpore, ſed natura ſit plane ſimplex & pura, & ab omni corporis admixtione libera atque ſeiuncta. Sed exquiſitior de mentis puritate, & à corpore ſeiunctione tractatio non eſt huius loci, de qua *lib. 3. de Anima.* & hoc eſt, quod ait, ἡ δὲ τοῦ νοῦ κεχωρισμένη, &c.

συνέζευκται δὲ καὶ ἡ.] Adiungit hic Ariſt. de Prudentia, quæ etſi eſt virtus rationis, tamen ad virtutes morum pertinet, & his illa, & contra illi hæ ſunt implicatę, altera alterius poſcit opem, & cōiurat amice, tradunt operas mutuas virtus morum & prudentia. Neq; enim virtus morum abſq; prudentia, neque hæc abſq; illa eſſe poteſt. Virtutis morum veritas & rectitudo eſt in prudentia, prudentiæ in virtute, quod hic attingitur, & late eſt explicatum ſupr. *lib. 6 cap. penult. & vlt.* Etſi igitur prudentia virtus eſt proprie nō morū ſed rationis, quia tamen maximam cum virtute morum cognationē habet & neceſſitudinē, vt iam dictum, ea re Ariſt. hoc loco & de prudentia adiunxit, & explicandum putauit. Ex qua quidem neceſſitudine docet, & prudentiam eſſe virtutem humanam, quantumuis in ratione poſitam. Quid ita? quia virtuti morum maxime cognata & implicata, atque in rebus quoque humanis verſetur. Nam rerum & actionum humanarū virtus morum ſcopum & finem, prudentia ea quæ ad finem, curat, ſupr. *lib. 6. cap. pen. & vlt.*

δόξειε δ' ἂν καὶ τῆς.] Altera comparationis pars, de qua explicatum, & modo monuimus ſupr. ἥ τε λεγομένη αὐτάρκεια, &c.

ἡ δὲ τελεία εὐδαιμονία.] Confecta & abſoluta comparatione, redit ad principem ſeu primam diſputationem, & ad rationes, quibus doceat perfectam beatitudinē in cōtemplatione collocandam. Et hoc eſt quod ait, καὶ ἐντεῦθεν ἂν φανείη, &c. i. quod ſupr. inſtituimus, perfectā beatitudinē in actione theoretica cerni,

vel

vel hinc quoq; perſpicuum fiat. Affertur igitur hic 7. ratio, quia actio theoretica Dei actioni ſit gemina & maxime cognata. Ergo ad beatitudinem aptiſſima & accommodatiſſima. Antecedens partitione confirmatur & explicatur. Eſt autem locus hic de opere & munere, ſeu de actione Dei præclariſſimus, de quo & apud Cic. *in Hortenſio*, cuius verba adducit B. Auguſtinus *libr. 4. de Trinitate.* [liber Ciceronis Hortenſius Philoſophicus periit.] *Si nobis cum ex hac vita, &c.* & *lib. 3. de Natura Deorum: qualem autem Deum intelligere poſſumus, &c.* & apud Sextum Empiricum *lib. aduerſus doctrinas, cap. an ſint Dij, &c.* [quidā Gallus vertit aduerſus Mathematicos, perperam, vertit hunc librū Latine ille Gallus barbarus, eſt monachus quidam, multa vertit & peruertit, omnes peſſime & deprauiſſime, Clementem Alexandrinum, Auguſtinum. Scit Græce, vt Magiſtelli in ſcholis, myſteria Græca non tenet, doctiſſimi Theologi deberent vertere.] de quibus locis paulo infra:

> *Omnis ἐνέργεια ſeu opus & munus* [non poſſumus aliter Latine dicere, dicitur tamen & officium.] *vel eſt contemplatio, vel actio, vel effectio.*
>
> *Atqui Deorum munus & opus neq; eſt actio nec effectio.*
>
> *Ergo eſt contemplatio.*

Nam aliquod eſſe eorum opus & munus, docet Ariſt ἀλλὰ μὴν ζῆν τε πάντες, ex communi hominum ſenſu & opinione, qui vno ſenſu omnes exiſtiment ac dicant Deos viuere, & quidem vitam immortalem. Si viuunt, inquit Ariſt. Ergo vel habent aliquid muneris, vel perpetuo dormiunt & quieſcunt, inſtar Endymionis, de quo Eraſ. *in prouerb.* At hoc abſurdum, vt Deus ſomno perpetuo torpeſcat, non eſſet hoc viuere, ſed mori potius. Nam ſomnus eſt mortis frater. Habent igitur aliquid muneris. Hoc igitur poſito, nunc videamus, quod Deorū ſit opus ac munus, & redeamus ad formulam modo allatam, cuius propoſitio ſatis eſt nota. Difficultas omnis eſt in aſſumptione, eam Ariſtoteles confirmat hunc in modum. Et primum quidem Deorū opus & munus non eſſe actionem, inductione quadam oſtendit. Notū eſt, actiones proprie eſſe virtutū. Iam vero neq; iuſtitiæ opera, neq; aliarū virtutū vlla apud Deos reperiūtur. Iuſtitiæ quidē, quia nullæ ſunt apud Deos res contrahēdæ, [non litigatur ibi, non fiunt teſtamēta] temperātiæ, quia nullæ refrenandę voluptates: fortitudinis, q̄a nulla pericula aut bella: prudentiæ, quia nulla ibi deliberatio, vt quæ de rebus tantū ſit

ambiguis aut obſcuris, quæ nullæ ſunt apud Deum: liberalitatis, quia nemo ibi ſit, in quem beneficia conferantur, nullæ pecuniæ quæ dentur. Breuiter, opera hæc & munera ſunt viliora & humiliora, quam quæ in diuinam maieſtatem cõueniant, & hoc eſt, quod ait, διεξιοῦσι δὲ πάντα. Eadem inductione idẽ confirmauit & Cic. & Sextus Empiricus iis locis, ſed alio conſilio, nimirum vt hac ratione docerent, nullos eſſe Deos, quia nullæ apud eos ſint virtutes. Quem Cic. locũ *li.3. de nat. Deor* non ex hoc Ariſt. vt putat Muret. *l.7. var. lect. c.22.* eumq; probat hic Lambinus, ſed ex Stoicorum aliorumq; ſui temporis Philoſophorum diſputationib. quas pene ad verbum exponit Empiricus in eadem re, qua Cicero, expreſſum eſſe dico. Alterũ vero illum in Hortenſio hinc ſumptum vel adumbratum exiſtimo. Nam vt hic Ariſt. Deorũ, ita eo loco Cic. hominũ beatorum quia opus & munus non ſit actio, docet eſſe contemplationem. Sic enim ait: *Vna igitur eſſemus beati cognitione naturæ & ſcientia, quæ ſola eſt etiam Deorum vita laudanda* Deorum igitur munus & opus non eſt actio, quia nulla apud eos morũ eſt virtus, vtpote humilior & abiectior, quam q̃ in Deum conueniat. Nam ſi præſtantium virorũ virtutes ſunt quædã, non illæ morum, ſed pſtantiores quædã, quas heroicas ſup. vocat Ariſt. *init. lib.7.* multo certe iuſtius eſt, & Diis præſtantiores quaſdã virtutes tribuere, quam ſint hæ morum, quas humanas dicere ſolemus. Si Deorũ opus & munus nõ eſt actio propter humilitatẽ, Ergo multo minus erit affectio, quæ actione multis partib. eſt abiectior & ignobilior, ἐνέργεια prorſus operaria & opificum propria, reliquũ eſt, vt ſit contemplatio. Ad hunc modũ Ariſt. & Philoſophi. Nos Chriſtiani aliter didicimus, qui omnium, etiam moralium virtutum actiones Deo tribuendas cenſeamus, vt quæ non tam ex noſtris viribus, quam ex Dei munere ſint aptę, atq; ita non tam ignobiles & abiectæ ſint exiſtimandæ, vt putauit eſſe hominum, recte tamen & conuenienter ſuæ diſciplinæ Ariſtot. qui res humanas non diuina vi & poteſtate, ſed humana præſentia adminiſtrari exiſtimarit.

σημεῖον δὲ καὶ τὸ μὴ.] Octaua ratio, q̃ a beluæ beatitudinis prorſus ſint expertes, quę ratio vt intelligatur, ſciendũ, verbũ beatitudinis tam eſſe ſplendidũ & auguſtũ, vt in nullã proprie naturã cõueniat aliam, quam in diuinam. Vulgo namq; Deum ſolum & animas cœleſtes hoc nomine dignari conſueuimus, eaq; re recte Ariſtot. ſupr. *lib.1. cap.12.* docuit, beatitudinis epitheton

non

non eſſe laudabile, ſed τίμιον, ſeu honoratum. Nemo enim, inquit Ariſt. *in Eudem. libr. 1. cap. 7.* vel equum, vel auem, vel piſcem, vel eius generis omnia, quæ nihil in ſe diuini habeant, beata dicere ſolet. Proprie igitur beatitudinis appellatio diuinis naturis tribui ſolet, adeo vt ne homini quidem proprie tribuatur, aut de eo dicatur, ſed ſimilitudine tantum quadam, nimirum quatenus cum Deo cognationem & ſimilitudinē quandam habeat. Ea autem ſimilitudo homini eſt in mente. Nam reliquarum ratione partium, ad beluas accedit, aut certe ſuam propriam naturam cōſtituit, & à beluina & à diuina diſiunctā. Quare contemplationis ratione beatitudinē participat, q̄ contemplatio proinde quo maior fuerit, vel minor, eo & maior vel minor erit cum Deo ſimilitudo & beatitudinis communicatio. Qua etiam re fit, vt cum Dei perpetua ſit & interrupta contemplatio, vt & beatitudo eius ſit perpetua & ſincera, & omni ex parte perfecta ac beata: hominis autem contemplatio quia ſæpe interrumpitur, beatitudo quoq; non ſit perpetua, neq; ſincera, ſed multis ſæpe miſeriis & moleſtiis permixta & inquinata. Ex his perſpicuum eſt, beatitudinem tam late patere, quam contemplationem, huius illam eſſe comitem, quod magis perſpicue cernitur in beluis, quæ quia prorſus expertes ſunt contemplationis, ea re neque beatitudinis appellatio iis vulgo tribui ſolet, ea re, inquam, & beatitudinis plane ſunt expertes. Beluæ & affectionis & actionum quarundam participes eſſe videntur. Nam reperias ſaltatrices ſimias. Iuſtam commemorat Ariſt. equam Teſſalicam *in Politicis*, quæ noluerit rem habere cum patre. Breuiter, virtutum moralium ſimulachra omnia & cadunt in beluas, teſte Plutarcho *in lib. de prudentia beluarum*, veræ contemplationis prorſus ſunt expertes, vt mirum non ſit, cur beatitudinis appellatio iis vulgo non tribuatur. Perſpicuum eſt igitur, beatitudinem veram eſſe contemplationem quandam.

οὐ κατὰ συμβεβηκός.] Ait contemplationem expetendam, & ineſſe in homine, nō ex euentu, ſed propter ſe, id eſt, nō ꝓpter vtilitatem aut voluptatem aliquam conſequentem, ſed quia ipſa per ſe ſit laudabilis, aut potius τιμία & honore digna.

δεήσει δὲ καὶ τῆς.] De bonis externis explicatum ſup. *cap. 7.* vbi de αὐταρκείᾳ.

ὁ δὲ καὶ νῦν.] Nona & vltima ratio, quā ſignificat aperte Ariſt. his verbis, ὥστε κἂν ὅτιοῦν, *adeo vt & ſit*, id eſt, ex his, quæ iam

attulimus,ratio peti poteſt,cur beatitudo ſit in contemplatione,cur ſapiens maxime ſit beatus.Ratio igitur hæc eſt,quia ſapiens Deo ſit chariſſimus, eſt θεοφιλέςατος Formula:

Si ſapiens eſt θεοφιλέςατος.
Ergo eſt beatiſſimus.

Ratio connexi eſt perſpicua. Antecedens confirmat Ariſtoteles hac ratione,quia ſapiens vnus omnium mortalium optime ſit affectus,propter mentem eiusq; cultũ, id eſt ſapientiam,quib. nihil melius,neq; diuinius,Deum ſemper excipio,reperiri poteſt. Quod ſi ita eſt, id eſt, ſi ſapiens optime eſt affectus. Ergo Deo eſt maxime cognatus & ſimilimus.Si hoc.Ergo chariſſimus:nam ſimilis amatſimilem:amoris in amicitia parens eſt ſimilitudo.Itaque ſi vlla,inquit Ariſtoteles,Deorum eſt prouidentia & amor aduerſus homines, vt videtur, inquit, fortaſſe metuens ſibi à ſupplicio Protagoræ & Socratis : ſi igitur Deorum vllus eſt amor aduerſus homines:conſentaneum eſt, vt ſit aduerſus ſapientes,vtpote propter mentem optimamque affectionem & naturam maxime ſibi cognatos & ſimiles. Quare ſi verũ eſt antecedens, id eſt ſi ſapiens eſt θεοφιλέςατος. Ergo & beatiſſimus,& proinde in contẽplando conſiſtit beatitudo &c.

Hic finis eſt Ethicorum; caput, quod ſequitur vltimum, pertinet ad Politica.

CAPVT IX.

COMMENTARII.

Ἆρ' ὖν εἰ περὶ τε τύτων.]Diximus initio,hac tertia huius libri parte contineri præmunitionem ad libros Politicorum. Nam reuera quæ ad mores pertinent, omnia ſunt explicata,de beata vita, de virtutibus, de amicitia & voluptate, quæ quatuor ſunt ſumma Ethicorum capita.Huius autem capitis duæ ſunt ſummæ partes,quarum priore de legibus,altera de legum ſcriptoribus explicetur: τάχα δ' ἂν ϗ τῷ βυλομένῳ. Nam de legibus quidem,eas docet ad bonos mores perficiendos,nimirum ad rectam inſtitutionem ſeu educationem prorſus eſſe neceſſarias, tam priuatam quã publicam. Quæ præclara eſt diſputatio de duobus inſtitutionum generibus publicæ & priuatæ, ἐν μόνῃ δὲ τῇ λακεδαίμ.&c. De legum ſcriptoribus ſeu de legum ſcribendarum facultate, ſeu de Nomothetica docet breuiter, quam ſit neceſſaria.Deinde copioſius,vnde& quemadmodum petenda atque paranda.

ἆρ᾽ οὖν εἰ περί τε τούτων.] Ad eundem modum & Ariſtoteles alijs in locis diſputationibus coronidem imponere ſolet, vt *in extremis Elenchis, in Analyticis, in Meteorologicis lib. 1. cap. 1. in fine.*

ἆρ᾽ οὖν εἰ] Diximus initio Ethicorum, & oſtendimus Ethicorum & Politicorum vnum eſſe opus in duos tomos ſeu partes tributum: Vnam ſcientiam duobus his tomis explicari, quã Græci politicam, Cicero vocat ciuilem *in Oratore*, vt ibi diximus. Huius ſcientiæ, vt reliquarum omnium duo eſſe ſumma capita ſpectanda, finem [ſic vocamus, etſi non proprie, Græci dicunt elegantius τέλος:] & ea quæ ad finem. vt eſt *in Politicis.* De fine explicatum *lib. 1. & vlt.* De beatitudine eiusque comite voluptate, etiam *lib. 7.* De ijs quæ ad finem, id eſt, de virtutibus & quaſi virtute, amicitia in reliquis libris. His igitur perfectis, videri poterit & ſcienta politica ad exitum eſſe perducta, vt cuius duo ſumma capita & partes iã ſunt explicatæ. Verum Ariſtoteles docet, alia præterea requiri ad politicæ perfectionem, hoc eſt, ad bene beateq; viuendum. Docet, inquã, priores diſputationes, neque ad ſcopum, neque ad ea quæ ad ſcopum eſſe ſatis, hoc eſt, ad honeſtam & beatam vitam Idq; hac ratione, quia huius ſcientiæ ſcopus non ſit cognitio aut contemplatio, vt eſt theoreticarum, ſed vſus & actio. Qua de re diximus latius ſupra *lib. 2. cap. 2.* quaſi diceret, ad cognitionem vitæ, & honeſtæ & beatæ priora ſunt ſatis: ad vſum & actionem non item. Quod ſi ita eſt, vt mox explicabit: Ergo alia præterea ſunt neceſſaria. Formula.

Politica finis non tam eſt cognitio quam vſus.
At prior diſputatio cognitioni potius deſeruit, quã actioni.
Ergo non eſt ſatis.

εἰ μὲν οὖν ἦσαν.] Explicanda prioris formulæ aſſumtione, tractat inſignem locum de vſu diſputationum politicarum & Ethicarum: Quam rem attigit Ariſtoteles ſupra *lib. 1. cap. 3. in fin.* Et copioſiſſime Seneca *in Epiſtolis 95 & 96.* [[explicabo vno verbo, quod non puto à quopiam explicatum aut intellectum, meo iudcio;]. Stoici diſputationes morales partim faciebãt παραινετικὰς, præceptiuas vocat Seneca, partim δογματικὰς, decretales dicerent barbari. Dogmaticæ explicaptur in his libris Ethicis, à Cicerone *in lib. de fin. de natura deorum, de diuinatione, de gloria &c.* Parænetica *in li. offic.* & hoc eſt quod ait Cic. *initio lib. 1. offic. omnis de officio duplex eſt queſtio, &c.*

 loqui-

loquitur ex ſententia Stoicorum, Seneca vtrunq; diſputationis genus ad bonos mores & virtutes, vtile & neceſſarium eſſe oſtendit, duabus illis epiſtolis, priore de parænetica, poſteriore ſeu altera de dogmatica. Sed hæc ſunt Stoicorũ. Stoici n. ſuis diuiſionib. & partitionib. corrupunt & perdiderũt Philoſophiã, quia non fuerunt Dialectici. 200. poſt Ciceronem annis diſciplina Ariſtot. cœpit reuocari in vſum. *100.* poſt annos viciſſim iacuit, abhinc 400. aut *500.* viciſſim in vſum reuocata. Ariſt. generatim, vt & Plato de morib. explicandũ putarũt adiunctis rationib quæ in paræneticis illis Stoicorũ diſputationib. vel ſunt nullæ vel perpaucæ. Sic in officiorum libellis Cic. tantum nuda præcepta dantur, nulla ratione, cur hoc vel illud faciendum, addita. Ariſtoteles aliter diſputat adiunctis rationibus. Hoc igitur loco de vſu earum diſputationum breuiter diſſerit. Ait igitur has diſputationes, ſi ſolæ ſint idoneæ ad efficiendos viros bonos, maximam mercedem mereri poſſe, vſus verſiculo Theognidis, qui etiamnum extat *in Gnomis*. Quo eodem in eadem re vſus eſt & Plato *in Menone*, vbi hic idem locus de vſu præceptorum Politicorum explicatur, an virtus ſit διδακτὸν. doctrina parabilis, id quia nequeunt hæc præcepta, vt & ſupra eſt explicatum *initio lib. 2. & lib. 6. aduerſus Socratem*: adhibita diſtinctione melius mox explicat. Nam generoſa indole præditis, & bene natis adoleſcentibus, has diſputationes eſſe vtiles, quibus excitentur, & tanquam afflati & inſtincti virtutum amore afficiantur. Sic enim vertendum κατακώχιμον. Significat ille qui latine dicitur inſtinctus, afflatus diuinitus, inſtinctum, afflatum ex virtute reddere

τοὺς δὲ πολλοὺς.] Explicauimus ſupra *lib. 5* ex Ariſtotele, quid ſit καλοκἀγαθία: neque enim latine valet honeſtatem & probitatem (quod eſt abſurdum & barbarum) ſed virtutem perfectam ſeu omnem vitutem, vt καλοκἀγαθὸς eſt vir vere & perfecte bonus, & omni virtute præditus. Adhuc explicauit vſum doctrinæ in probis & bona indole præditis. Nunc de improbis & male educatis, in quib. nullum eſſe vſum doctrinæ oſtendit, tum quia hi non pudore aut ratione, ſed metu & pœna contineantur, vtpote turpium voluptatum ſtudioſi earumq; rerum, ex quibus illæ oriantur, quique veras voluptates nunquam guſtarint, & honeſti notionem aut ſpeciem, ne per ſomnium quidem viderint; tum quia inueteratos mores eluere & corrigere

gere

gere diſputando aut rationibus fere ſit ἀδιώρθωτον, non ſecus atque inueteratos morbos, inquit Hyperides apud Stobæum. Quod idem & ſupra attigit *lib. 2. cap. 1. in fin.* vbi *monet* ea de cauſa à teneris aſſueſcendum eſſe meliorib. Quod autem ait, multos eſſe, qui non pudori, ſed pœnæ & metui pareant, id ex Platone ſumtum eſt *in Protagora*, vbi eleganter ait ab Ioue in terras demiſſum Mercurium, ad homines attuliſſe pudorem & pœnam δίκην καὶ &c. quibus genus humanũ contineatur ac regatur. Qua de re & inſignis eſt locus Horatii *lib. 1. epiſtolarũ, epiſtola 17.*

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Et Saleucus nomotheta apud Stobæum hæc quoq; duo Reip. vincula commemorat: *ſeruos*, inquit, *recte facere metu, liberos oportet pudore & honeſti cauſa.* Quem Terentius imitatus videtur. *Hoc magis patrium eſt aſſuefacere liberos, vt potius pudore quam alieno metu recte facere ſtudeant.*

ἀγαπητὸν δ' ἴσως.] De hoc verbo alias dictum *lib. 1. cap. 3.* Hoc loco eadem quæ modo, ſed diſtinctius & ad rem propius explicantur. Hæc nanq; omnia eo pertinent, vt doceat Ariſt. ad bene beateq; viuendũ non ſatis eſſe priorem de virtutib. diſputationẽ, ſed neceſſarias etiã eſſe leges. Ait igitur ἀγαπητὸν δ' ἴσως &c. quaſi diceret ex diſputationib. ſeu doctrina, tantũ ſperari & expectari non debet, vt ea ſola ſit idonea ad efficiendos viros bonos, quin potius ꝑclare nobiſcũ agetur, ſi id aſſequamur etiã omnib. quibus virtus parari poſſe dicitur concurrẽtib. adiumentis. Tria igitur ſunt adiumenta & viæ, quib. virtus paratur, natura, conſuetudo & ratio ſeu doctrina. Quod idẽ iterat infra *lib. 7. Polit.* Natura eſt ea quæ dicitur εὐφυΐα, de qua ſupra *lib. 3. ca. 2.* naturæ bonitas. Verum hæc quia non eſt in noſtra poteſtate, ſed Dei munere & conceſſu accidit, eſt omittenda in diſputatione politica, quæ eſt de rebus humanis & in hominis poteſtate conſtitutis. Nam vt præclare Plato *lib. 10. de ll.* ex quo totum fere iſtud caput eſt ſumtum, de vſu & neceſſitate legum. *Si natura*, inquit, *tanquam virgula diuina, viri boni effici poſſemus, nullis opus eſſet legibus.* Reliquæ ſunt duæ viæ, ratio & vſus, de quibus & illud Horatii dici poteſt, *alterum alterius ope vti.* De doctrina quidem ſeu ratione, ei opus eſſe conſuetudine & inſtitutione, ipſam per ſe in plærisq; nihil plane poſſe,

&

& modo dictum eſt & nunc iteratur, hac ratione, quia, qui malis imbuti ſint moribus, & falſis opinionibus infecti, veras rationes aut non intelligunt, aut certe monentem & docentem audire non ſuſtinent. Itaq; vt doctrinæ ſit vſus, ingenia & animos bona inſtitutione informari, & præparari prius oportet tanquam terrã inquit eleganter Ariſtoteles ad concipiendã ſemina quæ non præculta alioqui pro fructibus lolium & auenas ſit editura. Quod idem monet Cic *lib. 3. Tuſcul. initio, & in ſecundo* hac eadẽ ſimilitudine vtitur, ex Euripide ſumta, paullo tamẽ diuerſa in re. Nam quod Ariſtoteles de inſtitutione & conſuetudine, id Cicero de doctrina ait. Atq; ita à teneris præculti animi, & bonis ſtudijs iam præparati, facile & intelligent & capient poſtea veras rationes & præcepta. Quod idem monuit & ſupra *lib. 1. cap. 4.* de auditore politicæ: legendũ igitur hic ἀκροατῦ, non ἀκρατῦ, vt & mox ἀκύσεϛ.

πρὸς τὸ καλῶς.] Et hoc ex Platone ex *lib. 2. de ll.* qui bonæ educationis & inſtitutionis caput eſſe ait, lætari & dolore, quibus rebus oporteat, quibus non, ſeu voluptatem & dolorem, qua de re & ſupra dictum *lib. 7 & 3.*

ἐκ νέυ δὲ ἀγωγῆς.] Hoc demum loco priorem diſputationem ad rem accommodat. Nam expoſito & certo ad virtutes acquitendas, ſeu bene beateq; viuendum neceſſariam eſſe bonam inſtitutionem, ex eo conſequi docet, leges eſſe neceſſarias ad virtutem acquirendam: Formula.

Si inſtitutio eſt neceſſaria. Ergo & leges Ratio connexi ἐκ νέυ δὲ ἀγωγῆς &c. quia fieri nequeat, vt abſq; bonis legibus bona ſit inſtitutio: iam enim docuimus ad bonos efficiendos opus eſſe conſuetudine & aſſuefactione. At hæc abſque certa deſcriptione & ordine, & abſque neceſſitate quadam & vi & imperio neque recta aut vera eſſe poteſt, neque efficax. Rectam namque inſtitutionem facit recta ratio & bona deſcriptio ſeu ordo; efficacem, vis & imperium: quæ duo in lege reperiuntur, quæ nihil eſt aliud, quam mens ſeu recta ratio [: vt & hic Ariſtoteles, & præclare Cicero *lib. 1. de ll.*] & deſcriptio τάξις ſeu ordo [ſic non ſæpe & ab Ariſtotele & à Platone lex dici ſolet] eaq; vim & neceſſitatem in ſe habens & afferens, ſeu vi, imperio & neceſſitate iuncta. Quare cum ad rectam inſtitutionem, & ordo & vis requirantur, quæ duo in legibus eſſe diximus, merito ad rectam inſtitutionem leges erunt neceſſariæ, & proinde ad viros bonos efficiendos vtiles. Et certe hæc duo in adole-

ſcentibus

ſcentibus continendis eſſe neceſſaria, ordinem & imperium, vt quorum magna alioqui ſit licentia, neq; facile monitis contineri poſſint, iiſque durum ſit ſeuere & temperanter viuere eſt perſpicuum. Itaq; legibus & inſtitutis bonis ab ineunte ætate eos imbui & inſtitui melius erit. Nam aſſuetudo etiam, quæ dura alioqui viderentur faciet molliora, vt eleganter ait, οὐκ ἔσται λυπηρά &c.

οὐχ ἱκανὸν δ' ἴσως.] Adiungit Ariſtoteles nō tantū pueros aut adoleſcentes, ſed viros quoque omnem denique ætatem ſuis quamq; legibus & inſtitutis regendam & informandam, inſtitutionem per omnem ætatem & vitam pertinere debere. Nam etſi prima puerorum inſtitutio ad reliquam ætatem magnum adiumentum adfert, tamen quia & multæ poſtea corruptelæ aut deprauationes accidere poſſunt, & plerique neceſſitate potius & imperio, quam rationibus aut monitis reguntur ac pareant: præſtat profecto vt cuiq; ætati ſua ſint ſtudia & inſtituta, ſuæ leges. Quod idem præclare ſeruaſſe veteres Athenienſes monet Iſocrates *in Areopagitico.* Quod idem ſeruat & Plato *in Rep. ſua: & in legibus.* & Ariſtoteles *in Politicis lib. 7. & 8.* inſtituerat. (perduxit vſque ad adoleſcentiā: reliqua perierunt.)

διόπερ οἴονταί τινες.] Confirmat propoſitum autoritate quorundam, Platonem intelligens *in Protagora & lib 12. de ll.* Nam eſſe, ait, qui legum ſcriptores ita ſe gerere velint, ita leges dare & ſcribere, vt nos quoque monuimus habita ratione perſonarum. Nam bonos quidem bonaq; indole præditos & bene iam educatos, rationibus ad virtutem & honeſtatem cohortandos eſſe. Apud hos hortationibus & monitis agendum, vt qui bona educatione iā præparati, facile ſint obtēperaturi. Malos vero & improbos, ſiquidem ſanari poſſint & ad frugem reuocari, legibus ſeu imperijs & minis eo perducendos, ſin minus, morte afficiendos, & prorſus exterminandos; tanquam peſtes & morbos, inquit Plato *in Protagora.* Nam mortem horum ſolam eſſe medicinam inquit Plato *lib. 12. de ll.* Nam & medicos hoc ſeruare, vt partes corruptas amputent, aut præcidant, vel exurant, eleganter monet aliquoties Cic. eadem in re *lib. 1. offic. & 8. Philip* & imp. Auguſtus *in oratione de maritandis ordinibus* ſeu de vitando cælibatu apud Dionem *lib. 55.* Platonis igitur hæc legum partitio, & diſſimilibus perſonis accommodatio priorem Ariſtotelis diſputationem confirmat. Etſi haud ſcio an Ariſtoteli probetur, quod Plato voluit, cum bene

educatis

educatis legum ſcriptores tantum hortationibus & monitis agere. Nam legum vis & proprietas non eſt hortari ſed imperare Hortationes ſunt philoſophorum: imperia, iuſſa, & vetita legum ſcriptorum. Leges, inquit eleganter Seneca, ſunt minis mixta præcepta, *epiſt. 95.* ſed eadem de re in Politicis fortaſſe.

προηγμένως.] Vetus interpres videtur legiſſe **προηγμένοις**, rectius Lambinus ex tribus libris veteribus **προηγμένων**: vt referatur ad **ἐπιεικῶν**, quod iam explicauimus: bonos quia bonis moribus aut inſtitutione præparatos ſeu **προηγμένους**, id eſt ante ductos à **προάγω**, ante educatos ſeu productos & prouectos, facile obtemperaturos, etiam monentibus tantum, non imperantibus.

διὸ καὶ φασὶ δεῖν.] Obſeruandum elegans veterum dictum, eas eſſe pœnas conſtituendas ſeu eas moleſtias & dolores, qui prorſus ex diametro aduerſentur voluptatib ab improbis expetitis, vt pœnæ culpis non tantum ſint pares qua de re alias, ſed etiam ſimiles. Nam hac ratione fiet, vt ab ijs culpis & voluptatibus magis deterreantur, vt Athenis olim fuit Raphaniſmus: qui pecunia peccarit, pecunia mulctetur: qui corpore, multetur corpore. Sic olim Cyrum ſanguinarium Tomyris Regina Scytharum capite Cyri in vtrem ſanguine plenum coniecto, ſanguine puniuit: & Mithridates Romanos publicanos & fœneratores auro in os infuſo.

εἰ δ᾽ οὖν καθάπερ.] Iteratur ratio paullo ſupra allata, cur leges ſint neceſſariæ nimirum propter rectam inſtitutionem, quam ex prioribus iam conſtat eſſe neceſſariam: ſi, inquit, vt vir bonus quis efficiatur, opus eſt inſtitutione, neceſſe eſt, vt & puer bene educetur, & vir in ijſdem ſtudiis perſeueret, adeo vt nunquam ab honeſto deflectat, neque ſua ſponte, neque aliorum minis aut metu: ſi inquā hæc viro bono ſunt neceſſaria, vt ſunt, ea autem non accidant abſq; mente & vera ratione, eaq; vim & neceſſitatem continente: efficitur, leges eſſe neceſſarias, vt quæ ſint recta ea ratio & mens, vi & imperio iuncta. *Non accidunt*, inquit Ariſtot. *neq; obueniūt ea, id eſt, rectè educari & ab honeſto nunquam deflectere, virumque bonum effici abſque tali mente &c.* Sic enim hæc ſunt vertenda [quæ peſſime vertit Lambinus] **ταῦτα δὲ γίγνοιτ᾽** &c. Hæc, inquit, accidunt iis, qui viuunt ſecundum mentem quandā & rectam rationem, eamque cum neceſſitate coniunctam id eſt, legem.

ἡ μὲν οὖν πατρικὴ.] Occurrit Ariſtot. tacitæ quæſtioni. Quid enim

enim,dicat fortaſſe aliquis,legibus ſit opus cum illud ipſum ꝙ quæritur,patrio iuſſu & priuato imperio effici poſſit? Reſpõdet Ariſt.paterna iuſſa non eam vim habere, quæ ad bonos efficiendos ſit idonea, neq; vllius hominis ſingularis,non patris tãtum,ſed matris,domini &c.niſi forte Regis,aut ſimili quidem poteſtate pditi, etſi alio nomine,vt Romæ Dictatoris,in Græcia αἰσυμνήτης,de quo Ariſtoteles *lib 4. Polit* Sola igitur eſt lex quæ tantam vim habeat, quanta ad reprimendos improbos, & bonos efficiendos ſit neceſſaria. Et hoc eſt, quod ait & Vlpian.*in lib. primo.ff.de iuſtit. & iure,* Iuriſconſultos opera iuris & legum bonos efficere & metu pœnarum, & præmiorũ exhortatione, qui locus etiam ad Platonicam illam diſtinctionem optime accommodari poteſt. Melius eſt igitur inſtitutionem lege deſcribi, quã homini priuato permitti, patri, marito,&c.

καὶ τῶν μὲν ἀνθρώπων.] Alteram affert rationem, cur melius ſit lege contineri inſtitutionem,quam huic aut illi homini permitti,quia hominum iuſſa & imperia pleriq; ægre feramus & detrectemus,propterea quod vel ab alio regi nolimus,vel odio aut amore eum huic aut illi plus minusue tribuere aut largiri, hunc aut illum grauius punire, exiſtimemus: legis vero iuſſa, vtpote mediocria,& æquabilia,& cuius nullum ſit vel odium, vel amor,in quenque facilius ferantur. Qua de re & præclare Ariſtoteles & copioſe *in Polit. lib. 3. & initio libri primi Rhetoricorum.*

Ἐν μόνῃ δὲ τῇ.] Accommodat priorem diſputationem ad vitam,ꝙ in Politicis faciundũ ſæpe monuit,& exquirit ſeu cõmemorat de ciuitatib.ſui tẽporis,præter vnã Lacedæmoniorũ, & alias fortaſſe paucas, in plæriſque nullam fuiſſe inſtitutionem ſeu educationem publicam ſeu communem,ſed cyclopicam potius ſeu priuatam , qua quisque paterfamilias inſtar Cyclopum priuatim familiã ſuam,liberos & vxorem regeret & facienda præſcriberet. Sic enim de cyclopib. Homerus *l.8.* ꝙ & *in Politicis* iterat Ariſt *l. 1.* Xenophon quoq; *initio l. 1. de Rep. Lacedæmoniorũ* idem,ꝙ hic Ariſt.agit. In cæteris quidẽ Græciæ ciuitatib.ꝓ ſuo quemq; arbitratu liberos educare, in ſola Spartana [Lacedæmone] pædiam eſſe communem & publicam, eamq; omniũ ætatum non puerorũ tantum vt in alijs ciuitatibus Huius quoq; rei cauſa Lacedæmonios laudat Ariſt. *lib. 8. Polit. cap. 1.* vbi luculente oſtendit,inſtitutionem, eamque cõmunẽ ciuitatib.eſſe neceſſariã. Laudat & Perſas Xenophõ hoc

nomine *initio libri de Cyri inſtitutione.* Apud maiores noſtros veteres Germanos, etſi de Pædia & inſtitutione communi nihil admodum certi comperitur, tamen vt nulla fuerit, eius loco ſit hoc Taciti de illis Elogium: Apud eos plus valuiſſe bonos mores, quam apud alios bonos leges. Hodie neque in Germanico, neque in toto Chriſtiano orbe vlla eſt communis diſciplina & inſtitutio, præterquam ſcholaſtica Narrat Iſocrates & Athenis olim communem fuiſſe inſtitutionem, eiusque vtilitates exponit *in Areopagitico.*

κράτιστον μὲν οὖν.] Adhuc expoſuit de publica inſtitutione, eam eſſe neceſſariam & vtiliſſimam, tum propter imperium & vim maiorem, tum propter minorem inuidiam, eademque quam paucis in locis eſſet recepta ſuo tempore: nunc de priuata inſtitutione, eiusq; cum publica comparatione & contentione. Monet initio optimam quidem eſſe communem inſtitutionem, proximam, priuatam. Nam neglecta publica, ſuis quemq; priuatim liberis & familiæ recte inſtituendæ, vel operam dare & adiuuare, vel certe velle & ita affectũ eſſe debere *ἢ προαιρεῖσθαί γε*, etſi forte vel infirmitate corporis aut alia quare ipſe impeditur, quo minus operam dare poſſit. Nam ita ſaltem affectus aliorum opera vti poterit, pædagogorum & œconomorum fidelium.

μάλιστα δ' ἂν τοῦτο] Poſſet fortaſſe non incommode capitis huius pars altera de legum ſcribendi facultate & legum ſcriptoribus collocari, etſi proprie magis ac propius ea de re paulo infra videtur explicare, vt initio capitis dictum, *τάχα δ' αὖ τῷ βουλομένων.* Nam quæ vſque ad illa hic explicantur, quãquam ad legum ferendarum facultatem nonnihil etiam pertineant; tamen de publicæ & priuatæ inſtitutionis comparatione maxime explicantur: nos vtrunque ſequamur[: multum eſt acute & ſubtiliter videre in Ariſtotele *ἀναλύσεις*:] Monuit modo, optimam eſſe publicam in Rep. inſtitutionem, atq; eam noſſe & reperire *καὶ ὁρᾶν αὐτὸ δυνάμενον*. Hic igitur de poteſtate & facultate huius rei diſſerere orditur Ergo ait poſſe hoc effici ab eo, qui facultatem legum ſcribendarum teneat. Rationem adiungit hanc, *αἱ μὲν γὰρ κοιναὶ* &c. de publica quidem inſtitutione, quia legibus conſtituatur ac deſcribatur, cura publicæ inſtitutionis per leges, inquit, fit, & bona per bonas. Formula:

Si per leges deſcribitur inſtitutio publica & bona quidem per bonas, quod ſupra docuimus.

Ergo

Ergo legũ ſcribendarũ facultas & cognitio eſt neceſſaria. Siue eæ leges ſint ſcriptæ, ſiue non ſcriptæ, id eſt, mores ſeu ſtudia & inſtituta, vt Lacedæmone ſcriptarum legũ non erat vſus, omnia, etiam inſtitutio & pædia, morib⁹ & inſtitutis tenebatur, vt eſt apud Iuſtinianũ, *ſub Tit. de Iure naturali, gent. & ciuil.* Nihil refert, ſcriptæ ſint leges, quæ proprie leges dicĩ ſolent, an non ſcriptæ, quæ mores & inſtituta ſeu conſuetudo. Nam vtriuſq; generis eadem eſt vis & autoritas. Sic Magiſtratus in hac vrbe habent autoritatem à Repub. à plebe. Edictũ, leges latæ habent autoritatem à perſona, à Magiſtratu. Apud Lacedæmonios, vt refert Plutarchus, fuerunt ét leges ſcriptæ, idcirco meo iudicio non recte Iuſtinianus. Ea de re agetur in Politicis, de ſcriptis & non ſcriptis legibus.

οὐδὲν ἂν δόξειε διαφέρειν.] Hic demum propius accedit ad comparationem publicæ & priuatæ inſtitutionis. Docuit ſupra publicam eſſe optimam, duabus de cauſis, & quia legum & maior eſt vis ſeu imperium, & minor inuidia, q̃ hominum, ſiue patris, &c. hic docet contra, priuatam videri meliorem, item duabus de cauſis, quarum poſteriorẽ tamen refellit. Ergo vt modo de legibus, nihil referre, ſint publicæ an priuatæ: ita hic initio adiungit & monet, nihil quoq; referre videri, vnus, legibus iis, an plures inſtituantur. Nam eandem eſſe paternorum iuſſuum domi, quam legum & ſtudiorũ ſeu inſtitutorum in Repub. rationem, id eſt, eandem vim & autoritatem, quin etiam patriorum iuſſuum & prçceptorum eſſe maiorem, aut certe iis magis parêri à liberis, quam legibus & inſtitutis à ciuibus. Docet hoc duabus rationibus, *καὶ ἔτι μᾶλλον,* &c. prior eſt propter cognationẽ & ſanguinis neceſſitudinẽ, qua fit, vt natura ipſa filius patri dicto ſit audiens, vt filii parentibus ſint *εὐπειθεῖς* natura. Sic enim legendum non *εὐπαθεῖς*, autoribus libris emendatioribus & veteri tralatione: Altera ratio, eſt propter beneficia *τὰς εὐεργεσίας*, q̃ quanta ſint patris in liberos, expoſitum eſt ſupra *lib. 9. in fin.* Gaudet aũt quiſq; facile bene de ſe meritis parêre. Ex his perſpicuum eſt, eſſe & quandam priuatam inſtitutionẽ, eamq; in patriis iuſſis & præceptis tanquam legibus conſiſtere: deinde priuatam à publica differre, ꝙ in priuata melius pareatur quam in publica, propter & cognationem & beneficia. Cæterũ etſi hac parte magis paretur patriis præceptis: tamen certum eſt maiorem eſſe vim & autoritatem legum publicarum quam priua-

tarum, cum his libenter, propter beneficia & neceſſitudi-nem, illis etiam inuite ſit parendum.

ἔτι δὲ καὶ διαφέρουσιν] Altera ratio, qua item priuata inſtitutio publicæ præſtare videatur, quam diximus ab Ariſt refelli. Differentia hæc eſt, quia publica eſt communis & καθόλου, priuata ſingularis: illa vniuerſæ ciuitatis & multorũ, hæc vnius aut paucorum & familiæ. Cuius generis differentia & in aliis rebus & artibus repetitur. Nam & in medicina quædam nocent vniuerſe, vt febre laboranti, motus & ciborũ copia: cuidam tamen, id eſt, huic aut illi fortaſſe prodeſt, vel contra. Sic & in *Politicis*, omni ſicario mortis pœna eſt propoſita, quæ tamen interdum alicui conceditur, ſeu remittitur, propter tempora & attributa rerũ ſeu perſonarum. Sic palæſtræ magiſter, etſi ſua habet præcepta cõmunia, tamen & diſcipulorũ corporum rationem habet, vt non omnibus idem genus pugnæ palęſtricæ cõmittat, robuſtiori pancratium, celeriori curſum.

ἐξακριβοῦσθαι δὴ δόξειεν.] Nũc ex priore differentia docet meliorem eſſe priuatam publica inſtitutione, quia ſit accuratior & exquiſitior. Rationẽ adiungit, μᾶλλον γὰρ τοῦ, &c. quia rerum quiſq; ſuarum maiorẽ curam habet, vtpote magis vtilium & ad ſe pertinentiũ. Quod egregie Ariſt. *lib. 2. Polit. c. 2.* Rerum priuatarum, inquit, μᾶλλον φροντίζουσι, publicarũ & communium ἧττον. Quare cũ publica inſtitutio ſit cõmunis: priuata autẽ ſit ſua cuiuſq; & propria, merito & in hac maior, quam in illa, cura ponitur, eaque re hæc quam illa eſt accuratior & exquiſitior, præſtantior deniq; & melior.

ἀλλ' ἐπιμεληθείη.] Refellit priorem rationem. Nam ſingularem inſtitutionem abſq; communi & publica vix poſſe conſiſtere, & ex communi prorſus pendere, & ex ea tanquam principio cognoſcendam, quod vt intelligatur, docet exemplo cæterarum artium & ſcientiarum, hunc in modum:

Omnes, inquit, ſcientiæ, in rebus vniuerſis cernuntur, ſunt rerum τῶν καθόλου.

Ergo & legum facultas ex rebus vniuerſis erit ſpectanda & cognoſcenda.

Antecedẽns explicauimus ſupra *lib. 1. cap. 6. in fi.* de quo & inſignis eſt locus apud Ariſt. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ. illo *lib. 10.* &c. Rationes antecedentis ſunt duæ: prior, quia res ſingulæ ſunt infinitæ, quarũ nulla eſt ſcientia, quam ſupra attulimus *lib. 1. c. 6.* Altera *in Metaph.* ab Ariſt. allata, quia res ſingulæ ſunt

incertæ

incertæ propter materiam in horas mutantẽ. Quarũ rerũ incertarũ & mutabilium eſt opinio, non ſcientia, vt ſupra *lib 6.* explicatum. Res enim ſingulares cognoſcuntur ex materia. Quemadmodũ igitur aliæ oẽs ſcientiæ in rebus vniuerſis & vniuerſo genere: ita & hæc politica cernitur, eaq; propter, vt in aliis artibus, ei qui rerũ vel hominum ſingulorũ curam rectam gerere, vel operam pręſtare velit, neceſſariũ & vtiliſſimũ eſt, prius vniuerſum genus noſſe, & ad huius velut normã res ſingulas accommodare: ita & in Politica eiuſq; parte Nomothetica etiam priuatæ inſtitutioni vtilis erit & neceſſaria cognitio cõmunis & publicæ, ſcientia deniq; vniuerſa politica.

οὐ μὴν ἀλλὰ.] Modo docuit vniuerſi generis cognitionem etiam rebus ſingulis eſſe neceſſariam. An ergo, dicet aliquis, ſola rerũ ſingularũ cognitione nihil effici poterit? nullamne ad rem ea eſt vtilis, nihilq; per ſe ipſa poteſt. Huic quæſtioni occurrens Ariſt. ait, poſſe quidem etiam recte quid fieri hac ſingulari cognitione, & vnũ aliquem ſingularem curari poſſe ſolo vſu, etiam abſque ſcientia generis vniuerſi, ab eo qui ſtudioſe eius, cuius curam gerat, naturam & ſingula momenta diligenter explorarit. Argumẽto ſunt medici quidam, qui, quia ſe ipſi optime norint longo tempore id conſecuti, ſibi medicinam recte facere & curare poſſint, alios non item. Itaque affert aliquid hæc ſingularis cognitio, quæ tamen peritia potius quam ſcientia dici debeat. Nam ſi plene & perfecte artem, aut ſcientiam quis aſſequi velit, eum oportet ad genus vſq; vniuerſum progredi, vt in quo ſolo poſita ſit ſcientia.

πόθεν δ' αὖ καὶ πῶς.] Hoc tandem loco de legum facultate & ſcriptoribus diligentius diſſerit iteratis initio prioribus, cur ei qui ſiue multos ſiue paucos bonos beatoſq; reddere velit cognoſcenda ſit legum ſcientia, legumq; peritus is eſſe debeat. Rationem ſupra expoſitam iterat, quia legibus boni efficiantur. Sed enim dicet aliquis legum ſcientiam rem eſſe facilem, quæq; longa diſputatione non egeat. Reſpondet Ariſtot. non eſſe cuiuſuis, eũ quem quis ſumpſerit erudiendũ & virtutibus boniſq; moribus imbuendũ, id præſtare, ſed ſcientis potius & periti, exemplo cæterarum artium & curationũ. Nam neq; domum, niſi peritus œconomus & prudens diſpenſator, neq; nauẽ, niſi callidus & ſapiens gubernator, neq; valetudinẽ, niſi peritus medic⁹, bene curare ſolet. Neq; igitur & viros bonos, niſi peritus efficiet, non quis aut rudis, ſed doctus & legum

peritus. Ex his omnibus perſpicuum eſt, legum ſcientiam, vt leges ipſas, de quibus ſupra bonis beatiſque reddendis eſſe neceſſariam.

ἆρ' οὖν μετὰ τοῦτο.] Expoſito legum ſcientiam eſſe neceſſariam: adiūgit vnde ea ſit petenda, & qua via ac ratione. Docet autem de cauſa efficiēte Nomotheticæ, id eſt, de autoribus & aliis eo pertinentibus adiumentis ac rationibus, idq; permixtim & cōfuſe. Summa diſputationis hæc eſt; Nomotheticam partim vſu, partim ratione, id eſt, de libris cōparari. Libri autem, quia vel nulli à peritis, vel indocti ab imperitis ad ſuam vſque ætatem eſſent ſcripti, hac ratione permotum ſe ait Ariſtoteles, vt diligentius de hac politiæ parte conſcribat.

ἆρ' οὖν μετὰ τοῦτο.] Quæſtionis modo, vt ſæpe alias, exponit propoſitū, quod eſt de autoribus & vnde petenda ſit Nomothetica. An, inquit, à politicis ſeu Rerumpub. adminiſtratoribus, ciuitatum principibus, cuius generis ſua ætate Athenis erat Demoſthenes, Æſchines, &c. olim Themiſtocles, Pericles, Nicias, Ariſtides, &c. An ab his, inquit? Reſp. videri, ab his petēdam, quia nomothetica politicæ, à qua politici illi nomen habent, ſit pars, vt ſupra explicauimus *lib. 6. cap. 8.* Contra oſtendit, ab his eam peti non poſſe, ꝙ politicæ aliud ſit ingenium & natura, quam cæterarū artium. Nam cæteras quidem artes eoſdem docere & exercere, politicam nō item. De aliis artibus certum, de politica ita docet & oſtendit. Nā hanc exerceri à politicis, doceri à ſophiſtis. Sophiſtas aūt ea ætate politicę doctores fuiſſe, teſtes ſunt, Plato *multis in locis*, & Iſocrates *in oratione aduerſus ſophiſtas*: qui tamen Reipubl. nullam partem ipſi attingebant. Verum de his paulo infra latius. De politicis eos non docuiſſe, neque ſcripſiſſe de Politica, etſi ex hiſtoriis eſt notū, & ætate ea perſpicuum: tamen oſtendit Ariſt. duobus ſignis, quibus hoc maxime agit, vt doceat, eos non tam ſcientia, q̃ vſu fuiſſe politicos, vt & Cic. de ICtis, *in Bruto. Iuris quidem vſum apud Scæuolam, multosq; veteres Iuriſconſultos fuiſſe, ſcientiam in vno Seruio Sulpitio.* Prior ratio, quia ſi ſcientiam tenerēt, certe de re præclariſſima potius vel ſcriberent, vel docerent, quam de rebus leuioribus. Nam extabant Politicorum Cliſthenis, Thucydidis, Periclis, Critiæ, Alcibiadis, Epaminondæ orationes in Iudiciis, in ſenatu pro concione habitæ, [apud populum] orationes, inquit Ariſtot. ſcribebant, de politica non item. Ergo neſciebant. Nam ſi ſciuiſſent,

uiſſent, potius de rebus politicis, quam orationes ſcriptitaſſent, cum rerũ politicarũ ſcriptio orationibus multo ſit præſtantior, de qua re mox. Altera ratio, qua doceat, politicos fuiſſe indoctos, etſi peritos nõ negat [doctus qui habet ſcientiam, nouit methodo aliquid docere; qui tantũ habet vſum, peritiam, nõ poteſt aliũ docere,] quia ſi docti eſſent, certe liberos ſuos & amiciſſimos ſcientiam pulcherrimam docerẽt. Atqui neq; liberos, neq; amicos, vllus vnquã politicus, reddidit politicos. Quo nomine Plato grauiſſime multiſq; in locis omnes Politicos reprehendit, *in Euthydemo, in ſophiſtis, in Alcibiade*, &c. clarum eſt igitur, politicos comparaſſe quidem ſibi facultatẽ quandam politicam, ſed peritiam potius quam ſcientiam, vſu non ratione: eaq; propter mirũ non eſt, ſi neq; libros ſcribere, neq; alios docere indocti ipſi potuerint.

οὐ μὴν μικρὸν.] Occurrit tacitæ quæſtioni. Quid ergo, dicet aliquis, nihilne vſus ad politicam prodeſt? Reſp. Ariſtot. ſe in politicis non culpare vſum, ſed inſcientiam. Nam vſum ipſi ſcientiæ conſequendæ magnum adferre adiumentum, quod ſolo vſu & conſuetudine politicorũ efficiantur politici, ẽt abſque præceptis. Quemadmodum & olim I.C. non ex ſchola, ſed ex foro & conſuetudine I.C. prodiiſſe narrat Cic. *li. 1. de orat.* ſcholæ poſterius extiterũt, teſte & Pomponio *in l. 2. ff. de orig. iur.* [olim nec ius, nec philoſophia docebatur in ſcholis.] Itaq; ei, qui hanc ſcientiam aſſequi velit, vſus quoq; eſt neceſſarius. Nam vt in aliis ſcientiis, ita & in Politica, eiuſque partibus, Nomothetica & Iuriſprudentia, vſus maxime eſt neceſſarius. Hinc & eleganter Galenus, medicinam duobus cruribus niti, vſu & cognitione, dicere ſolet.

τῶν δὲ σοφιστῶν.] Poſtquam docuit, Politicos, quorũ tamen proprium id ſit munus, quia vſu potius q̃ ratione ſint politici, aliis eam ratione explicatam tradere non poſſe. Nunc de ſophiſtis, quos quidẽ & hic & paulo ſupra monuit ſe pro doctoribus politicæ gerere, hoc ſuſcipere & profiteri, ſed hoc tamen & ipſos non tenere rationem docendi politicam, longiſſime à docendo eſſe remotos, quantũuis id ſibi arrogent, quod eleganter Ariſt. πόῤῥω τοῦ διδάξαι, de qua particula ſupra *lib. 3. cap. 8.* ſophiſtas aũt malos eſſe politicæ doctores & magiſtros, hac ratione, quia ne ipſam quidem politicæ vim & naturam norint & teneant. Formula:

Quam quis norit artem, eam alios docere poteſt.

Digitized by Google

At ſophiſtæ politicam ignorant.
Ergo eam alios docere non poſſunt.

Aſſumptionem (nam propoſitio per ſe nota omittitur) qua diximus, ſophiſtas non noſſe politicam, ſiue, vt loquitur Ariſtot. quid ea ſit, quibusve in rebus poſita, tanquam in materia & ſtrato oſtẽdit tribus his ſignis. Primum, quia politicam cum arte dicendi confundant, & eandẽ faciant. Omni namq; ætate oratores (quorũ magiſtri erant ſophiſtæ, i. Rhetores) ſe venditaſſe pro politicis, ſibiq; arrogaſſe ſcientiam politicam, atq; adeo artẽ dicendi dicere conſueſſe nihil eſſe aliud, q̃ veram politicam, teſtes ſunt Plato, *multis in locis*, Iſocrat. *in ſophiſtis*. Ariſt. quoq; *init. lib. 1. Rhet.* Cic. *li. 1 de orat. aliisq; in locis*, & latiſſime Ariſtides *in orationib. aduerſus oratores*. Ex qua ſcientiarum confuſione & perturbatione, argumentum hoc loco capit Ariſt. ſophiſtas non ſatis tenuiſſe earũ vim & naturam: & *init. lib. 1. Rhet.* ait hoc facere oratores partim inſciẽtia, partim arrogantia. Deinde, quia nonnulli politicam ẽt deteriorem Rhetorica faciunt, humiliorem, leuiorem, cũ ſine vlla dubitatione, inter artes practicas principatum teneat, etiam rei militari antecellat: vt inquit ſupra *lib. 1. cap. 1.* Certe & Protagoras apud Platonem artem dicendi cæteris omnibus præſtare ait. Poſtremo, quia arbitrentur, Politicam ex commentariis facile parari poſſe, de qua tertia ratione accuratius explicatur. Sciendũ ſophiſtas, cũ reprehenderentur, cur politicam, cuius nullum haberent vſum, tamen profiterẽtur, & docendam ſuſciperent, huic reprehenſioni ita ſolitos occurrere. Nam cõquirere ſe & colligere multos libros politicos de Repub. & legibus ſcriptos, aut certe multarũ ciuitatum leges & inſtituta, ex quibus ita conductis, & in vnũ locum collectis, ſe excerpere & eligere optimas quaſq; leges & inſtituta, eaq; cum auditoribus & diſcipulis communicare. Ea autem colligere, & ex collectis optima quæque excerpere, rem eſſe facilem. Ariſtoteles & hoc tertium ſophiſtarum ignorantiæ argumentum adferens, docet, rem eam non eſſe facilem, ſed difficilimam, hac ratione, quia abſque iudicio exquiſito ea præſtari nequeat. Facile quidem eſſe colligere, ſed collecta diiudicare, & optima ſeligere non eſſe cuiuſuis, ſed iudicio de his rebus accurato prædit. Quod confirmat exemplo Muſicæ. Nam & in hac, niſi iudicio præditus & peritus, quantumuis multos cantores quis habeat vel audiat, tamen de harmonia

& con-

& concentu, ſeu de diſcordia, recte exiſtimare non poterit. Itaq; collectio quidem legum eſt facilis, dilectus ſeu eclogæ difficilima, vt cui iudicium ſit neceſſarium. Sed iudicium aſſit oportet. Ergo & vſus ſeu peritia ἐμπειρία. Nam vſu,in rebus maxime politicis,iudicium comparari ſolet,in vſu, mentis illa acies & oculus poſitus eſt, inquit Ariſtoteles ſupra *libr. 6. cap. 7. & 11.* Formula:

Vſu periti de rebus recte iudicant, ſeu opera quæque recte an perperam ſint perfecta, ab vſu peritis diiudicari poteſt, ab his ſolis cernitur.

Atqui leges ſunt opera ciuilia & politici.

Ergo de legibus, quæ bona, quæ mala, quæ optima, exiſtimabit nō imperitus, ſed vſu peritus, nō is, q ex cōmentariis dūtaxat ſapit; ſed qui in reb. ipſis iā ſit verſatus.

De propoſitione iam nonnihil dictum & ſupra *li. 1. cap. 3.* eam confirmat hoc loco Ariſt. exemplo Muſicæ & artis pingendi. de qua pingendi arte extat elegantiſſimus locus huc prorſus pertinens apud Cic. *lib. 2. artis veteris*, i. *de inuentio. in præfat.*

De aſſumptione, οἱ δὲ νόμοι, &c. res eſt certa, etſi de ea grauiſſime laborat Plato *in Politico*, vt reperiat opus Politici; Nā & ſupra *lib. 2. & lib. 6.* docuimus, politici finem & ſcopū eſſe εὐνομίαν, bonam legum & iuris deſcriptionem. Ex his perſpicuum eſt, grauiter hallucinari ſophiſtas, qui ex commentariis aut legibus ciuitatum in vnum conductis, legum ſcientiam parari poſſe exiſtimarint. Confirmat idem Ariſt. exemplo medicorum. Nam neq; hos ex libris & cōmentariis effici, ſed vſu. reperiri quidē nonnullos, qui teneant medicamētorum genera, & quæ, quibus, quando præbenda, qui tn̄, quia vſum nullū habeant, medicinam facere nō poſſint: nā peritis tn̄ & vſum habentibus ea eſſe vtilia, aliis nō item. Itaq; vt de collectionib⁹ & eclogis tandē concludat Ariſt. ἴσως οὖν καὶ τῶν νόμων ait, eſſe quidē eam rem vſu peritis & iudicio ad ſeligēdum præditis perutilē, ſed imperitis nequaquā, vtpote iudicii expertibus, niſi, inquit, forte vel caſu, his colligēdis iudiciū ſibi pariant, i. ad iudicandum opus eſt habitu, qui vſu cōparatur, interdum tn̄ caſu & forte ēt bene iudicat, quamuis habitum vſu ſibi nondum cōparatit. Veriſſime igitur hæc legū collectio nullum adfert iudicium, niſi fortuitum. Neq; tn̄ plane eſt inutilis. Nā aptiores & intelligentiores eos, qui his rebus colligēdis dant operam, efficit, & hoc eſt quod ait, εὐσυνετωτέρους

 εἰς δὲ

δι εἰς. Ex quibus omnibus iam perſpicuum, in vſu ad cognoſcendam politicam plurimum eſſe poſitum, in collectis legibus aut inſtitutis parum: In libris tamen & ſcriptis præclaris, vt Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis plurimum, vtpote à viris & doctis, & vſu peritis, editis & conſcriptis, magno cũ iudicio. Habet tamen & ea collectio ſuam vtilitatem, maxime apud iudicio præditos. Quare & hoc adiumento vſus eſt ipſe Ariſt. qui 158 ciuitatum leges & inſtituta collegit, teſte Cic. *lib. 5. de fin.* & Laertio. Etſi & vſum habuit non mediocrem, qui octo annos in Regia Philippi ſit verſatus, & Stagiritis ciuibus ſuis leges dederit. Hac ratione & via vſus eſt & Cic. in componenda arte Rhetorica exemplo Zeuxis pictoris, qua de re *init. lib. 2. vet. Rhetorices*. Vſus eſt & Vegetius in componenda re militari, ope commentariorum veterum, Catonis, Auguſti, Hadriani. Vſus & eadem ratione eſt præſtantiſſimus Heraclides, cuius etiam nunc extant eclogæ 42 ciuitatum.

παραλιπόντων οὖν.] Hic tandẽ aperit Ariſt. conſilii ſui cauſam, cur ipſe de legum ſcientia conſcribat, nimirũ quia veterũ nemo de ea ſcripſerit, & ſophiſtæ perperam plane doceãt, cuius tamen ad bene beateque viuendum, vtiliſſima & plane neceſſaria ſit cognitio, vt ſupra oſtẽdimus. Dicet aliquis Platonẽ iam hac de re ſcripſiſſe. Reſponderi poteſt, ne Platonem quidẽ recte ſcripſiſſe, quẽ ſæpe in libris Politicorũ reprehendit Ariſt. Hæc ergo eſt cauſa, cur Ariſt. de legibus ſcribendum ſibi exiſtimarit. Quin etiam adiũgit, melius ſe facturum, ſi nõ tantum de legibus, ſed de magiſtratibus, ſenatu, iudiciis, diſciplina, de tota deniq; Repub. explicet, vt tota vndiq; philoſophia humana tandem perficiatur, quem Ariſt. in his libris Ethicorum & Politicorum finem & ſcopum eſſe oſtendimus ſupra *lib. 1.* Omnis namq; philoſophia partim eſt diuina, partim humana, omiſſa aliiſque libris reſeruata illa, hæc tota: cuius duæ ſummæ ſunt partes, vna de moribus, altera de legibus, toto hoc opere Ethicorum & Politicorum abſoluitur.

πρῶτον μὲν οὖν.] Breuem adfert Epitomen & partitionem Politicorum, etſi non ſatis exquiſitam, trimembrem. Primum namq; ſe expoſiturum ait, ſingulas aliorum de ciuitatum ratione ſententias, vt *lib. 2.* Deinde, de cauſis ſalutis & interitus Rerumpub. vt *lib. 5.* Poſtremo de optimo Reipublicæ ſtatu & genere, vt *lib. 7. 8. & reliquis, qui interierunt, &c.*

FINIS LIBRI X.

ELEN-

ELENCHVS RERVM, VERBORVM ET SENTENTIARVM HISCE IN D. OBERTI GIPHANII Commentarijs ad Decem Ariſtotelis Ethicorum libros contentarum copioſus, & Alphabeti ordine digeſtus.

A.

Abdicatio eſt liberorum à familia reiectio & alienatio, Gracis vſitata, Roma rarior. 704. huius exemplũ eſt apud Valeriũ Max. 704. & ſeq.

Abraham turpitudinem mentitus eſt metu mortis 159

Abſtracti ratio quæ eſt, eadem met concreti ſecundum Grãmaticos. 281. eadem & coniugatorum natura ſecũdum dialecticos 281

Accipere iniuriam eſt perpeti quid contra voluntatem. 449.

Actionis nomẽ commune eſt. 9.

Actiones ciuiles ſunt publica & priuata, & quænam. 351. in publicis politica & legislatio, in priuatis ius ciuile 351

Actionum humanarũ & virtutum omnium cauſa efficiens quæ. 355. huius cauſa genera ſunt ſeptem & quæ 153

Actionũ ſenſus & mentis multi ſunt gradus 790

Actionis principium eſt deliberationis finis 188

Actio libera eſt comes habitus bene affecti tanquam vmbra 612

Actiones honeſtæ ſui natura ſunt iucundæ 65

Actiones voluptate amplificãtur & augentur 795

Actiones ex ratione dicuntur voluntariæ 748

Actiones puræ, quæ dicuntur. 799

Acumen & ingenium eſt vis quædam rationis & mentis. 518. hoc natura comparatur, prudentia vſu, & eſt pars quædam prudentiæ & velut inchoatio 518

Acuti qui dicuntur 580

Adiumenta & via, quib. virtus paratur, quæ 827

Adoleſcens contemplari incipiens non eſt beatus 816

Adoleſcentibus quæ virtutes conueniunt 209

Adoleſcentes natura magis liberales ſunt quam ſenes 259

Ædificatio eſt ortus ipſius domus 597

Æquale vt eſt interiectum inter

ter

ter minus & maius: ſic medium quoque duobus extremis 135
Æqualis æqualem amat 690
Æqualitas amicitiæ parēs mater 629
Æqualitas eſt prima pars æquitatis. 355. huius exempla quæ 356
Æqualitatis Arithmeticæ & Geometricæ genera quæ 362 & ſeq. quæ & Deus in moliendo mundo vſus 363
Æqualitas eſt medietas quædam inter nimium & parum 116
Æqualitas Analogica ſeu Geometrica in iure maxime ſpectari ſolet 604
Æquitas eſt, quod ratio naturalis deſiderat 442
Æquitatis nomen plures habet notiones 433. nulla æquitas eſt ſcripta 435
Æquitas legem ſubſequitur, & eſt quaſi legis exceptio. 438. hæc eſt ipſarum legum bona fides 441
Æquitas idem valet, quod æqualitas. 355. dicitur amicitiæ mater. 355 cōmunis parēs iuris & amicitiæ 355
Ætas flor ns ex venuſtate non perficitur 791
Affinitas inter formas rerū & actiones quæ 52
Alcibiadis & Epaminōdæ fortitudo erat diſſimilis & cur. 120
Alia eſt virtus magiſtratus, alia ciuis 661
Aliud eſt ignorātia quid facere, aliud ignorantem 150
Aliud eſt iniuriā facere, aliud rem facere iniuſtam 426
Alterum alterius ope neceſſe eſt 827
Altrix animi pars eſt homini cum alijs cōmunis. 86. in ſomnis non quieſcit, ſed maxime viget 86
Altrix, ſentiens & intelligens ſunt animi partes 789
Amare quid eſt 644
Amare eſt quædam actio, amari vero perpeſſio 668
Amicitia in aduerſis quæ, & quæ in proſperis. 766. & ſeq. in hac tria maxime ſpectā da & quæ 768
Amicitia ciuilis ex facto diiudicatur, moralis ex conſilio. 391
Amicitiæ finis quis 752
Amicitia Ariſtocratica inter improbos cōiuges non ſemper ſeruatur, & in Anglia 682
Amicitia in ſocietate & communitate verſatur 674
Amicitia eſt concordia quædā. 756. Differētia inter veram & ciuilem 736
Amcitia ad vitā maxime neceſſaria & cur 625
Amicitiæ definitio ſecundū Ciceron. 769
Amicitiæ locus vbiq; eſſe poteſt 636. hac qui digni 645
Amicitia voluptatem iūctam habet 755

Ami-

Amicitia definitio qua.635.hac eſt perſpicua, beneuolentia vero obſcura & occulta 636
Amicitias mediocros habere oportet 761
Amicus certus in re incerta cernitur 766
Amicorum vſus in rebus ſecūdis nullus, ſed in aduerſis 7·2
Amicus alter ipſe 689
Amicus amico eſt Deus 666
Amici propriū eſt beneficiis amicum proſequi.766. horum differentia qua in aduerſis & proſperis. 766. & ſeq horū praſentia eſt iucunda 767
Amicorū multitudinis modus quidam eſſe debet, non ſecus atq; ciuitatis 763
Amico egeno etiam nō roganti opem ferre debemus 768
Amici vita eo ſuauior viro bono, quo magis ſentiatur.760 ex conuictu cognoſcuntur & explorantur.760. horum cōuictus qua in re poſitus eſſe debeat. 760. hi ſunt in numero expetendarum, bonarum & iucundarum 761
Amicum iuuare honeſtum eſt, ſed malis artib. non itē. 302
Amici tot ſunt, quot vna viuere poſſunt 763
Amicorum tria ſunt genera & quenam.753. natura ſunt iucundi 755
Amicorum vſus quis & qualis 766
Amicorum omnia ſunt cōmunia. 672. horum genera quenam 692
Amico ſape plus quam ſibi tribuendum, quando & in quibus 721
Amici non tantū eſt bene velle, ſed & benefacere 636
Amicus in amore reſpondere debet 637
Amor eſt ſpecies obſeruantia & honoris 667
Amor eſt quadā appetitio 634
An plus tribuens, an vero capiens iniuriam facit. 423. Quis an ſibi ipſe iniuriam facere poſſit 423
Anabaptiſtarum error de bonorum communicatione ad imitationem olim Chriſtianorum 364
Analogia omnis eſt aqualitas, ſed non contra 365
Analogia inter partes & totū qua 688
Ανδρείας *nomen ambiguum* 23
An aquū & homine Chriſtiano dignum aliquem in ius trahere 721
Anima eſt rationis particeps vel expers 516
Anima ratione pradita eſt practica & theorica. 52. vſus huius partitionis qui 53
Animantium perfectio eſt ſenſuum acumen 795
Animus & homo principium politicum efficiens 453
in Animo tria ſunt, & q̄nā 110
Animi partes vera qua dicūtur 85. qua harum vis, & cur hominis propria 85

Appe-

Appetitus genera tria ſunt & quænam 333
Appetitus in homine ſunt tria genera, & quænam 174
Arborum perfectio eſt fœcunditas 794
Archelaus dicit iuſta reuera nulla eſſe, ſed tantum opinione 23
Architectura, huic quænã deſeruiunt. 10. *Item quænam arti equeſtri, quæ medicinæ, quæ textoriæ* 10
Artis ædificandi actio eſt ipſa ædificatio, opus eſt domus. 10
Arithmetica & Geometrica proportio hic obſeruãda. 338. *ſeqq & quænam illa.* 339. *& & ſeqq.*
Ariſtoteles contra Philip. Melanth. principia naturæ non eſſe inſita nobis, ſed aptitudinem percipiendi tantum ait 520
Ariſtoteli mens eſt in diſputationibus grauioribus primũ quærere, & controuerſiam proponere, poſtea tãdem explicare 514
Ariſtot. vtitur numero multitudinis pro ſingulari. 21. *& genus ſæpius p genere vſurpat* 21
Ariſtotelis opera ſunt bipartita & quænam 85
Ariſtoteles Platonem vocat amicum ſuum 5
Ariſtoteles tractationem beatitudinis tribuit 3. ſcientiis, & quænam illæ 20
Arrogans & glorioſus, quomodo differunt 316
Arrogantiæ genera quæ ſunt. 337
Ars & inſtitutio quod naturæ deeſt, ſupplere debet 45
Artes quædam ſunt dominæ, aliæ ſeruæ & famulæ 523
Artes & ſcientiæ obliuione & ætate pereunt 476
Artis notio quæ eſt multiplex. eius definitio quæ. 465. *hæc quid à veris ſcientijs differat* 468
Artes nõ pertinẽt ad opera & munera 609. *hæ non ſunt actionum ſicut voluptas.* 609. *artes voluptatum quæ* 609
Artes & virtutes non natura, ſed faciendo comparantur. 105. *harum affinitas quæ* 105
Artium tractandarũ ratio eſt exquiſita & popularis 16
Aſinus ex ſtramento voluptatem capit 801
Aſſentator quiſnam dicitur. 667
Auaritiæ genera varia & quæ. 267. *hæc liberalitati contraria* 269
Auarus niſi cum moritur, nihil rectè facit. 266. *hic in nullũ bonus, in ſe peſſimus eſt* 66
Audacia ignauia ſimpliciter & abſolute contraria eſt, fortitudini aliquo modo 135
Audacia ignauiæ eſt contraria 611
Auditori politica neceſſaria admodum

modum phyſica cognitio 27
Αὐτάρκεια *latine* quod ſatis, *barbare* ſufficientia, *gallice* contentamentum 811
Authoris commẽtariorum reprehenſio in Philip. Melanthon. quod in epitome Ethices omnia confuderit 366
Author commentariorum dicit Politica eſſe mutila, Ethica vero integra 6
Author Commentariorum vidit 9. verſiones in Ariſtotelis Ethica. 4. & quænam. ibid.
Author Ethica diuidit in 3. capita & quæ 6. in proœmio 3. agit & quæ 6. tractationem in 2. partes diuidit 6

B.

Beata vita non eſt in actionib. ludicris. 805. *non in habitu, ſed actione* 808
Beatitudo virtute efficitur, & eſt actio ex vniuerſa virtute manans 515
Beatitudinis epitheton non eſt laudabile, ſed honoratum. 822. *& ſeq. hæc an ſit contẽplatio quædam* 823
Beatitudinis ꝓpria omnia ſunt perfecta 816
Beatitudo eſt finita & perfecta 77. *cur ea ad mortuum demanet, rationes quæ* 78
Beatitudinis cauſa quænam. 68
Beatitudo eſt principium vitæ & ſcientiæ politicæ 60
Beatitudo an ſit ex genere bonorum laudabilium, ſeu honoratorum 80. *quod hæc nõ ſit ex genere laudabilium, quænam rationes* 80
Beatitudo eſt comes & effectus actionis virtuti congruentis 799
Beatitudinem vulgus ponit in rebus ſenſui ſubiectis 28
Beato an amicis opus ſit 754
Beatus dicitur bene agere, vt bene viuere 63
Beluarum genera varia ſunt. 569
Bene conſultare prudentis eſt ſummum officium 486
Benefacere eſt quidem magnifici & factũ quoddam eius, ſed non materia 255
Benefacta male locata teſte Ennio, malefacta dicuntur 257
Benefacta ſunt perpetua 742
Beneficentiæ genera ſunt pecunia & opera. 293. *Exempla eius quæ* 294
Beneficentia parentum erga liberos maior eſt, quam regum erga ſuos 682
Beneficium dare difficilius eſt quam accipere 743
Beniuolentia eſt principium & fons amicitiæ. 733. *dicitur etiam ignaua quædam amicitia* 733
Beniuolus quis & quæ cupit. 732
Benignitas non debet eſſe maior teſte Cicerone, quam facultates 259
Βίαια, *dicuntur, quæ natura ſint*

ſint contraria 36

Bis dat, qui cito dat 257

Blandi qui dicuntur 310

Bona vulgo quæ dicuntur 122

Bonis omnia ſunt optima & bona 432

Bona propter aliud ſeu propter illa per ſe, quæ dicantur 42

Bona quo notiora, eo iucundiora ſunt 759

Bonorum appellatione quæ contineantur 24

Bona ſunt diuina & humana, diuina vocantur virtutes, humana corporis & fortunæ bona reliqua. 29. *Bona quo communiora, eo ſunt præſtātiora.* 19. *bonum humanū eſt vnius hominis: politica vero ciuitatis* 19

Bonum in quātitate eſt mediocritas, in collatione honor magiſtratus, diuitiæ & bona vtilia, concordia 38

Bonum commune quodnam eſt 44. *humana ſunt vniuerſalia vel ſingularia.* 44. *vniuerſalia quæ dicuntur* 44

Bonum tot modis dicitur, quot id quod eſt 38 *bonum in omni categoria eſt.* 38. *iuſtum eſt Deus & mens, in qualitate artes, ſcientiæ & virtutes* 38

Bonus vir quis dicatur 751

Brutus eſt autor libertatis Romanæ 157

C.

Capita Ethicorum diuidit in 4. partes, & quænam Ariſtoteles 6

Caſtigatio & animaduerſio eſt curatio quædam 302

Cato dicit nihil abſurdius eſſe, quam plus viatici quærere, vbi minus viæ reſtat 267

Cauſa beatitudinis eſt virtus & diſciplina, non fortuna. 69

Cauſa nō mutata, manet idem effectus 792

Cauſa fraternæ amicitiæ quænam 688

Celeritas omnis conſilijs inimica eſt 500

Chariora quæ magno, quā quæ paruo labore parantur, æſtimantur. 742. *& difficiliora.* 743

Charitas non quærit, quæ ſua ſunt 636

Charondas fuit antiquus legiſlator 711

Chriſtianorū ludus in hac vita quī 158

Cicero legē naturæ vocat principem 427

Ciceronis liber Hortenſius Philoſophicus perijt 821

Cicero ait multos medios ſalis ſimul eſſe edendos, vt munus amicitiæ ſit expletum. 646

Cicero imprudentiam vocat iuris ciuilis fere ignoratiam. 162

Cicero dicit vocabulum beatitudinis eſſe aſperius 28

Cicero cū Stoicis verecundiam eſſe putauit 327

Cicero virtutum ſemina vocat

lumina naturæ 92
Cicero legis nomen à delectu deducit 400
Ciuitates concordia continentur; diſcordia euertuntur. 628. Concordia eſt tantum ciuilis amicitia, non omnes teſte Ariſtotele. 736. eius diuiſio quæ 737
Ciuium modus aliquis eſſe debet, & qui numerus 763
Ciui, Lacedæmone & Romæ opificium exercere ꝓhibitum erat 17
Clementia legi & iuri directe repugnat 438
Cognationis amicitia magis eſt ex ſanguine & neceſſitudine: ſodalium vero ex morum ſimilitudine & ſtudiorum æqualium 686
Colligere quidem facile eſt, ſed collecta dijudicare, & optima ſeligere difficilimum 839
Colloquia praua corrumpunt bonos mores 93
Comus quis dicatur 312
Communitas omnis vel rei eſt, vel nominis 43
Comparatio vitæ theoreticæ & practicæ 816
Concordia inter probos quæ, & qualis inter improbos & an diuturna 737
Condimenta ciborum ſi multa adfundantur, ingrata ſunt; ſi aſperganiur, iucunda & grata 762
Coniugum amicitia vera eſt naturalis 692
Coniunctio ſtudiorum & voluntatum veriſſima amicitiæ nota eſt 722
Conſuetudo & longi temporis periclitatio neceſſaria eſt veræ amicitiæ. 656. hæc eſt bimembris. 659. & quid de potentibus amicis ſtatuendum 658
Cõſilium in quibus rebus verſatur. 176. non eſt voluntas, & quid ſit 177
Contemplatio eſt mentis & actio omnium præſtantiſſima. 809 in contemplando minor labor quam in agendo. 809. contemplatio intra ſe vertitur, actio regitur occaſionibus 809
Continentia eſt virtus imperfecta 87
Continentia an ſit virtus 329
Continentia eſt res difficilima & præclariſſima. 536. eius proprium quodnam 536
Cõtractus dicitur ſynallagma, ex quo obligatio oritur. 351. & quid 351
Contractuum bona fides eſt dictorum & factorum noſtrorum quædam æquitas 441
Contraria contrarijs ſunt vtilia 070
Contraria ſunt medium & extrema, vel nimium & parum 127
Contrariorum contraria eſt definitio 49
Conuictus eſt norma multitudinis 564

Corporis voluptates ſunt innumerabiles. 616. cur & quatenus expetendæ & fugiendæ 619
Corporis bona inſigniora quænam ſunt 290
Corpora liberorum hominum ſunt inæſtimabilia 369. large ſumendo æſtimari poſſunt 369
Cui plus debetur, illi magis tribuendum eſt 694
Cultri natura eſt vna, varia ac multa ſecans 141
Cupiditas & actio quomodo differunt 798
Cupiditas in quibus rebus verſatur 176
Cupiditates ſunt naturales aut inanes 241
Cupido eſt in oculis, in hiſce vero amor 647
Curatio omnis per contraria fit 102

D.

Datorem hilarem, teſte Apoſtolo, diligit Deus 257
Dedecus eſt ſemper ſumere teſte Martiali, nihilq; reddere. 257
Definitio voluptatis quæ. 606. hæc & telos quomodo & qd differũt. 605. hæ duorum generum ſunt & quæ 608
Definitio eſt oratio, quæ rei cuiuſq; naturam declarat 125
Deliberata quidem cito agenda, ſed diu & mature deliberandum 499
Deliberatio non cadit, niſi in res inſtabiles & agendas, 499
Deliberatio non eſt, niſi de reb. quæ fieri poſſunt 731
Deliberatio rei gerendæ cauſa inſtituitur. 189. & quod ſub deliberationem cadit, idem & ſub conſilium. 190. quæ eius differentia, & huius ratio 191
Deliberatio deſinit, quando ad actionem peruenitur 509
Democratiæ æqualitas alta eſt quam regni 365
in Democratia omnia ſunt cõmunia, nullus alteri præfertur, ſed ſumus infimo æqualis. 685. extrema ſunt tyrannis & hæc 685
Democritus apud Ciceronem beatitudinem in animi trãquillitate & ſecuritate poſuit 815
Deprauationis cauſa quæ 802
Deorum opus & munus quodnam & quale 821
Deus ſimilem ad ſimilem ducit 629
in Deum non cadit virtus, ſed omnia excellentia in illum cadunt 528
Deus vnus, multi amici 761
Dicacitas ſcurrilis à Chriſtianis, teſte Paulo Apoſtolo, lõge abeſſe debet 322
Dicæarchus quis fuit, & quæ diſputatio eius cum Theophraſto de vita practici & theoretici cuius præſtantior. 626

Dica-

Dicaoma quid eſt 406
Dicendi facultas ex dicēdo naſcitur 93
Dicteria ferre nō minor eſt virtus, quam iacere 323
Dictio, ῥῆσις, *Græca ponitur pro* ſed *ſicut apud Latinos vox*, enim 19
Dies Dd. vnus plus patet, quā idiotarum tota vita 750
Differentia intemperantis & impotentis quæ 543
Differētia inter laudem & encomium quæ 82
Differentia auditorum triplex. 31
Differentia de æqualitate Arithmetica & Geometrica quæ 305
Difficilia quæ pulchra 138
Difficile eſt fortunam ſecūdam ſine virtute ferre 292
Dignitas Democratiæ in libertate poſita eſt, regni vero in virtute. 365. *Exempla quæ ibid.*
Diluere proprie eſt, maculas lauando detergere; hinc elegans phraſis apud Cicer. diluere amicitias 719
Diſputatio omnis à definitione oriri debet 590
Diſſimilitudo inter ignauiam & intemperantiam quæ. 244
Diſſimulatores qui dicantur. 319. *horum genera & exempla quæ* 319
Diſtinctio inter teſtamenta rupta, irrita & iniuſta quæ 1.3
Diſtinctio politica & œconomica quæ 21
Diu deliberandū & antequam conſulto 500
Diuiſio omnis pertinet ad categoriam quantitatis 115
Diuiſiones iuris variæ & quæ. 406. *ius naturale omnibus locis ſemper valet: ciuile nō.* 406. *ius partitur in ſcriptū & non ſcriptum* 406
Diuitiæ quo maiores, eo magis pernitioſæ 554
Diuitiæ & opes magnanimum ornant 291
Docere ſcientis eſt propriū. 462. *doceri & diſcendo percipi poteſt ſcientia* 463
Doctrina omnis abſoluitur principijs & ijs, quæ ex illis efficiuntur 2
Dolor & aliena voluptas quid differunt 707
Dolor omnibus fugiendus & vitandus 775

E.

Ea quæ ſupra nos ſunt non ſunt cognoſcenda vel exquirenda 818
Ea quæ conſilij ſunt, dicuntur voluntaria 295
Ea ad quæ procliuiores ſumus, nobis magis contraria videtur 136
Ebrietas ſpes iubet eſſe ratas. 231
Ebrietas quid non deſignat? inquit Horatius 164

Edendum vt viuas, non viuẽdum vt edas 806
Effecta in politica quæ ſunt, & quæ cauſa 30
Effecta ſuis cauſis reſpondere debent 75
Egeno an aliquid dandum, ſed quis & cui 525
Egeſtas eſt mater ſcelerum & iniuſtitiæ 812
Elatus quis dicatur. 298. 301. *Exempla de laudatione & veſtitu eius* 301
Elegantes quinam dicuntur. 143. & ſeq.
Eius eſt non nolle, qui poteſt & velle 196
Emptor dicitur quam minimo emere: venditor quam maximo vendere 373
Energia vox eſt communis 9
Epicharmus quis fuerit, & de eius libris qui perierunt 738
Equi virtus quæ 113
Eraſmi exempla de amicitia quæ 627
Ethica & Politica Ariſtotelis tam inter ſe ſunt connexa, vt qui vnius operis ſit autor & alterius quoq; erit 5
Eubulia eſt conſultatio bona. 500. *Ea eſt vel vera, vel falſa.* 501. *hæc eſt vis quædam, quæ conſilia & deliberationes recte dirigantur, eius definitio quæ* 503
Euenta alia grauia, alia lenia. 79
Excellens diuitijs largiri egeno debet 681
Excellentia magnorum propria eſt 284
Exemplum Melancholici Patritij Veneti inſigne 563
Expectatio rerum vtilium iucundior, quam honeſtarum. 742. *res futuræ non ſunt nota* 742
Ex quo quid oritur, in idem interit 781
Extremum arripe, & habebis vltimum 139
Extremorum cum medio affinitas quæ 136

F.

Fabij cunctatoris & Marij fortitudo eſt diſſimilis & cur. 120
Facere verbum multifariam dicitur 428
Facere cur grauius malum, quam accipere, Ratio quæ. 447 & ſeq.
Facere honeſta & turpia intermittere noſtri arbitrij ſunt. 197
Facilius eſt accipere, quã dare 255
Facta mixta quæ dicãtur. 154. *& quæ voluntaria.* 155. *& quæ ſunt eius generis.* 155. *quæ neceſſaria.* 156. *horum diſſimilitudo quæ* 157
Facta fortitudinis ſunt cũ dolore, eius finis cum voluptate 134
Factorum differentia quænam. 95. *pro horum varietate habitus etiam ſunt diſſimiles.* 95

Facta

Facta omnia ſiunt natura, caſu vel temere 124. *quæ in his continentur* 126
Factorum omnium principium eſt ipſe homo, ſeu eius animus, qui eſt duplex. 174
Facta omnia ex appetitu oriuntur 252
Facultatum & ſcientiarũ differentia quæ, & ratio. 334. *harum genera quæ* 335
Famelico ſumptio cibi eſt iucũda, ſaturo moleſta 623
Fœminæ apud Tartaros poſt partum non decumbunt, ſed mares 563
Feſtina lente 122
Figulus figulum odit 630
Filius eſt patris pars 687
Finium alij ſunt actiones, alij opera 10
Forma ſemper ineſt ei, cui eſt forma 791
Fortitudo eſt periculorũ ſuſceptio ex legum præſcripto 348
Fortitudinis nimium eſt audacia, parum ignauia 142
Fortitudinis officia inquit Cicero videri omniũ eſſe ſplendidiſſima 208
Fortitudinis definitio quæ 209
Fortitudo alia ciuilis, alia militaris. 336. *ſic & ignauia. ibid.*
Fortuna bona, an ad beatitudinem ſint neceſſaria 68
Fortunæ bonæ definitio quæ. 614
Fortunæ euenta ſunt proſpera vel aduerſa, item magna vel parua 78
Fortuna an ſit cauſa efficiens beatitudinis 68
Fortunati tempore vitæ dimidiato à miſeris nihil differunt 86
Fratrum idem ſanguis eſt & eadem ſtirps 673
Fratrem, pupillum aut ſocium fraudare grauius quam ciuem 673
Fratrem opem rogantem deſerere grauiſſimum crimen. 673
Fratrum ſocietas eſt Democratica. 681. *huius imago eſt domus domino & rectore carens.* 681. *ſenior ex fratribus iuniori eſt patris loco* 681
Fruire aliqua iucundius eſt, quam expectare & ſperare. 741
Fruitio ipſa recordatione & expectatione iucundior 741
Furor & ira mentem ſæpe præcipitant. 228

G.

Galenus ait, medicinam niti duobus cruribus, vſu & cognitione 838
Gallus gallinaceus ex grano frumenti voluptatem capit. 801
Genera actionum quæ ſunt 803
Genera hominum ſunt tria & quænam 294
Genera principiorũ ſunt duo, & quænam 29

Genera turpitudinis duo ſunt & quæ 328
Generis unius eſt una ſcientia. 39
Generoſi animi eſt largiri & nihil accipere 265
Genus, opes, diuitiæ cur vulgo ſint honorabilia 291
Genu ſura propius eſt 723
Gloria virtutis rei præſtantiſſimæ eſt præmium 285
Gloriæ arrogantia quorum 318
Glorioſus cernitur in quæſtu & gloria 318
Γνώμη ſententia quid eſt 506. *hoc vocabulum eſt multiplex.* 607. *hæc cum intelligẽtia quomodo conuenit* 508
Graculus graculo aſſidet 629
Gradus amicorum ſunt tres & quinam 716
Græci quinque vocabula habent, quibus hoc ſummum bonum explicant 27
Græcis turpe erat mulieres virorum conuiuiis adhibere, Romæ non item 328
Græcis hodie veſtibus ſuis fila aurea & argentea intexere non licet 18

H.

Habilitas idem eſt quòd opportunitas 517
Habituum natura quæ eſt, & quæ opinionis 461
Habitum acquirere in nobis eſt poſitum, abijcere iam partũ non item 428
Habitus intelligentia ſæpe dicitur intelligentia 798
Habitus omnes ſunt virtutæ laudabiles 87
Habitus ſunt tres, & quinam. 131
Habitus ſcientiæ pugnat cum actu 551
Harmonia nulla ſine ordine eſt 801
Helleborum bilem omnem purgat 129
Heraclitus dicebat iræ obſiſtere difficile eſſe 204
Heracliti ſectatores omnia mordicus tuebantur, nihil largiebantur 588
Hereditatem adire nolle nõ videtur, qui non poteſt velle 196
Heroes qui dicuntur. 529. *exẽpla varia* 529
Heroica virtus rara 529
Homerica menſa plerumque eſuriens 964
Homines ſunt Dei mancipia. 221
Hominis propria ſunt cupiditas & ira 171
Hominem decet humana, mortalẽ mortalia ſapere & exquirere 818
Homo improbus eſt teſte Plauto, qui beneficiũ ſumere ſcit, & reddere quid neſcit 237
Homines ad turpia adducũtur pulchritudine vel voluptate 160
Homines gloria ad benefaciendum incitat 300
Hominũ actiones non ſunt perpetuæ. 792. *& cur* 793

Homi-

Hominũ ſtudia ſunt varia 769
Homines caſtigationib. & pœnis meliores redduntur 102
Homo ex auro & gemma voluptatem capit 801
Hominis totius actio eſt vita. 51
Homines facetos cur amamus. 633
Homines ad ciuitatem conſtituendam neceſſarij cur ſunt. 383
Homonymorum duo ſunt genera & quæ. 43. homonyma conſilij ſunt quadripartita. 43
Honeſtum eſt dare beneficium, vtile accipere 741
Honoris cupiditas nimia nõ niſi in rariſſima ingenia cadere ſolet 303
Honor, reuerentia & obſeruantia debetur parentibus non ſecus atq; ipſi Deo 715
Honos eſt virtutis præmium ac teſtimonium 43
Honos maior in amari quam in amare 663
Honos eſt præmium excellentiæ 681
Hortationes ſunt Philoſophorum, imperia, iuſſa & vetita legum ſcriptorum 820

I.

Idea non eſt ſummum bonum. 36. & quid illa ſint 37
Ignis & aqua, in quibus conueniunt. 37. & quis alteri prior 37
Ignis natura eſt vna, varia vrens 141
Ignoti nulla cupido 754
Ignorantia genera ſunt duo, & quænam 163. huius attributa ſunt, & quænam 166. & ſeq huius exempla quæ 167
Ignorãtiæ genera varia & quæ 410
Imbecillis forti inimicus 630
Impenſarum genera quæ 275
Impenſæ publicæ quæ ſunt. 276 harum Athenis erant quatuor genera & quæ 276 quæ priuatæ dicuntur 277
Imperantibus ad pœnas ſumẽdas vtilis videtur eſſe ira. 309
Immanitas eſt rara. 529 huius genera ſunt tria 529
Impotens dicitur is, qui ſibi imperare non poteſt 531
Impotens ſibi imperare non poteſt, nec affectus comprimere. 531. quis dicitur impotens & quis continens 532
Improbus nihil conſtantiæ habet 725
Improbi imprudentes peccant dupliciter & quomodo. 165. horum ignorantia quæ 165
Improbus iraſci quoque inimicis decet 170
Imprudentia, cuius ipſi non ſimus autor excuſat & veniã meretur 417
Induſtria idem eſt, quod labor & diligentia 517
Infirmitas cur homines reddiat illiberales, quæ rationes. 207

I firmus medico inimicus 630
Infortunium & peccatũ quemadmodũ differunt 413
Infortunium quod eſt 40
Iniquum petendum vt æquum auferas, teſte Quintiliano 139
Initia factorum, progreſſus & extrema in noſtra ſunt poteſtate 208
Iniuriam facit, qui ſpõte nocet alij 422
Iniuriam accipere eſt in aliena poteſtate ſitum 423
Iniuria eſt nihil aliud quam læſio alterius 430
Iniuriæ nomen eſt ambiguum 405
Iniuſta facere quid eſt. 394. & ſequent.
Iniuſtitia genera quæ. 337. 3 3. i ſtitia & iniuſtitia genera quæ 336. ratio quæ 353
Iniuſtum & inæquale quomodo differunt, & horum verborum comparatio. 368. hæc oſtenditur in exemplo percutientis & percuſſi, interficientis & interfecti 368
Intelligentia vocabulum eſt homonymon 476
Intemperans is dicitur qui immodice voluptatibus vtitur 237
Intemperantia magis voluntaria eſt quam ignauia 246
Inuidentia & maleuolentia quid differunt 133
Iocandi genera quæ ſint. 322. inter hæc differentia quæ 322
Iocus in vita eſt res vſitatiſſima & ſcommata frequẽtiſſima 321
Ira furor breuis eſt 307
Ira definitio quæ 415
Ira rationi magis ſimilis eſt quam voluptas 104
Iraſeu animo obſiſtere & moderari difficilimum eſt 204
Iraſci nimium & parum, malum eſſe, moderate bonum, vulgo dicimus 121
Iratus vindictæ cupidus ſi inimicum vlciſcitur, gaudet: ſi non, dolet 101
Ironiæ & diſſimulationis comparatio quæ 320
Iſocrates dicit ciues alios eſſe φύσει, alios νόμῳ 23
Iucũda ſunt partim natura partim cõtra naturã 558. horum generum ſunt infinita 559
Iucundius eſt agere cum viris bonis & amicis 756
Iudicium & conſilium in virtutibus maxime elucet, ſecus in perturbationibus 118
Iudicium intelligentiæ eſt directum, ſententia vero mitis & benignum 68
Iuliano Imperatori exilitas corporis multum detraxit 291
I.C. non eſt tam ſcriptor legum quam interpres & explanator 489
Iuriſprudentia quæ eſt 335
Iuriſprudentia eſt publica & priuata 3
Iura mutabilia ſunt duorum generum. 493. Ciuilia ſunt

pacto & vtilitate. 404. dicuntur iura hominum 404. horum genera varia & quæ 404. &c.
Ius à iuſtitia dicitur 330. & eſt iuſta actio ſeu factum ex iuſtitia vt habitu ſuo manãs, eique congruens 350
Ius naturale quid eſt 399
Ius ciuile olim in 3. locis totius orbis ſaltem docebatur, & quænam illa loca 18
Ius & iniuria diſcernitur pro factorum ſeu circumſtantiarum & attributorũ varietate 377
Iuris vocabulum homonymum eſt & multiplex. 392
Iuris naturalis deſcriptio quæ. 399. & quæ legitimi. 400. legitimi partes quæ 401. commune ius quid 401 Exempla iuris ſingularis quæ 401
Ius nullum inter Dominum & ſeruum, & cur 398
Ius politicum quodnam eſt. 392. eius deſcriptio quæ. 393. & abſolute ius. 395. eius partitio quæ 399
Iuſtinianus prohibet, ne libri iuris alij quàm ſui profiteãtur 18
Iuſtitia nimium & parum iniuria 148
Iuſtitia quæ eſt. 389. huius definitionis partes quæ 390
Iuſtitia laus eſt in contractibus 251
Iuſtitia an ſit habitus, actio vel effectum ſeu factum 112
Iuſtitia & iniuſtitia deſcriptiones quæ. 333. & ſeq.
Iuſtitia ab Ariſtotele cur dicitur perfecta 36
Iuſtitia eſt legum obſeruantia, iniuſtitia vero earum violatio. 348. iuſtitia definitio quæ. 348 eius diuiſio 350
Iuſtum damni & lucri eſt medium in contractibus neceſſarijs 373
Iuſtum eſt & æquale, & medium 356
Iuſtus ſepties in die cadit 112
Iuſtus rem iniuſtam quidẽ facit, iniuriam non item 431
Iuuenis an Politica & Ethica diſcere debeat, & quamdiu. 16

L.

Labra ſimiles habent lactucas. 619
Laceſſitus par pro pari refert, iniuriam facere vix videtur 445
Lætari non ſolemus, niſi ſi quid inſperatum nobis accidat 289
Largitio fundum non habet, prouerbium 264
Laterem lauare prouerbium. 540
Laudari magis ſolet qui amat, quam qui nihil donat, nihil etiam accipit 265
Laus debetur vulgarib. honor vero eximijs 715
Legatorum genera apud Græcos duo ſunt, & quænam 271

Leges ſcire omnibus iniunctum 100

Legum collectio facilis, delectus difficilimus 830

Leges dicuntur reginæ & dominæ ciuitatum 488

Legibus ſoluti ſumus, hiſce tamen viuimus, teſtibus Seuero & Antonio 396

Leges communes ſunt perpetuæ. 402

Legum proprietas & vis eſt non hortari, ſed imperare 830

Leges ſpectant ea quæ vt plurimum fiunt 436

Leges in Republic. imperare debent, quia eſt ratio lex. 395. lex vbi dominatur, magiſtratus ſubeſt, eiq; ſeruit 3 5

Leges, teſte Seneca, ſunt præcepta minis mixta 830

Leges non ſcripta ſunt mores, inſtituta & conſuetudo 833

Leges ad virtutem acquirendā ſunt neceſſariæ, & cur. 828. ad bonos homines efficiendos opus eſt conſuetudine & aſſuefactione. 828. Lex nihil aliud eſt, quam mens & recta ratio 828

Legiſlatoris munera ſunt duo, & quænam 94

Legum ſcientia eſt neceſſaria, & vnde petenda. 836. qua via & ratione 836

Legumſcriptoris officia duo ſunt & quænam 94

Lenitatis nimium eſt ſæuitia. 145

Lex ſola eſt neceſſaria, ac eam vim habet ad reprimendos improbos & bonos efficiendos 831

Lex, teſte Ariſtotele, ſolius detrimenti differentiam perquirit. 367. Cyri exemplum quod 368

Lex dicitur regula & commune præceptum 438

de Lege naturæ videatur Hemmingius & Philip. Melanth. in Ethicis 401

Lex eſt mutus magiſtratus, magiſtratus vero ipſe dicitur lex loquens 370

Liberalis in dando potius verſatur quā in accipiendo. 254 prodigus in dando, auarus in accipiendo 354

Liberalis in omnibus rebus modum tenens, dat quoq; modice & accipit modice 263

Liberalitatis nimium eſt prodigalitas, parum auaritia & illiberalitas 142

Liberalitas facultatibus maior eſſe non debet, teſte Cicerone 259

Liberi à parentibus cur moribus diſſentiunt 73

Libero cum ſeruo nulla eſt ſocietas 397

Libertas inter familiares maior eſt, quam inter ignotos. 320

Ligna in ſyluam ferre prouerbium 340

Liturgia eſt munus, & quale dicatur 702

Lucianus nebulo Chriſtianos ridens, vocat ſaluatorem Chriſtum furciferum 364
Lucra maiora ſumentes proprie non dicuntur auari, ſed malefici, improbi iniuſti & tyranni 269
Ludendum vt ſtudeas, non ſtudendum vt ludas 806
Ludus non eſt τέλος, & quæ eius definitio 806
Luxurioſi plerique ſunt impudentes, nec multum de religione ſolliciti 242
Lycurgus omnes artes inutiles è Spartana Repub. *eiecit* 17

M.

Magiſtratus ſunt miniſtri legum, iudices & I.C. earum interpretes 370
Magiſtratus eſt publica perſona, iudices & I.C. priuata 370. *ille dicitur lex loquens, lex vero dicitur magiſtratus mutus* 370
Magiſtratus eſt miniſter & cuſtos iuris 395
Magiſtratus an rerum ſacrarum cura eſſe debeat 524. *hic Deo non imperat, ſed Dei cauſa* 524
Magna & grauia mala per ſe habentur leuia, interdũ ratione eorum, quibus accidant 79
Magnanimus verſatur in honore & dedecore 286. *honorib. maxime eſt dignus* 286. *hic ignominias & honores moderate fert & cur* 290. *hunc opes ornant* 291
Magnanimus eſt libertatis amantiſſimus, ſeruitutis impatientiſſimus 297. *iniurias facile obliuiſcitur & cur* 297. *odium eius non diuturnum, nec vindictæ cupidus* 297.299
Magnanimus quis dicatur & quomodo ſe gerere debeat 296. 299
Magnanimi officia & proprietates in beneficẽtia quæ 293. *exempla huius rei quæ* 293
Magnanimi definitio quæ 281. *hunc eſſe extremum & medium diſſimili ratione* 284
Magnificentiæ & liberalitatis diſſimilitudo 270. *& ſimilitudo quæ* 275
Magnificus ex factis ſpectatur 273
Magnificus quis dicatur 277. *huius munera quæ* 277. *quæ eius proprietas* 278
Mala quæ noſcuntur, curari poſſunt, ignota non 582
Male parta, male dilabuntur 268
Materia eſt ſpecies iniuſtitiæ, oppoſita prudentiæ 113
Matres liberorum ſunt amantiores quam patres, & cur 743
Matrimonij definitio quæ 673
Martyres metu mortis aut ſupliciorum, vt religionẽ proderent, conati ſunt tyranni 154
Maximino corporis magnitudo aucto-

auctoritatem magnam comparauit 291
Medicina ſanitatis cauſa eſt efficiens aduentitia 316
Medicina quæ eſt 335
Medicus eſt ſanitatis cauſa efficiens, ſanitas ſanitatis eſt forma 790
Medico cognitio animi eſt neceſſaria 85
Mediocritatis officiũ quodnam 374
Mediorum genera ſunt plura, & quæ 128
Megarenſium luxuria quæ & qualis 280
Melancholicorũ complexio quæ 621
Melancholici fere amara expetunt, ſanguinei vero ſuauiora 241
Meliora video & probo, deteriora ſequor 107
Melioribus à teneris aſſueſcendum eſt 827
Melius eſt inſtitutionẽ lege deſcribi quam homini priuato permitti 831. hanc communem ciuitatibus neceſſariam 832. inſtitutionis publicæ & priuatæ cõparatio quæ 833. & cur dicuntur optima 833. & quæ inter eas differentia 834
de Mollitie exempla varia 577 & ſeq. de delicatis exempla quædam 578
Memoria honeſtarum rerum ſuauior, quam vtilium 742
Memoria eſt vſus parens 498
Mendax quis dicatur 317. hi & glorioſi differẽtia quæ 318
Mendoſi qui dicantur 310
Mens theoretica & practica quæ 459
Mens nihil cõmune habet cum corpore 820
Mens noſtra à Platone raſa tabula & obliterata comparatur 520
Mentis habitus dicuntur laudabiles 89
Methodus authoris horũ commẽtariorum in explicandis ethicis quæ 4
Metus definitio quæ 210
Minima de malis capiẽda, prouerbium 189
Modeſtia nimium eſt ambitio, parum deſpicientia 144
Mœchi qui dicantur 229
Momentum non eſt tempus, ſed initium quaſi temporis, vt punctum lineæ, & monas numeri 788
Mores, verbum Latine indoles vel ingenium dicitur 6. ſumitur & improprie 6
Mores bonos corrumpunt colloquia praua 93
Moriens in calamitatibus maximis beatus dici nequit 72
Moroſi qui dicantur 310
Mors & vulnera viro forti moleſta ſunt & inuita 235
Mors ſceleratorum ſola eſt medicina 829
Motus conſequitur appetitum 109

Motus cupiditas quieti eſt contraria 175
Motus tempore perficitur, & eſt in tempore 786
Motus cur ſpecie differat 787
Motus eſt actio inchoata 779
Moyſes antiquiſſimus politicus è Iudaica Repub. omnes pictores, ſculptores, celatores, ſtatuarios ac alios eiecit 17
Mulierum officia quæ 680
Multa non iubentur, quæ tamen non vetantur 444
Multa ſunt licita, quæ tamen non ſunt honeſta 444
Multa cõueniunt materia, quæ tamen non ſunt eadem, cum modo & ratione differant 543
Multos ſummo amore complecti difficile eſt 764
Mundi effectorem & parentem reperire difficile eſt, teſte Cicerone 137
Muris ſtridorẽ extimeſcis 582
Muſcas præteruolantes metuis 56
Muſicus cantionibus bonis delectatur, diſcrepantibus dolet 756
Mutuus amor non eſt ſine proæreſi 653

N.

Natura eſt vniuſmodi, eiuſque opera ſunt perfectiſſima 118. *hæc nunquam, niſi ob impedimentum externum* 119
Naturæ vitioſæ vt variant, ita & earum appetitus 777
Natura in agendo ſemper in eundem modum ſeruet 94
Natura opinionis eſt quaſi ambiguus gladius 461
Naturalia ſunt immutabilia 403
Naturalia agunt cuncta vi ſua & motu 153
Neceſſitatis duo genera faciunt philoſophi, & quænam 182
Neceſſitas eſt duplex, & quænam 463
Negare qui poteſt, etiam poteſt affirmare 196
Neminem leges ignorare oportet 429
Nemini quidquam ſui commodi cauſa eſt detrahendum 378. *Ratio quæ, & cur* 378
Nemo poteſt eſſe amicus multis 764
Nemo ſuorum membrorum eſt dominus 221
Neque nulli ſis amicus, neque multis 762
Nihil eſt liberale, quod non item ſit iuſtum 269
Nihil miſerius, teſte Plauto, quam animus hominis ſibi male conſcius 729
Nihil tam facile eſt, quin difficile fiat, ſi inuitus facias 797
Nimium & parum ſunt vitioſa 38
Nimium fortitudinis eſt triplex 129. *omne nimium contrarium ei quod parum* 735

Nimium quantū, *phraſis Græca, i. quamplurimum* 546
Nobilibus neq; olim, neq; hodie mercaturam exercere licet 17
Nobilius Italus vir alias doctiſſimus cuias 620
Nocentem abſoluere teſte Hadriano præſtat quā innocentem damnare 263
Noctuam Athenas, prouerb. 540
Noli altum ſapere 282
Nō cuiuſuis eſt diſtinguere, quæ voluptas fugienda, quæ non 774
Non omne amari videtur, ſed id tantum quod amabile 633. *amabilia tria & quæ* 633
Nō omnis ignorantia tollit voluptatem, & quæ 421
Notæ amici & amicitiæ quæ 721. *& ſeq.*
Notæ & conditiones omnes beatæ vitæ maxime in contemplatione inſunt 816
Nullus amicus, cui multi amici 765
Numæ & Ageſilai iuſtitia eſt diſſimilis, & cur 120
Numi mutātur auaritia principum iniquiſſima 387
Numus dicitur à νόμῳ 22
Numus in quem finem repertus eſt 381. *eius origo quæ, & vnde* 381. *quæ ratio quod numus ſit medium* 381. *his differt duobus modis ab indigentia* 383. *& non eſt natura ſed inſtituto* 383. *huius vſus triplex & qui* 386
Nuptiarum celebratio eſt officium ad genus & familiam pertinens 714

O.

Oculorum virtus quæ 113
Oculi an dicantur cernere, an ſenſus vel homo ipſe 791
Odi ſapientem, qui ſibi ipſi non ſapit 470
Oeconomicæ finis ſunt diuitiæ 14
Oeconomica præſcribit modum recte vtendi diuitiis 19
Omnia debent diiudicari, ſed non ſcripto cōprehendi 437
Omnia quæ intereunt, eorū non eſt ſcientia 403
Omnia ex omnibus oriuntur, omnia in omnia occidunt 781
Omnes ea ſe ſcire exiſtimant, quæ aliter ſe habere non poſſunt 462
Omnes homines liberi & æquales 684
Omnes ſibi melius eſſe malunt quam alteri 723
Omniū rerum agendarum ſcopus adſit neceſſe eſt & oportet 523
in Operibus omnibus duo ſpectanda, & quæ 516
Opinio eſt vel communis vel ſingularis 179
Opiniones philoſophorū variæ de bono ſummo, in quibus rebus valeant 64
Opinio eſt rerum incertarū & muta-

mutabilium non ſcientia 835
Opinionis & ſcientia differentia qua 544
Optimatũ poteſtas cur in Oligarchiam commutatur 678
Opus cuique ſuum cur ſit charum 740
Ordo in diſcenda philoſophia qui ſeruandus 28
Ordo inter familiarem & æqualem non ſeruandus eſt, & cur 365
Ordo eſt mẽtus & rationis 801
Ordo nullus eſſe poteſt ſine æqualitate arithmetica & geometrica 363
Origine procliuiores ad vitia ſumus q̃ ad virtutes 138
Ortum proprium eius eſt à quo non contra 688. & ortũ eius eſt, quod procreauit, pars quædam 688
Ortum ſeu motum vocamus omnia, quæ rem conſtitutam præcedunt 605
Ortus eſt genus motionis 779
Otij cauſa eſt negotium 814

P.

Pacta ad iuſtitiam proprie pertinent 315
Pacta ſunt voluntaria & quæ 352. & non voluntaria 351. & ſeq. horum genera quæ 352. non voluntaria ſunt bipartita, & quæ 352. Pacta occulta quæ 352. Pacta vi facta quæ 352. hæc tria iniuria genera faciunt 353
Pœnæ culpis debent eſſe pares & ſimiles 380
Pœna non debet eſſe maior culpa 374. ſecus in quibuſdam tamen obſeruatur 374
Parendum eſt patri in honeſtis & mediis 712
Pares cum paribus 630
Partitio voluptatum quæ 800. impuriſſima quæ 802
Patris & præceptoris excellentia ad imperium refertur 661
Pater ſemper incertus, mater vero certa 687. Hinc in Germania conſuetudo, vt liberi patrẽ ſequantur & matrem præcedant 687
Patri honeſta imperanti ſemper parendum, turpia nunquam 712
Patrem verberare grauius eſt quam alium quempiam 673
Pater & filius ſunt vna perſona 687
Patriam, fidem, & religionem prodere nefas eſt, 158
Patrimonia multi effundunt, inconſulte largiendo 259
Pathos eſt cupiditas actuoſa 799
Paulus Iuriſconſultus emptionum originem à permutatione deducit 388
Pauper diuiti inimicus 630
Pax nulla eſt impiis teſte Eſaia, feruẽt tanquam mare 729
Pecunia vis quæ & qualis eſt 385. & ſeq.
Pecunia peccans, Athenis pecunia mulctabatur, & qui

corpore, puniebatur corpore 830

Perceptio omnis eſt ex aliqua prænotione 463

Permutatio numo antiquior 388

Perpetuitas rei naturam non mutat vt accidens 40

Pertinaces quinam dicantur 388

Petrus Victorius vir doctiſſimus Italorum omnium 617

Perturbationum verba multa, poteſtatum vero pauciſſima 110. *ex perturbationibus nemo laudatur vel vituperatur* 110. *contrarium verius* 111

Perturbationis definitio quæ 209

Perturbationes ſunt in parte animi ratione vacante 100. *harum comes eſt voluptas & dolor* 101

ad Perturbationes quænam referuntur 142

Philip. Melanchth. dicit principia naturæ nobis eſſe inſita 320

Philautia an vlla vera ſit 347

Philautus quis dicatur 744

Philoſophi olim in ſcholis vocabantur ſummiſtæ vel quæſtionarij 4

Philoſopho fidem non habere ſine ratione quid afferẽti, ratio eſt teſte Iuſtiniano I.C. 765

Placere valdè multis difficile 764

Plato quid ſummum bonum eſſe dicit 28. *hoc ideam vocat* 28

Plato è Republica ſua Poeticam eiecit 18

Plato & alij dicebant virtutes eſſe voluntarias, & vitia neceſſaria, noſtriq; arbitrij 194

Pleonectes proprie quis dicatur 338

Plus eſt ſuperare moleſtias, quam iis reſiſtere 576

Plus eſt in prœlio eſſe victorem quam non vinci 576

Poeta ait gloriam calcar addere & ſtimulum ad recte faciendum 291

Poeta ſuos verſus tanquam liberos cur delicate amãt 740

Politica ſcientia quanam perſequi ſolet 15

Politica finis eſt beatitudo 6

Politica eſt ſcopus totius operis, cuius principia in Ethicis explicãtur 22. *& eſt omniũ artium domina* 22. *& an ſapientia ſuperior* 22. *Ratio eius eſt vel neceſſaria, vel popularis* 23

Politica materia eſt varia & in quibus poſita 24. *huius auditor idoneus quis dicatur* 25

Politica eſt vel communis, vel propria 70

Politici in virtute id ſtudẽt vt eiues reddant viros præditos virtute 83. *Hic debet habere notitiam animi* 84. *dicitur quo-*

tur quoque curator ſeu medicus animi 84
Politici homines ſunt practici, vel ciuiles 33
Politici qui dicantur 491. *vocătur & polypragmones* 491
Politici *nomen Græcum, latius patet, quam Latinŭ*, ciuile 392
Politia & œconomia differentia qua 399
Politia finis non eſt tam vſus, quam cognitio 825
Pontificij malunt viuere confeſſores, quam mori martyres 584
Poſſidonius, inſignis Ciceronis amicus 750
Poſſidonius philoſophiam animanti comparauit, oſſibus & neruis Logicam, carni & ſanguini phyſicam, denique animo Ethicam ſeu Politicam 3
Poteſtas eſt natura, virtus non 112
Præmium virtutis & finis eſt beatitudo 69. *virtutis merces eſt res diuiniſſima & præſtantiſſima* 69
Prænotionis genera ſunt duo & quæ 463
Prætor dicitur viua vox iuris ciuilis 370
Praxis *vocabulum eſt commune* 9
Principia non cognoſcŭtur prudentia & arte 477
Principiis obſta, ſero medicina paratur 202
Principium eſt dimidium totius 60
Probus verus quis dicatur 133
Procreatio parentibus nota eſt 687
Prodigi tria ſunt genera, & quænam 264. *huius cum liberali cognitio qua* 265
Proæreſis virtuti dicitur cognata 173
Properans nimium, tardius abſoluit 122
Propinquorum calamitates an ad nos pertineant, & noſtram beatitudinem impediant 72.79
Protagoras apud Platonem artem dicendi omnibus aliis præſtare ait 838
Prouerbiŭ, ne quid nimis 122
Prouerbium apud Cic. minima de malis 338
Proximus egomet ſum mihi 760
Prudentia an ſapientia ſit deterior 514. *prudentia imperat, agit, & ſingula vt agenda præcipit* 514
Prudentia nimiŭ malitia, parum ſtultitia 148
Prudentia ſola an peſtes principiorum practicorŭ coerceat & moderetur 474. *hac ætate creſcit* 476. *in rebus humanis verſatur* 486
Prudentia officium quodnam eſt 505
Prudentia nomen eſt ambiguum 468
Prudentiæ officium exprimitur his ver-

his ver-

bis verbis, ratiocinari, quærere & conſultare 498
Prudentia vis ad totam vitam recte degẽdam pertinet 470. *differt etiam ab arte* 412
Prudentia quo maior, eo magis pernitioſa 554
Prudentia partes vel ſunt in conſiliis, vel in iudiciis 489. *hac eſt vel unius, vel plurium* 490. *plurium vt familia & ciuitatis: vnius vt œconomica* 490. *hac dicitur res difficilis* 493
Prudens nemo eſt, niſi vir bonus 591. *prudens & ſolers quid differunt* 592
Prudens qui vere dicitur 469
Pulchritudo dignitatem affert, quæ eſt rerum perfectarum 283
Pudor eſt ob peccata, quæ quis inuite peccat 329

Q.

Qualitatis ſpecies quæ 108
Qualia ſunt ea, quæ inſunt, tale eſt id, in quo inſunt 757
Quædam ſunt cũ dolore, quædam non 604
Quæ in amore inſunt 732
Quæ cuiuſque natura ſunt propria ea hominem amplificare ſolent 795
Quæ dicuntur fieri conſilio, & quæ non 411. *exempla quæ* 411
Quæ imperfecta & non ſatis plena, à beatitudine abhorrent 816
Quæ natura cõſtant, aliter aſſuefieri nequeunt 93
Quæ propter aliud expetuntur, non ſunt perfecta 47
Quærere & conſultare quid differunt 418
Quæſtio facti eſt in occulto, iuris in iudicio 415
Quæſtus arrogantiæ à quibus expetitur 318. *huius generis tres ſunt, & qui* 318. *horum exempla quæ* 318. *& ſeq.*
Quibus ex rebus aliquid oritur, & in eas recidat interitus 151
Quicquid cõparatur, illud doctrina & vſu paratur, naturæ nihil eſt inſitum 520
Quidam docebant politicã deteriorem rhetorica 838
Quid dulcius, quam habere, qui cum omnia, &c. 766
Quidlibet ex ſuis rebus oritur & in eaſdem recidit 781
Qui egent, & rebus aduerſis premuntur, quærunt ſibi amicos 793
Qui moribus ſunt ſimiles, vere ſodales efficiuntur 090
Quintilianus quærit, an Orator ſeu rhetor debeat etiam eſſe vir bonus 106
Qui nulli eſt inimicus, omnibus carus eſſe ſolet 629
Qui per ignorantiam quid agunt, inuiti etiam dici poſſunt 163
Qui vbique eſt, teſte Seneca, nuſquam eſt 765

Qui

Qui velle poteſt, etiam nolle poteſt. 296
Quis non tam facile ſuum donat quam ſe ab alieno abſtinet 255
Quuq; amicum ſuum tãquam exemplar ſui intueri debet teſte Cicerone 770
Quuque ſibi maxime amicus 745.
Quod caret alterna requie durabile non eſt 320
Quod factum, vt vulgo dicitur infectum reddi nequit 459
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris 268

R.

Rara eſt heroica virtus, raraq; immanitas. 529. Eius exempla. 529. huius tria genera & qua 529
Rarum id eſt, quod virtuti conſentaneum dicitur 138
Rationes de nimio & parum qua 127
Rationis virtus doctrina comparatur 91
Regis amicitia aduerſus ſuos in excellentia conſiſtit 681
Regnum cur in tyrannidẽ commutatur 678
Regula I. C. quod quis per aliũ facit, ipſum videri facere 188
Rreprehenſionem cuiuſque nos vereri non debemus, ſed eorum tantum qui prudentia & ſapientia praſtant 289
in Republica vtrum plus legib. an magiſtratibus committi debeat? 395
Res quaque ex maiore ſui parte determinari ſolet 746
Res ſempiterna in deliberationem non cadunt 158
Rerum principia mole ſunt parua, ſed vi & poteſtate maxima 829
Res vbi inter ſe diſcrepant, verba quoque diſtincta eſſe debent 163
Rerum prateritarum cur nulla deliberatio 458
Rerum amabilium genera qua 638 & tam in ſenibus quam iuuenibus reperiuntur 639
Res bonas & laudabiles expetere decet 170
Rheno proximi propter commercia cũ Gallis & Romanis numoetiam vti cœperunt 388
Robuſtus quis fit ex moderatis exercitationibus 99
Rota apud Gracos genus tormenti, hodie ignotum 618
Roma rhetores edicto cenſorum ludum aperire prohibiti ſunt 17
Roma turpe erat ſaltare & pſallere, in Gracia honeſtum 328

S.

Saltare apud gracos erat honeſtum, apud Romanos vero turpe 23
Sanus quis vere dicatur 799
Sapientia & prudentia habitus ſunt partes virtutis totius, actione tamen beatitudinem efficiunt 515
Sapientia nota qua. 480 & ſeq.
Sapiẽti qua neceſſaria ſunt 812

Sciens & prudens an quis impotens eſſe poſſit. 533. duo tempora hic diligenter conſideranda & quæ 534
Scientia quatenus eſt habitus, non capit id quod magis aut minus 778
Scientia vinculum arctius eſt, quam opinionis 539
Scientiæ definitio quæ. 464. quæ eius diuiſio 465
Scientia nunquã aberrat, ſemper eſt recta 499
Scientia eſt animæ perfectio 43
Scientiæ quando nocent 600
Scientiæ & prudentiæ, differentia quæ 495
Scientia & prudentia dicuntur habitus laudabiles 89
Scientia & opinio ſunt ſub ratione hominis 174
Scientia eſt rerũ vniuerſarum non ſingularum 552
Scipionis dictum: nunquam ſe minus eſſe otioſum quam cum eſſet otioſus 725
Scommata magni viri facilius feruntur, quam leuis & nugatoris 320
Scommata ſunt genus quoddam conuitij 324
Scopum attingere difficile, aberrare facile 138
Scriptæ ſanguine nõ atramento: prouerbium 426
Scurræ qui dicuntur 321
Secundum vitæ genus dicitur politicum 33
Seneca inqt. ſi vis me velle, efficere me poſſe nolle 299
Senectus homines reddit auaros 267
Senſus hominum communis & iudicium eſt tanquam lex naturæ 767
Senſus actionum ſuarum eſt cauſa efficiens, res ſubiecta harum tanquã materia 790
Sentire & intelligere eſt viuere & ipſa vita 757. in vita naturalis quadã ſuauitas ineſſe ſolet. 757. vitæ genera duo & quæ 757
Separatio proprie non phyſica ſed metaphyſica 40
Septentriones nulla carne & potu delectantur: meridionales vero herbis 241
Serra quatenus ſecat, nõ eſt ſerra 740
Seruile eſt ad alterius nutum viuere 297
Seruitus eſt mors ciuilis. 685. introducta propter peccata noſtra 685. & eſt pœna omnis ſeruitus 685
Seruus à domino curatur non ſerui ſed ſui cauſa. 684 ſerui ægroti nullus vſus 684. quãdo fit liber, tunc naſcitur 685
Serui pro nullis habentur 684
Seruus an νόμῳ an φύσει ſit introductus 25
Serui pro mortuis habentur & cur his non eſt otium 807
Signum eſt vel principale vel acceſſorium. 99. principale qd. 99. & qd acceſſoriũ 99
Similia ſimilibus infructuoſa ſunt. 670

Simile auget ſimile, diſſimile perimit & minuit 795
Simile expetit ſimile 630
Similitudo iuris & amicitia qua 672
Singula commemorare teſte Seneca eſt otio abutentis 326
Societas vita humana eſt publica & priuata. 2. publica dicitur ciuitas, priuata familia ibid.
Societatis ciuilis ſeu politica officium quod 674. harum genera 2. & quanam 675
Societas parentum & liberorum ſeu patria poteſtas eſt regno ſimilis. 679. Exempla qua 679
Societas rationis prima hominicum Deo cōmunis eſt 393
Socrates politicam vocat humanam philoſophiam 20
Solitudo omnis moleſta eſt 755
Solitudo ab amicis maxime repugnat vita beata 652
Solonis dictum de mediocritate laudatur 813
Somnus anima vires cōſopit 86
Somnus eſt frater mortis 821
Sophia nomē eſt homonymū 474
Sophiſtarū olim & Ieſuitarum vna ſchola & auaritia 709
Stipulatio qua ſit 381
Stoici cū ſuo parodoxo volebāt peccata eſſe paria 673
Stoici dicunt Deum nihil agere, eſſe otioſum 792
Stoici virtutem vita conſtantiam vocabant. 106. hac illis cur maxime neceſſaria 107
Stoici noluerunt in virū bonum cadere agritudinem 262
Stoici logicam ſepimento, phyſicam arboribus & ethicam fructibus ſimilē iudicabant 3. alij philoſ. ouo adaquabāt 3. vt teſta ſeu putamini logicam, ethicā vitello, albumini phyſicam compararunt 3
Στοργὴ omnis eſt πάθος 654
Studia promouentur & adiuuantur voluptate 796
Stulto intelligens quid intereſt, teſte Terentio 504
Subſtantia ſublata, tolluntur accidentia 38
Summum bonum non eſt otioſum 35
Summo nihil eſt maius 94
Suum cuique pulchrum & iucundum 755

T.

Tacitus Germanos inferiores permutatione vſos eſſe refert 388
Talio eſt ius quidem proportione, non ex aqualitate 380
Talionis ius quodnam. 375. ad quoſnam referatur 376. definitio eius qua & an neceſſaria 372
Τέλειον & αὐτάρκες quid differunt 50
Themiſtoclis & Ariſtida prudētia eſt diſſimilis & cur 120
Themiſtocles auferre manus ſibi vltro maluit, quā arma contra patriam ſumere 157
Theophraſtiani qui dicuntur 615

Theologus Gallus volens docere cœnam Domini eſſe ſacrificium, quomodo illud probet? 376
Temperantia eſt prudentiæ cuſtos & cur ſeruatrix 473
Temperantia eſt tranquilla, continentia nō item in perturbationibus 190
Temperantia nimium eſt intemperantia, parum ſtupiditas 142
Temperantes qui dicuntur 590
Temperans cupit ea quæ deceāt quemadmodum & quandō 248
Tempora quo longiora, eo præſtantiora ſunt breuiorib. 67. *longinquitas temporis ad beatitudinem complendam requiritur* 56
Tibiarum ſonus, ſtudio literarum eſt impedimento 796
Tolerantia & continētia quid differunt 576
Totum parte natura prius eſt 688
Tria ad beatitudinē requiruntur, & quænam illa 69
Triangulum habet duos angulos recto æquales 129
Tribuentium ſunt genera & quæ 424
Tropus Choreas vocat inſtrumenta luxuriæ 244
Tunica pallio propior 345
Turca hodie a vita beata & regno cœlorum fœminas excludunt 33
Turpia ſunt duplicia & quænā 327
Turpe eſt amantem eſſe & ſtudioſum improborum 719
Tygranes quidam omnia, quæ per imprudentiam fiunt, ἀκούσια eſſe dicebat 163
Tyranni & qui in imperio ſunt quale vitæ genus plerumque ſectantur. 804. *horum vicini qui.* 804. *hi à veris regibus differunt* 805
Tyranni rarius ſe plane largiēdo exhauriunt 261
Tyrannus omnia ad ſe rapiens, ſuis nihil relinquēs. 683. *huic aduerſus ſuos nullū ius, neque amicitia* 683
Tyrannidis imagines ſunt duæ & quæ 679

V.

Vacare multis ſimul ſtudijs nefas eſt 797
Valetudo cibo & potu oritur, conſeruatur & perit 98
Venus cingulo ſuo etiam prudētiſſimis mentem adimit 567
Venus nefanda partim natura eſt, partim conſuetudine 560
Vera veris conſentiunt, falſis diſcrepant 62
Verecundia & pudor quomodo differunt 326 *de hac tria potiſſimum afferuntur, & quænam* 326
Veritas eſt iuris naturalis propria, opinio iuris legitimi. 399
Veritatis nimium glorioſitas, parum diſſimulatio 146
Veritas mendacio contraria eſt 133

Veritatis oratio debet eſſe ſimplex 124
Verus amicus eſt fidelis & conſtans 649
Victoria omnibus actionib. & factis militaribus eſt præſtantior 525
Vina parant animos 231
Violenti *vocis varii acceptus* 153
Vir bonus ratione eſt Philautus 749. *viri boni propria quæ* 749. *honeſtiſſima curat* 750
Vir dicitur bonus ratione virtutum, non morum ciuilium 525
Vir liberalis eſt cõmune omniũ aliorum perfugium. 256
Vir bonus cur dicitur verax 316
Vir bonus an ab omni perturbatione vacuus eſſe debet 103
Viri boni fiunt interdum ex malis, ſed raro 93
Virtus morum cum perturbationibus cognationem habet & quam 819
Virtus eſt moderatio appetituum cum ratione: vitium vero diſcordia rationis & appetituum 530
Virtutes in caſtigationibus & pœnis verſantur 102
Virtus eſt cuiuſque rei perfectio 253
Virtus comparatu eſt difficilis: vitia facilia 123
Virtus perfecta quæ dicitur. 56. *eſtque triplex* 56
Virtutes non ſunt facultates 11.
Virtus eſt habitus in mediocritate poſitus 112
Virtus nulla teſte Cicerone prudentia carere poteſt 521
Virtutis cauſa non eſt natura ſed mos & vſus. 90. *paratur agendo & factis* 90. *alia eſt mentis, alia rationis.* 91. *hæ an innaſcantur* 93
Virtutes & vitia an ſint natura innata. 96. *hæ medio parantur & conſeruãtur, extremis pereunt.* 97. *hæ ex iiſdem factis exiſtunt & pereunt* 97. *hæ verſantur in voluptatibus & moleſtiis* 99
Virtutes laudantur ob præclaras earum actiones 81. *harum explicatio ad politicam pertinet* 83. *virtus diuina eſt & humana, vel corporis & animæ* 84
Virtutes ſunt beatitudinis effectrices 47
Virtutis eſt diſtinguere, quæ expetenda & quæ fugienda 772
Virtus & iuſtitia ſtrato ſunt eadem, ſecus ratione 543
Virtutum principia in animo conſiſtunt 108
Virtus nihil aliud eſt quam perfectio. 145. *huius partes quæ* 515
Virtutis definitio quæ 112
Virtutum ſemina nulla natura nobis ſunt indita 520
Virtus otioſa eſſe poteſt 35
Virtutes & vitia non ſunt perturbationes 116

Vita beata eſt animi tranquillitas & ſecuritas virtute parta 799
Vitæ genera quænam 816. *theoretica eſt diuina, practica humana* 31
Vita quæſtuoſa naturæ eſt contraria 36
Vita voluptaria eſt ſeruilis & beluina 33
Vitæ genera ſunt voluptatis, politica & contemplationis 33
Vitia & virtutes an ſint voluntaria necne 203
Vitia quædam fallaciter virtutes imitantur 154
Vlyſſis exemplum cur laudabile 154
Vocabula in ſumptibus faciendis quæ 143
Vocabulorum notio ex maiore vſu & frequentia naſcitur 746
Voluntas proprie eſt finium, proæreſis eorum quæ ad fines 317
Voluntatis *nomen ſæpe actioni tribuitur* 798
Voluntas quid eſt. 333. *hoc vocabulum communius accipitur* 334
Voluntas in quibus rebus verſatur 178
Voluntati obſiſtere difficilius eſt quam animo 104
Voluptas an ſit in bonis vel non & an ſit infinita 778. *an ſit motus & ortus.* 779. *illa eſt motionis comes* 780
Voluptas eſt vitæ condimentum & actionum adiutrix, Epicurus contra 794
Voluptas impedit cõſilium, rationi ac menti inimica, & oculos perſtringit. 598. *Exempla quæ* 598
Voluptates imitantur habitus 618
Voluptates aliæ neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ & quæ 573
Voluptates ſpecie differunt, & harum genera varia. 784. *à quibus homines abhorrẽt.* 754. *cur nõ ſummum bonum* 784. *hæc ſit quiddam integrum.* 785. *nõ eſt motus.* 706. *huius perfectio fit ſtatim, & eſt quocunque tempore.* 787. *non eſt in momento ſeu tempore.* 788. *eſt in animo, non in corpore.* 789. *& in ſenſu vel mente.* 789. *eſt comes actionis* 789
Voluptatum diuiſio quæ 794
Voluptatum genera varia & quæ. 601. *& ſeq.*
Voluptas quid eſt 791
Voluptati reſiſtere difficilius eſt quam moleſtiis 150
Voluptates aut ſunt animi, aut corporis 237. *animi voluptatum definitio quæ* 237. *corporis voluptates multiplices, & quænam.* 237
Voluptas ex vino ſtudia impedit 796. *ſuæ voluptates quæ ſunt, & quæ alienæ* 797
Voluptas & dolor ſunt contraria 610
Voluptas in virtutum actionibus eſt cõſtans & perpetua 16

Volu-

Voluptas eſt blandiſſima domina oculos mentis ſæpe perſtringens, vt ſimulatum & falſum à vero dignoſci non poſſit 194
Voluptas beatitudini natura eſt inſita 65
Vox fuſca eſt quaſi ſemirauca 795. *hæc à fuſco coloris differt* 795
Vrbanitas quæ dicatur 320. *huius genera duo, & q̃* 323
Vſus ad Politicam an quid proſit 837
Vſus me genuit, mater memoriam 498
Vſus communis eſt quaſi lex naturæ 52
Vt merci pretium, ita culpæ pœna debet eſſe æqualis 374
Vulnera ſecreta ſunt periculoſiora 382

Z.

Zaleucus ſibi & filio oculum eruit legum conſeruandarum cauſa 157
Zopyri exemplum cur laudandum 154

FINIS.

AØ1 14.54441

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A 97a

Digitized by Google